UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

**Pedro <de los Angeles>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1681**

urn:nbn:de:hbz:466:1-61715

Visual Library

Th. 4756.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ill II.
22

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# SPECVLVM PRIVILEGIORUM REGVLARIVM IN COMMVNI:

*VBI*

RECENSITIS PRISCIS,

ET

NOVIORIBVS CONSTITVTIONIBVS, ET REVOCATIONIBVS ROMANORVM PONTIFICVM,

*FVGATIS NEBVLIS, RESPLENDENT, QVAE AD PRAXIM DESIDERARI POSSVNT.*

*Operâ, & ſtudio Adm. R. P.*

PETRI AB ANGELIS,
CARMELITARVM DISCALCEATORVM,
Congregationis Hiſpaniæ Definitoris Generalis.

*Acceſsit hac alterâ editione,*

Quæ eſt priori auctior, inſignis de Privilegiis Regularium in communi & particulari

TRACTATUS R. P. ANDREÆ à MATRE DEI,

*ejuſdem Ordinis Salmanticenſis collegii Rectoris, ac quondam Sac. Theologiæ Profeſſoris.*

---

COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM juniorem,
Anno M. DC. LXXXI.

Collegij Soctis Jesv Paderborna.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Alberti Soetii Paderborn.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# FACVLTAS ORDINIS.

FR. STEPHANVS à S. IOSEPH, Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum B. Mariæ Virginis de monte Carmeli Primitivæ Observantiæ, &c. Vt liber, cujus titulus est (*Speculum Privilegiorum Regularium*) à Patre Fr. Petro ab Angelis, nostri Ordinis Definitore Generali accuratè compositus, & à Viris doctis nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, & examinandum commisimus) recognitus, & approbatus, Typis mandetur, & in lucem prodeat, obtentâ facultate Ordinarii, ac supremi Senatûs; Tenore præsentium licentiam concedimus. In quorũ fidem præsentes manu nostrâ, ac Secretarii nostri nomine subscriptas fieri jussimus: in hoc nostro Collegio Complutensi die sextâ mensis Martii anno Domini M.DC.LXIV.

*Fr. Stephanus à S. Ioseph,*
Vicarius Generalis.

*Fr. Theodorus à S. Ioseph,*
Secretarius.

## LICENTIA DEL ORDINARIO.

*EL Lic. D. Garcia de Velasco, Vicario desta Villa de Madrid, y su Partido, per la presente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir, y imprima un libro intitulado,* Speculu Privilegiorum Regularium in communi, *escrito por el Reverendissimo Padre Fray PEDRO de los ANGELES, Definidor General de su Orden de Carmelitas Descalzos, atento ha sido por Nos examinado, y no tiene cosa contra nuestra Santa Fè, y buenas costumbres. Dada en la Villa de Madrid a Veinte y un dias del mes de Abril de mil y seiscientos y sesenta y quatro annos.*

El Lic. Velasco.

Por su mandado,

Iuan de Ribera Munnoz.

CEN-

# CENSVRA ET IVDICIVM

*Reverendiſsimi P. Fr. M Joannis de Heredia, antiquiſsimæ Familiæ Carmelitanæ, Regularis obſervantiæ Alumni, quondam in Complutenſi Academia Sacroſanctæ Theologiæ ſapientiſsimi Lectoris: nunc verò in ſupremo Fidei Senatu Cenſoris ex munere, & in ſuo Matritenſi Cœnobio ex merito Præſulis.*

*Speculum Privilegiorum*, à Reverendiſsimo P. Fr. Petro ab Angelis, ex Religioſiſsima, venerandaque ſemper Familia Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum, Congregationis Hiſpaniæ Definitore Generali elaboratum, ex præſcripto D. Garciæ de Velaſco, Vicarii Matritenſis, vidi, & magnâ aviditate ſedulus luſtravi, lucem Doctrinæ miratus, iterum atque iterum, ut ſitim explerem addiſcendi, fontem eruditionis prælibavi. Profectò cùm tantæ Familiæ Filium Authorem conſpicerem, è cujus fœcundiſsima radice tot flores & fructus hucuſque prodierunt, ac Doctrinam operis luſtrarem, venit in mentem illud Caſsiodori encomium in Deciorum ſtemmata: *Neſcit inde aliquid naſci mediocre, tot probati, quot geniti, & quod difficile provenit, electa frequentia*, fruſtrà perquirerem Authorem, cùm hujus ſacræ Religionis Alumnum concepiſſem, è cujus uberrimo Paradiſo tot arbores vitæ, tot ſcientiæ ramos livida poſſet æmulari natura. Sed quia inter tot filio- *Lib. 3. cap. 6.*

rum lucidiſsimos partus Authorem nitidiſsimâ cognoſcam Doctrinâ fulgentem, rectè opus fulgoribus exornatum Speculi cognomine judicavi condecoratum; ſi enim ſpecies verum ſpeculum, ut clarius communicet trahit, ſubtiliſsimo lumine quidquid Privilegiorum ſparſit ſanctiſsima Sedes, ſine difficultate mutuat, ut liberè præſtet; quod minimũ eſt, occultari valet, quod nobile, nunquam patitur abſcondi; lucidiſsimum jubar ſuo ſe jubare pandit, & qui flores præ manibus habebam, ex nobili germine illicò ſum odoratus radicem. Concinit ad rem Ennodius: *Quoties amomi floſculus, aut meſis caſiæ per depræ dationem laſcivi pollicis radice viduantur, & ad dotem manuum humanarum nobile germen adjungitur, meritum ceſpitis odore ſignificat, & naturæ genium primâ viſione teſtatur. Occultari ſe non patitur fœtura ſublimis.* Ex Doctrinæ odore authorem agnovi, adeò ſublimis fragrantiæ, ut meritum prodat ingenii. Opus hoc nec mordere poteſt invidia, nec præceps ſugillare livor audebit. Habent omnes quod ex tali ſcaturigine hauriant; multum quod Literati diſcant, nihil quod reprehendant Candorem ſervat Catholicæ doctrinæ, morum honeſtatem. Cenſeo digniſsimum, ut prælo mandetur, imò, & quod æternitati credatur. In hoc Conventu Matritenſi Carmelitarum Obſervantiæ, die 17. menſis Aprilis anni 1664.

Orat. 4.

*Frater* IOANNES *de* HEREDIA.

CENSV-

# CENSVRA

*Reverendi admodùm P. Fr. Magistri THOMAE de CASTEION, ex illustrissimo Cœtu Eremitarum eximij Doctoris S. Augustini, olim in sui Ordinis celeberrimo Collegio Complutensi, & Salmantino Sacræ Theologiæ dignissimi Moderatoris.*

EX decreto Supremi Senatûs Castellæ librum hunc, cujus est inscriptio, *Speculum privilegiorum Regularium*, Authore Reverendissimo P. Fratre PETRO de los ANGELES, Carmelitarum Excalceatorum Observantissimæ Congregationis Hispaniæ Generali Definitore, inspexi, & apte, convenienterque respondere titulo nemo dubitabit, qui attente illam, qua Privilegiorum repræsentat qualitates, inspexerit perfectionem. Unde in eo perspicuè videtur apparere Empedoclis sententia de rerum speciebus, seu imaginibus, quas intuentibus Speculum refert. Has enim ille apud Plutarchum: *Fieri* (ait) *per effluvia in Speculi superficie coeuntia; peragi autem per ignem, qui ex Speculo profluit.* Deducitur sanè, ut minimè dubitandum, in hoc Tractatu non minus igneo Authoris, ardentique zelo, quo intimè inflammatus Speculum hoc elaboratè confecit, quàm ipsorum deberi Privilegiorum naturæ. Splendentem verò in ipso illius zelo prudentiam, simulque immensam obligationem, qua totum his elucubrationibus Religiosorum statum Author obstringit, fervor ille maxime comprobat, quo prædictorum firmitatem Privilegiorum sancit, & roborat. Nec enim minori afficit decore Religiosos, qui efficacibus, & potentissimis doctrinis illorum evulgat Privilegia, quàm ipsa per se validissima Privilegia, ex quo si, ut legitur in D. Cypriano: *Minus est criminis honoratum bono testimonio non fuisse, quàm honorem boni testimonij perdidisse; minus est sine laude jacuisse, quàm laudes propriás perdidisse*; ita diverso modo non majoris debet esse gloriæ bono Privilegiorum testimonio honorati, quàm honorem talis testimonii non amisisse. Pari ideò, ne dicam majori, cum ipsa Privilegiorum gloria; laude dignam existimandam censeo curam, & diligentiam in illis publicandis impensam, ne in interitum ruant, vel in oblivionis immersa profundum, vel non, ut æquum erat, propugnata. Concedamus hanc laudem, cui tam glorioſum expletur propositum, & quia in hoc opere nihil est, quod Catholicæ dissonet veritati, bonisve moribus, quinimò omnia pura, omnia sapienter excogitata, Religiosissimoque Viro digna inveniantur, ut omnes consulto hoc Speculo, quod se deceat, eligere, atque præstanter effingi valeant, dignissimum opinor, ut in publicum prodeat, omniumque obtutibus, omnibus benè consulturum exponatur. In hoc Divi Philippi Matritensi Conventu, die 1. Maii, anno 1664.

*Plutarchus de Placit. Philosoph. l. 4*

*S. Cypr. l. 2. epistolar. epist. 7*

Fr. THOMAS de CASTEION.

FACVL-

Facultas R. adm. P. Provincialis Germaniæ,
cum Privilegio Cæsareo.

F. RAPHAEL à S. IOSEPH,

*Provincialis Germaniæ FF. Discalceatorum Ordinis*
*Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo,*
*Congregationis S. Eliæ.*

CVm Decreto Sacræ Cæsareæ Majestatis omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus, seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros ullos à Carmelitis Discalceatis hactenus editos, aut imposterùm edendos, vel eosdem in diversas linguas ab aliis hominibus translatos, aut in compendium redactos, intra Sacri Romani Imperii, Regnorumq; & Dominiorum Suæ Sac. Cæsareæ Majestatis hęreditariorum fines simili, vel alio characteris genere, aut forma, sive in toto, sive in parte excudere, vel recudere &c sine facultate Provincialis Ordinis nostri, pro tempore existentis, in scriptis habenda, sub pœna Confiscationis omnium librorum, & aliis gravioribus audeat, vel præsumat: Tenore præsentium Facultatem concedimus IOANNI WILHELMO FRIESSEM Bibliopolæ Colonienſi, recudendi SPECULUM PRIVILEGIORUM REGULARIUM &c. R. P. PETRI AB ANGELIS, ac TRACTATUM DE EISDEM PRIVILEGIIS R. P. ANDREAE à MATRE DEI &c. in quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, ac sigillo munitas dedimus Viennę Austrię 8. Novemb. Anno 1680.

*F. Raphael à S. Ioseph.*

Pro-

# PROLOGVS.

VASTVM mare (Lector benigne) ac procellorum abyssum aggreditur,& ingreditur, quisquis tempestate hâc pelagus Privilegiorum Regularium vadare conatur. Ita ne? Quis nisi ignarus neget? Quot capita,tot sententiæ: Contrarias dicam,an contradictorias? Vtrumque reperies. Quidam ex amplissimis concessionibus, tum vetustis,tum recentioribus adeò illa dilatant,ut eis ferè omnia licere, facilè præsumant. Quidam adverso marte, ex variis revocationibus adeò restringunt,ut maria magna Religionum in parvulum fontem conversa non renuant afferere.

Quid igitur? pedem retraham? forsan consules, caliginem aspiciens: At mihi contrarium occurrit, cùm caligo ipsa veniam erranti offerat, si sincerè scopum veritatis tentem attingere. Nec mens tendit in omnia,& singula, nec de Privilegiis,etiam in particulari, sermonem texere. Cùm præ manibus sint de hac re doctissimorum Virorum illustria volumina. Nec minus aliqua inaudita de meo adjicere. Primum enim sicut molestum, & odiosum esset; sic & præsumptuosum secundum.

Verùm quia ob temporum varietatem nil ita stabile, quin pristinæ stabilitatis ipsa stabilitas careat; nihilque ita certum, quin novissimis multoties occurrentibus difficultatibus minus certum appareat. Ergo cùm in Romana Curia (supra meritum licèt) Procuratoris Generalis sacræ meæ Religionis per septem annos munere functus fuerim, Diversitas negotio-

tiorum, circa Privilegia Regularium, animum intentâ, obsequiosâque solicitudine appulit; ut quæ de Privilegiorum in communi potissimis fundamentis, tum ex gravioribus Authoribus, tum ex consortio, & famulatu doctissimorum Virorum in alma Vrbe existentium, non mediocri labore hauseram, in aliqualem meorum potissimè Alumnorum utilitatem, luci traderem; quatenus Privilegiorum, potioribus fundamentis radicitùs agnitis, ipsisque succinctè præ oculis appositis: amotâ ignorantiæ, erroriſque occasione, tutiora pro usu possent observare. Opusculum finivi, sæpè frequentiora, non casu, sed consultò, in extensis voluminibus aliorum Doctorum videnda relinquo, selectiora explanare propono, & ea, sine quibus obstrusum maneret opus. Vtinam, quod intendo, assequar. Conabor igitur magis stabilita palàm proferre, singula singulis adaptando, per disputationes, & sectiones, brevitate, cui nihil desit, nihil effluat; claritate in nullo minori, quàm captui meo permissa; faxit Deus, ut votum impleam, & fructus labori respondeat.

INDEX

# INDEX
# DISPUTATIONUM, ET SECTIONUM,
## CUM EARUM SUMMARIIS, in commodiorem usum legentium.


## DISPUTATIO I.

De quidditate, seu natura Privilegiorum.

### SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Privilegium, quę ejus proprietates? pag. 1.

1. *Explicatur quid sit Privilegium, & quomodo operetur contra jus cōmune.*

2. *Divisiones Privilegiorum proponuntur, explicaturq; qualiter omnes reducantur ad Privilegia* realia, *vel* personalia.

3. *Expenditur quid sit Privilegium* reale, *quid* personale?

4. *Privilegium reale transit de persona in personas; personale cum ipsa persona finitur.*

5. *In dubio, an Privilegium sit* personale, *vel* reale, *expenditur quid judicandum.*

6. *Privilegia, quæ sunt pureè favorabilia, & merum beneficium, & quæ sint odiosa, & quid includant?*

7. *Fereè omnia Privilegia concessa primò, & per se Religionibus, Communitatibus, Ecclesiis, Prælatis, vel Dignitatibus & Officijs, cùm sint realia, sunt perpetua, & transeunt in Successores.*

### SECTIO II.

De Privilegiorum interpretatione, & ampliatione. pag. 3.

1. *Privilegium meré gratiosum, & quod nulli nocet, latissimè est interpretandum; secundùm quod proprietas verborum patitur, sive naturalis sive civilis, expenditur etiam, quid hoc sit?*

2. *Privilegia realia Regularium etiamsi contrarientur juri communi latè interpretanda sunt, cujus datur ratio.*

3. *Quando Privilegium conceditur* motu proprio, *etiamsi sit contra jus commune, extenditur, & si cum clausulis* ex certa scientia, *vel*, de plenitudine potestatis, *extenditur etiam in damnum tertij; sed quomodo id debeat intelligi, explicatur infrà* disp. de confirmatione, & derogatione Privilegiorum.

4. *Privilegia concessa primò & per se in favorem Regularium, & Ecclesiasticorum, etiamsi aliquando videantur odiosa aliquibus, cùm hoc sit per accidens, non debet attendi, assignatur ratio, quod maximè tenet in privilegijs, quæ animarum favorem concernunt, & alijs, quæ jus commune videntur ladere.*

5. *Imò prædicta Privilegia cum tali lasione reputari debent absolutè favorabilia, quia vel non invenitur in tali casu*

*tasio juris, vel non attenditur à Principe; cujus assignatur optima ratio.*

6. *Solvitur quædam objectio ex duplici loco D.Thom. notatu digna.*

7. *Adducuntur aliqua Decreta Pontificum concedentia Regularium privilegia lato modo esse interpretanda, & in favorem eorundem, quando aliquod dubium oritur ex ambiguitate verborum, neque ad hoc attendi debent rigores, sed apices à Iurisperitis observati, sed ampliandæ sunt ex bono & æquo.*

8. *Dubitatur, quis possit privilegia dubia interpretari?*

9. *Interpretatio duplex:* authentica, & doctrinalis, *hæc à viris doctis fieri potest, etiamsi in clausulis Bullarum contineantur verba:* Nemini liceat ipsas aliter declarare, seu interpretari; *vel* sublatâ potestate aliter interpretandi, & determinandi; *illa verò à solo Principe concedente, vel à Successore, seu ab habente potestatem delegatam fieri valet.*

10. *Adeo vera est prædicta Doctrina primæ partis, ut circa clausulas Tridentini possit practicari, & de facto practicatur, adducuntur exempla ex ipso Tridentino.*

11. *Adducuntur alia exempla manifesta.*

12. *Stabilitur magis præcedens Doctrina.*

13. *Interpretatio authentica obligat in conscientia, est enim quasi nova lex. Doctrinalis licèt non obliget, securas tamen reddit conscientias, si à viris doctis fiat.*

14. *Privilegia Regularium non possunt interpretari authenticè, neque ab Episcopis, neque ab Archiepiscopis, neque ab alijs Prælatis Ecclesiasticis, hoc enim est illis prohibitum à Romanis Pontificibus.*

15. *Quando dubitatur, an Privilegium sit revocatum, vel non, dicendum est, non esse revocatum ex Privilegio* Alexandri VI.

16. *Prælati Regulares habent privilegium interpretandi authenticè sua privilegia pro suis subditis.*

17. *Possunt Prælati Regulares authoritate Apostolicâ dubia tam suæ Regulæ, quàm suorum privilegiorum, in beneficium suorum subditorum declarare.*

18. *Probatur prædictam declarationem posse facere Prælatos authenticè, & juridicè.*

19. *Solùm tamen habet vim dicta declaratio pro suis subditis.*

20. *Est etiam facienda prædicta interpretatio, seu declaratio prudenter, & cum consilio peritorum, & extenditur ad Vicarios Conventuum. Possunt etiam ipsi Prælati limitare, restringere, imò etiam tollere pro suis subditis usum privilegiorū authoritate Apostolicâ.*

## SECTIO III.

De regulis rectè interpretandi Privilegia, jura, & alia decreta Pontificia. pag. 10.

1. *Conjecturæ interpretandi suprædicta, præcipuè ordinantur ad cognoscendam voluntatem Principis concedentis; & in primis debet attendi favor Privilegiati, & lasio alterius.*

2. *Secundò, attendenda est causa, quæ movit Pontificem ad concedendum privilegium.*

3. *Tertiò, inspici debet tenor privilegij.*

4. *Quartò, in Bullis, & Privilegijs potius*

tim pars dispositiva, quàm narrativa attendenda est.

5. Quintò, quando mens Pontificis non apparet à verosimili, indaganda est.

6. Sextò, quando quis in dubijs utitur epicheia, debent temperari in legibus rigores juris, & procedere de bono, & aquo.

7. In dubijs legum, & privilegiorum recurrendum est ad conditorem earum pro declaratione authentica, nisi periculum sit in mora; & hoc quando non adest delegatus: si enim adsit, etiam præsente legislatore poterit talia dubia interpretari.

8. Ad interpretationem præfatam multùm juvat cognitio clausularum, privilegiorum, & legum.

SECTIO IV.

De Authoritate Eminentissimorum Cardinalium. pag. 12.

1. Pro declarationibus, seu decretis Eminentiss. Card. adsunt aliqua scitu dignissima ab Urbano VIII. petita.

2. Sine prædictis conditionibus non est adhibenda fides certa prædictis declarationibus, & decretis; potest tamen adhiberi fides probabilis, si à viro fide digno referantur.

3. Dubitatur, an dicta declarationes, seu decreta obligent in conscientia. Refertur sententia multorum affirmantium, solùm esse Doctrinales, sed quia magnæ authoritatis, regulariter sunt sequenda, sed in rigore non obligant.

4. Refertur sententia affirmans habere vim legis, & sic ligare conscientias.

5. Vtendum est distinctione, & quando sunt confirmatæ à Pontifice, obligant, quia habent vim legis; si verò confirmationem Pontificis non habeant, minimè obligant, licèt ut probabiliss. mæ sequendæ, dum tamen in eis inveniantur conditiones ab Urbano VIII. requisita.

6. Aliqui volunt non indigere hujusmodi declarationes nova publicatione, sed oppositum tenendum est.

7. Vnde sine dictis conditionibus, & sine publicatione non habent vim legis obligantis; & quando dantur etiam cum illis, & confirmatione Papæ pro aliquo casu particulari, solùm obligant pro illo, neque extenduntur ad alios etiam similes, nisi exprimatur in ipsis decretis.

8. Quando dubitatur de authoritate harum declarationum, post factam sufficientem diligentiam, non obligant, si verò dubitetur de sufficienti publicatione, affirmant aliqui obligare, sed probabilius est oppositum.

9. Refertur sententia particularis cujusdam Authoris in præsenti dubio in duas partes divisa.

10. Roborat idem Author suam sententiam.

11. Respondet ipse cuidam objectioni. Prima pars hujus sententiæ verissima est. Secunda verò si intelligatur de confirmatione Pontificis in forma communi, est probabilis; si autem intelligatur de confirmatione in forma specifica, rejicienda.

12. Etiam si dictæ declarationes sint authenticæ, confirmatæ, & publicatæ, si non includant derogatorias Privilegiorum antecedentium, illa non revocant.

## DISPVTATIO II.

### De Communicatione Privilegiorum inter Regulares.

### SECTIO I.

De diversitate Religionum communicantium in Privilegiis. pag. 16.

1. *Explicatur quæ sint Religiones Mendicantes.*

2. *Religiones Mendicantes ad invicem quælibet communicat in Privilegijs aliarum.*

3. *Refertur ampliſſima communicatio PP. Prædicatorum non ſolum de conceſſis, verum & concedendis.*

4. *Refertur communicatio Minorum de conceſſis, & de concedendis.*

5. *Religioſi Mendicantes participant etiam omnia Privilegia non Mendicantium, Monachorum, Congregationum, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum, non ſecus, ac ſi cuilibet Ordini Mendicanti omnia in ſpecie, & nominatim conceſſa eſſent; & idem eſt de confirmationibus, & innovationibus Privilegiorum juxta dicenda infrà.*

6. *Moniales Ordinum Mendicantium, ſive ſubdantur propriis Religioſis, ſive non, participant, in quibus ſunt capaces, omnia Privilegia Fratrum, ſicut & Fratres etiam communicant Privilegia conceſſa Monialibus, ſive illa adepta ſint per ſuos Regulares, ſive non.*

7. *Referuntur de hoc varia Privilegia.*

8. *Hodie ferè omnes Religiones Mendicantes, & etiam Monachales participant omnia Privilegia Mendicantium, & non Mendicantium, referuntur Privilegia harum Religionum.*

### SECTIO II.

De modo communicationis Privilegiorum. pag. 24

1. *Explicatur modus, quo præfatæ Religiones participāt Privilegia Societatis IESV ſine licentia propriorum Prælatorum.*

2. *Refertur ſententia negans.*

3. *Defenditur ut ferè certa ſententia affirmans.*

4. *Confirmatur eadem ſententia affirmans.*

5. *Refertur validiſſimum fundamentum ex Bulla* Greg. XV.

6. *Confirmatur hoc idem.*

7. *Dubitatur, an quando ſolum explicantur in conceſſionibus, ſeu communicationibus Privilegia conceſſa, ſi poſtea Religioni noviter fundatæ concedantur nova Privilegia, participent illa primæ Religiones? Reſpondetur negativè: quando verò primi Religioſi habent clauſulam in ſuis Bullis, non ſolùm de communicatione Privilegiorum conceſſorum, ſed etiam concedendorum, participant Privilegia nova Religionis.*

8. *Stabilitur ſententia affirmans.*

9. *An Privilegia, quæ habent clauſulam incommunicabilitatis reſpectu aliarum Religionum, reddantur communicabilia per communicationem omnium Privilegiorum conceſſorum, & concedendorum pro omnibus Religionibus, ſine expreſſione tamen dictæ clauſulæ; defenditur, & roboratur ſententia affirmans, dummodo intelligatur de privilegiis conceſſis tempore generalis communicationis ante.*

antecedentis, non verò de alijs, quæ posteà conceduntur cum tali clausula incommunicabilitatis.

10. Proponitur dubium circa cõmunicationem Privilegiorum inter Provincias, Conventus, Ecclesias, & personas particulares.

11. Explicatur, & defenditur vera sententia.

12. Proponuntur aliquæ objectiones ex Bullis Pontificum.

13. Satisfit objectionibus cum moderaminibus requisitis.

14. Roboratur, & explicatur magis eadem communicatio.

15. Explicatur iterum eadem pars.

16. Impugnatur quædam sententia circa hoc, & vera stabilitur.

17. Communicatio Privilegiorum non extenditur ad gratias, quæ per Brevia, seu decreta particularia summi Pontificis, seu in quibus præcedit examen, & decretum alicujus sacræ Congregationis, alicui particulari Conventui, vel Religioni conceduntur, assignatur fundamentũ.

18. Explicatur, quomodo, & quando hæc extensio fiat in aliqua Religione.

19. Vera sententia defenditur.

20. Respondetur argumentis in contrarium.

21. Privilegia concessa alicui personæ ratione dignitatis, officij, vel ministerij transeunt in Successores.

22. Privilegia communicata alicui particulari, & privatæ personæ, nullo modo communicantur alijs, neque in proprio, neque in alieno Ordine.

23. Confirmatur hoc idem ex duplici exemplo, & refertur primum.

24. Refertur secundum exemplum.

25. Supradicta aptari debent cum proportione Indulgentijs; dum tamen non sint de his, in quibus specialis mentio requiritur, vel quia rarò, & cum magna difficultate conceduntur, vel quia sunt concessa alicui speciali loco, vel determinatæ personæ propter aliquam rationem specialem, ut patet in Altaribus privilegiatis, & alijs similibus.

26. Neque sunt communicabilia Privilegia, seu Indulgentiæ, quæ solùm ad tempus determinatum conceduntur.

27. Explicatur quomodo duret Privilegium, seu Indulgentia concessa alicui Ecclesiæ Regularium, si posteà transeat ipsa Ecclesia in potestatem Clericorum.

28. Privilegia, quæ per consuetudinem adquiruntur, communicabilia sunt, si cætera adsint.

29. Explicatur, quomodo Privilegiis, quæ ab una Religione per communicationem participantur, maneant istius Religionis, quasi ipsi essent primò concessa, & allegare illa tam in judicio, quàm extra, cum subscriptione, & sigillo in sui favorẽ.

30. Refertur sententia negans; sed affirmans ut vera stabilitur.

31. Explicatur quomodo Privilegia, quæ videntur odiosa, sunt communicabilia, vel non.

32. Doctrina notabilis expenditur.

33. Declaratur quomodo ferè omnia Privilegia Regularium, quàmvis sint odiosa alicui, vel aliquibus particularibus, respectu boni communis sint favorabilia, & sic communicantur.

34. Resolvitur, quomodo sub generali communicatione Privilegiorum veniant viva vocis oracula, & Privilegia, quæ sunt clausa in corpore juris communis.

35. Satisfit cuidam objectioni.

36. Expenditur quomodo communi-

cans Privilegium cum alia Religione possit illud retorquere contra ipsam Religionem, cui primò concessum est.

37. Conciliantur duæ sententiæ oppositæ.

38. Excluduntur à Conciliatione Privilegia, quæ participant familiares, seu servitores Conventuum.

39. Declaratur, quomodo in communicatione Privilegiorum potius jus utendi, quàm usus communicetur.

40. Stabilitur, & explicatur magis hoc idem.

41. Quando Privilegium non appareat fuisse in usu tempore communicationis, non licet uti illo, nisi probetur usus.

42. Privilegijs concessis pro subditis, gaudent Prælati, & Privilegio concesso minori Superiori, gaudet major, non tamen è contrà.

43. Idem confirmatur, & explicatur.

SECTIO III.

De Authoritate Privilegiorum necessaria quoad usum. pag. 43.

1. Non possunt Regulares uti privilegijs, nisi eis constet de validitate, & firmitate eorum; sed diverso modo pro foro interiori, ac pro foro exteriori, non tamen est necessarium ad valorem Privilegij pro foro conscientiæ, quod detur in scripto.

2. Pro foro externo necesse est, ut in scriptis detur.

3. Sufficienter probatur Privilegium pro foro exteriori per transumpta, vel copias manu Publici Notarij subscriptas, & sigillatas.

4. Fidem faciunt etiam in judicio apographa, seu copiæ Privilegiorum Typis excusæ in folio, vel in aliquo Bullario, & etiam in libris impressis probatorum Authorum.

5. Privilegia antiqua in corpore juris impressa, data die, mensis, anni, & loci, non indigent ad sui valorem, quod etiam procedit in legibus & statutis Universitatum.

6. Secus verò de Privilegijs novis, quæ sine prædicto non valent.

7. Etiamsi originale Privilegij, & transumptum deperditum sit, neque in libro inveniatur impressum, si per testes idoneos probetur, valet pro utroque foro.

8. Episcopus dubius de validitate Privilegij Regularium, non potest impedire, ne illo utantur.

DISPVTATIO III.

De amissione & cessatione Privilegiorum.

SECTIO I.

De renuntiatione Privilegiorum. p. 47.

1. Privilegijs concessis in favorem Religionis Ecclesiæ, Conventûs, vel alicujus Communitatis, nullus particularis validè potest renuntiare, etiam cum juramento

2. Idem dicendum est, quando res pertinet ad omnes, & singulos.

3. Prælati inferiores, superiores, & etiam Generales non possunt talem renuntiationem facere, nec validè, nec licitè, nisi juxta modum infra assignandum.

4. Capitulum generale potest pro tota Religione facere talem renuntiationem.

mem. Capitulum Provinciale idem potest pro sua Provincia in ejusdem proprijs Privilegijs ex Bullis Pontificum, explicatur modus talis renuntiationis.

5. Privilegijs personalibus, & quæ jus tertij non tangunt, renuntiare potest Privilegiatus.

6. Renuntiatio Privilegij ante acceptationem concedentis, vel ejus potestatem habentis, non est valida; excipiuntur casus in jure inclusi: exponitur hoc.

7. Renuntiatio non extenditur ad non expressa, etiamsi similia sint, & in dubio de renuntiatione, non præsumitur quis renuntiâsse juri suo.

8. Si ante acceptationem renuntiationis ab habente potestatem renuntians mutet voluntatem, manet privilegium validum, sicut antea. Adducuntur exempla.

## SECTIO II.

De amissione Privilegii per non usum, usum contrarium, & per abusum. p. 50.

1. Certum est posse Privilegium per non usum, & usum contrarium perire, si omnia requisita adsint.

2. Per non usum, seu per usum contrarium deperditur privilegium, quando intercedit tacita renuntiatio, vel sufficiens tempus ad præscriptionē requisitum.

3. Non usus potest sumi negativè, privativè, & contrariè, explicantur singula.

4. Privilegium non deperditur per non usum, si non sit notitia privilegij, vel deficiat occasio, vel se obtulit impedimentum utendi, vel denique si deficiat libertas in privilegiato.

5. Tempus requisitum ad præscriptionem est computandum ab ultimo tempore, in quo quis cessavit ab usu privilegij. Assignatur tempus necessarium ad præscriptionem contra laicos, & privatas personas.

6. Assignatur tempus necessarium ad præscribendum contra Communitates, Universitates, Ecclesias, & Collegia, ex variis privilegijs.

7. Pro Religiosis requiritur longius tempus.

8. Refertur pro hac re magnum privilegium Eugenii IV.

9. Privilegia Regularia, quæ nulli nocent, nunquam deperduntur per nō usum, sive negativum, sive privativum, exclusis privilegijs relatis, num. 7.

10. Infertur, quòd solùm amittuntur privilegia per non usum, vel ratione præscriptionis, vel ratione tacitæ renuntiationis.

11. Nunquam datur renuntiatio in non usu privilegiorum Regularium, sive negativo, sive privativo, quæ nulli nocent.

12. Prædicta Doctrina intelligitur de privilegijs affirmativis, id est, quæ aliquid faciendum indulgent: nam de meris negativis, in quibus conceditur facultas non faciendi, quod erat faciendum, & non tangunt jus tertij, nunquam deperduntur per non usum.

13. Quæ sint privilegia merè favorabilia, dictum manet suprà disp. 1. sect. 1. 2. & 3.

14. Privilegia, quæ aliquod jus ladunt, vel vergunt in damnum tertij, amitti possunt, vel per non usum privativum, vel per usum contrarium, si cætera adsint.

15. Privilegiū personale absque protestatione, & rationabili causa deperditur, si privilegiatus voluntariè se subdat jurisdictioni alterius, etiam per unum actū con-

contrarium: verùm licèt privilegiatus exerceat unum, vel aliquos actus contrarios, non habens simpliciter animum renuntiandi Privilegio, sed solùm quoad illum, vel illos actus, absolutè non amittit Privilegium.

16. Adducitur exemplum ex utroque jure; sed ad tollenda litigia adhibenda est semper protestatio.

17. Præfata Doctrina maximè vera est, quando Privilegium se extendit ad diversas res.

18. Quando Privilegium amittitur per præscriptionem, vel tacitam renuntiationem ex dispositione juris, non est opus acceptatione Pontificis, seu concedentis.

19. Contrarius usus Privilegij per Religiosum particularem, per Monasterium, & etiam per Provinciam, non invalidat Privilegium concessum pro toto Ordine.

20. Privilegium amitti potest per abusum non utendo illo, loco, tempore, ac mensurâ præscriptâ in ipso, & utendo extra limites Privilegij, & etiam per sententiam, quando in jure asseritur, quòd ipso facto incurratur, vel non expectata sententia.

21. Religiosi irregulariter viventes per abusum suæ Regulæ, saltem in foro conscientiæ amittunt Privilegia.

SECTIO III.

De amissione Privilegii ex cessatione causæ finalis. pag. 55.

1. In Privilegijs merè gratiosis non deperditur Privilegium ex cessatione causæ finalis.

2. Nec minus cessat ex cessatione causæ impulsivæ: nec cessat Privilegium absolutè, per cessationem ad tempus causæ finalis totalis, sed suspenditur pro illo tempore. Adducitur exemplum.

3. In Privilegijs, quæ vel juri communi opponuntur, vel jus tertij lædunt, si causa finalis cessat contrariè, cessabit Privilegium totaliter, si cessat causa finalis totaliter; si verò cessat partialiter, cessabit Privilegium quoad illam partem. Explicatur quomodo hoc sit intelligendum.

4. Explicatur magis hæc Doctrina.

5. Si cessat causa totalis Privilegij non contrariè, sed solùm negativè, non cessat Privilegium.

DISPVTATIO IV.

De revocatione privilegiorũ.

SECTIO I.

Quæ Privilegia possint revocari validè, & licitè à Principe concedente, vel à Successore habente æqualem potestatem. pag. 57.

1. Explicatur de quo procedat difficultas.

2. Privilegia merè gratiosa, id est, quæ procedunt ex sola benignitate, & liberalitate Pontificis, revocari possunt, etiam sine aliqua compensatione, & nullâ interveniente causâ semper validè, & in praxi semper licitè, quia semper fiet ex aliqua causa Pontifici nota.

3. Privilegia collata per modum contractûs onerosi, quàmvis cum urgenti cau-

causa, & ob bonum publicum possint revocari, sed cum debita compensatione. Adducitur exemplum.

4. Privilegia remuneratoria propter servitia facta, quomodo interpretanda sunt, exponitur.

5. Si obsequia & servitia, ob quæ datur Privilegium, fuerunt liberaliter exhibita, sed ex alijs titulis debita, etiamsi illorum causâ Princeps Privilegium concedat: concessio in rigore non est remuneratoria ex debito justitiæ, sed potius ex lege antidotali; id est, gratitudinis, benevolentiæ, & benignitatis, & potest revocari absque compensatione, nisi ad summum ex quadam gratitudine, ne Princeps ingratum se ostendat.

6. Merita debent exprimi specialiter in Privilegio concesso, ut constet esse remuneratorium.

7. Privilegia Regularibus concessa per Romanos Pontifices in præmium laborum, quos passi sunt, & quotidie patiuntur pro sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensione, & augmento, ac animarum salute. Aliqui sentiunt esse remuneratoria ex causa onerosa, & per modum contractûs saltem implicitè, ad modum famulorum servientium, & militum præstantium sine pacto, & sic non posse revocari sine debita compensatione.

8. Sed oppositum absolutè est tenendum. Probatur primò.

9. Probatur secundò.

10. Satisfit cuidam objectioni.

11. Verùm negari non potest, quòd multa ex hu operibus in Religiosis excedunt debitum rigorosæ, & præcisè obligationis suæ professionis, cùm sint supererogatoria; attamen cùm fiant, ut debêt fieri, ex amore Dei, & proximorũ, à Deo expectanda est retributio, non à Romano Pontifice, nisi ad summũ ex gratitudine.

12. Proponitur alia objectio.

13. Satisfit illi.

## SECTIO II.

De diversis revocationibus Privilegiorum. pag. 61.

1. Non semper sunt idem, Privilegiũ, rescriptum, gratia, beneficium, & indultum, sed multoties diversificantur, explicatur primò differentia illorum.

2. Rursus rescriptum aliud dicitur justitię, aliud gratię, quodlibet declaratur.

3. Exponitur in quo differant gratia, & Privilegium, neque enim inter se convertuntur.

4. Revocatio alia est expressa, & formalis; alia implicita, seu per quandam consecutionem: explicantur singula.

5. Revocatio expressa & formalis subdividitur in genericam, seu generalem: & in specificam, seu individualem. Explicantur singula.

6. Declarantur quatuor modi, quibus Pontifex potest implicitè, seu tacitè revocare Privilegia.

7. Clausulæ generales revocatoriæ Privilegiorum in duplici classe constituuntur, & exprimuntur.

8. Lex Ecclesiastica potest dici generalis tripliciter. Explicatur primus modus.

9. Explicatur secundus modus.

10. Quid dicendum, quando tangit omnes alicujus statûs particulares.

11. Assignatur differentia inter censuram positam à jure, & positam ab homine.

12. Explicatur tertius modus.

13. Privilegium etiam reale dicitur lex privata, ac proinde lex non absolutè, sed quasi lex, tamen lato modo dici potest lex.

14. Privilegiæ perpetuæ quando sunt concessæ intuitu alicujus boni communis, quibus renuntiare non potest, ut privilegium fori concessum Clericis, & Monachis, quia propriissimè dicitur lex, non solùm respectu illorum, quibus præcipitur, ut tale Privilegium Clerici observent, sed etiam respectu ipsorum Clericorum, quibus præcipitur, ut illo utantur, nec renuntiare valent. Aliæ Privilegiæ, quæ ab hoc deficiunt, non sunt propriè, & rigorosè leges ex defectu obligationis observantiæ in illis.

15. Qualibet vera, & rigorosa lex respectu diversorum, & potest dici generalis, & specialis, exceptis illis, quæ omnes Fideles adstringunt.

16. Agitur de clausulis generalibus revocatorijs primæ classis, num. 6. assignatis.

17. Dubitatur primò, an Privilegijs inserta in corpore juris communis, seu Ordinarij derogetur per dictas clausulas revocatorias in novis Statutis Pontificum insertas, quando non adsunt particulæ, motu proprio, certâ scientiâ, & de plenitudine potestatis. Prima sententia absolutè affirmat.

18. Alij Doctores antiqui, & moderni varias exceptiones apponunt prædictæ sententiæ.

19. Primum, quando Papa statuit per modum legis, seu statuti generalis dictæ clausulæ revocatoriæ generales sufficiunt ad derogandæ Privilegiæ, quæ insertæ sunt in corpore juris communis in his, quæ opponuntur novæ legi, etiamsi Privilegia juris habeant clausulas derogatoriarum derogatorias, dummodo jus commune cum lege nova in proprietate sermonis non possint inter se conciliari.

20. Affirmant multi, quòd revocatio posterior generaliter facta, indistincte loquens in aliqua lege, seu statuto correctivo prioris legis, limitanda est per priorem specialem.

21. Addunt aliqui, quòd si lex generalis correctiva posterior nullo modo possit componi cum priori, neque aliquem effectum habere, nisi illi derogando, derogata manebit, etiam si sit respectu cujuscumque Concilij Generalis, nullam de illius mentionem faciendo.

22. P. Sanchez, & alij sentiunt necessariam esse in posteriori lege expressam mentionem Conciliorum Generalium, saltem in genere, ut in eis Statuta revocata intelligantur, imò si Concilium sit novum, ut est Tridentinum, indiget specificâ, & individuali expressione.

23. Per leges Concilij Generalis non derogatur Privilegijs specialibus, quæ sunt extra corpus juris communis, nisi in Concilio sint clausulæ expressè derogatoriæ generales assignatæ in primâ classe.

24. Proponitur alia difficultas in hac eadem re.

25. Quando Privilegium speciale potest habere effectum petitum ex proprietate verborum sine derogatione juris communis, etiamsi non inveniantur derogatoriæ, non derogatur juri communi; idem dicendum quando in utroque sunt solùm

solùm clausulæ generales derogatoriæ.

26. Quando Privilegium non potest habere effectum, quem petit juxta proprietatem verborum, nisi derogando juri communi, illi derogabit in eo, quo illi contrariatur, & hoc non solùm cum clausulis derogatorijs generalibus relatu in secundæ classe, sed cum primis, quando in jure communi nulla est specialis resistentia. Probatur hoc efficaciter.

27. Confirmatur ex cap. Cum his, de Privilegijs.

28. Expenduntur aliqua pro intento, notatu digna.

29. Solvitur difficultas in oppositum.

30. Assignantur aliquæ Privilegia, quæ prorsus sunt inutilia.

31. Proponitur quædam objectio.

32. Respondetur primò.

33. Respondetur secundò.

34. Alteri instantiæ satisfit.

35. Si necessarium sit verba Privilegij extendere etiam contra jus commune, ut aliquid de novo concedat, extendi debet. Assignatur differentia inter Privilegia verè favorabilia, & odiosa.

36. Privilegia, quæ continent clausulam, ut revocari non possint, nisi de eis mentio expressè fiat de verbo ad verbum, vel quasi simile, revocantur per præfatas clausulas generales sequentis Privilegij.

37. Proponitur, & solvitur difficultas circa eandem materiam.

38. Per clausulas generales non revocantur Privilegia concessa per modū contractus, nisi hoc exprimatur.

39. Proponitur quædam limitatio.

40. In Privilegijs extra corpus juris, primo Privilegio non derogatur per secundum: explicatur quomodo sit intelligendum.

41. Expenditur, quando, & quomodo revocetur Privilegium per sententiam.

42. Cæteris paribus quando in primo Privilegio, seu statuto est duplex clausula resistens revocationibus futuris, debet in novo Privilegio hoc explicari.

43. Privilegia habentia clausulas resistentes, videlicet, ut non possint revocari, nisi de illis fiat de verbo ad verbum expressa mentio, non revocantur cum solis clausulis generalibus per subsequens Privilegium, etiamsi maneat frustraneum.

44. Proponitur objectio quædam.

45. Respondetur objectioni.

## SECTIO III.

An per clausulas generales revocentur Privilegia, seu statuta inserta in Conciliis Generalibus? pag. 77.

1. Procedit dubium, quando novum Privilegium non facit mentionem, adhuc in communi Conciliorum Generalium, sed non potest habere effectum in proprietate sermonis sine tali derogatione.

2. Negativè respondent multi.

3. Sed limitant, nisi constet aliud de voluntate derogantis.

4. Aliqua non levia inferunt Authores dictæ sententiæ.

5. P. Suarez adducit notandam pro hoc doctrinam.

6. Adducitur aliud Corollarium.

7. Alij Doctores sentiunt Constitutiones Apostolicas nihil differre a Conciliaribus; alij oppositum sentiunt.

8. Vtraque sententia probabilis videtur.

9. Alia media utramque componens, sequitur eam Author.

10. Proponitur objectio.

11. Satisfit illi.

12. In Privilegijs, quæ sunt difficillimæ concessionis, quia rarò, vel non sine magna difficultate conceduntur, ut contra Concilia, vel jus tertij lædunt graviter in jure acquisito, maximè in rebus temporalibus, nisi contineant clausulam derogatoriam specificam Conciliorũ Generalium, non admittitur derogatio circa contenta in Concilijs Generalibus, neque alia derogant.

13. Proponitur objectio, & solvitur.

14. Extenditur, & ampliatur prædicta doctrina.

15. Adducuntur exempla de cessionibus Rotalibus pro confirmatione.

16. Nec prædictus modus interpretandi est alienus à mente Pontificum.

17. Confirmatur iterum eadem Doctrina.

18. Proponitur eadem difficultas circa Concilium Tridentinum.

19. Refertur prima sententia affirmans plus requiri ad derogandum dispositis in Concilio novo, verbi gratiâ, Tridentino, quàm dispositis in alijs Concilijs antiquis.

20. Secunda sententia defendit nullam esse differentiam inter Concilia Generalia antiqua, & nova, quia judicat esse ejusdem authoritatis.

21. Alij sentiunt pro tertia sententia, minus requiri ad derogandum statutis in Tridentino, quàm in alijs Concilijs Generalibus.

22. Probant hanc sententiam ejus Authores ex varijs exemplis.

23. Probatur eadem sententia.

24. Adducitur declaratio Eminentissimorum Cardinalium in ejus favorem.

25. Omnes isti modi dicendi probabiles judicantur, sed mens Authoris declaratur.

26. Adducitur pro Bulla Pii IV. explicatio.

27. Referuntur aliqua notatu digna.

28. Limitatur tamen præfata Doctrina.

29. Respondetur primo fundamento in contrarium.

30. Respondetur secundo fundamento.

## SECTIO IV.

Quid operentur clausulæ generales revocatoriæ in secundo ordine positæ, præcipuè circa Tridentinum? pag. 88.

1. Recoluntur clausulæ generales secundæ classis.

2. Dubitatur, an per aliquam ex dictis clausulis, vel omnes simul intelligantur revocata quæcunque antecedentia, sive in jure communi, sive in Concilijs Generalibus, antiquis & novis reperta, & denique in alijs quibusvis Privilegijs, excipiendo semper illa, quæ in contractu one-

*oneroso fundantur, vel jus tertij ladunt in re gravi temporali acquisita, & possessa, quod debet intelligi circa id, quod novum Privilegium petit in proprietate sermonis.*

3. *Proponitur primum suppositum ex sententijs relatis suprà* sect. 3. à n. 3. usque ad 6.

4. *Proponitur secundum ex sententia Suarez, & aliorum.*

5. *Declaratur sententia Authoris, & probatur.*

6. *Notatur, quòd in decretis correctivis antecedentium concessionum (cùm odiosa sint) non debent extendi revocatoriæ, sed restringi, quantum patitur proprietas verborum, etiam secundùm significationem civilem, dummodo ad exorbitantia, & inusitata non extendatur.*

7. *Explicatur sententia Authoris, quæ est media inter alias.*

DISPVTATIO V.

De publicatione necessaria in revocatione, & concessione Privilegiorum.

SECTIO I.

Præsupponuntur aliqua utilia pro intelligentia hujus materiæ. *pag. 91.*

1. *Explicatur titulus.*

2. *Expenditur, quid necessarium sit ad rationem legis obligantis.*

3. *Non excipiuntur leges irritantes actus, neque pœnales ab obligatione alicujus publicationis, seu promulgationis.*

4. *Expenditur hæc obligatio.*

5. *Lex lata pro aliqua Provincia, seu Regno limitato, aut pro quadam Diœcesi, non indiget nisi unicâ publicatione solemni, factâ in Metropoli, seu civitate, quæ est velut caput Provinciæ, ut liget subditos aliorum locorum, dum adsit sufficiens tempus ut sciatur.*

6. *Explicatur quomodo id sit intelligendum.*

7. *Declaratur magis hoc idem.*

8. *Non sufficit ad obligandum, quòd lex in publico consistorio Regis, aut senatorum Reipublicæ, vel in aliquo Concilio Generali sit stabilita, & subscripta à Principe legislatore, antequam sit promulgata publicè, & solemniter. Explicatur modus publicationis.*

SECTIO II.

An leges generales, sive civiles, seu Ecclesiasticæ debeant publicari in singulis Regnis, Provinciis, & Diœcesibus, vel sufficiat unica publicatio in Curia vel Regali, vel Ecclesiastica, ut vim obligandi habeant? *pag. 94.*

1. *Omittuntur pro præsenti instituto disposita in jure civili pro legibus Imperialibus, & loquimur de legibus Ecclesiasticis à Romanis Pontificibus latis.*

2. *Refertur prima sententia docens requiri ad obligationem, ut publicatio fiat in singulis Provinciis, in Civitatibus Metropolitanis cujuslibet Provinciæ, seu Diœcesis, quando Princeps habet varias Provincias inter se valdè distantes, ut Romanus Pontifex. Si enim non habeat, nisi unam parvam Provinciam, seu Regnum,*

*Regnum, sufficit una publicatio in Curia, sive Metropoli Ecclesiastica.*

3. *Proponitur primum fundamentum.*

4. *Proponitur secundum.*

5. *Proponitur tertium.*

6. *Proponitur quartum.*

7. *Confirmatur ex jure Canonico.*

8. *Proponitur sententia multorum, tam Iuristarum, quàm Theologorum nervosè defendentium ad obligationem legis Pontificiæ sufficere unicam publicationem Romæ factam.*

9. *Probatur primò hæc sententia.*

10. *Probatur secundò.*

11. *Affertur peculiaris modus cujusdam Authoris sentiendi in hac parte, sed impugnatur, & explicatur.*

## SECTIO III.

An lex sufficienter publicata in locis debitis juxta sententias relatas statim incipiat omnes subditos obligare nullâ postpositâ morâ à die, seu horâ factæ publicationis ? pag. 97.

1. *Refertur sententia affirmans cum suis fundamentis.*

2. *Alij negant sentientes legem, etiam Ecclesiasticam fine determinatione temporis prolatam, nullum obligare, nisi post duos menses à die factæ publicationis in qualibet Provincia. Referuntur fundamenta hujus sententiæ.*

3. *Sententia Authoris explicatur, videlicet legem Ecclesiasticam generalem post debitam publicationem statim obligare scientes, & præsentes; absentes verò, seu distantes obligare post sufficiens tempus, ut morali, & politico modo ad illos notitia perveniat, vel pervenire possit, & non anteà.*

4. *Probatur conclusio ratione, & authoritate.*

5. *Ex quibus deducitur, Primum, valdè utile circa legem submissâ voce, vel in secreto prolatam.*

6. *Secundum, Refertur, & explicatur, quid dicendum, quando lex apponit clausulam,* ex nunc, *vel aliam similem.*

7. *Tertium, etiam explicatur circa leges ponentes obligationem post duos, vel tres menses.*

8. *Circa quartum, quid dicendum pro notitia totius Territorij.*

9. *Quintum dubium exprimitur, & versatur circa notitiam, quæ posset haberi, vel ab Angelo, vel à dæmone ante legis promulgationem.*

## SECTIO IV.

An lex Pontificia irritans contractum, absolutionem Sacramentalem, auferendo jurisdictionem, professionem, collationem beneficii, alioſque actus; & similiter lex pœnalis, post publicationem factam solùm Romæ, obliget omnes absque ulla mora? pag. 100.

1. *Dupliciter sumitur hæc difficultas: vel quando expressè apponit lex hanc clausulam,* ex nunc, *vel,* à die publicationis: *vel quando illa non apponit,*

ponit, refertur opinio P. Salas.

2. Rejicitur dicta sententia, si absolute accipiatur.

3. Refertur sententia P. Suar. limitativa præcedentis.

4. Proponitur, & solvitur quædam objectio circa idem, & explicatur difficultas.

5. Exponitur difficultas, quando non adsunt aliquæ ex dictis clausulis, & proponitur sententia gravissimorum Doctorum pro parte negativa.

6. Adducitur nova confirmatio pro prædicta sententia.

7. Objiciuntur aliqua ex Bullis Pontificum, quibus satisfacit Molina.

8. Rursus proponit idem Molina objectionem ex Bulla Pii IV.

9. Respondet, & satisfacit dictæ objectioni.

10. Refertur alius peculiaris modus dicendi Authoris moderni, sed rejicitur, nisi magis explicetur.

11. Proponitur, & explicatur sententia Authoris.

## SECTIO V.

Quomodo adaptanda sit Doctrina præcedentium Sectionum revocationi omnium Privilegiorum, & Indulgentiarum? pag. 106.

1. Dupliciter potest fieri dicta revocatio. Primò, per publicam, & universalem legem. Secundò, per privatam, seu particularem revocationem alicujus communitatis, vel personæ particularis.

2. Circa primam partem aliqui affirmant pro legibus universaliter irritantibus præcedentia sufficere unicam publicationem in Curia Romana factam pro omnibus subditis statûs Ecclesiæ.

3. Secunda sententia defendit esse necessariam pro revocandis Privilegijs, & Indulgentijs promulgationem, non solùm in singulis Provincijs, & Regnis; verùm etiam in singulis Diœcesibus, aliàs revocata non manebunt.

4. Explicatur sententia Authoris, & P. Suar. cum quadam differentia pro diversis rebus.

5. Confirmatur de novo eadem sententia.

6. Argumenta præcipua contra eam manent soluta, suprà sect. 4. n. 7.

7. Refertur Privilegium Gregorii XIII. & explicatur in favorem veræ sententiæ.

## SECTIO VI.

Utrum lex revocans Privilegia, vel Indulgentias sortiatur suum effectum à die sufficientis promulgationis, ubi oportet juxta relatas sententias? pag. 108.

1. *Affirmant aliqui etiamsi propter ignorantiam fiant aliqua contra legem revocatoriam, factum esse nullum, & invalidum.*

2. *Refertur vera sententia negans esse tales actus invalidos, nisi post tempus necessarium, ut notitia perveniat, vel morali, vel humano modo posit pervenire ad notitiam Privilegiatorum.*

3. *Quando aliqui, transacto tempore sufficiente, laborant ignorantiâ invincibili, quàmvis excusentur à culpa, nihil valide efficiunt.*

4. *Sed debet intelligi, si non adsit communis error revocationis, & usus Privilegij pertinet ad jurisdictionem, vel munus publicum, quia tunc actus erit validus juxta legem* Barbatius, *ff.* de offic. Prætoris.

5. *Adhuc aliquas leges revocatorias Privilegiorum absolutè non habere vim obligandi invincibiliter ignorantes, ac proinde nec reddere actus invalidos antequam ad notitiam cujuslibet Privilegiati perveniat notitia revocationis, etiam transacto sufficiente tempore à die publicationis necessaria, sed excluduntur revocatoria aliquarum particularium legum.*

6. *Probatur ab Authore prefata sententia.*

7. *Deducuntur inde aliqua valdè utilia.*

8. *Alij Doctores oppositum sentiunt, in aliquibus legibus generalibus revocatorijs, prohibentibus ne aliquid fiat, quod antè fieri poterat, deducunt ex hoc casum peculiarem pro confessionibus.*

9. *Alium casum deducunt circa excommunicationem.*

10. *Similiter, tertiò deducunt alium casum circa* Tridentinum.

## SECTIO VII.

De revocatione Privilegiorum ab homine, sive privatim facta. pag. 110.

1. *Revocatio privata non habet effectum, antequam ad notitiam certam Privilegiati perveniat; nec sufficit notitia dubia, & hoc etiam sive revocatio sit per legem universalem, sive per privatam.*

2. *Statuitur difficultas proposita in titulo sectionis.*

3. *Supponitur differentia Privilegij realis, & personalis.*

4. *Privilegium concessum determinatæ personæ, vel peculiari loco, ratione sui non revocatur, nisi notitia perveniat ad illum, vel per litteras derogantis, aut per nuntium ad ipsum Privilegiatum directum, etiamsi notitiam habeat revocationis per aliam viam, quidquid in contrarium*

rium alij dicant.

5. Privilegium concessum alicui Communitati particulari, non est necesse, ut revocatio illius intimetur cuilibet de Communitate, sed sufficit ut intimatio fiat corpori illius, videlicet Capitulo Provinciali, si concessum est Provinciæ, & idem dicendum proportionaliter si Privilegium concessum est toti Religioni.

6. Privilegium concessum sine notitia Privilegiati aliqui affirmant valere.

7. Sufficit quòd concedatur ad instantiam Privilegiati per se, vel per suum Procuratorem, ut valeat, secus si concedatur ex motu proprio, vel ad instantiam alicujus ignaro Privilegiato.

8. Adducitur disparitas, & explicatur.

9. Adducuntur Authores.

10. Non sufficit ad effectum Privilegij concessio activa, sed requiritur admissio passiva, quæ sine voluntate propria, vel sui Procuratoris nihil operatur.

11. Confirmatur eadem conclusio.

12. Respondetur argumentis in contrarium.

13. Probatur hoc esse de mente Pontificum.

14. Nec sufficit notitia habita ab aliquo, qui casu audivit, vel scivit Privilegium fuisse à Pontifice concessum, imò neque si ipsemet Privilegiatus audiret concessionem esse factam.

15. Indicantur aliqua Privilegia, quæ licèt concessa sint motu proprio, prosint Privilegiatis in die concessionis.

16. Excipitur etiam Privilegium absolvendi ab excommunicatione.

17. Addunt aliqui Privilegia habere effectum à die concessionis Pontificis, etiam ante acceptationem Procuratorum.

18. Voluntas acceptandi Privilegium sufficit quòd sit virtualis, si Privilegium detur per modum legis alicui Communitati, licèt particularis aliquis eam ignoret.

19. Ex quibus infertur resolutio casûs particularis.

20. Supradicta Doctrina non solùm est vera, quando Privilegium conceditur alicui Communitati, sed etiam quando conceditur aliquibus personis particularibus ratione officij.

21. Nec obstat regula Juristarum, quæ adducitur in contrarium, nam satisfit illi.

22. Limitatio adhibita ab aliquibus circa dictam doctrinam non admittitur.

23. Probatur vera doctrina ex aliquibus exemplis.

24. Satisfit argumentis in contrarium.

## SECTIO VIII.

An Privilegium aliquando obliget Privilegiatum, ut eo utatur? pag. 118.

1. *Vt certam supponunt aliqui partem negativam.*

2. *Assignantur aliqui casus, in quibus Privilegiatus tenetur uti Privilegio, & hoc sub culpa gravi.*

3. *Refertur alius casus.*

4. *Corollarium utilissimum adducitur.*

5. *Alius casus refertur.*

6. *Proponitur dubium de habente Privilegium audiendi Missam tempore interdicti, videlicet, an teneatur uti Privilegio, & Missam audire?*

7. *Multi negant.*

8. *Alij ponunt differentiam in incarcerato, & in impedito, ob infirmitatē habente oratorium domi, & respectu habentis Privilegium tempore interdicti, resolvitur difficultas.*

9. *Resolvitur dubium, an habens Privilegium absolvendi teneatur uti tali Privilegio cum pœnitente, qui peccata reservata confitetur; assignant aliqui differentiam inter peccata reservata, & censuras.*

10. *Rejicitur dicta distinctio, & resolvitur dubium.*

## SECTIO IX.

An leges revocantes Privilegia pendeant ab acceptatione Privilegiorum? pag. 120.

1. *Omissis legibus civilibus, de Ecclesiasticis graves Doctores sentiunt, quòd licèt Pontifex non recipiat potestatem à subditis, sicut Reges temporales, nihilominus ad earum obligationem requiratur acceptatio subditorum.*

2. *Lex Pontificia potest obligare quoad unam partem, & non quoad aliam: similiter in uno loco, & non in alio, ex defectu acceptationis.*

3. *Refertur sententia absolutè negans sine acceptatione legem obligare.*

4. *Refertur opposita sententia cum aliquali moderamine.*

5. *Admittitur supplicatio ad legislatorem, & declaratur modus.*

6. *Conciliantur duæ sententiæ, quæ videntur oppositæ.*

7. *Explicatur differentia inter non usum, & dissuetudinem.*

8. *Consuetudo, & dissuetudo in quo differant.*

9. *Referuntur opiniones circa designationem temporis requisiti ad præscribendum per dissuetudinem.*

10. *Resolvuntur, & explicantur, quæ ad hoc desiderari possunt.*

11. *Si legislator instet per decennium, ut sua lex recipiatur, & id assequi*

*quì non posit, nulla manet lex.*

12. *Redditur optima ratio dictæ conclusionis.*

13. *Quando tota Respublica, vel major pars illius agit contra legem, præsumitur lex non admissa, temperatur, & explicatur.*

14. *Sententia affirmans legem non obligare, quando per decennium ignoratur lex in aliquo loco, affirmant viri docti.*

15. *Sed melius dicitur, quòd per illud tempus solùm fuit suspensa obligatio, sed existente notitiâ cum aliis requisitis incipit obligare.*

16. *Quando lex est nimis dura, & difficilis observantiæ, dat locum supplicandi legislatori, & dum supplicatio durat, nulli peccant non acceptando legem: per quos autem debeat supplicatio fieri, explicatur.*

17. *Si legislator auditâ supplicatione non respondet, censetur legem manere revocatam.*

18. *Quando supplicatio non fit existente causâ sufficiente, arbitrio prudentis, tenent aliqui, post decennium legem non obligare, adhuc ignorante legislatore. Si autem non fuit justa causa supplicandi, primi, qui in majori parte legem non recipiunt, peccant graviter, usque ad tempus præscriptionis.*

19. *Resolvitur quid dicendum, quando minor pars populi legem statim recipit.*

20. *Si lege sufficienter publicatâ dubitetur de acceptatione, docent aliqui non obligare, cùm leges non obligent ante acceptationem.*

21. *Colligitur ex dictis, quid sit dicendum de legibus Privilegiorum.*

DISPVTATIO VI.

De revocationibus privilegiorum, quæ in Tridentino continentur, & de clausulis, quibus in eis utitur.

SECTIO I.

De his, quæ interdicuntur Religiosis exemptis in Concilio Tridentino, cum revocatione Privilegiorum. *pag.* 128.

*Cùm in tota hac Sectione nihil contineatur, nisi revocationes aliquorum Privilegiorum Regularium, non est opus Summarium minutatim inserere.*

SECTIO II.

De universali revocatione Indulgentiarum, facta pro omnibus Regularibus à *Paulo V.* *pag.* 136.

1. *Refertur ad literam Bulla* Pauli V. *derogatoria omnium Indulgentiarum Regularium, usque ad suum tempus, qui alias de novo concedit. Omittitur summarium prædictæ Bullæ, quod usque ad num.* 16. *extenditur, tanquam non necessarium.*

17. In prædicta revocatoria solùm comprehenduntur Indulgentiæ concessæ pro ipsis Religiosis, & in utilitatem ipsorum, non verò quæ sunt Generales pro omnibus.

18. Indulgentiæ concessæ pro omnibus Fidelibus visitantibus Ecclesias Regularium non includuntur in ipsa revocatoria Pauli V.

19. Indulgentiæ pro animabus purgatorij, sive sint Religiosorum, sive secularium, non comprehenduntur in revocatoria, & sic possunt eas lucrari Religiosi tam pro suis Religiosis defunctis, quam pro secularibus.

20. Non revocantur pro Regularibus Indulgentiæ concessæ pro mortis articulo.

21. Religiosi gaudent etiam in propriis, & alienis Ecclesiis Indulgentijs, quibus gaudent cæteri Fideles; & idem dicendum est de concessis generaliter per numismata, coronas, & res similes.

22. Nomine Ecclesiæ ad lucrandas Indulgentias venit etiam cœmiterium ipsius.

23. Infirmi Regulares, & impediti ob nimiam senectutem, ex lectulis, vel domibus lucrari possunt Indulgentias noviter concessas à Paulo V. pro Regularibus, dummodo faciant aliquod opus pium arbitrio Confessarij designatum.

24. Indulgentia designata in ipsa Bulla Pauli V. pro itinerantibus, & extra claustra degentibus, de licentia suorum Superiorum, ut Prædicatoribus, Lectoribus, &c. est nova gratia supradictis addita.

25. Et nota, quòd sive sint extra claustra ad breve tempus, sive ad longum, lucrantur eadem Indulgentias.

26. Prædictis omnibus Indulgentijs gaudent Moniales, sive subdantur Religiosis, sive non.

27. Proponitur duplex difficultas circa Indulgentiam concessam ipsis Religiosis visitantibus proprias Ecclesias.

28. Resolvitur præfatâ Indulgentiâ gaudere Religiosos singulis diebus totius anni.

29. Confirmatur idem assertum.

30. Præfata Indulgentia est plenaria, & non solùm una, sed multiplex.

31. Refutatur sententia contraria, quia singularis, & caret sufficiente fundamento.

32. Probatur vera sententia ex verbis Bullæ Pauli V.

33. Ratio in contrarium nihil probat.

34. Confirmatur ex alijs verbis ipsius Bullæ.

35. Confirmatur idem.

36. Dicendum est Regulares visitantes proprias Ecclesias lucrari omnes Indulgentias plenarias, & non plenarias, quas lucrantur visitantes Ecclesias Romæ in diebus stationum.

37. Nota, quòd in hac derogatoria Pauli V. revocantur Indulgentiæ concessæ Religiosis, etiam per vivæ vocis oracula, secus vero in revocatorijs Gregor. XV. & Urb. VIII. infrà referendis, disp. 8. sect. 3. n. 1.

DISPU-

## DISPVTATIO VII.

### De confirmatione privilegiorum.

### SECTIO I.

An Privilegia expresè revocata in Tridentino habeant hodie aliquã vimvirtute alicujus confirmationis? pag. 147.

1. *Adducitur occasio dubitationis ex Bulla* Pii V. *in favorem Religiosorum.*

2. *Affirmant multi hujusmodi Bullam esse hodie in sua vi.*

3. *Fundamentum* 1. *hujus sententiæ rejicitur.*

4. *Patefit origo deceptionis Authorum hujus sententiæ, & declaratur veritas.*

5. *Fundamentum* 2. *aliorum Doctorum rejicitur.*

6. *Aperitur æquivocatio horum Doctorum.*

7. *Proponitur alia difficultas resolvenda infrà* sect. 3. à n. 3. usque ad 6. *&* sect. 7. dub. 4. & 5.

8. *Proponitur aliud fundamentum pro prædicta sententia.*

9. *Cùm moderamine assignato admittitur hic modus dicendi.*

10. *Impugnatur modus singularis dicendi cujusdam Authoris.*

11. *Ostenditur debilitas, ne dicam falsitas dicti modi.*

### SECTIO II.

Quomodo intelligendæ sunt clausulæ, quas post Tridentinum apponere solent Pontifices in concessionibus, confirmationibus, & innovationibus Privilegiorũ Regularium? pag. 153.

1. *Refertur primus Pontifex, qui post Trident. aliquas clausulas restrictivas in suis concessionibus apposuit, qui fuit* Gregor. XIII. *& postea alij usi sunt, vel eisdem, vel addiderunt alias.*

2. *Sequutus est post* Gregoriũ XIII. Sixtus V. *& sic suo ordine cæteri, in quorum quolibet referuntur clausulæ, quibus usus est usque ad num* 16. *inclusivè hujus sectionis, & ideò non est opus uti Summarys in præsenti.*

17. *Expenditur quomodo intelligendæ sunt clausulæ,* canones & decreta, *quando eis utuntur Pontifices in suis limitationibus.*

18. *Particula* Canones, *post Trident. apposita in Bullis, non intelligitur de Canonibus ipsius Tridentini.*

19. *Quando Pontifices apponunt clausulam,* dummodo non sit contra Tridentinum, *non intendunt revocare Privilegia, quæ statutis illius sunt contraria, si non est oppositа revocatio illorum. Explicatur difficultas.*

20. *Privilegia igitur, quæ non revocantur expresè in Trident. non manent revocata in clausulis,* non obstantibus Privilegiis; *imò potius manent confirmata ex alia ibi relata.*

21. *Satis-*

21. *Satisfit objectionibus, quæ adducuntur.*

22. *Nec propterea otiosè apponitur in Trident. dicta clausula.*

23. *Alteri objectioni satisfit.*

24. *Adhibetur alia solutio P. Suarez.*

25. *Proponitur aliud inconveniens ex quibusdam Bullis Pontificum.*

26. *Respondetur ex Doctrina P. Suarez.*

27. *Explicatur iterum mens Pontificum.*

28. *Recoluntur dicta clausulæ, & declarantur.*

29. *Privilegia confirmata,* ex certa scientia, *revalidant Privilegia per non usum, & per contrarium usum.*

## SECTIO III.

An hodie, quoad forum saltem conscientiæ, habeant valorem Privilegia revocata, etiam expressè à Tridentino. *pag.* 166.

1. *Proponitur modus quæstionis.*

2. *Aperitur magis difficultas.*

3. *Partem negativam sequuntur multi ex Bulla* Gregorii XIII. *revocatoria Bullæ* Pii V. *in favorem Regularium.*

4. *Oppositum docent non pauci.*

5. *Refertur primum fundamentum.*

6. *Confirmatur ex gravibus Authoribus.*

7. *Confirmatur 2. ex ipsa Bulla* Pii V. *& praxi professionum ante annum expletum novitiatûs factarum.*

8. *Quòd talis professio non debeat iterari, ut probabile defenditur.*

9. *Alij ex quodam oraculo ipsius* Pii V. *intendunt probare partem affirmativam.*

10. *Proponitur objectio contra hunc modum dicendi ex revocatorijs* Greg. XV. *&* Urban. VIII.

11. *Ex dictis Authoribus aliqui affirmant, quòd oraculum* Pii V. *fuit solùm pro foro conscientiæ, quod non cadit sub revocationibus* Gregorii XV. *nec* Urbani VIII. *Rejicitur hæc sententia.*

12. *Alij persistunt dicendo, quòd oracula, quæ jam erant sortita suum effectum ante revocatorias, non fuerunt revocata, & omnia alia, quæ usque tunc fuerant concessa. Sed refellitur iste modus dicendi, sic absolutè prolatus.*

13. *Explicatur in quo sensu sit verum, quòd oracula, quæ jam sortita erant suum effectum, non fuerunt revocata.*

14. *Idem magis explicatur.*

15. *Refertur aliud fundamentum dictæ affirmativæ sententiæ ex cessatione finis revocatoriarum* Gregorii XV. *&* Urbani VIII. *maximè quoad Prælatos regulares.*

16. *Remittitur resolutio hujus dubij ad infra dicenda,* disputat. 8. *de* oraculis, sect. 8. à num. 1. usque ad inclusivè.

SECTIO

## SECTIO IV.

De diversitate confirmationum Privilegiorum. pag. 172.

1. *Exponitur duplex genus confirmationis : una, quæ fit in forma communi ; alia, quæ fit* ex certa scientia.

2. *Confirmatio, quæ fit cum plena notitia eorum, quæ sunt confirmanda, dicitur, & est* ex certa scientia. *Quando verò confirmatio fit cum valdè confusa notitia Privilegij, dicitur in forma communi.*

3. *Explicatur natura harum confirmationum.*

4. *Explicatur magis secundò.*

5. *Iterum tertiò exponitur.*

6. *Quid operetur clausula, innovamus, præcipuè in confirmationibus sub forma communi.*

7. *Confirmatio* ex certa scientia, *quos effectus causet?*

8. *Sententia negans, quòd clausula,* ex certa scientia, *non causet tales effectus, nisi tenor verborum inseratur in Bulla confirmatoria, rejicitur.*

9. *Ostenduntur fundamenta vera.*

10. *Ab inconveniente ex contraria sententia, sequitur confirmatio vera sententia.*

11. *Confirmatur idem.*

12. *Confirmatur idem.*

13. *Proponitur objectio, & satisfit illi.*

14. *Proponitur, & rejicitur P. Diana.*

15. *Eo ipso quòd constet Privilegium esse confirmatum* ex certa scientia, *habet effectus relatos.*

16. *Confirmatio facta cum dubio, etiamsi ex parte rei, quæ ignoratur, an indigeat validitate? at ex parte voluntatis concedentis est efficacissima & absoluta, & causat effectum, ac si esset nova, & absoluta concessio.*

17. *Si Privilegium à principio fuit invalidum in sua prima concessione, vel ex vitio obreptionis, vel subreptionis, nisi hoc exprimatur in confirmatione, nihil operatur ad valorem Privilegij, quàmvis alij defectus juris suppleantur. Videatur quomodo id intelligendum sit.*

18. *Objectio ex Bulla* Iulii II. *proponitur.*

19. *Respondetur dictæ objectioni.*

20. *Roboratur responsio.*

21. *Alia obstantia adducitur ex decreto Sacræ Congregationis confirmato ab* Urbano VIII.

22. *Satisfit illi, exponendo utilissimam doctrinam.*

23. *Inferuntur aliqua utilia, & discutitur an derogata sint aliqua Privilegia antiqua Regularibus concessa pro absolutione à reservatis, videlicet à* Sixto IV. Urb. IV. Julio II. & Paulo III. *& resolvitur pars negativa.*

24. *Stabilitur quòd dicta Privilegia non fuerunt extincta per Tridentinum.*

25. *Ex verbis ipsius Trident. dicta assertio probatur.*

26. *Confirmatur eadem veritas.*

27. *Argumentum ex decreto* Urb. VIII. adducitur.

28. *Facilè satisfit illi.*

29. *Alia objectio de mente* Greg. XIII. *proponitur.*

30. *Dupliciter solvitur.*

31. *Remittitur examen alterius gravissimi dubij in sectionem sequentem.*

## SECTIO V.

Quomodo intelligendæ sint revocationes generales omnium Privilegiorum sub *Clemente VIII.* & *Paulo V.* editæ? *pag.* 183.

1. *Refertur declaratio Eminentiss. Cardinalium confirmata à* Clemente VIII. *& notantur aliqua pro intelligentia dubij.*

2. *Adducitur declaratio, & moderatio præcedentis decreti ab* Urbano VIII. *edita, ubi extendit excommunicationem Trident. provocantium ad duellum, etiam ad privatum.*

3. *Expenduntur iterum verba decreti* Urbani VIII.

4. *Quæ Privilegia derogentur circa reservata à* Clemen. VIII. & Paulo V.

5. *Hoc idem explicatur magis.*

6. *Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ ex particula* insuper, *Resp.*

7. *Refertur modus dicendi Magistri Lezanæ.*

## SECTIO VI.

Explicantur aliqua de confirmatione, & quæ de clausula *ex certa scientia*, desiderari possunt. *p.* 186.

1. *Dubitatur, & resolvitur, quid addat clausula*, & de novo concedimus *supra clausulam*, ex certa scientia, *&* de plenitudine potestatis.

2. *Dubitatur iterum, si clausulæ relatæ tales effectus habent, ad quid additur in aliquibus Bullis*, supplentes omnes defectus juris, & facti?

3. *Satisfit difficultati.*

4. *Per præfatas clausulas non supplentur defectus ex jure naturæ provenientes; sed adducitur magnum Privilegium* Sixti V. *pro Minoritis.*

## SECTIO VII.

Ad quæ Privilegia revocata, seu deperdita se extendat confirmatio, *ex certa scientia*, &, *de plenitudine potestatis*? *pag.* 188.

1. *Procedit difficultas, quando dictæ clausulæ ponuntur absolutè, & sine limitatione.*

2. *Primum dubium, an Privilegia revocata in jure communi revalidentur per clausulam*, ex certa scientia? *sententia negans refertur.*

3. *Fundamenta sententiæ negantis proponuntur.*

4. *Sententia affirmans stabilitur.*

5. *In contrarium proponitur objectio.*

6. *Satis-*

6. *Satisfit illi.*

7. *Privilegia revocata ab homine revalidantur in cõmuni sententia per clausulam* ex certa scientia.

8. *Objectioni, quæ adducitur, satisfit.*

9. *Quàmvis in rigore prædicta clausula redintegret Privilegia in damnũ tertij, sed loquendo de æquitate non redintegrat.*

10. *Quando clausula* ex certa scientia *additur alia* : non obstante jure, ac præjudicio tertii, *etiam in magnũ jus tertij abrogatur, & tollitur.*

11. *Quæ maximè locum habent quando Pontifex in favorem boni publici jus tertij tollit.*

12. *Idem præsumitur quando Papa aliquam concedit gratiam, quam scit non posse suum effectum sortiri, nisi cum præjudicio juris tertij.*

13. *Examinatur dubium, videlicet, an renoventur Privilegia revocata in Concilijs Generalibus antiquis, etiamsi nulla fiat mentio Conciliorum adhuc in communi per clausulas*, ex certa scientia, motu proprio, &c.

14. *Refertur sententia negativa.*

15. *Sententia affirmativa defenditur cum aliquibus declarationibus.*

16. *Dubitatur, an per prædictas clausulas absque limitatione restaurentur Privilegia expressè revocata in Tridentino, non factâ mentione ejus.*

17. *Refertur sententia affirmans.*

18. *Adducitur particularu modus intelligendi prædictam sententiam.*

19. *Confirmatur idem.*

20. *Adducuntur Privilegia Pontificum pro hac re.*

21. *Sententia Authoris cum aliquibus moderationibus explicatur.*

22. *Roboratur ex manifesto exemplo.*

23. *Satisfit cuidam objectioni circa dicta.*

24. *Ampliatur præfata sententia.*

## SECTIO VIII.

An confirmatis Privilegiis unius Religionis, censeantur confirmata Privilegia aliarum, quæ cum illa communicant in Privilegiis? *pag. 194.*

1. *Adducitur primum notabile pro intelligentia difficultatis.*

2. *Adducitur aliud notabile pro eadem re.*

3. *Resolvitur difficultas pro parte affirmativa quoad aliqua Privilegia, & negativa circa alia.*

4. *Roboratur utraque pars.*

5. *Quando communicatio Privilegiorum conceditur non solùm pro Privilegiũ concessu, sed etiam pro concedendis in futurum omnia Privilegia communicantur.*

6. *Proponitur argumentum in contrarium.*

7. *Exhibetur solutio.*

8. *Confirmatio Privilegiorum unius Religionis quomodo participetur ab alijs, resolvitur.*

9. Sententia probabilis adducitur, sed oppositam sequitur Author cum aliis.

10. Probatur ratione efficaci.

11. Proponitur objectio contra eam.

12. Satisfit illi.

13. Aliqualis limitatio adducitur.

14. Aliqui Doctores rursus limitant eadem Doctrinam.

15. Nec desunt qui eam amplient.

16. Vnaquæque Religio attendat concessiones, & confirmationes suæ Religionis, nam diverso modo conceduntur pro diversitate Religionum.

17. Refertur amplissima communicatio pro nostra reformata Religione.

18. Explicatur, & ampliatur eadem concessio.

19. Privilegia antiqua, quæ non contrariantur decretis Concilij Tridentini, de novo fuerunt confirmata ab ipso Concilio.

20. Expenditur quid operetur confirmatio Privilegij, quando Privilegium apparere non potest, explicatur quid tenendum.

21. Quando Pontifex in confirmatione Privilegiorum facit mentionem de aliquo particulari Privilegio, quod non apparet, si addat sequentia verba: confirmo tale Privilegium, sicut, vel, prout, aut secundùm quod, jam tibi per aliud Privilegium concessum fuit à tali Pontifice, valet Privilegium deperditum.

22. Addendum se dicat se confirmare ex certa scientia, Privilegium concessum à tali Papa, confirmatio erit valida, & illi credendum est, etiamsi Privilegium originale non amplius extet.

## SECTIO IX.

De causa necessaria ex parte Pontificis ad valorem, sive concessionis, sive confirmationis Privilegiorum. pag. 201.

1. Difficultas procedit tam de concessionibus, quàm de confirmationibus, & communicationibus.

2. Explicantur modi, quibus fieri possunt.

3. Ad valorem concessionis, vel confirmationis non requiritur nisi voluntas Pontificis, & cùm semper operetur cum causa prudenti, & honesta, semper licitè concedit, unde ex parte Privilegiati bona fides sufficit, ut utatur privilegio securè.

4. Refertur sententia limitans conclusionem.

5. Sed probatur verior sententia.

6. Stabilitur magis.

7. Quando causa falsa proponitur Pontifici, cùm deceptio impediat voluntarium, nulla redditur concessio.

8. Confirmatur idem notando, quòd deceptio debet esse circa causam movent em totalem.

9. Diminuta narratio, videlicet quando aliquid occultatur, quòd debebat exprimi, reddit nullum Privilegium.

10. Diminuta narratio, quæ non pertinet ad causam motivam, nec de jure,

*jure, seu de stylo Curiæ petitur aperiri, non vitiat Privilegium.*

SECTIO X.

Resolvuntur aliqua dubiola valdè utilia circa extensionem Privilegiorum pro temporibus, & casibus futuris, etiam post mortem Papæ concedentis. *pag.* 203.

1. *Potestas absolvendi à reservatis Papæ concessa ab uno Pontifice, negant aliqui quòd extendatur ad reservata postea à sequentibus Pontificibus: probatur primò.*

2. *Confirmatur secundò.*

3. *Sed oppositum est tenendum, probatur assertio efficaciter.*

4. *Confirmatur.*

5. *Respondetur ad primum argumentum in contrarium.*

6. *Respondetur ad secundum.*

7. *Licentia concessa alicui personæ determinatæ ad faciendum aliquam determinatam Capellam, vel ad designandum aliquod Altare privilegiatum, dubitatur, an possit mutari, seu reædificari in eadem Ecclesia.*

8. *Nonnulli Iuristæ, & Canonistæ absolutè negant, etiamsi licentiæ non apponatur particula,* semel.

9. *Oppositum ut probabilius defenditur, & probatur, sive inveniatur particula* semel, *sive non.*

10. *Confirmatur primò.*

11. *Roboratur secundò.*

12. *Declaratur ad quem Superiorem pertineat designatio talis Altaris, quando solùm Superiori conceditur licentia designandi.*

13. *Resolvitur dubium, an quæ post concessionem absolvendi à reservatis, vel quid simile; propter oblivionem, vel propter scrupulos petivit aliam, quæ concessa est cum majori limitatione, quàm primæ, certior factus de valore primæ possit licitè, & securè uti primâ majori, relictâ secundæ minore, & pars affirmativa defenditur.*

14. *Confirmatur authoritate, & exemplo.*

DISPVTATIO VIII.

De Privilegiis vivæ vocis oraculo concessis.

SECTIO I.

In quo conveniant, & differant Privilegia Bullata ab his, quæ oretenus conceduntur, & vivæ vocis oracula nuncupantur? *pag.* 208.

1. *Quantum ad valorem eandem vim habent pro foro conscientiæ oracula, ac Privilegia Bullata.*

2. *Sed intelligitur, dummodo oracula habeant omnia requisita suprà assignata; imò in favorabilibus ampliantur, sicut in odiosis restringuntur.*

3. *Differunt Privilegia Bullata ab oraculis in hoc, quòd illa necessariò requirunt scripturam; ista verò solùm verbaliter conceduntur: attamen potest illis uti, si adfuerint duo testes con-*

*ceſsioni ; ſin minus, pro foro exteriori non valebunt : ſecus verò pro foro conſcientiæ, inſuper dummodo oracula inveniantur in libris Ordinum, pro utroque foro ſunt valida.*

*4. Alia differentia aſsignatur, nempè, quòd in Privilegio Bullato ipſemet Papa in propria perſona loquitur. In oraculo autem loquitur in tertia perſona, ſive atteſtans, ſive referens quid Papa conceſſerit, ut conſtat ex oraculis, quæ adducuntur ab Authoribus.*

SECTIO III.

De revocationibus Oraculorum factis à Gregorio XV. & ab Urbano VIII. *pag.* 209.

*1. Referuntur revocatoriæ oraculorum* Gregorii XV. & Urbani VIII. *cum ſuis limitationibus, & ampliationibus.*

*2. Officiales Papæ, qui ſufficiunt pro authoritate oraculorum ?*

*3. Sub nomine officialium, ſeu miniſtrorum Papæ, veniunt intelligendi, pro præſenti caſu, Eminentiſſimi Cardinales Protectores Ordinum.*

SECTIO III.

De aliquibus exceptionibus *p.* 210.

*1. Referuntur aliquæ exceptiones dictarum revocatoriarum.*

*2. Refertur ſecunda exceptio.*

*3. Refertur tertia.*

*4. Apponitur aliqualis declaratio.*

*5. Refertur quarta, & probatur.*

*6. Explicatur doctrina tradita.*

SECTIO IV.

De oraculis, quæ jam ſortita erant ſuum effectum ante revocatorias. *pag.* 213.

*1. Explicatur mens* Gregorii XV. *cui minimè contradicit* Urbanus VIII.

*2. Exponitur controverſia orta circa verba ipſarum Bullarum.*

*3. Refertur decretum Sacræ Congregationis in favorē dictorum oraculorum.*

*4. Aperitur verus ſenſus præfati decreti.*

SECTIO V.

An Privilegium conceſſum per Bullam uni Religioni, & alteri communicatum ſolùm per oraculum, revocatum ſit per dictas revocatorias. *pag.* 215.

*1. Expenditur difficultas.*

*2. Reſolvitur pars negativa.*

*3. Confirmatur.*

*4. Declaratur magis eadē veritas.*

*5. Valdè notanda præfata doctrina.*

SECTIO

## SECTIO VI.

An Privilegia vivæ vocis oraculo concessa, & posteà confirmata per Bullas, transierint in Privilegia Bullata taliter, quòd adveniente revocatione Oraculorum non fuerint revocata? pag. 216.

1. *Explicatur nodus quæstionis.*
2. *Refertur sententia negans.*
3. *Allegatur primum fundamentum dictæ sententiæ.*
4. *Allegatur secundum.*
5. *Allegatur tertium.*
6. *Confirmatur idem.*
7. *Adducuntur quædam Bullæ Pontificum in favorem hujus sententiæ.*
8. *Refertur pro eadem sententia latissima Bulla* Clementis VIII.
9. *Aliam adducunt similem ex* Paulo V.
10. *Ex dictis Bullis graves Doctores existimant veram esse sententiam negativam, quam sequuntur.*
11. *Sententia Authorũ, quæ affirmativa est, ut omninò vera præponitur.*
12. *Primum fundamentũ refertur.*
13. *Adducitur nova confirmatio.*
14. *Secundum fundamentum adducitur.*
15. *Denuò explicatur conclusio.*
16. *Tertium fundamentum expenditur ex ipsis Bullis revocatoriis.*
17. *Idem confirmatur, & declaratur ex verbis expressis ipsarum Bullarum.*
18. *Fulcitur quartò ab insuperabili inconveniente, quod sequitur ex opposita sententia.*
19. *Patefit magis idem inconveniens.*
20. *Iterum declaratur, & manifestatur.*
21. *Clauditur discursus totius difficultatis.*
22. *Explicatur, quomodo ex utraque Bulla* Gregorii *&* Urbani *idem inconveniens sequatur.*
23. *Manifestatur hoc ipsum.*

## SECTIO VII.

Objectis in Sectione antecedenti satisfit pag. 223.

1. *Primæ objectioni respondetur.*
2. *Argumento à paritate adducto respondetur primò.*
3. *Respondetur secundò.*
4. *Similiter respondetur tertiò.*
5. *Satisfit instantiæ ibi de novo factæ.*
6. *Licèt admitteretur prima pars prætensionis oppositæ sententiæ, necessariò neganda est secunda, ex ibi dictis.*

## SECTIO VIII.

An oracula concessa Prælatis Religionum pro bono regimine suorum subditorum, comprehensa sint in dictis revocatoriis? p. 225.

1. *Refertur sententia negans, sed cum distinctione admittitur, & absolutè negatur.*
2. *Expenditur mens Authorũ.*

3. Nec

3. *Nec creditur ab illa deviásse in veritate relatum Authorem.*

4. *Refertur instantia contra supradicta ex Bulla* Urbani VIII. *sed adducitur in concordiam nostræ sententiæ.*

5. *Declaratur differentia inter noluisse Principem comprehendere in aliquo casu particulari subditos, & inter non habuisse voluntatem illos privilegiandi, seu eximendi ab obligatione legis.*

## SECTIO IX.

An prædictæ revocatoriæ *Greg. XV.* & *Vrbani VIII.* extendantur etiam ad vivæ vocis oracula post ipsas revocatorias concessa, & concedenda? *pag. 227.*

1. *Pars affirmativa refertur.*

2. *Negativam tamen sequitur Author cum aliis.*

3. *Satisfit primo fundamento in oppositum.*

4. *Satisfit secundo.*

5. *Affertur causa, cur Author ad alia prolixiora, & minus necessaria pro præsenti instituto, non se extenderit in hoc Speculo.*

# SPECVLVM PRIVILEGIORVM REGULARIUM IN COMMVNI.

## DISPVTATIO PRIMA.

### *De quidditate, seu natura privilegiorum.*

DE privilegiis Ecclesiasticis latè olim, præcipuè differebant Canonistæ: Sed jam ævo nostro tam Theologi, quam Summistæ non renuunt eos æmulari; quorum aliqui solum de eis agunt in communi; caliginem ex variatione, & instabilitate particularium ortam fugientes. Alii verò in obsequium confessariorum ad particularia descendunt. Omnes laudo, & veneror; sed primis adhæreo, propter eorum rationem, & quia radicitus agnitis ipsorum fundamentis: Cuilibet etiam mediocriter docto plana erit via, ut in casibus occurrentibus, sine offensione, ad particularia descendat.

### SECTIO I.

*Quid, & quotuplex sit privilegium; quæ ejus proprietates?*

1. 1. PRivilegium nihil aliud est, quam *lex privata, aliquod speciale beneficium concedens.* Dicitur *privata*, non quia multos sæpè non afficiat; cum hoc sit de

ratione legis, sed quia non omnes universaliter, sed privatum genus personarum tangit. Dicitur *lex*, non stricte & absolutè, sed latè, seu secundum quid: non enim regulariter imponit obligationem privilegiatis operandi, juxta concessa in privilegio, quod petit rigorosa lex; licet aliquibus illam imponat, juxta dicenda *Disp. 4. sect. 2. num. 8.* Dicitur *speciale beneficium concedens*, sub quibus verbis continetur quælibet gratia, favor, & quidquid potest esse utile privilegiato; undè concessio indulgentiæ, carnium, & lacticiniorum comestio in diebus vetitis, & facultas absolvendi præcipuè pro aliqua Communitate, & in perpetuum concessa, & similium, inter privilegia computanda veniunt. Insuper de ratione privilegii est, quod semper operetur aliquid præter jus commune, vel contra illud: quod addo, quia non semper est necessarium, ut operetur contra, ut aliqui absque solido fundamento volunt; sufficit enim, quod extra illud operetur; ut patet in concessione indulgentiarum, quæ ad privilegia reducuntur, modo dicendo, *Disp. 8. sect. 3.* & tamen non contra, sed præter jus commune conceduntur. Nec invenies in jure indulgentias prohibitas. Sic Bonacina *Disp. 1. de leg. quæst. 3. num. 1.* Portel. *verb.* Privileg. *num. 1.* Bordon. *Tom. 2. var. resolut. resol. 52. art. 4.* de quo infra fusiùs dicemus.

2. 2. Quamvis variæ privilegiorum divisiones inveniantur apud Authores: Tamen, qui, aut benè notat Donatus *Tom. 1. tract. 4. de privileg. q. 1, num. 4.* quælibet privilegia in rigore, vel sunt absolutè *realia*, vel absolutè *personalia*, vel de illis participant, & sic omnia ad *realia*, vel *personalia* reducuntur, v.g. *generale, particulare, locale, corporale, mixtum*, & alia similia. Hinc ut brevitati intentæ consulam ad limen operis, solum *reale*, & *personale* explanabo: Cætera verò in discursu operis, juxta exigentiam doctrinæ explicanda differo.

3. 3. Privilegium *reale* est, quod immediatè conceditur omnibus, vel aliquibus in communi, puta statui, Religioni, officio, Ecclesiæ, Conventui. Privilegium *locale* est, quod alicui determinato loco, ratione sui conceditur, & potest aliquando inter realia reputari, aliquando verò inter personalia; quia de utriusque invenitur participare, ut ex dicendis, propriis locis constabit. Privilegium *personale* est, quod immediatè conceditur personæ particulari, ratione sui, & in ea sistit, nisi aliud in ipso privilegio notetur.

4. 4. Privilegium *reale* transit de persona in personas, sequendo semper rem, locum, dignitatem, Religionem, & personas, cum quibus semper conjunctum manet, & sic est perpetuum. *Personale* personam sequitur, & cum illa extinguitur; ratio est, quia primum respicit bonum commune, secundum verò, bonum privatum, Suar. *lib. 8. de leg. cap. 10 & 11.* cum cæteris. Hinc habes, quod privilegio concesso alicui Religioni in communi, nullus particularis, etiam Generalis, renuntiare potest; sed quis hoc possit, dicetur *infra* loquendo de *renuntiatione privilegij disp. 3. sect. 1.*

5. 5. In dubio, an privilegium sit *reale*, vel *personale*? Si sit favorabile judicandum est reale; si sit odiosum, personale, Portell. *ubi supr. num. 4.* Bonacin. *punct. 1. n. 7.* Bordon. *num. 15.* & alij multi.

6. 6. Sed est notandum, quod privilegium *pure favorabile* est illud, quod ita fa-

ve[illegible]

vel privilegiato, ut nulli juri, nec tertio præjudicet. *Odiosum* est quod præjudicat juri, sive communi, sive speciali, ut privilegium non solvendi decimas, absolvendi à reservatis, seu dispensandi. Verum est, quod in his privilegiis, vel potest attendi favor privilegiati, vel damnum tertij. Si primum attendas, erit favorabile, & sic petit amplè intelligi. Si secundum, est odiosum, & sic strictè; sed quomodo ad praxim adaptanda hæc sint, dicam mox *sect. sequente.*

7. 7. Cum ferè omnia privilegia concessa Regularibus, sint primò, & per se concessa, vel toti Religioni, vel alicui Provinciæ, Conventui, Ecclesiæ, vel Dignitati, vel particularibus in communi, ut ex ipsis constat, absque dubio judicanda sunt realia, & perpetua, vel respectu totius Religionis, vel Provinciæ, Conventus, seu officii; etiamsi personæ in eis varientur, quia faciunt unum morale, sicut aqua fluvij. Sic communiter Doctores, Rodr. *Tom. 1. quæstion. Regul. quæst. 16. art. 14.* §. ex quibus. Comp. Hieronym. Rodrig. *Resol. 116. num. 2.* Portel, *verb.* Privilegium, *num. 4.* Bordon. *num. 13.* & constat ex dictis *sup. n. 2.* Complures alias privilegiorum divisiones adducit, & compendio exponit noster Antonius à Spiritu sancto, in suo *tripartito Regularium directorio, Tract. 1. Disput. 1. sect. ....* & nost. Urbanus ab Ascensione, in sua *Theologia morali, canonica & practica, Tract. 2. part. 1. cap. 1.* de privilegiorum divisione.

## SECTIO II.

### *De privilegiorum interpretatione, & ampliatione.*

8. 1. NOtare oportet *Primò*, quod quando privilegium est *merè gratiosum*, & purum beneficium, ita ut neque juri communi, neque alteri nocet, est interpretandum latissimè, secundum quod proprietas verborum patitur, sive sit *naturalis*, sive *civilis*. Proprietas *naturalis* dicitur, significatio verborum, quæ ex simplici, & primaria impositione oritur. *Civilis* autem appellatur, quæ fit per extensionem, & ficticationem fictam à jure. v. g. Hæc dictio, *mors*, in propria naturali significatione significat mortem naturalem; at secundum jus, significat etiam mortem civilem, qualis invenitur in Religiosa professione. Et *filius*, secundum naturalem significationem, significat genitum, sed secundum civilem significat adoptivum; vide plura apud Suar. *lib. 6. de leg. cap. 1.* Azor. *Tom. 1. lib. 5. cap. 16. q. 4.* Salas de *Leg. disp. 21. sect. 3. n. 4.* Rodrig. *Tom. 1. q. 11. art. 6.* Merolam *Tom. 2. disp. 4. dub. 2. cap. 9. num. 8.* & *dub. 3. num. 17. usque ad 28. inclusivè*, ubi plura exempla adducit, notatu digna, ita communiter DD. habeturque expresè in l. *beneficium, ff. de const. Princip.* & in cap. *quia circa*, de privileg. & cap. *dilect.* de donat. & in cap. *olim*, de verb. sign.

9. 2. *Secundò* nota, quod quia privilegia concessa Regularibus, data sunt in favorem causæ piæ, Religiosæ, & animarum (loquor de privilegiis realibus, non de personalibus) etiamsi sint contraria juri communi, latè intelligenda sunt. Ratio est quia hujusmodi privilegia cum non uni personæ privatæ, sed toti Communitati concessa sint, & in perpetuum; in hoc æquantur legibus juri communi insertis, quæ latam interpretationem habent, Silvest. *verb.* Privilegium *q. 3.* Suar. *lib. 8. de leg. cap. 27. n. 7.* Enriq. *lib. 7. cap. 22. n. 3.* &

ex modernis Sanch. *de matrim. disp.* 1. & 2. *in principio*, Coninch. *Part.* 2. *disp.* 33. *dub.* 2. *num.* 16. Laym. *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 23. *n.* 6. noster Lezana, *verb.* Privilegium, *n.* 9. Bord. *resolut. Tom.* 2. *resol.* 32. *num.* 26. & *deinceps*, præcipuè *num.* 28. sed vide *infra* dicenda *disp.* 4. *de revocat.* & 7. *de confirmatione privilegiorum.*

10. 3. *Tertiò* nota, quod quando privilegium est concessum *motu proprio*, tunc etiamsi sit contra jus commune, ampliatur; juxta *cap.* si motu proprio, *de prabend. in* 6. ut tradunt Juristæ, quos sequitur, & refert idem Lezana *ubi supr. num.* 9. Ratio est, quia hæc extensio pertinet ad favorem, & honorem ipsius Principis concedentis: nam, quod *motu proprio* concedit, censetur ejus proprium beneficium, & ex *certa scientia* fieri, ut in dubio extendatur potius, quam restringatur, ita Suarez *ubi supr.* cum Portel. *de dub. reg. verb.* Privilegij extensio, *num.* 45. Layman. Bord. Lezan. & alij. Et idem dicendum est, si in privilegio addatur clausula *ex certa scientia*, vel *de plenitudine potestatis*; ita Donatus Dominicanus *Tom.* 1. *tract.* 9. *clausula* ex certa scientia, *n.* 8. & probat ex multis; imò clausulæ *ex certa scientia*, vel *de plenitudine potestatis*, extenduntur plusquam *motus proprius*, & operantur non solùm in præjudicium juris communis, sed etiam tertiæ personæ, & tollunt jus alterius, juxta dicenda suo loco; quidquid dicat in contrarium Bord. *Resolut.* 52. *num.* 65. sed fortè non loquitur de privilegiis realibus Religionum, ut constat ex ipsius doctrina, infra referenda: sed de his clausulis, & quomodo interpretandæ sint, dicemus latè *Disput. de confirmatione, & derogatione privilegiorum.*

11. 4. *Quartò* nota, quod licet communiter Doctores affirment, quod privilegia Regularium semper sint favorabilia; respectu ipsorum, & aliquando odiosa respectu aliorum, non tollit, quod latè intelligenda, seu interpretanda sint: Quia Papa, quod intendit per se, & principaliter est, favorem concedere, licet ex consequenti, & quasi per accidens, sequatur damnum alterius, & sit odiosum illi: quod patet in privilegio concesso Ecclesiasticis in communi, videlicet Canonis: *Si quis suadente diabolo*, quod dicitur absolutè favorabile, in gratiam, & favorem Clericorum; licet percutientibus sit odiosum; & quia in eo principaliter intenditur favor à Principe, & per accidens sequitur odium aliorum: de hoc non est curandum, ita ex Gloss. *in cap.* sciant cuncti, *de elect.* Navarr. *lib.* 3. *consil. cons.* 32. Covarru. *in* 4. *Decretalium p.* 2. *cap.* 8. *num.* 6. Rodrig. *Tom.* 1. *q.* 12. *art.* 7. Donat. *Tract.* 8. *de interpret. privileg. q.* 6. & alii communiter.

Quæ doctrina maximè valet in privilegijs, quæ concernunt favorem animarum, & in privilegijs comedendi carnes, seu lacticinia tempore prohibito, vel recitandi ante horam debitam, aut audiendi confessiones, vel absolvendi à casibus reservatis, vel eligendi Confessorem; quia etsi prima facie videantur in præjudicium Episcopi, Ordinarij, vel Parochi; hoc præjudicium non est considerabile: imò neque est præjudicium, sed potius in Episcoporum adjutorium, & levamen: sic Suarez *lib.* 2. *de legib. cap.* 34. *num.* 15. Quod prius docuit D. Thom. *in* 4. *distinct.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 5. ubi addit, quod in his consideratur favor animarum, & ob id, si sint concessa sine temporis limitatione, tanquam favorabilia, nullius temporis præscriptione, nec per non usus pos-

sessio-

sessionem amittuntur: quod valde notandum pro dicendis *infra disp. 3. sect. 1.*

12. 5. Et mihi non displicet doctrina Bordoni *Resolut. 52. num. 18.* ubi sic ait: *Ego puto privilegia regularia, sive sint contra jus commune, sivè lædant jus tertij, adhuc dicenda esse potius favorabilia, quam odiosa.* Tum, quia Princeps concedendo privilegium liberè cedit juri suo, & consequenter sibi non præjudicat, neque odiosus est. Tum quia concedendo Papa privilegia Regularibus, quæ tangunt jura Episcopalia, & Parochialia, non dicitur lædere in aliquo eorum jura: Quia læsio supponit actum injustitiæ: Papa autem nullius justitiam lædit, cùm jure suo utatur in concessione privilegiorum, quia est supra jus, & præest omnibus, & ab eo omnis potestas spiritualis vel pendet, vel dimanat in alios, quibus potest illam ampliare, & restringere; quia dependenter ab illo eam recipiunt, & possident. Unde privilegia ab illo concessa, nullam videntur habere rationem odij, sed gratiæ, & favoris; quia summa est ratio, quæ pro Religione stat, ut constat ex vulgatis juribus, & docent Oldrad. *Cons. 300. num. 4, 8. considerandum*, Enriq. *lib. 7. de indulgentiis cap. 22. num. 3. & c. 24. num. 4. in fine*, Sanch. *lib. 8. de matrimon. disp. 1. num. 13.* & alii communiter.

13. 6. Nec valet si dicas restringenda esse, quæ juri communi præjudicant, *Cap.* cum dilectus *8. de consuetud.* Cap. inter dilectos, *de fide instrument.* ubi dicitur: Quæ à jure communi discrepant, ad illud esse reducenda, & quæ exorbitant à jure, non sunt in consequentiam trahenda, *Reg. 28. in 6.* & omnis recessus à jure communi, ut odiosus, restringendus est: sed multa privilegia Regularium exorbitant à jure communi, & odiosa sunt, cum præjudicent Episcopis, & Parochis; ergo. Respondetur ex dictis, quod principale intentum Papæ est, favore, & beneficio afficere Religiosos, ex quo si per accidens sequatur vulneratio juris, non attenditur: Nam principale in unaquaque re, non accessorium spectandum est, *l. rogasti. ff si cert. pet.* Rot. Rom. *vol. 1. decis. 714. num. 12.* vel dic, quod Papa de sua potestate potest restringere, & limitare jura Episcoporum, & Parochorum: quia illa habent dependenter ab illo, qui est omnium Dominus. Unde si limitat, nullum lædit, nec ulli facit injuriam; nam ut optimè advertit D. Thom. *ubi supr.* quæstiuncula 5. ad 1, *Præjudicium non fit alicui nisi subtrahatur, quod est in favorem ipsius indultum; jurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis, & honorem Dei. Et ideo, si superioribus Prælatis videatur ad salutem plebis, & ad honorem Dei promovendum, quod aliis, quæ sunt jurisdictionis committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis; nisi illis, qui quærunt, quæ sua sunt, non quæ IESV Christi; & qui gregi præsunt, non ut eas pascant, sed ut ab eis pascantur.* Hæc D. Thom.

Nec molestum erit lectori alia verba ejusdem Angelici Doctoris audire ex *opusculo 19.* contra impugn. Relig. *cap. 4. paulo ante fin.* ubi postquam argumentum de præjudicio, seu læsione Episcoporum, & Parochorum apposuit, sic respondet: *Dicendum quod præjudicium dicitur fieri alicui, quando subtrahitur ei aliquid, quod in favorem ejus est indultum, vel quod ad utilitatem ejus ordinatur; sed subjectio aliculus subditi ad Rectorem Ecclesiæ, non est ordinata principaliter ad utilitatem præsidentium, sed ad utilitatem subjectorum; unde*

Ezechiel. 34. *dicitur*: Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos! Nonnè greges pascuntur à Pastoribus? *& ideo, nullum præjudicium fit Rectori Ecclesiæ, quando subditus ejus à sua potestate eximitur, sine præjudicio ejus; sicut Papa eximit Abbatem à potestate Episcopi, sine ejus præjudicio, & similiter Episcopum à potestate Archiepiscopi. Si autem ipsemet operetur in subditis, quæ pertinent ad salutem, vel alijs hoc ipsum committat, non solùm non facit ei præjudicium, sed præstat ei magnum beneficium, quod maximè acceptatur à cunctis Rectoribus, qui non quærunt, quæ sua sunt, sed quæ IESV Christi. Vnde super illud, Numer.* 12. Quid æmularis pro me? *dicit Gloss. Greg. pia mens Pastoris, quia non propriam gloriam, sed auctoris quærit, ab omnibus vult juvari, in eo quod facit. Fidelis enim Prædicator optat, si fieri valeat, ut veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent.* Hucusque D. Thom. quæ valdè notari debent à superioribus Ecclesiasticis.

14 7. Sed ut omnis scrupulus è medio tollatur, nota quintò, quod aliqui Pontifices concessêre Superioribus Regularium, ut ipsorum privilegia interpretentur in favorem ipsorum Religiosorum, & hoc lato modo semper; & similiter, ubi dubitatio in privilegio oritur ex ambiguitate verborum, vel ex Juristarum interpretatione; ita concessit *Leo* X. Camandulensibus, & *Iulius II.* Olivetanis, ut habetur in *Compendio Societatis, verb.* Privileg. §. 4. & *Alexand. 6.* Benedictinis Cassinensibus, ut habetur in eorum *Compendio conces.* 49. testibus Lezana, *verb.* Privilegium *num.* 10. *quæst. 6. num.* 4. Joann. de la Cruz *lib. 2. de stat. Regul. cap. 2. ad fin.* & addit Tamburinus, idem concessisse *Iulium II.* Congregationi Vallis-Umbrosæ, *& Compendium privileg.* teste Bordono *resolut. 9. n. 19. §. 6. &* 10. ubi ait: Quod statuta, & privilegia Regularium, non sunt ita rigorosè interpretanda, ut servandi sint apices juris, sed amplianda ex bono, & æquo, ut docet Bald. cum aliis.

8. Quibus prænotatis, dubitatur **Primò**, quis possit privilegia dubia interpretari? dixi *dubia*; quia in omnino certa, & clara non cadit interpretatio, sed observatio. 15.

9. Pro dubij resolutione adverte, duplicem esse *interpretationem*, aliam *doctrinalem*, seu *magistralem*; aliam *judicialem*, seu *authenticam*. Prima, potest fieri à viris doctis, seu à quolibet Doctore prudente, & sapiente, etiamsi in clausulis privilegiorum, seu Bullarum dicatur: *Nemini liceat ipsa aliter declarare, seu interpretari*: vel *sublata potestate aliter interpretandi, & determinandi*; quia istæ, & similes clausulæ loquuntur solùm de interpretatione, seu declaratione authentica, & judiciali, de qua jam dicam. Ita Sotus *lib. 1. de just. q. 7. art. 3.* & *lib. 3. quæst. 4. art. 5.* Covarr. *in regul. poss. 2. p. §. 6. n. 2.* Rodrig. *Tom. 1. quæst. 11. art.* 10. Peyrinus, Tamburinus, & alij communiter cum nostro Lezana, *num.* 11.

10. Quæ Doctrina adeò vera est, ut licet *PIVS IV.* in Bulla confirmationis Tridentini, quæ incipit, *Benedictus*, &c. quæ reperitur in fine præfati Concilij, præcipiat Prælatis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne Commentaria, Glossas, annotationes, scholia, ullumve genus interpretationis, super ipsius Concilij decretis, quoquo modo addere, aut statuere audeant; etiam prætextu majoris corroborationis ipsius Concilij: nihilominus Barbosa in *prologo Apologetico*, de consilio doctissimorum virorum divi- 16.

ni,

ni, & humani juris, ait, in dicta Bulla duo tantum excludi. *Primum*, declarationem authenticam, & judicialem: *Secundum*, declarationem, quæ fit ex capite, & prout cuilibet libet; non autem interpretationem doctrinalem, secundum jura, & fundatam rationem, & citat multos in sui favorem: quæ intelligentia habet non leve fundamentum in verbis ipsius Concilij, *sess 22. decret. 2.* ubi hortatur Doctores, & Magistros, Canones, & decreta hujus sanctæ Synodi integrè recipere, & ad eorum normam docere, & interpretari: permittit ergo interpretationem doctrinalem. Unde nisi in rebus, in quibus necessaria est declaratio authentica Papæ, non est neganda interpretatio doctrinalis Doctorum, fundata in jure, & optima ratione.

Addit, & benè Joann. à Cruz Dominicanus *lib. 2. de privileg. cap. 2. dub. 1.* quod in dicto decreto Concilij, non est veritum, quod quis faciat annotationes, & commentaria manuscripta, sed quod publicentur, & imprimantur. Nam manuscripta pro juvanda memoria, unusquisque potest facere, neque est prohibitum; ut Doctores in suis libris incidenter declarent aliqua decreta Concilij: cum hoc non sit edere Commentaria, seu glossas super decreta Concilii, ut communiter faciunt Scribentes. Quare juxta præfatam distinctionem interpretationum, intelligenda sunt alia decreta Pontificum, quantumvis habeant clausulas prohibentes interpretationes, & in praxi hoc observatur in quolibet eventu; ut patet in *Clementina* Exivi, *de verb. sign.* ubi D. Papa reservavit sibi interpretationem regulæ S. Francisci de Assipo, & tamen non desunt, qui illam interpretantur doctrinaliter; ut fecit Corduba, in *Introductione, q. 5.* Rodriguez *Tom. 1, quæst. q. 11. art. 3.* Martinus à S. Joseph & alij multi viri docti.

11. Similiter Patribus Minimis *S. Francisci* de Paula, Authoritate Apostolica, prohibitum est, sub gravibus pœnis, & cum clausula reservativa declarandi, vesci carnibus, nisi in casu infirmitatis, & de licentia Medici, & in eorum infirmariis; & nihilominus sunt, qui consultivè, & doctrinaliter dicant, & prædicent (clausula non obstante) eorum Prælatos posse declarare prædictum decretum Apostolicum, in certis casibus non obligare, nec procedere: quo fit, ut quis sine pœnarum metu, & sine scrupulo extra septa Monasterij, possit carnes manducare, ut latè ostendit Peyrinus *Tom. 1. de subdito, q. 4. cap. 8.* igitur, de consuetudine, jure, & ratione, interpretationi Doctrinali, seu magistrali, ubicumque datur locus. Teste Bartolo *in l. omnes populi, quæst. 6. verb.* Tertio loco, *num. 62. ff. de just. & jur.* & aliis communiter. 17.

12. Secunda declaratio, seu interpretatio dicitur *authentica*, seu *judicialis*, & ab aliquibus appellatur *potestativa*, & *definitiva*, & hæc in omnium sententia, solùm pertinet ad eum, qui legem, privilegium, vel statutum condidit, *l. ult. §. ex his, C. de legib. & l. si Imperialis majestas; l. leges sacratissimæ, C. de leg.* & Cap. *inter alia, de sent. excom.* & Cap. *cum venissent*, de judic. & sic interpretari jus divinum, vel Canonicum, ad solum Pontificem spectat, C. *venerabilis*, qui filij sint legitimi; sicut interpretari leges civiles pertinet ad Imperatorem, vel ad Principem illum, qui est legis conditor, vel ad successorem; sic sentiunt omnes Doctores. 18.

13. Hinc

19. 13. Hinc intelliges differentiam inter has interpretationes: *doctrinalis* enim non obligat; reddit tamen conscientiam securam ad operandum juxta illam, absque peccati labe; at verò *authentica* obligat conscientias; est enim quasi nova lex, vel supplens defectum primæ legis, vel addens aliquid, vel restringens; ob quam causam sentiunt Doctores, quod ut obliget, debet publicari, quasi nova lex.

20. 14. Cum ergo privilegia Religiosorum sint quasi leges Pontificiæ, non possunt interpretari authenticè, & juridicè, neque ab Episcopis, neque ab Archiepiscopis, neque ab aliis Prælatis Ecclesiasticis. Et ut omnis ambiguitas in hac parte è medio tolleretur, id illis prohibuit *Clem. IV.* Const *Ordinis vestri*, pro Prædicatoribus, & Minoribus, apud Confect. *num. 5. pag. mihi* 13 & in Bullario magno Cherubini novo *pag.* 12. & *Paulus III.* Societati *IESV*, ita Rodrig. *Tom. 2. q. 63. art. 7.* Portel. *verb.* Privileg. *num. 76.* Mirand. *Tom. 2. q. 44. art. 1. concluf. 2.* Tamb. *Tom. 1. disp. 16. q. 6. num. 1.* Bordon. *resolut. 52. num. 50.* & alij; sed interpretatio Doctrinalis non eis prohibetur, sicut neque aliis Doctoribus, vide *infra in fin. sect. 4. hujus disputationis à num.* 11.

21. 15. Hic autem nota, quod privilegiorum Regularium dubia, in favorem ipsorum Regularium interpretanda sunt; ex concessione *Alexand. VI.* facta Benedictinis Vallisolet. anno 1501. Romæ Kalendis Aprilis, sub his verbis: *Sic, ut quando dubium fuerit in intellectu privilegiorum Regularium, semper per juriperitos, & alios judices in favorem Regularium fiat interpretatio*: ita Rodriguez *Tom. 2. q. 63. art. 7 pag. 633.* Compend. *Societ. IESV. §. 4.* Brun. Chaffaing, *Tract. 1. cap. 4. propos. 2.* ubi concludit: *quando sunt duæ sententiæ contrariæ, quod valeat, aut non valeat privilegium; quod sit revocatum, vel non sit revocatum, censendum est valere, & non esse revocatum*; quod debet notari pro multis casibus.

16. De Prælatis autem ipsarum Religionum dicendum est, posse etiam authenticè, & judicialiter privilegia interpretari, juxta tenorem sequentium privilegiorum. Primò, *Iulius II.* in sua tertia Constitutione, sub annũ 1504. die 14. Decembris, id concessit Eminentissimo Cajetano, tunc temporis Magistro Generali sui Ordinis, accipe verba: *Considerantes quod multa tibi in tanta cura accidere possunt, quæ Sanctæ Sedis auxilium, & benignitatem respiciunt, illa dux tuus de Apostolicæ Sedis plenitudine succurrendum, itaque volumus, & tibi concedimus, quod si in Constitutionibus Ordinis Prædicatorum, aut circa privilegia indulta, gratiasque, & exemptiones ab ipsa sancta Sede illi concessa, aut concedenda, concessave, aut concedendas, quæ etiam, & quas harum tenore, & ejusdem Sedis authoritate confirmamus, aliqua ambiguitas emerserit. Tu illa (quoad serenitatem illarum conscientiarum, quæ tibi subjectæ sunt duntaxat) posse authoritate Apostolicâ declarare.* Hæc Pontifex, & habetur in *Compend. privileg. Prædicat. fol.* 173. & hoc privilegium fuisse concessum non solùm Cajetano, sed omnibus Generalibus sui Ordinis, docent Peirinus, & Tamburinus, quos refert, & sequitur Lezana, *num.* 12. & idem privilegium iterum ipse *Iulius II.* concessit vivæ vocis oraculo Patri Generali Stephano Ussumaris, & habetur in actis Capitularibus Prædicatorum, Romæ celebratis anno 1553 & refert Joan. de la Cruz *de statu Religios. lib. 2. cap. 2.* 22

Donatus

Donatus *Tom. 1. tract. 8. q. 7. n. 1. & 2.* Peyrinus, Tamburinus, & alij.

23. 17. Insuper *Sixtus IV.* concessit Canonicis Regularibus S. Salvatoris, *Bulla X.* in ordine Bullarij magni: Quæ incipit, *Ad universos*, §. 3. & refert Pereg. ex *Compendio Theatinorum*, Megala in suo *Promptuario Tom. 3.* vers. *Declarare*, Cassarubius, & Sorb. in *Compend. privileg.* verb. *Declarare*, ut quivis Regularium Prælatus, non solum per communicationem privilegiorum, sed de particulari indulto, hæc, & alia majora possit declarare: & *Paulus V.* Præposito, & deputato Congregationis Oratorij Neapolitani concessit, ut authoritate Apostolica, dubia tam regulæ, quàm suorum privilegiorum, in beneficium suorum subditorum possit declarare, sic Merola *lib. 3. de privileg. disput. 6. cap. 6. dub. 8. num. 258.* Donatus ubi *supr. num. 6.* Quibus privilegiis, supponunt præfati Authores, cum Lezana *num. 12.* gaudere omnes, qui participant in privilegiis, cum dictis Ordinibus.

24. 18. Ex quibus non pauca deducenda veniunt. *Primum*, præfatam declarationem, seu interpretationem, non solum posse fieri à dictis Prælatis doctrinaliter; ad hoc enim nullo indigebant privilegio; nec speciali delegatione summi Pontificis; cum possint sine illis, ut particulares viri docti, doctrinaliter interpretari, sicut & cæteri Doctores; sed etiam authoritativè, & juridicè definire; ita Peyrinus, & Tamburin. relati, cum Lezana *ibidem*, Donatus ubi *supr. num. 8.*

25. 19. *Secundum*, quod dicta authentica interpretatio Prælatorum Regularium solùm habet vim pro suis subditis, ad differentiam interpretationis authenticæ Eminentissimorum Cardinalium, quæ afficit, & obligat omnes, & in utroque foro, Peyrin. in *Annotat. ad Bullam Iulij II. Tom. 2.* Tamburin. *de jur. Abbat. Tom. 1. dist. 16. q. 6. n. 7.* & alij, sed de hoc dicam ex professo *sect. sequenti.*

20. *Tertium*, esse faciendam dictam 26.
interpretationem prudenter, & cum consilio peritorum, ut etiam dicemus *sect. seq.* & hanc potestatem exrendendam esse, ut favorabilem ad Vicarios Conventuum loco Superioris defuncti, vel officio privati, vel absentis per longum tempus destinatos; ac etiam ad Vicarios parvarum domorum; quæ ob redditum tenuitatem, vel ob aliam causam rationabilem in Conventus, seu Prioratus non sunt erectæ. Hi enim omnes in favorabilibus, & gratiosis veniunt, nomine Prælati, cum habeant curam animarum, potestatem, & jurisdictionem in utroque foro; ita multi, quos citant, & sequuntur Peyrinus *Tom. 2. de Prælat. q. 1. cap. 4. §. 4.* Donatus *q. 7. num. 2.* hinc inferes cum Lezana *numer. 13.* qualiter Prælati Regulares non solùm possunt interpretari, sed etiam limitare, restringere, imò etiam tollere suis subditis usum quorumcumque privilegiorum à Sede Apostolica dimanantium; ita ut nequeant talibus privilegiis uti: Tum ex concessione *Leonis X.* facta Minoribus, & Augustinianis, & ex *Clemente IV.* Cisterciensibus, & *Gregorio XIII.* Societati *IESV.* Tum etiam ex ratione, quia nullo modo credendum est velle summos Pontifices Regularis Observantiæ maximopere Zelatores, ut Fratres privilegiis eorun-

dem O dinibus concessis, uti possint contra voluntatem suorum Superiorum; ita *Comp. Privileg. Mend. verb.* Privilegium, *num.* 78. Rodriguez *Tom.* 1 *quæst.* 9. *art.* 2. Tamburin. *disp.* 16. *quæst.* 9 Pelizar. *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *sect.* 4. *quæst.* 5. *num.* 62. Diana 3. *part. tract.* 2. *resolut.* 87. unde quando dicti Prælati utuntur authoritate Apostolicâ, sibi concessâ, in supradictis privilegijs interpretandis, seu declarandis, seu limitandis authenticè: Subditi tenentur stare eorum determinationi; ita Lezana ubi *supr.* & 1 *Tom. cap.* 18. *num.* 56. cum alijs: nam operantur, ut Legati Sedis Apostolicæ. Pro complemento hujus puncti restabat proponere aliquas regulas pro prudenti, & legitima interpretatione privilegiorum; quando eorum verba aliquod dubium ingerunt, sed claritatis gratiâ remittimus in sectionem sequentem. Poterunt quoque de hac privilegiorum interpretatione videri è nostris Antonius à Spiritu sancto *Tract.* 5. directorij Regular. *disp.* 1. *sect.* 8. Franciscus Bonæ Spei *Tom.* 4. *suæ Theolog. Tract.* 3. *Disput.* 11. *dubio* 3. & Urbanus ab Ascensione, *Tract.* 2. *suæ Theolog. moralis part.* 1. *cap.* 4. *Reg.* 8. & 10.

## SECTIO III.

### *De regulis rectè interpretandi privilegia, jura, & alia decreta Pontificia.*

27. 1. UT interpretatio privilegii, seu Bullæ ritè rectèque fiat, primo loco debet attendi mens, seu voluntas Principis concedentis, in cujus conjectura ferè tota rectitudo interpretationis fundatur, & innititur, ut optimè notant Suarez *de legib. cap.* 28. *num.* 7. Lezana *n.* 9. & alij communiter. Unde regulæ quæ ad cognoscendam dictam voluntatem Principis ex tenore rescripti, seu privilegii, prodesse possunt, sunt eligendæ, & proponendæ. Quarum *prima* sit, quando privilegium lædit jus alterius, necesse est attendere mixtionem favoris privilegiati, & læsionis alterius, & illud, quod vincit erit amplectendum. Nam hoc recta, & prudens ratio postulat, à qua non est credendum summum Pontificem voluisse deviare in sua concessione.

28. 2. *Secundò*, attendenda est causa, quæ movit Pontificem ad concedendum privilegium, nam ut notat D. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 6. non res sermoni, sed sermo rei debet esse subjectus. Quare causâ motivâ cognitâ non erit difficile voluntatem agnoscere; cum igitur hæc causa motiva contineatur in supplica, tenor supplicæ præ oculis debet haberi, quia Papa se solet accommodare precibus petentium; sed hoc solùm deservire potest pro privilegiis concessis ad supplicationem privilegiati, non verò pro concessis motu proprio.

29. 3. *Tertiò*, inspici debet tenor integer privilegij, & attentè est legendus, & juxta proprietatem verborum, seu secundùm usitatam verborum significationem declarandum, seu interpretandum est. Quæ regula habetur *Cap.* Porrò 7. & *Cap.* Recipimus 8. *de privileg.* proprietas autem verborum non crassa (ut ajunt) minerva, sed in proprio sensu, & juxta subjectam materiam pensari debet, unde si ex verbis, ut sonant acceptis, privilegium nihil concederet,

vel

vel sequeretur absurdum; debent accipi in prudenti, & rationabili significatione, ut semper extra, vel contra jus, aliquid concedant, & absurdum non admittant, juxta dicenda *disp. de revoc.*

30. 4. *Quartò* in Bullis, & privilegiis potius pars dispositiva, quam narrativa, seu enunciativa attendenda est, quia in ea mens concedentis exprimitur juxta communem sententiam; pars autem dispositiva incipere solet per verba, *Nos igitur*. Verum quidem est, quod proœmia privilegiorum juvant ad cognoscendam mentem Pontificis, siquidem in eis causa finalis solet includi; si tamen verba proœmij non sufficiant, ad media, & extrema procedendum est; nam unum extremum per aliud indagatur, ut dicitur in *Cap.* 2. Requiris 141. *de appellat.* & *ibi* Bald. *cum Gloss.* ubi *Cœlestinus* Papa ait: *Utriusque juris argumenta nos docere, ea quæ in principio, ad medium, & ad finem referuntur: quia media declarantur per extrema, & per unum extremum declaratur & aliud.* Et est communis propositio in utroque jure, ut benè notat Thesaur. *lib. 1. quæst. forens. q. 1.*

31. 5. *Quintò*, si adhuc post dicta, mens Pontificis ignoratur, à verosimili indaganda est, *l. non est verosimile, ff.* de eo quod metus caus. *l. cum in testamento, ff. de reb. dub.* Qui enim arguit à verosimili, arguit à ratione naturali: quia verò similitudo est germana naturæ, Bald. *cons. 180. n. 3. volum. 3.* & qui pro se habet verosimile, habet pro se causam legis, Cravet. *Cons. 292. n. 6.* sed hoc non valet in pœnalibus, ut notant dicti Authores.

32. 6. Adverte, quod qui in dubiis utitur Epicheias tenetur legum rigores temperare, idest, procedere de bono, & æquo simpliciter, & de plano, relictis juris apicibus, & subtilitatibus, sequendo jus gentium, & lumen naturale. Æquitas enim procedit secundum simplex jus gentium, cui additæ sunt rigor, & aliæ subtilitates de jure positivo, ut in testamento ad pias causas, omissa solemnitate juris, quod ibi debeant septem testes intervenire, satis erit duos, vel tres adesse, quod est de jure naturali & divino; in ore duorum, vel trium stat omne verbum *l. bona fides 31. ff. depositi.*

33. 7. *Septimò* nota, quod licet verissimum sit, quod in verbis dubiis tam legum, quàm privilegiorum, recurrendum sit ad Principem, si commodè potest, & non est periculum in mora. Hoc tamen est intelligendum respectu interpretis non habentis aliam potestatem interpretandi, quam doctrinalem, seu magistralem: nam si habeat potestatem delegatam à Principe interpretandi authenticè, & judicialiter, adhuc præsente Principe poterit uti illâ; gerit enim vices Principis. Unde cum Prælati Regulares, ut diximus *sectione antecedenti*, habeant hujusmodi potestatem, respectu privilegiorum pro sibi subditis, ubicumque poterunt uti illâ secundùm modum supra præfixum.

34. 8. Sed quia ad veram intelligentiam Bullarum, & privilegiorum plurimùm juvat penetratio clausularum, quæ in eis adhiberi solent; Idcirco videnda omnino sunt, quæ Deo favente, de potioribus clausulis dicemus *in sequentibus disputationibus*. Legendi de his nostri Urbanus ab Ascensione *Tract. 2. Theolog. moralis part. 1. cap. 3. Regula 7.* &

Antonius à Spiritu sancto, *Tract. 5.* Directorij Regul. *Disp. 1. Sect. 5.* qui 26. privilegiorum clausulas ex variis Authoribus producit & exponit.

## SECTIO IV.

### *De authoritate declarationum Eminentißimorum Cardinalium.*

35. 1. CIrca declarationes Sacrarum Congregationum Eminentissimorum Cardinalium, quarum notitia maximè necessaria est, aliqua notari oportet. Primum, quod de mandato *Vrbani VIII.* sequens decretum editum fuit à Congregatione Sacri Concilij, die 11. Augusti 1631. & repetitum anno 1632. in Sacra Rituum Congregatione, ubi sic decernitur: *Sacra Congregatio ex speciali Sanctißimi Domini nostri VRBANI, Divina providentia, Papa VIII, jussu mandat, & præcipit hujusmodi declarationibus, decretis, seu decisionibus, tam impressis, quàm imprimendis, ac etiam manuscriptis, nullam fidem in judicio, vel extra esse adhibendam; sed tantùm illis, quæ in authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Eminentißimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij ejusdem Congregationis pro tempore existentium, munita fuerint. In quorum fidem hæc propriâ manu subscripsimus, & sigilli proprij Sacræ Rituum Congregationis impressione communiri, & typis mandari jußimus. Datum Romæ die 11. Augusti 1632. Episcopus Ostiensis, Cardinal. Pius. Loco † sigilli. Iulius Rospigliosius Secretarius.* Sic referunt Barbos. in *collect. Bullarum, verb.* Congregatio, *n.* 2. & 3. Donatus *Tract. 8. q. 4. num.* 3. noster Lezana in *summ.* verbo *Congreg.* Quæ omnia ad declarationes omnium Congregationum meritò extenduntur, ut benè notat P. Joannes Martinez de Prado *Tom. 1. q. 7. §. 2. num. 8.*

36. 2. Hujusmodi decretis voluit sua Sanctitas obviare inconvenientibus, quæ ex minus certis, ne dicam falsis, seu mutilatis declarationibus, tam in foro interiori, quàm in exteriori oriri solebant. Advertit tamen noster Lezana, quod licet declarationibus prædicto modo non munitis, & authenticis, non sit adhibenda fides certa, & indubitata; potest tamen adhiberi fides probabilis, si à viro fide digno referantur.

37. 3. His prælibatis dubitatur, *An declarationes Eminentißimorum Cardinalium præfato modo authentico exhibitæ, habeant vim legis, & ut tales obligent ad sui observantiam?* In qua re, divisi sunt Authores; multi enim sentiunt, non habere vim legis, sed solum esse doctrinales, magnæ tamen authoritatis, & æstimationis, utpote tantorum virorum, qui non solùm suâ scientiâ, & prudentiâ, verùm & aliorum magni nominis Doctorum ferè semper consilijs utuntur. Ideoque ab eis sine firmo fundamento (dicunt) non esse recedendum, quamvis obligationem non importent; sic innumeri Theologi, & Juristæ, ut videre est apud Sanch. qui eos sequitur *Tom. 3. de matrim. lib. 8. disp. 2. n.* 10. & Bonac. *Tract. de leg. disp. 1. q. 1. punct. 8. n. 4.* Basilius Pont. *de matrim. lib. 5. cap.* 13. §. 2. *n.* 7. Joan. Valer. *in diff. utriusque fori,* verb. *Absolutio, diff* 1. *n.* 2. & verb. *Nullitas, diff* 5. & verb. *Iurisdictio. diff* 4. Diana *Tract.* 10. *de leg. resol.* 29. Suar. *Tom. 4. in 3. part. disp.* 28. Castropal. *Tract. 3. disp.* 5. & nost. Andreas à Matre Dei,

*Tom.* 3. curs. moralis Theolog. *Tract.* 11. *de legibus, cap.* 3. *punct.* 2. *num.* 30. Unde Archangelus Romanus, cujus authoritas magni facienda est, eò quod sua scripta Romæ prælo dederit, sub approbatione Magistri Sacri Palatij, & aliorum gravissimorum Doctorum in præambulis ad librum de privilegiis, ubi affirmat, declarationes, & decreta Eminentissimorum Cardinalium non esse majoris authoritatis, quam decreta Rotæ Romanæ, quæ ad summum faciunt jus in Curia Romana, ad instar styli, non autem legem generalem; ideoque neque publicantur cum solemnitate requisita, neque hoc à Pontificibus permittitur, quod ad obligationem legis, seu statuti legalis requiritur, ut jam dicam: probat hoc præfatus Author ex princ. *Extravag. Ioann. XXII.*

38. 4. Alii verò, adverso marte, affirmant habere vim legis, & obligare non solùm pro isto casu, cui Sacra Congregatio respondet, seu declarat, sed pro omnibus similibus, ita Narb. *de appell.* à Vicario ad Episcopum *part.* 1. *num.* 180. Miranda in *Manual. Tom.* 2. *q.* 26. *art.* 11. Rodrig. *in quæst. Tom.* 1. *q.* 11. *art.* 1. & 2. inter quos, & alios satis nervosè, Garcia de *benef. tit.* 1. *in præfat.* Barbos. in *collect. Bull.* verb. *Congregatio pro interpretatione Concilij Trident.* Zerola in *prax. Episc. p.* 1. & fundatur hæc sententia: *Primò*, in tacita voluntate, seu delegatione Pontificum, nam licet *Sixtus V.* qui quindecim sacras Congregationes instituit, videatur nihil concedere prædictis Congregationibus præter solam facultatem interpretandi dubia circa difficultates occurrentes, & id consulto Papa. Sed quia quotidie à multis annis ipsæ Congregationes sciente, & consentiente Pontifice, & Romæ præsente, varias, & novas edunt declarationes, & decisiones, ac decreta, etiam inconsulto Papa (gravioribus dubiis exceptis) præsumitur adesse in eis voluntatem ipsius Papæ, saltem interpretativam, ac per consequens habebunt vim legis, virtute illius. *Secundò*, quia Sacra Rota hujusmodi declarationes, decisiones, & decreta veneratur, & ad instar communis legis eas allegat, nec in dubium revocare solet, ut in diversis decisionibus Rotæ apparet; sentit igitur esse authenticas, & authoritativas.

5. Sequens hanc secundam sententiam noster Lezana in *Sum. verb.* Sacra Congregatio, *art.* 6. duo dicit: *Primum*, esse certissimam, loquendo de declarationibus, & decretis factis à Sacra Congregatione jussu Pontificis, vel ipso consulto, neque de hoc posse dubitari. *Secundum*, esse probabilissimam absolutè, & ipsi adhærendum cum sequentibus limitationibus, videlicet, quod tales declarationes habeant qualitates in principio hujus sectionis assignatas de authentica forma, & quod suficienter sint publicatæ & promulgatæ. Cum enim ad hoc, ut lex obliget, necessariò desideretur ejus promulgatio, non est credendum sacram Congregationem velle prædicta obligare, nisi præmissâ dictâ publicatione; & addit, quod ideo præcipitur in decreto relato *Vrbani VIII.* ut non adhibeatur fides, nisi illis, quæ dicto modo sigillatæ, subscriptæ, & munitæ fuerint, quia illæ solùm publicantur in Curia, & in locis ordinariis ad id deputatis. Hæc Lezana cum Bonacina 39.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

na de *leg. disp. 1. quæst. 1. punct. 8. num. 4.* & alij, quibus libenter adhæreo.

6. Nec obstat dictum Rodriguez 40. *art. 2.* quod in declarationibus legis, seu privilegij non sit opus publicatione, quia declarationes sunt quid accessorium legum, & ipsis ab initio insunt, & ita cum ipsis legibus manent publicatæ. Non inquam hoc obstat, quia licet hæc doctrina sit vera in rebus claris, & manifestis, secus in dubiis, & opinabilibus, in quibus possunt esse diversæ opiniones pro intelligentia legis, & circa hæc versantur hujusmodi declarationes authenticæ, & sic pro illis est necessaria nova publicatio, quia sunt veluti novæ leges; sic relati Authores cum Diana *p. 1. Tract. 10. resol. 29.*

41. 7. Ex quibus manifestè sequitur, quod si dictæ declarationes, & decreta, non fuerint in authentica forma munitæ, & promulgatæ more solito, ut fit in aliis legibus Pontificiis, solùm deservient pro illo casu singulari pro quo sunt editæ, non verò generaliter pro omnibus similibus; sic Lezana *num. 13.* unde quando in lite cum aliquo privilegiato, seu Religione fit à Sacra Congregatione declaratio contra ipsum, etiam si sit authentica, & quasi generalis pro omnibus, vel restringendo privilegia, vel quid simile. Si tamen non fuerit publicata pro omnibus, saltem in locis publicis Romæ, v.g in Valvis Sancti Petri, & in Campo Floræ, non adstringet alias Religiones, sed illam cujus negotium agebatur; etiam si militet eadem ratio, quia ex defectu publicationis universalis remanet intra terminos legis particularis. Unde ait noster *Vrbanus ab Ascensione*, vir admodùm eruditus, *Tract. 2. dist. 1. de privileg. Carm. cap. 1. regul. 7.* declarationes Eminentissimorum Cardinalium communiter non esse generales pro Religiosis totius orbis, etiam quando confirmantur à Papa, sed tantum speciales; pro quibusdam locis, & Diœcesibus, siquidem fuerunt factæ ad consultationem aliquorum Episcoporum particularium pro suis Diœcesibus, quemadmodum refert Confectius unam ad Consultationem Eminentissimi Cardinalis Borromæi pro Mediolanensi Episcopatu, & alias similes; & certè id videtur sufficienter colligi, tum ex stylo harum declarationum: tum quia non est verosimile Pontifices velle talia approbando una simplici responsione Cardinalium, nec Bullata, nec promulgata, ut debet, nec Ordinum superioribus intimata, revocare privilegia tam universaliter possessa, & pro tam longo tempore à Mendicantibus. Hæc dictus Author, quæ doctrina notanda est, cum sit valde utilis pro multis casibus occurrentibus, advertendo semper, quod quando non constat de utroque, videlicet de authoritate, & promulgatione publicâ, & universali, non obligant ut leges universales, sed solùm ut particulares, pro determinato casu, seu loco pro quo dantur.

8. Sed quid si dubites vel de autho- 42.
ritate, vel de publicatione? Respondetur, quod circa primum, nulla est difficultas; quia quando post factam diligentiam sufficientem, dubitatur an lex sit, vel non sit, judicandum est legem non esse; quia possessio stat pro dubitante. Si verò constet de authoritate, seu validitate, dubiterur autem vel negativè, vel positivè de promulgatione,

dicunt

dicunt Aliqui ſtandum eſſe pro lege, & ſic obligare, ut patet in ſimili, quando dubitatur, an lex ſit uſu recepta, vel non; judicandum eſſe in favorem legis, cum poſſeſſio ſit pro illa; ſic ſentiunt Salas de *leg. quæſt. 96. Tract. 14. diſp. 13 ſect. 5. numer. 22.* & alii relati à Diana. Sed tu tene oppoſitum cum Diana *Tract. de leg. reſol. 3.* Azor. *part. 1. lib. 2. cap. 19. quæſt. 12.* & aliis. Quia cum dubitans de promulgatione ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis; etiam ſi lex ſit in poſſeſſione ſui valoris, in re ſic odioſa, optimè poteſt dubitans de promulgatione requiſita, eam partem amplecti, quæ negat legem eſſe publicatam, ſeu promulgatam, & juxta hanc Doctrinam colligunt præfati Authores, quod cum non pauci dubitent, an Bulla *Clementis VIII. de largitione munerum* ſit uſu recepta, non incurrent pœnas in ea impoſitas contra illam operantes; & idem ſentiunt de *Extrav. ambitioſæ Pauli II.* contra alienantes bona Eccleſiaſtica; ergo pari modo philoſophari licet in noſtro caſu, non enim apparet diſcrimen conſiderabile.

43. 9. In calce hujus ſectionis haud reticere poſſum Doctrinam Brunonis Chaſſaing, Minoritæ *tract. 1. de privileg. propoſit. 3.* ubi loquendo de decretis, ſeu declarationibus Eminentiſſimorum Cardinalium confirmatis à Papa, ſic ait: *Duobus modis poteſt talis confirmatio fieri, uno modo illa ſupponendo, tanquam conſilium ſibi à Cardinalibus præſtitum, ut cum in ſuis Bullis ſic loquitur: De Conſilio fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium; & poſtea Pontifex decreta illorum in ſua perſona pronunciat dicendo: Volumus, & decernimus,* &c. Et decreta, ſeu declarationes confirmatæ ſub hac forma, non eſt dubium, quod ſint leges obligantes, ſiquidem ſuas facit ipſe Pontifex.

10. *Altero modo, cum Pontifex illa decreta ſupponit, & exprimit in ſuis Bullis; ut à dictis Cardinalibus edita, illaque confirmat,* & in hoc caſu confirmatio Papæ novum jus rei, quæ confirmatur, nullatenus confert. Quapropter illa, quæ ſic confirmata reperiuntur, non ſunt leges, ſed manent in ſtatu, in quo ante confirmationem reperiebantur; Hoc probat ex *cap.* cum dilectæ, *de confirm. utili, vel inutili,* ubi *Innocent. III.* declarat, quod per confirmationem Sedis Apoſtolicæ aliquod novum jus non adquiritur, ſed antiquum, quod eſt, conſervatur; idem confirmat ex *Cap.* Examinata, *eod. tit.* ubi idem *Innocent. III.* quandam ſententiam contra juris ordinem latam, & à ſuo prædeceſſore confirmatam, nullam, & irritam declarat, his verbis: *Vnde non obſtante confirmatione Papæ prædeceſſoris noſtri, qui illud confirmaverat, ſicut proinde latum fuerat, decernimus ipſum irritum, & inane*; ex quibus verbis gloſſa concludit: *Et ita patet, quod confirmatio, nihil, vel modicum operatur, quia ſi aliquid invenit confirmat illud, aliàs nihil operatur.* Quod in odioſis maximè tenet, & quando de præjudicio tertij agitur, hæc ille. 44.

11. Si autem objicias Pontificem confirmando dicta decreta, regulariter apponere clauſulam: *Inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, & ſe velle decreta ab omnibus obſervari*: Reſpondet præfatus Author, has clauſulas adjici non ut decreta (quæ ſimpliciter ſolùm doctrinalia ſunt) leges, aut canones fiant; ſed ut in ſtatu doctrinali remanentia, majori 45.

cum

cum reverentia, ex majori approbatione recipiantur, & obſerventur, veluti approbationes, & confirmationes Doctrinæ ſanctorum Auguſtini, Thomæ, Bonaventuræ à pluribus Pontificibus factæ, quæ non dederunt tali doctrinæ vim legis, ſed eam approbando, & confirmando magis acceptabilem Eccleſiæ Dei reddiderunt: Hæc ille, quæ ſi intelligantur de confirmatione in forma communi, veriſſima cenſeo; ſecus ſi de confirmatione in forma ſpeciali. Illa enim nihil aliud eſt, quàm quædam approbatio: Iſta verò facit proprium confirmantis id quod confirmat, & dat vim legis, ut docent Doctores. Quare pro praxi attendendus eſt modus confirmationis juxta regulas à Doctoribus traditas, à quibus hic abſtineo, quia propriam ſedem habent.

46. 12. Concludit prædictus Author, & benè, dicendo, quod licet declarationes, ſeu decreta Eminentiſſimorum Cardinalium ſint authentica juxta regulas traditas, & ſint etiam ſufficienter promulgata, ſi non habeant clauſulam derogatoriam privilegiorum (quam ferè nunquam ſolent habere) non nocent privilegiatis, etiam ſi à Papa quomodolibet ſint confirmata, alioquin majoris eſſent roboris, quàm ipſæ Bullæ Pontificiæ: ſiquidem iſtæ illam requirunt ad privilegia revocanda; ſed de hoc latius redibit ſermo, *ſect. de revocat. privileg.*

# DISPVTATIO SECVNDA.

## *De Communicatione Privilegiorum inter Regulares.*

## SECTIO I.

### *De diverſitate Religionum communicantium in Privilegijs.*

47. 1. INter Religiones approbatas à Sede Apoſtolica, aliæ dicuntur *Mendicantes*, aliæ *non Mendicantes*. *Mendicantes* dicuntur illæ, quæ vel ex propria Regula, vel ex propriis Conſtitutionibus nequeunt poſſidere bona ſtabilia, ſeu immobilia etiam in communi; puta, prædia, poſſeſſiones, annuos reditus, ſed ex eleemoſynis ſibi datis à Fidelibus vivunt; Concilium vero Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 4.* pro omnibus Religionibus diſpenſavit in hoc (exceptis Cappucinis, & Minoribus de obſervantia) non tamen per hanc diſpenſationem tollitur, quin ſint, & dicantur *Mendicantes*, ſi ex Regula, vel ex Conſtitutionibus illam paupertatem retineant, ut benè advertit noſter Lezana *cap. 1, num. 1.* & expreſsè declaravit *Pius V.* die 3. Octobris anno 1567. in *proprio motu* incipiente: *Romanus Pontifex*, apud Rodriguez Bulla 19. ſeu 22. apud Cherubinum *Bulla* 44. apud Peyrinum *Bulla* 4. in Confect. poſt Bullam *Clementis VIII.* Hujuſmodi Religiones Mendicantes intendunt, & propriæ, & proximorum ſaluti, medio exemplo, doctrina, & aliis pietatis officiis.

Inter has autem primum locum tenent quatuor antiquiores; videlicet, *Dominicana, Franciſcana, Auguſtiniana*, & no-

& noſtra *Carmelitana*, quarum in jure non ſemel fit mentio; illaſque magnis laudibus extollunt Romani Pontifices. Quibus poſtea ex privilegio (ait Lezana *ibidem*) adjunctæ ſunt aliæ videlicet *Servorum B. MARIÆ* à *Pio V.* Bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex*. Poſtea, *Minimi* ex ipſo *Pio V.* Conſt. *Apoſtolicæ Sedis*, ſub data 9. Novembris 1567. *Ieſuati* Congregationis S. Hieronymi, ex ipſo *Pio V.* Bulla incipiente: *Romanus*, 19 Novembris 1567. *Societas IESV* ejuſdem *Pij V.* Conſt. *Dudum indefeſsè*. 7. Julij 1571, ſed poſt hæc noſtris temporibus, alias coadunarunt *Paulus V.* & *Gregorius XV.* videlicet Regularium Scholæ piæ, teſte Laërtio Cherubino *Tom. 4. in Bull. Romano*, Bulla incipiente: *Ad uberes fructus*, eiſque communicantur omnia privilegia Mendicantium. Et ipſe *Paulus V.* Bulla incipiente: *Eccleſia Catholica*, die 15. Decembris 1609. Reformationem Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis inter Mendicantes adſcripſit, eiſque communicavit omnia privilegia Mendicantium; non ſecus ac ſi ipſis eſſent conceſſa.

Sed hic non poſſum non mirari, quod Bruno Chaſſaing, in ſuo opere de *privileg. Regular. Tract. 1. cap. 3. propoſit. 1. circa finem*: Ubi poſtquam quatuor Ordines Mendicantes antiquiores enumeravit, concludat ſuperaddendo noſtram Carmelitarum Diſcalceatorum Familiam ex Conſt. *Clem. VIII.* incipiente: *Romanus Pontifex*, ſub die 20. Auguſti anni 1603. ubi ut vides apertè diſtinguit hanc noſtram Carmelitarum Diſcalceatorum Reformationem à Carmelitano ordine antiquiori. In qua re, neſcio quid dicam, niſi quod non legerit forte tenorem Conſtitutionis *Clem. VIII.* nam ibi expreſsè declarat Pontifex noſtram Reformationem eſſe ipſiſſimam, antiquam, & primitivam Religionem Carmelitarum; & contradicentes anathematizat, declarando ei competere ac gaudere omnibus privilegijs, favoribus, gratiis, quomodolibet tam principaliter, quam per communicationem conceſſis Ordini Carmelitarum antiquo; accipe verba Pontificis: *Quo circa motu proprio, & ex certa ſcientia, noſtraque de plenitudine poteſtatis, Ordinem, & Congregationem dilectorum filiorum Reformatorum Diſcalceatorum Ordinis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo, unum eſſe ex quatuor Mendicantibus* (nota verba) *Ordinem ſcilicet Carmelitarum, cujus Religioſi ſtrictius Regulam, à bonæ memoriæ Alberti Patriarchæ Ieroſolymitani, habitantibus in Monte Carmelo traditam; & à felicis recordationis* INNOCENTIO *Papa IV. prædeceſſore noſtro confirmatam, profitentur, & obſervant; ipſiſque omnia ad prædictum ordinem, tam pro jure quàm ex privilegiis, attinentia, tamquam propria competere, authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium declaramus. Cui declarationi noſtræ, ſi aliquis contradicere præſumpſerit, illum anathematis vinculo innodamus.*

*Et licet dicti Religioſi (ut accepimus) Evangelicæ humilitatis æmulatores, conſilium Dominicum ſectantes infimum locum, tam in Proceſſionibus, quam Congregationibus, & alijs quibuſcumque eventibus, elegerint, & eligant. Nos tamen qui Domini vices gerentes in terris, omnium jura tueri tenemur: ipſos nullo modo, decurſu temporis, vel alio præſcriptionis mo-*

*do, locum, & præeminentiam, aut aliam prærogativam, Ordini Carmelitarum competentem, perdere in toto, nec in parte, neque unquam in dubium revocari; ita ut quoties, quæ per humilitatem prætermittunt, ob justitiæ ordinem repetere voluerint, propria authoritate possint, & valeant; authoritate, & tenore perpetuo, statuimus, volumus, & ordinamus, &c.* Hæc *Clemens* VIII. in Bulla relata, quæ habetur in nostro Compendio, inter Bullas hujus Pontificis 8. in ordine, *fol.* 218. quæ omnia postea confirmavit, amplavit, & innovavit *Paulus V.* Bulla, quæ incipit: *Ex injuncto*, die 24. Septembris 1605. & habetur in nostro Compendio *fol.* 238. Non ergo nostra Reformatio aggregata est quatuor Religionibus antiquis Mendicantibus, ut ait Casaingh, sed est una ex ipsis quatuor, videlicet ipsa antiqua Carmelitana, sed jam ad intentum redeamus.

48. 2. *Dico primò*: Omnes decem præfatæ Religiones Mendicantes, adeo strictè communicant in privilegiis, ac si unicuique, omnia aliarum specialiter, & nominatim essent concessa: ita ut omne id, quod potest Generalis, v. g. in Ordine Prædicatorum, seu Minorum, id ipsum potest quilibet Generalis dictarum Religionum, & proportione servata, idem dicendum est de Provincialibus, Prioribus, Vicarijs, & aliis, quibus jurisdictio Prælatorum competit. Item privilegia concessa Ecclesijs, Domibus, & Religiosis unius Ordinis, participant, & aliæ similiter, & concessa pro festivitatibus unius Ordinis respectivè, intelliguntur festivitatibus alterius convenire, sive sint indulgentiæ, sive quid simile; attende Bullam *Julij* II. pro decisione controversiæ inter Dominicanos, & Minoritas circa intelligentiam communicationum privilegiorum inter se:

*Venerabilibus fratribus, Salmantino, Pacen. & Corduben. Episcopis, & eorum cuilibet*: IVLIVS II. *Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam benedictionem.*

*Aliàs ad supplicationem charissimi in Christo filij nostri Ferdinandi Regis*, & infra: *Quodque in prædicta privilegiorum, gratiarum, & indultorum Præfatorum communicatione; tam universaliter per prædecessores nostros toti Ordini Minorum, quàm etiam per nos particulariter, prædictorum Regnorum Fratribus facta, eaque, quæ ad absolutionem, dispensationem, vel aliàs, ad Priorem Generalem, seu Magistrum Ordinis Prædicatorum spectant, ad Ministrum, vel Vicarium Generalem Fratrum Minorum pertineant, & ea, quæ ad Priores Conventuales, ideſt, Prælatos singularum domorum Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicarios, similiter spectant ad Guardianos, & eorum Vicarios Ordinis Minorum, & ea, quæ ad Priores, seu Vicarios, vel superiores Provinciales; ideſt, Prælatos, qui medij sunt, quocumque nomine censeantur, & vocentur inter dictum Generalem, seu Magistrum Ordinis, & Priores Conventuales, eorumque Vicarios; simili modo spectant ad Ministros, & Vicarios Provinciales, ac Custodes, qui etiam medij sunt inter Ministrum, & vicarium Generalem, & Guardianos, eorumque Vicarios, similiter pertineant, & sicut de potestate Prælatorum, scilicet de Prælatis ad Prælatos dictum est, ita de Congregationibus unius ad Congregationes alterius Ordinis, & de Fratribus privatis, ideſt sine prælatura ad Fratres privatos, & de festivitatibus ad festivitates;*

*tes; in his casibus, in quibus, Congregationibus, vel Fratribus privatis, ac festivitatibus alterius Ordinis nunc, & pro tempore respectivè, concessa intelligantur.*

*Itaque ea, quæ in honorem Sanctorum, Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catharinæ de Senis Fratribus, vel locis Prædicatorum, sunt concessa, omnia illa Fratribus Minoribus præfatis, eorumque locis in festivitatibus Sanctorum, Francisci, Antonij, Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, quinque Martyrum dicti Ordinis, qui ad Marrochium Martyrij Coronam adepti sunt, & Sanctæ Clara, & in alijs festivitatibus dicti Ordinis Minorum, licet sint in majori numero, quam festa ipsorum Fratrum Prædicatorum; sint, & intelligantur concessa. Ad tollendam quamcumque hæsitationem, & inde fortè ortum scrupulum, authoritate, & tenore præfatis declaramus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 1. Iunij 1509. Pontificatus nostri anno sexto.* Quod privilegium per extensum refert Passarelus à Monopoli in *privileg. Ordinis Minorum, fol. mihi 99.* & Rodriguez. *Tom. 1. quæst. Regularium; q. 55. art. 2.* Sed hæc cum modio salis intelligenda sunt, ut ex dicendis constabit. Hæc prima conclusio adeò certa est, ut probatione non indigeat; cum passim inveniatur apud Authores, qui de privilegijs Regularium scribunt. Sufficiat unus pro mille, piissimus, & doctissimus noster Lezana *ad §. 52. Matris magni Prædicatorum, num. 166.* ubi ait: Quod communicatio privilegiorum Mendicantium inter se, est quasi nova concessio illorum, ei Religioni cui communicantur, talis, qualis esset si ipsi nominatim expresè concessa forent, & probat ex Bulla *Leonis X.* incipiente *Dudum*, & habetur 1. *Tom. Bullar.* Cherub. *Const. 32.* & ex varijs decisionibus Sacræ Rotæ, novis, & antiquis. Addam pro majori luce aliqua privilegia, ex quibus sufficienter veritas innotescet.

3 Pro Dominicanis extat privilegium expressum *Iulij II.* Datum Romæ die 1. Junij anno 1509. Quod referunt ad litteram Rodrig. *Tom. 1. quæstion. q. 55. art. 2.* Passarelus in *privileg. Ord Minor. fol. mihi 99.* Donat. *Tom. 1. tract. 7. q. 2.* Sed quia hoc privilegium solùm includit communicationem cum Franciscanis & è contra: *Leo X.* concessit ipsis Dominicanis latissimum privilegium communicationis Minoritarum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Servorum S. MARIÆ, & Minimorum; non secus, ac si omnia in specie ipsis concessa fuissent; & loquitur expresè de omnibus gratiis, favoribus, indulgentiis, prærogativis, & exemptionibus quibuscumque quomodolibet concessis; & hoc ex *motu proprio*, & *ex certa scientia, & plenitudine potestatis*, & non solùm de concessis; sed etiam de concedendis, quibuscumque temporibus; refert per extensum hanc Bullam P. Donatus *q. 4.* & habetur in Bullario Dominicanorum, *fol. 185.* à tergo *litt. D.* vidi ad litteram hoc privilegium, & revera latissimum est. 49.

4. Fratribus Minoribus idem prorsus concessit *Clemens VII.* ut latè probat Rodrig. *Tom. 1. quæstion. q 55. art. 7.* Miranda *Tom. 2. q. 46. art. 2. concl. 1.* Casarub. Sorbus, & alij communiter, & respectu omnium Mendicantium inter se, idem concessit expresè *Leo X.* Const. *Dudum per nos*, apud Confectium *fol.* 50.

160. & loquuntur de concessis,& concedendis, Laertius Cherubinus in *Bullar. Tom. 3. fol.* 524.& est in ordine 32. *Const.* hujus Pontificis, videlicet *Leonis X* cujus verba sunt hæc *Dudum per nos accepto, quod Romani Pontifices prædecessores nostri, aliqui ad Minorum, alij verò ad Eremitarum S. Augustini, alij ad B. MARIÆ de Monte Carmelo, reliqui ad Prædicatorum Ordines Fratres, & domos juxta ipsorum vota devotionis affectum gerentes, illorum singulis, nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, ac dona, tam spiritualia, quam temporalia, per diversas ipsorum litteras respectivè concesserunt.*

*Nos ad singulos Ordines prædictos singulasque ipsorum Ordinum Domos, ubi Religiosè vivitur, indifferenter absque acceptione personarum, devotionis affectum aqua lance gerentes, omnes, & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, tam spiritualia, quàm temporalia quæcumque illa essent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, servorum B. MARIÆ, ac Minimorum Fratrum in domibus, & illorum Ecclesiis, Oratoris, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria pro tempore visitantibus, cujuscumque status, aut sexus existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus; nec non domibus, & præsidentibus non solùm Generalibus, & Provincialibus Fratribusque, & Sororibus, nec non Monialibus, & Conversis, oblatis, ac utriusque sexus personis de pœnitentia, seu tertij habitus nuncupatis à dictis prædecessoribus, aut à nobis, ipsisque successoribus, aut alias authoritatem habentibus, conjunctim, vel divisim, in genere, vel in specie concessa fuerunt, aut in posterum concedentur, illa, & omnia singula, ac nominatim exprimerentur, pro sufficienter expressis, tunc habentes singulis Ordinibus prædictis, illorumque singulis Ecclesiis, Oratorijs, & Ecclesias, ac Oratoria visitantibus cujuscumque status, aut sexus existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & Conventualibus fratribus; & etiam sororibus, vel Monialibus, conversis quoque oblatis, ac utriusque sexus personis de pœnitentia nuncupatis; & aliis singulorum Ordinum prædictorum, motu proprio, & ex mera nostra scientia, & liberalitate de Apostolicæ authoritatis plenitudine communicamus, illaque omnia, & singula, inter dictorum Ordinum personas pariformiter communia fuisse, & esse volumus, prout in singulis litteris prædictis plenius continetur.*

Et ne immoremur in re adeo certa, & clara; adducam præter relatas, concessiones nobis Carmelitis factas à *Clemente VII.* in Bulla, quæ incipit: *Ex Clementi* anno 1530. ubi concedit nobis omnia privilegia concessa, & concedenda quibuscumque Ordinibus; idem concessit *Clemens VIII.* specialiter nobis, Carmelitis Discalceatis Bulla, quæ incipit: *Cum dum*, sub data 5. Junij anno 1595. accipe verba: *Nec non prædicta, & omnia videlicet privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, indulgentias, & gratias, & alia quæcumque dicti, & aliorum Ordinum etiam Mendicantium, Fratribus, personis, & bonis, etiam Confraternitatibus, & alijs pijs locis, vel aliàs quomodo-*

*modolibet prafatis Ordinibus, domibus, & eorum bonis, concessa, & concedenda predictis Fratribus Discalceatis Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo, domibus, & eorum bonis, eadem omnino, similique modo competere verè, & propriè, ac si eisdem specialiter concessa essent, præsentibus pro expresßis, ac si de verbo ad verbum inserentur haberi volentes: Decernimus, & statuimus, & si opus est, eadem nunc concedimus, & impertimur.* Habetur hæc magna concessio in nostro Bullario *fol.* 184. quæ omnia prius concesserat *Sixtus IV.* pro nostro Ordine *Bulla* 37. & 38. Idem habent Augustiniani per *Alexandrum VI.* & quælibet Religio Mendicantium, ex enumeratis, ut constat ex eorum Compendiis.

51. 5. *Dico secundo*, Religiones Mendicantes enumeratæ participant, etiam omnia, & singula privilegia non Mendicantium, Monachorum, Congregationum, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum; non secus, ac si cuilibet Ordini Mendicanti omnia in specie, & nominatim concessa essent, & idem est de confirmationibus, & innovationibus privilegiorum, juxta dicenda infra *disp. 7. sect. 8.* Quod adeò certum est apud omnes, ut supervacaneum esset tot privilegia id concedentia, recensere.

52. 6. *Dico tertio*: Moniales Ordinum Mendicantium; in quibus sunt capaces, gaudent, & participant omnia privilegia Fratrum, ac ipsi Fratres, sicut, & ipsi Fratres communicant omnia privilegia concessa pro Monialibus. Nec placet limitatio adducta à Portel. *p. 2. cas.* 14. *num.* 2. dicente hoc solùm esse verum de Monialibus, subditis Fratribus, non verò de Monialibus subditis, sivè immediatè Summo Pontifici, sive Episcopis; citat *Compend. privilegior.* verb. *Communicatio privileg.* & verb. *Monialis*, Rodrig. *Tom. 3. quæst. 73. art. 1.* adjungit conjecturam ex eo, quod Fratres non petunt privilegia, nisi pro monialibus subjectis ipsi Religioni: Ergo extendenda non sunt ad non subjectas; sed his non obstantibus dicendum est, quod sivè sint subjectæ Religioni, sivè Episcopis, sivè Romano Pontifici, gaudere supradictis privilegijs. *Clem. VII.* id concessit pro Monialibus S. Augustini, & similiter *Bonifacius VIII.* pro Carmelitis, *Nicolaus V.* & *Sixtus IV.* ut in nostro Maremagno. *Sixtus IV.* pro Dominicanis, & Franciscanis, similiter *Leo X. Clem. VII. Gregor. XIII. Sixtus V. & Clem. VIII.* & licet verum sit, quod in aliquibus privilegijs Ordinum, loquendo de monialibus, apponantur hæc verba; *Moniales sub obedientia Ordinis vestri, & similia.* Tamen prædictæ clausulæ solùm demonstrant nomen instituti Ordinis, seu Religionis, sub qua profitentur, & vivunt; & consequenter quamdiu vivunt sub illo instituto, & Ordine; tamdiu gaudent illius privilegiis; neque per exemptionem à superioribus, regularibus, vel subjectionem Episcopis factam, Moniales desinunt esse sub instituto, & obedientia Regulæ: Privilegia autem eis conceduntur propter earum merita, circa observantiam talis Ordinis: Ergo etiamsi eis concedantur ad instantiam Superiorum Ordinis, privilegiis gaudebunt, & propter eandem rationem Religiosi gaudent privilegiis Monialium, etiamsi eis non subdantur, ut notat Bord. *Resol. 55. quæst. 58. n. 319.*

53. 7. *Addo*, quod multa alia privilegia, non

non continent dictas clausulas, sed absolutè eis concedunt privilegia, sicut Fratribus; ita concessit *Iulius* III. Monialibus Dominicanis, in *Bull. communicat. privilegiorum omnium Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium*, quam refert ad litteram Donatus *Tract. 7. quæst. 5.* & alij Pontifices pro aliis Ordinibus idem concesserunt; ut passim reperitur in eorum Bullis apud Cherub. & Rodrig. Accipe unam, quia peculiarem, *Pauli V.* incipientem *Quæ regulares personas*, die 10. Octobris, anno 1606. expeditam, occasione dubitationis inter Religiosos Ordinis Cistercienſis MARIÆ Fulienſis. Dubitabant ergo, an Monialibus sui Ordinis minimè nominatis in concessione privilegiorum sui Ordinis, ipsa privilegia prodessent? Propositum fuit dubium Sanctissimo, & per dictam Bullam respondit: *Motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac certa scientia: Harum serie declaramus tam in dicti Clementis, quam in alijs hujus Congregationis privilegijs, comprehendi, & comprehensas esse, Abbatissas, Priorissas, & alias quascumque Moniales, quæ gerunt, & in futurum gerent, habitum dictæ Congregationis*; ecce expressam mentem Pontificis: & licet dictæ Moniales, non subderentur illis Religiosis; Pontifex solum respexit gerentiam habitus, & professionem illius Religionis, ut ex verbis illius clarè constat; & ni fallor, non leviter insinuavit, hanc fuisse mentem Pontificum, *Paulus V.* anno 1606. revocando omnes indulgentias pro Regularibus concessas, nam cum accedit ad alias, quas denuo concedit loco revocatarum, sic concludit: *Volumus autem, ut supradictæ omnes indulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularibus cujusvis Ordinis, tam Monastici, quam Mendicantis, dumtaxat, ut præfertur concessæ, etiam omnibus Monialibus cujusvis regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus, & perpetuam clausuram conservantibus; tam ordinarijs locorum, quàm etiam Regularibus cujuscumque Ordinis regulæ, & instituti subjectis suffragentur.*

Ecce qualiter Pontifex omnes Moniales æquat in favoribus noviter concessis, ex eo quod omnes æqualiter sentiebat læsas in revocatione; igitur ut certum tenendum est Moniales gaudere privilegijs relatis, & communicationibus aliarum Religionum; ita Tamburin. & Bordon. ex professo *Tom. 1. resol. 52. q. 24.* & addit Pelizar. *Tom. 2. tract. 8. sect. 4. cap. 1. quæst. 13. num. 74.* quod quando Religiosis conceditur aliquod privilegium per Prælatos Regulares expediendum; ut dispensandi, vel absolvendi: Tunc loquendo de Monialibus immediatè subjectis Episcopis, ab Episcopo possunt dispensari, quia cum ex una parte gaudeant privilegiis sui Ordinis, & ex alia Episcopus succedat loco Prælatorum Regularium, ab ipso possunt recipere beneficium privilegij. Sed notat Bordon. quod Moniales solùm in favorabilibus gaudent privilegijs Religiosorum, non autem in odiosis, sicut Religiosi solum participant privilegia Monialium in favorabilibus.

8. *Dico quartò*, Hodie ferè omnes Religiones non Mendicantes, & etiam Monachales, ut docent Portel. Rodrig. & alij communiter, participant omnia privilegia Mendicantium, ac per consequens, non Mendicantium, & piorum 54.

locorum,

locorum, ac si essent Mendicantes. Sed quia hoc nullo meliori modo probari potest, quàm singularum privilegia referendo; accipe summatim ex Rodrig. Joan. de la Cruz, Basseo, & P. Brunone supra relato seriem Religionum, & concessionum.

9. Congregatio Monachorum Cassinensium, seu S. Justinæ de Padua, habent dictum Privilegium communicationis à *Iulio II.* Constit. 1. in Bullario magno Romano.

10. Congregatio Benedictinorum habet ab *Eugenio IV.* Bulla 7. à *Sixto V.* & *Gregor. XIII.* Bulla incipiente: *AEquum reputamus.*

11. Congregatio S. Mauri Ordinis Benedictini habet ab *Vrbano VIII.* Bulla incipiente: *In super eminenti.*

12. Congregatio Monachorum Vallis Umbrosæ, ex Bulla *Pij V.* incipiente: *Ex suprema dispositione.*

13. Monachi Camaldulenses à *Gregor. XIII.* Bull. incipiente: *Ex injuncto nobis*, 24. Septembris 1591.

14. Monachi Cistercienses Congregationis S. Bernardi in Italia Regularis Observantiæ, ex *Greg. XIV.* Bull. incipiente: *Romanus Pontifex*, 28. Junij. 1592.

15. Monachi Cistercienses Congregationis Fulienſis ex *Sixto V.* Bulla incipiente: *Super specula*, Idibus Novembris 1587. Et ex *Paulo V.* Bulla *Divina disponente*, 5. idus Julij 1606. & in alia incipiente: *In super eminenti*, 21. Novembr. 1607.

16. Monachi Cælestini, ex Constitutione *Vrbani* VIII. incipiente: *Sacrosancti* 14 Augusti 1624.

17. Monachi Silvestrini, ex Constitutione *Pauli* V. incipiente: *Religiosorum*, 23. Novembris 1616.

18. Monachi Montis Virginis, ex Const. *Paul.* V. incipiente: *Pastoralis*, 19. Maij 1611.

19. Monachi Sancti Basilij, ex Const. *Gregor. XIII* incipiente: *Benedictus.* Kalendis Novembris 1579.

20. Carthusiani à *Gregor. XV.* Bulla incipiente: *Ad uberes* 3. Februarij 1623.

21. PP. Sanctissimæ Trinitatis de Observantia, Provinciarum Castellæ, Legionis, & Granatæ, ex *Leon X.* & *Adriano VI.*

22. Patres Discalceati ejusdem Ordinis ex *Paulo* V. Bulla incipiente, *Ecclesiæ Catholicæ.*

23. Patres B. *MARIAE* de Mercede, Redemption's Captivorum ex *Leone X.* quorum privilegia amplissima sunt, & confirmata de novo ab *Vrbano* VIII. sed cum clausulis, dummodo sint in usu, & non sint revocata.

24. Regulares nuncupati Fratres S. Spiritus in Saxia à *Sixto* V. Const. *Exigit* 13. Augusti 1586.

25. Fratres Congregationis S. Hieronymi in Hispania, ex Const. *Pij* V. incipiente: *Supernæ dispositionis*, 17. Kalend. Septemb. 1567.

26. Fratres Congregationis S. Petri de Pisis ex *Pij* V. Const. incipiente, *Religio*, 30. Martij 1571.

27. Fratres Ordinis S. Antonij (additis quibusdam restrictivis clausulis) ex *Gregor. XV.* mense Julio emanata, & ex alia Const. *Urbani* VIII. mense Junij 1624.

28. Patres Cruciferi ex *Gregor. XIV.* Bulla incipiente, *Romanus Pontifex*, 12. Julij 1591.

29. Con-

29. Congregatio Canonicorum Regularium Lateranenſ. ex Pij V. conſt. incipiente *Ex ſuprema diſpoſitionis arbitrio*, Kalendis Septembris 1567.

30. Congregatio Canonicorum Regularium S. Crucis Conimbricenſis, ex eadem Conſt. Pij V.

31. Congregatio Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononienſis, ex Conſt. *Julij* II. incipiente, *inter ceteros*. 4. nonas Aprilis 1512.

32. Canonici Regulares S. Gregorij in Alga, ex Pij V. Conſt. incip. *Ex incumbente nobis*. 3. Idus Novembris 1569.

33. Fratres militiæ JESU Chriſti Portugalliæ, reformati ex Pij V. Conſt. ante citata, *ſuperna*.

34. Clerici Regulares Theatini ex *Clemente* VII. Conſt. incipient. *Dudum pro parte*. 7. Maij 1533.

35. Clerici Regulares Sommaſchini, ex *Pauli* V. Conſt. incipient: *Ex quo Divina Majeſtas*. 9. Novembris 1607.

36. Clerici Regulares Minores ex *Gregorij* XV. Conſt. incipiente, *Romanus Pontifex*, 18. Februarij 1591.

37. Ordo S. Antonij ex præcedenti Conſtit.

38. Clerici Miniſtrantes infirmis ex *Gregor.* XV. Bulla incipiente: *Illius qui pro gregis*. 11. Kalendas Octobris 1591. Omnes iſti participant privilegia Mendicantium, & conſequenter non Mendicantium. Nam ſi Mendicantes participant, ac ſi eſſent propria privilegia Mendicantium, & non Mendicantium, omnes Religiones, quæ participant privilegia Mendicantium, conſequenter participabunt etiam privilegia non Mendicantium, ſed hoc juxta dicenda *diſputatione de communicatione*. 55.

39. Præterquam quod plurimæ iſtarum Religionum habeant privilegia expreſsè concedentia communicationem cum Mendicantibus, & cum non Mendicantibus. Nam Benedictini habent ab *Eugenio IV.* Caſſinenſes, & Ciſtercienſes à *Gregorio XIV.* ubi *ſupr.* & aliæ multæ. Sed unaquæque Religio debet attendere clauſulas Bullæ ſuæ communicationis, ut juxta reſtrictionem, vel amplitudinem illius, operetur. Hæc dicti Authores abſque contradictione, quæ omnia in præſentiarum placuit referre pro hujus materiæ pleniori notitia. 56.

40. Sed hic nota juxta ſupradicta, quod Moniales, non Mendicantes, pari paſſu participant omnia privilegia, juxta capacitatem ſexus; ſive ſubdantur Prælatis Religionis, ſive Epiſcopis, dum regulam alicujus, ex aſſignatis Religionibus profiteantur, ut probatum manet de Monialibus Mendicantibus. 57.

## SECTIO II.

### *De modo communicationis privilegiorum.*

QUæ in hac ſectione reſolvenda ſunt, adeò neceſſaria ab omnibus judicantur, ut omnimodam diſtinctionem, & claritatem poſtulent. Ideo conſentaneum erit in dubiola ea dividere.

1. Dubitatur *primò*, an Religioſi Mendicantes, & qui cum illis participant in privilegijs, uti poſſint privilegijs, v.g. Societatis JESU, abſque licentia ſui Generalis, vel Provincialis, & idem erit de ſimilibus? Oritur dubium ex eo, quod Patribus Societatis conceduntur, & communicantur, omnia privilegia, ſub hac limitatione: *Vt hactenus conceſſa, & in-* 58.

*& in posterum concedenda, intelligantur concessa immediate Præposito Generali, qui per se ipsum, vel per alium, seu alios, sub eo, vel de ejus commissione electos, seu eligendos, quibuscumque personis de Societate, sub ejus obedientia degentibus communicare liberè potest* sic expressè *Gregor. XIII.* anno 1575. & statim subjungit Pontifex: *Ut non intelligantur concessa inferioribus singulis immediatè, sed mediante Præposito Generali.* Unde Religiosi Societatis uti non possunt, nec licitè, nec validè aliquo privilegio, nisi de licentia sui Generalis; sic P. Suarez *lib. 5. de legib. cap. 13. num. 11.* Pellizar. *Tom. 2. tract. 8. cap. 1. sect. 4. num. 64.* Collector privilegiorum Societatis in suo *Compendio*, tit. *communicatio gratiarum*, §. 2. & 4. *fol.* 209. *pag.* 2. & sequuntur omnes tam intra, quam extra Societatem; quibus positis procedit dubium propositum.

59. 2. P. Bordonus Tertiarius *Tom. 2. resolut. moral. resol. 52. num. 87.* destitutus alio authore sentit, quod non participant aliæ Religiones privilegia Societatis, nisi cum illa dependentia à propriis Generalibus. Ducitur, quia privilegium est communicabile secundùm quod est concessum. Communicatio enim supponit concessionem, tanquam fundamentum, ex qua ipsa communicatio emanat: Ergo. Insuper, quia Papa non præsumitur, magis velle favere communicantibus, quam concessarijs, quibus datum est privilegium: Ergo, &c.

60. 3. Sed misso Bordono; dicendum est cum communi sententia, alias Religiones communicare dicta privilegia Societatis JESU, absque licentia proprij Generalis. Probatur primò, quia illa est restrictio, non privilegium; ergo non communicatur. Si quidem Pontifices communicant favores, & privilegia, non odia, & restrictiones. Secundò, quia talis restricti o privilegiorum facta est respectu Societatis JESU, cujus instituti ratio, ob perfectum monarchicum regimen, & omnimodam dependentiam ab uno capite, non reperitur in alijs Religionibus. Non ergo præsumendum est dari alijs Religiosis talia privilegia, cum ea restrictione, & quod hoc verissimum sit constat ex verbis ipsius *Gregorij XIII.* in dict. Bull. ubi reddens causam dictæ restrictionis, ait: *Propter instituti ipsius ab alijs Religionibus diversitatem.* Quibus verbis ostendit Pontifex, quod illa limitatio, seu restrictio non pertinet ad privilegia; sed est declaratio usus privilegiorum, pro illa Religione; propter specialissimum institutum. Aliæ autem Religiones communicant in privilegijs, non verò in declarationibus usus peculiaris instituti Societatis, ut benè notavit Baseus in *floribus Theologiæ verb.* Privilegiorum communicatio, *num.* 10.

4. Et potest hoc confirmari ex eo, 61.
quod Religiosi Societatis JESU, etiamsi communicent privilegia aliarum Religionum, semper illa communicant cum illa dependentia à suo Generali, quamvis in privilegiis aliarum Religionum non petatur talis dependentia, quia hoc est, quid conveniens pro illo instituto perfectè monarchico. Igitur, quando aliæ Religiones participant privilegia Societatis; participant sine illa dependentia à suis Generalibus, quia non est necessaria, pro instituto illarum, neque pro bono gubernio. Si enim esset neces-

satia, vel conveniens in privilegiis cujuslibet Religionis, apponeretur talis dependentia, quæ vix in suis privilegijs invenitur apposita, nisi in aliquo privilegio particulari, & tunc non est dubium, quod cum illa est observandum. Et idem dic, si absque tali clausula, privilegium opponeretur instituto alicujus alterius Religionis; quia hoc semper subintelligitur inclusum etiamsi non exprimatur: ita docet novissimè Angelus Maria Vericelli, *de Apostolicis missionib. Tract. 4. q. 97. n. 18.* Et ratio est, quia in aliis Religionibus currit eadem ratio, secus in concessis Societati JESU. Sit exemplum in privilegio relato à multis circa dispensationem petitionis debiti inter conjugatos impeditos, vel per votum, vel per copulam cum consanguinea uxoris, quod sine licentia proprij Provincialis non prodest subditis in sententia probabili, quia hoc modo fuit concessum aliis Religionibus, sed de hoc dicemus suo loco.

62. 5. Et ni fallor, validissimum fundamentum desumitur ex verbis Bullæ *Gregorij XIII.* relatis. Ubi ait expressè Pontifex, quod omnia privilegia concessa, & concedenda Jesuitis, intelligantur concessa immediatè, non Religioni in communi, neque particularibus, sed solùm Præposito Generali, & ad alios per ipsum extenduntur; at in aliis Religionibus privilegia conceduntur immediatè, vel toti Religioni, vel Conventibus illarum, quod idem est, ac concedere ea immediatè Religiosis illarum, & sic non est mirum, quod absque ulla dependentia, seu delegatione, quilibet juxta suam capacitatem utatur eis.

63. 6. Unde videmus, quod præter alios Pontifices, qui post fundatam Societatem, concesserunt sine dicta limitatione communicationem privilegiorum omnium Ordinum, teste Joan. à Cruce infra citando, *Gregor. XIV.* concessit, seu communicavit expressè omnia privilegia Societatis, absque tali restrictione, & dependentia à suo Generali Religiosis ministrantibus infirmis; & idem Pontifex *Bulla 3.* determinavit Ordinem Cistercienſem frui posse privilegijs Societatis JESU, etiam sine supradicta dependentia; per quæ patet ad objecta ex Bordon, sic docent Emanuel Rodrig. referendo dicta, & alia privilegia in *qq. Tom. 1. q. 55. art. 77. §. secundum dubium est.* Mirand. *in Manual. Tom. 2. q. 46. art. 5. concluſ. 2. in fin.* Suar. *de legib. lib. 8 cap. 17. n. 6.* Portel, *verb.* Communicatio, *num. 5.* Diana *3. p. tract. 2. de dub. regul. resol. 81.* Merol. *Tom. 3. disp. 6. cap. 4. dub. 2. n. 13. & 16.* dict. Suar. ubi supr. *cap. 13. n. 5.* P. Donat. Joann. à Cruce, Pelizar, & alij ex ipsis Jesuitis.

64. 7. Dubitabis *secundò*, an quando aliquibus Religionibus communicantur, non solùm omnia privilegia concessa, sed etiam concedenda pro alijs Religionibus, intelligatur hæc extensio tantùm de Religionibus jam fundatis tempore dictæ communicationis? An verò extendatur ad participandum privilegia concessa Religionibus postea fundatis, quamvis hoc non exprimatur in illa generali communicatione?

65. 8. Respondetur, quod extenditur. Nec est ratio alicujus ponderis, quæ oppositum persuadeat; quia illa concessio circa privilegia concessa, & concedenda est favor, & sic latè est interpretandus; sicut enim extenditur ad privilegia nondum

dum concessa, sed futuris temporibus concedenda Ordinibus jam institutis; sic extenditur ad privilegia concedenda pro qualibet Religione, quæ postea fundabitur, seu instituetur: Sic docet P. Brun. *Tract. 1. cap. 3. prop. 6.* & videtur colligi ex promptitudine, & benignitate, qua Romani Pontifices confirmarunt, & innovarunt privilegia à suis antecessoribus concessa, post fundationem novarum Religionum, ut patet in Societate JESU, cujus privilegia, quamvis magna, & multa, communicata sunt alijs Religionibus ex innovatione communicationum à Romanis Pontificibus factarum. Quarum meminit Baseus, *verb.* Privilegium, *num.* 14. Joann. de la Cruz *lib. 2. cap. 4.* de commun. privileg. *concl. 3.* Donat. Bordon. & alij quàm plurimi.

66. 9. Dubitabis *tertiò*, an privilegia, quæ habent clausulam incommunicabilitatis, respectu aliarum Religionum, reddantur communicabilia per communicationem omnium privilegiorum concessorum, & concedendorum omnibus Religionibus, sine expressione specifica dictæ clausulæ? Respondetur affirmativè. Tum, quia generalis communicatio cum qualitate, & clausula *quorum tenores*, omnia complectitur, & habet vim specialis, & individuæ derogationis (ut infra dicemus) & expressionis cum omnibus suis qualitatibus, & tollit derogatorias derogatoriarum, quod est derogare omnibus juribus, & constitutionibus derogantibus & derogaturis privilegio, in quo est apposita, & derogat omni clausulæ resistenti. Tum, quia multi Pontifices in absoluta communicatione privilegiorum solùm excipiunt, quæ contrariantur Tridentino: Ergo reliqua omnia concedunt; quis enim hoc prohibet, cum Papa antecessor apponens talem clausulam incommunicabilitatis, non possit ligare manus successoris; & ideo videmus, quod in communicatione facta Cisterciensibus à *Gregor. XIV.* anno 1591. & similiter Cruciferis fuerunt communicata expresse privilegia Societatis JESU, sine mentione talis clausulæ restrictivæ, quam habent Jesuitæ in suis privilegijs, & in Bulla *Gregor. XIII.* sic tenent P. Bruno Chassaing, ubi *supr. propos. 7.* P. Donat. *Tract. 7. quæst. 8.*

Sed hoc meo videri debet intelligi de privilegiis concessis cum illa clausula, ante generalem communicationem, non verò de privilegijs postea concessis cum tali incommunicabilitate; quia sicut Papa antecessor, non potest ligare manus successoris, ut non solvat, quod ille adstrinxit, sic non poterit impedire, quod iste restringat, id quod de novo concedit. Unde si alius successor non iterum confirmet, & innovet communicationem omnium privilegiorum concessorum, non credo posse uti tali privilegio incommunicabili, ex vi clausulæ aliorum Pontificum, pro futuris privilegijs communicandis.

10. Dubitabis *quartò*, an privilegia concessa uni Provinciæ, uni Ecclesiæ, 67.
Conventui, vel personæ particulari, intelligantur concessa cæteris Ecclesijs, Conventibus, & personis, non tantùm ipsius Ordinis, sed etiam aliorum ex vi generalis communicationis?

11. Ex amplissima privilegiorum 68.
concessione, qua Romani Pontifices omnia, & singula privilegia, immunita-

tes, exemptiones, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, & indulta quæcumque quibusvis Congregationibus, seu Societatibus, aut alijs locis, vel illorum personis, quomodocumque concessa in genere, vel in specie; tam conjunctim, quàm divisim singulis Mendicantium Ordinibus concedunt, extendunt, & communicant, ita, ut illis uti, & frui liberè possint, & valeant, ac si illis nominatim, & in specie concessa fuissent; cum debitis; & consuetis clausulis, motu proprio, certâ scientia, ac plenitudine potestatis, & quorum tenores, quæ & fortissimis non obstantibus, sentiunt aliqui omnia communicari, sicut in dubio proponitur, ita Rodrig. in *qq. Tom. 1. q. 55. art. 18.* Mirand. *Tom. 2. q. 46. art 7.*

69. 12. Et si objicias, quod *Leo X.* ordinavit, ut Fratres Eremitarum S. Augustini gaudeant privilegijs generaliter concessis Congregationibus, personis, & locis, sed non domibus, & personis, particularibus Congregationum, seu Ordinum concessis, ut habetur in *supplem. concess.* 157, & adducit ipse Rodrig. *art.* 8. sed hoc nihil obstare dicunt, quia *Pius IV.* & *Clem. VIII.* ipso Leone posteriores, ad instantiam Catholici Regis *Philippi II.* concessêre Ordini S. Hieronymi in Hispania, ut concessa uni Monasterio, aut quibusdam ejusdem Ordinis, extenderentur ad omnes: & similiter *Gregor. XIII.* communicavit Societati JESU, Domibus, & personis Regularibus, & Secularibus, & multa alia privilegia concessa sunt nobis, & aliis Religionibus, cum dicta amplitudine, sine restrictione *Leon. X.*

70. 13. Sed his non obstantibus, mihi videtur sententiam, Rodrig. & Mirand. cum tali amplitudine, & extensione, non esse sustinendam, quia non fundatur in solida ratione, qualem postulat materia adeo gravis. Quapropter, *dico primò*, quando privilegia uniusReligionis, Provinciæ, Conventus, & personarum adversantur statutis aliarum, seu alicujus Religionis, non communicantur illi Religioni, cujus statutis opponuntur: Ratio est manifesta, quia Pontifices per sua privilegia intendunt regularem observantiam fovere, & salutaria statuta conservare, ideoque apponunt communiter in fine privilegiorum clausulam: *Dummodo eorum institutis, & regulari observantiæ non sint contraria*, & quando expresè non apponitur, subintelligitur apposita, ut supra diximus; aliàs, quod in favorem conceditur, in odium retorqueretur, quod nequit præsumi, tanquam irrationabile, *l. favores, C. de legib.* & *cap.* quod ob gratiam *de reg. jur. in 6.* unde communicatio non debet esse nociva communicanti, nec odiosa, nec turbativa, vel spoliativa tranquillitatis, & pacis, *l. nulla juris ratio ff. de legib.*

Quod observari debet etiam in *privilegiis ad instar*; taliter, quod æquiparatio intelligatur tantùm ad commoda, non verò quantum ad incommoda; ita tenent communiter DD. Rodrig. *q. 55. art. ult.* Mirand. *q. 46. art. 6.* in fin. vers. *Solummodo*, Mandos. in *tract. de privileg ad instar gloss. 8. num. 4. in* fin. Suar. *lib. 8. de legib. cap. 17. n. 3.* & alij, tam veteres, quàm recentiores; ex quo infert Bordon. & benè, *resol. 52. n. 76.* Quod Patres Cappuccini, qui ex proprio instituto non possunt excipere confessiones

nes secularium, non possunt uti privilegijs confessoribus concessis, circa absolutiones, & dispensationes secularium; quia repugnant suo instituto, & sic non intelliguntur communicata; & addit, quod licet obtinerent nunc à Summo Pontifice gratiam excipiendi confessiones sæcularium in genere, vel in specie; non ideo censerentur illis communicata privilegia, sed necessaria esset specialis concessio, ut possint communicare in privilegijs aliarum Religionum, quantùm ad hoc: Ratio est in promptu, quia cum non gauderent antecedentibus communicationibus, nisi nova veniat concessio, non est unde illis gaudere possint.

71. 14. *Dico secundò*: Privilegia concessa Provinciæ, Ecclesiæ, Conventui, loco sacro, &c. communicantur omnibus Provincijs, Ecclesijs, locis sacris, non solum ejusdem Religionis, verùm & aliarum, quando in eis militat eadem ratio, vel saltem similis, vel æquivalens, propter quam Pontifex talia privilegia concessit: Quia ubi sunt propria, similia, vel æquipollentia Ecclesiæ sanctæ, & Dei; paria debent esse beneficia Pontificum eis concessa. Quando autem eadem ratio similis, vel æquivalens non militat, incongruum est credere Pontifices talem communicationem intendisse concedere. Quis enim credere potest, quod privilegia concessa Provinciis Religiosorum laborantium apud infideles, & ubi non adest nec assistentia Episcoporum, nec copia ministrantium necessaria pro salute infidelium, intelligantur concessa Provinciis, & Conventibus existentibus inter fideles?

72. 15. Insuper neque privilegium concessum uni Religioni, vel Monasterio pauperi, ratione sublevationis paupertatis, æstimatur concessum alteri Monasterio diviti, neque privilegium concessum alicui Monasterio, propter magnam numerositatem Religiosorum in illo, aut ob maximam populi devotionem, quæ circa illud habetur, ratione alicujus imaginis, vel alterius rei similis, communicatum creditur alijs Conventibus, paucos Fratres habentibus, aut in quibus nulla talis, vel similis devotionis imago reperitur? certè talia credenda non sunt, quia à ratione aliena: & idem dic de concessis alicui particulari Religioni, v.g. Societati JESU, non recitandi Officium Divinum in choro, non canendi, non eundi ad publicas processiones, & similia, quæ huic Religioni concessa sunt, propter scholas, munus docendi, & exercitia literaria, quæminimè competunt aliis Religionibus, & sic nec talia privilegia participant, sunt enim quasi personalia, pro tali Religione.

16. Nec sententiæ Rodrig. *num.* 11. 73. relatæ favent privilegia extensiva, concessa à *Pio* IV. pro Conventibus S. Hieronymi in Hispania; nam ut doctè notavit noster Lezana *Tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 5 ex verbis ipsius concessionis extensivæ, oppositum satis apertè colligitur, ibi: *Ad omnia, & singula monasteria Ordinis, quibus in specie concessa non sunt, & in quibus aliæ causæ concessionis, & indultorum prædictorum, aliàs, quàmut præfertur, suberant, extendimus.* Quo sanè denotatur, ait Lezana, aliquam causam, eandem scilicet, similem, vel æquivalentem, subesse debere in alijs Monasterijs, ut privilegia uni concessa, ad alia extendantur; & in eodem sensu intelligit si-

mnia privilegia concessa: Primum, à *Iulio II.* & *Clement. VIII.* pro Minimis. Secundum, à *Gregor. XIII.* pro Jesuitis, quod supra retulimus: Unde præfatam conclusionem, ut verissimam amplectuntur P. Donat. *q.* 14. Bordon. *resolut. 52. num. 75.* & deinceps Baseus, *verb.* Privilegium, *art.* 12. & alij communiter.

74. 17. Neque extenditur communicatio ad eas gratias, quæ per brevia particularia Summi Pontificis, seu in quibus præcedit examen, & decretum alicujus Sacræ Congregationis, alicui peculiari Conventui, vel Religioni conceduntur. Hæc enim non tam conceduntur intuitu obsequij communis, cum aliis Religionibus, sivè Conventibus; ut fit in alijs, quàm alicujus peculiaris rationis notæ concedenti; quamvis nobis ignotæ. Et hanc esse mentem Summorum Pontificum talia concedentium, constat ex praxi communi Religionum, in Curia Romana, ut benè notat noster Lezana *Tom. 3. verb.* Missa, *num. 51. circa medium*; quem sequitur Diana *part. 10, resol. 67.* & alij, computantur enim inter ea, quæ rarò, vel non sine magna difficultate conceduntur. Unde sapiunt naturam privilegiorum personalium, quæ minime participantur, ex vi communicationis privilegiorum; ut dicemus *infra, num. 22.* Alias ferè infinita absurda sequerentur. Do exempla, si aliquis Conventus obtineret speciale breve Pontificium, vel decretum à Sacra Congregatione Concilij, alienandi aliqua bona immobilia, v. g. domum, vineam, vel quid aliud; aut si aliqua Religio obtineret per speciale breve, seu decretum à Sacra Congregatione Rituum, confirmatum à Papa, gratiam recitandi de aliquo Sancto talis Ordinis sub ritu primæ classis, & cum octava, vel mittendi aliquos Religiosos pro conversione infidelium (quod prohibitum est sine licentia Papæ, seu Sacræ Congregationis de propaganda fide) vel apponendi in Breviario Romano aliquem Sanctum talis Ordinis, vel in Kalendario Romano Sanctum solùm Beatificatum, & similia, nonne absurdissimum esset, asserere hæc omnia communicari ab alijs Religionibus, quibus in specie talia non sunt concessa? esset certè absurdissimum hoc asserere; igitur omnino rejicienda est prima sententia in illa latitudine intellecta.

75. 18. Sed quid, si aliqua gratia ex his, quæ rarò, & non sine magna difficultate conceduntur, fuit concessa prius quibusdam Conventibus, alicujus peculiaris Religionis, & post longum tempus, à successore Pontifice, extensa ad omnes Conventus ipsius Religionis, usque in illum diem fundatos; gaudebunt ne hujusmodi gratia, Conventus, post talem diem, fundandi? Et ratio dubitandi oritur ex clausula, *Vsque in illum diem fundati*, quæ videtur taxativa, & exclusiva aliorum Conventuum, qui post talem concessionem fundati sunt; non igitur debet extendi ad illos. Confirmatur, quando alicui Religioni communicantur omnia privilegia concessa aliis Religionibus, non extenditur hæc gratia ad privilegia postea concedenda, ut diximus *supra*, nisi id exprimatur in concessione. Igitur pari ratione negandum est, præfatam gratiam extendi ad monasteria postea construenda.

76. 19. Nihilominus mihi satis probabile videtur oppositum; præcipuè cum ta-

talis gratia fuerit concessa dictæ Religioni, cum denegatione participationis aliarum Religionum, neque per viam communicationis, neque alio modo, ut consultus de hac re, vidi in ipsa concessione. Moveor hoc asserere. *Primò*, quia ut mihi constat, eadem ratio concessionis æqualiter militat in Conventibus constructis, & construendis illius Religionis. Neque adest peculiaris ratio in uno, quam in alio, quæ movere posset voluntatem Pontificis concedentis. Cum ergo ex præfato privilegio, & alijs constet, quod gratia concessa uni Monasterio extenditur ad alios, in quibus eadem, vel similis ratio invenitur; inde est, quod præfata gratia, aliis Conventibus noviter constructis, debet communicari.

*Secundò*, eo ipso, quod gratia illa fuit extensa ad omnes Conventus totius Religionis satis diffusæ per Orbem; fuit gratia facta Religioni in communi, & sic non localis, sed generalis: Ergo, sicut Conventus noviter constructi participant omnia alia privilegia communia Religionis, ita debent participare præsens.

*Tertiò*, quia in generali concessione veniunt ea, quæ quis esset concessurus, si fuisset de eo interrogatus: At Pontifices, qui dictam gratiam concesserunt ex peculiari affectu ad talem Religionem, & ob peculiares rationes sibi notas, quæ in omnibus Conventibus æqualiter currunt, id certè concessissent, si fuissent interrogati: Ergo, &c.

*Denique* probatur ex dictione exclusiva participationis aliarum Religionum, ubi non excluduntur Conventus ipsius Ordinis, sed aliorum, igitur reputantur inclusi, ex communi axiomate: *Exceptio firmat regulam in contrarium*: maxime in re favorabili pro salute animarum, qualis fuit dicta gratia.

77. 20. Ad primam rationem dubitandi, respondetur, quod clausula, *usque in illam diem constructis*, non debet reputari taxativa, in nostro casu; sed magis expressiva affectus, & voluntatis Pontificis circa talem Religionem, quod ex alia dictione exclusiva aliarum satis clarè constat.

Ad secundam, Nego paritatem, siquidem gratia participationis in privilegijs concedendis, est diversa à participatione in privilegijs concessis: Unde nisi illa exprimatur, non intelligitur sub ista, ut omnes fatentur, & videri potest in privilegijs participationis diversarum Religionum, ubi aliquibus conceduntur concessa, & concedenda; alijs solùm concessa, & sic omnes fatentur, quod dictio *concessa*, est taxativa, & exclusiva concedendorum; at in nostro casu non est nova gratia, & nova concessio participatio extensionis, sed eadem omnino comprehensa sub communi participatione omnium domorum; ut apparet in cæteris privilegijs, quibus gaudet quilibet Conventus noviter erectus, absque nova gratia, seu concessione, igitur dicta clausula in præsenti non est taxativa, neque exclusiva, sed magis expressiva dilatatæ concessionis; vide dicta supra *sect. 2. n. 7.*

78. 21. *Dico tertiò*, privilegia concessa alicui personæ, ratione dignitatis, officij, vel ministerij, puta Generali, Priori, &c. communicantur cæteris Religiosis, cujusvis Ordinis, in eisdem Dignitatibus, & officijs constitutis; ita communi-

niter Doctores, & idem dicendum est de privilegijs concessis particularibus personis, alicujus Ordinis in communi. Quia primi, sicut sunt in eodem officio, & secundi in eisdem exercitijs Religionis, sic æquari debent in favoribus; ita concessit *Iulius II.* & alij Pontifices apud Confect. pro Franciscanis, & Dominicanis, & tenent communiter Doctores.

79. 22. Privilegia verò communicata alicui particulari, & privatæ personæ, nullo modo alijs communicantur, neque in alieno, neque in proprio Ordine. Tum, quia talia privilegia sunt purè personalia, & sequuntur personam, & cum ea extinguuntur, juxtà *regulam 7. juris in 6.* & sic non sunt communicabilia, neque extensibilia, etiam ex identitate rationis, ex *Cap.* sanè *9. eod. tit.* & docent Mirand. *Tom. 2. q. 46. art. 7.* ad finem, Portel. *verb.* Communicatio, *n. 6.* & *verb.* Privilegium, *n. 21.* Bordon. & Donat. ubi *supr.* Tum, quia ex oppositò maxima absurda sequerentur in destructionem perfectionis Religiosæ; Quis enim dicat, quod si aliquis Religiosus obtineret privilegium, vel non recitandi Officium Divinum, vel vivendi extra claustra, erit communicabile alijs? Tum denique, quia omnia opposita in dictis limitationibus, cum sint exorbitantia à jure non extenduntur; juxta *regulam juris 81. in 6.* ubi dicitur, quod in generali concessione non veniunt, quæ rarò, & cum maxima difficultate conceduntur, neque ea, quæ quis verosimiliter interrogatus non esset concessurus; unde nisi in specie, & nominatim exprimantur, non intelliguntur concessa, prout multoties decisum refert Rota Romana *decis. 214. part. 2. recent.* & *decis. 55. n. 14. & 15.* & in aliis multis relatis à Donato, *q. 14. n. 4.*

23. Quæ doctrina confirmari potest duplici exemplo. Primum, desumitur ex *Bull. 32. Leon. X.* apud Cherub. incipiente *Dudum per nos*, ubi cum aliqui Religiosi, ex ampla communicatione privilegiorum, & indulgentiarum, cuilibet Ecclesiæ, & pio loco concessarum, minus prudenter, & sapienter docerent: Sæculares in suis Ecclesiis potiri omnibus indulgentiis, quibus potiuntur sæculares visitantes, in qualibet parte anni, Ecclesiam S. MARIÆ de Populo de Urbe, sic declarat, & determinat, §. 2. *Et deinde sicut accepimus, nonnulli Fratres dictorum Ordinum volentes sapere plusquam oportet; atque ad ipsorum nutum verba ipsa interpretantes diversis, tam secularibus, quàm etiam alijs personis publicè, & privatè suggesserint, quod ipsi sæculares visitando unam dictorum Ordinum domum, omnes & singulas indulgentias, & remissiones peccatorum, tam per dictos prædecessores nostros quam per nos, B. MARIÆ de Populo de Vrbe concessas, consequi poterunt; perinde, ac si dictam domum S. MARIÆ de Populo visitarent, quod præter ipsorum prædecessorum, & nostram mentem fuisse, & esse dignoscitur. Attendentes igitur, quod indulgentias intuitu Religionis concessas, ad sæculares extendi non debent, volentes mentem dictorum prædecessorum, & nostram declarare, & omnem ambiguitatem, & occasionem tollere, motu proprio, & ex certa nostra scientia volumus, & authoritate Apostolica declaramus, quod universi, & singuli dictorum Ordinum Fratres, & Moniales, Tertijque Ordinis utriusque sexus,* 80.

*sexus, & familiares dumtaxat; Omnibus, & singulis indulgentijs, gratijs, & per eosdem prædecessores, & Nos domui B. MARIÆ de Populo de Vrbe, ut præfertur concessis, & concedendis, utantur, & potiantur, & gaudeant, ac uti, potiri, & gaudere possint, quomodolibet in futurum, perinde, ac si ipsi dictam domum B. MARIÆ de Populo his diebus, & festivitatibus, quibus indulgentiæ hujusmodi concessæ fore dignoscuntur, personaliter visitarent. Quodque vigore prædictarum litterarum, sæculares gratiis, & indulgentiis hujusmodi, uti & gaudere non possint.* Ubi ut vides nunquam mens alicujus Pontificis fuit concedere indulgentias concessas domui B. MARIÆ de Populo; etiamsi Ecclesia sit Regularium D. Augustini, cum amplitudine præsenti: Quia præterquam non militat eadem ratio in alijs Ecclesijs Regularium, est favor rarus, & difficillimæ concessionis: Unde nisi in talibus fiat expressa, & specifica mentio non comprehenduntur.

81. 24. Aliud exemplum habemus in *Bulla Pij V.* circa participationem exemptionis bonorum temporalium, cum præjudicio Episcoporum & Parochorum, & quia rara, placuit ad literam hic inferere & est tenoris sequentis.

*Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis æquæ, & circumspecta providentia, ne gratiæ aliorum, quæ ab eo emanatæ sunt, trahantur, declarationibus, & alijs opportunis consuevit providere remedijs. Sanè licet alias non cupientes Mendicantium Ordines, qui sedulum in vinea Domini exhibent famulatum, gratiosa favore prosequi, ac excertis alijs inde expressis causis, diversa Concilij Tridentini decreta, quæ ipsis contraria videbantur esse declaraverimus, variaque privilegia, & indulta tam spiritualia quam temporalia concesserimus.*

*Deinde verò illa omnia ad dilectos filios Canonicos Regulares S. Augustini Cong. Lateranen. & S. Salvatoris, ac S. Crucis Conimbric. ac etiam ad Monachos S. Benedicti Congregationis, & Ordinum Casinen. Montis Oliveti, Vallis Vmbrosæ; nec non Congregationis Cistercien sis, Cistercien sis, ac S. Hieronymi Hispaniarum, Carthusien sis, & Camaldulen sis, ac fratrum militiæ IESV Christi reformatorum, nuncupatorum, & forsan alios Ordines non Mendicantes perpetuò extenderimus, & ampliaverimus; ita tamen, ut ipsi à contributione, ratione seminariorum, juxta Ordinationem Concilij Tridentini erigendorum, & instituendorum; nec non subsidiorum, authoritate Apostolica impositorum, atque statutionum eleemosynarum dumtaxat, minimè exempti essent; prout in diversis Apostolicis iteratis, & forsan pluribus vicibus, etiam in fundatione, etiam Clericis Societatis de IESu, ut omnibus privilegijs Mendicantibus concessis, & concedendis gaudeant, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserta forent, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis plenius continentur.*

*Attendentes nihilominus tam ex communicatione, & concessione hujusmodi locorum Ordinarijs Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, aliisque Beneficiatis, ac personis diversa inferre præjudicia, quam intentionis nostræ nunquam extitisse, nec esse; quatuor Ordinum Mendicantium privilegia, quæ temporalitatem concernunt, eis communicare, nec vigore privilegiorum eorundem communicata esse, cum*

absurdum sit, eos qui Mendicantes, ex quatuor Ordinibus non sunt, sub Mendicantium colore, hujusmodi à solutionibus eximi, ac propterea tam præmissis ea, quæ convenit remedia adhibere, quàm mentem nostram declarare satagentes; nec non dictarum litterarum tenores præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula privilegia, exemptiones, & alia præmissa, quæ temporalitatem, etiam si sit solutio decimarum, primitiarum quartæ medietatis, vel alia funerum, & obtationum partis concernunt, præter, & contra mentem nostram emanasse declaramus, & attestamur, illaque tanquam talia; nec non alia, quæcunque illis, sub quibuscunque verborum formis concessa, communicata, & ampliata, illorumque confirmationes, exemptiones, & indultæ similia concernentia privilegia hujusmodi, quorum omnium tenores similiter haberi volumus pro expressis, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, viribusque evacuamus, illisque nullatenus suffragari, nec eis aliquando, tam in judicio, quàm extra, fidem adhiberi volumus. Quinimo omnibus, & singulis, tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, & alijs quibuscumque judicibus, etiamsi causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales existant, districtè præcipiendo mandamus, ne deinceps Canonicos, vel Monachos, aut Clericos de IESV prædictos privilegiorum hujusmodi communicationem prætendentes, nisi super his, quæ spiritualia nulla prorsus temporalitate admixta sunt, & spiritualitatem tantùm concernunt, audiant illisque aliquod subsidium, vel auxilium exhibeant, sed perpetuum super illis silentium imponant.

Nos enim omnem ab ipsis, quò ad ea, quæ temporalitatem concernunt, procedendi authoritatem, & facultatem addimus, decernentes, præsentes litteras ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos juris reduci non posse, minusque causam, vel causas, propter quas, vel quas, præmissa à nobis emanarunt, coram quocunque judice verificari debere, aut sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum vocationibus, suspensionibus, & alijs contrarijs dispositionibus comprehendi nullatenus posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas esse, sicque per quoscunque judices, & commissarios, quavis authoritate fungentes, etiam Cardinales, & Auditores prædictos sublata eis, & eorum cuilibet quavis, aliter judicandi, ac interpretandi facultate, & authoritate judicari, & diffiniri debere, & quidquid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Quocirca venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Cæsaraugustan. & Episcopo Conchen. ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, Generali Auditori, per præsentes motu simili mandamus, quatenus ipsi duo, vel unus eorum in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ab omnibus ad quos spectat observari faciant sub sententijs, Censuris, & pœnis eorum arbitrio moderandis, & applicandis: Contradictores quoslibet, & rebelles, ac eis non parentes per censuras, & pœnas Ecclesiasticas hujusmodi authoritate nostra

*stra compescendo, nec non illos legitimis super his habendis, servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas incurrisse, declarando, ac illas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij Secularis; non obstantibus felicis recordationis Bonifacij VIII. prædecessoris nostri de una; & Concilij Generalis de duabus dietis; dummodo quis ultra tres dietas, vigore præsentium ad judicium non trahatur, ac literis nostris prædictis, quas adhoc extendi minimè debere volumus, ac declaramus, easque nullas decernimus, ac nostra, de non tollendo jure quæsito, & quibusvis aliis Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis Alias in suo robore mansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque, aut si aliquid hu communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die ultima Junij 1570. Pontificat. nostri ann. 5.*

Habetur hæc Bulla authentica in forma probante, in publico archivo Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugust. *ligam. 5. litt. P. num. 42.* Ex qua facilè colligitur, communicationem privilegiorum, pro exemptione à solutione decimarum, & aliorum bonorum temporalium, cum læsione personarum Ecclesiasticarum, quibus incumbunt, nihil prodesse, saltem quò ad alias Religiones (quatuor antiquioribus Mendicantibus exceptis) imò de stylo Sacræ Rotæ, hodie nulli Religioni prosunt tales communicationes exemptionis. Quod probat latè ex varijs decisionibus Rotæ, Tamburin. *Tom. 1. de jure Abb. disp. 15. cap. 28. art. 34.* Anton. Frances Urritigoiti in *Foro conscientiæ*, seu *pastorali interno, part. 3. vot. 2. num. 21.*

Omnia fundamenta hujus partis expressè adduxit decisio Rotæ Sacræ Romanæ in una Valentina decimarum, die veneris 28. Novembris 1603. Coram Eminentissimo Cardinali Lancelloto Juniore, relata à Tamburino *ubi supr.* & sunt illa, quæ adduximus in nostra conclusione, latè probando, quod in præjudicium bonorum temporalium Ecclesiæ, v. g. decimarum, nihil valet communicatio privilegiorum, adhuc cum clausulis quibuscumque generalibus, etiamsi addatur in communicatione; quorum tenores pro expressis, nisi juris Ecclesiastici, quod læditur, fiat expressa, & specifica mentio; quia absque illa non præsumitur velle Pontificem extendere exemptionem ad rem adeò exorbitantem, & difficillimæ concessionis.

Ex quibus facilè colligitur, non esse accipiendas communicationes privilegiorum, præcipuè quæ sunt in damnum tertij, maximè in bonis temporalibus Ecclesiasticis, cum illa amplitudine, intenta à Rodrig. *ubi supr.* Sed cum moderaminibus à nobis assignatis, attentis circunstantijs, & qualitatibus rerum, de quibus agunt privilegia, quæ communicantur; nam juxta hæc debent ampliari, vel restringi, servata debita proportione.

82. 25. Quæ omnia adaptari debent indulgentijs, siquidem, ut diximus, sub nomine privilegij, saltem cum speciali nota cadunt: præterquam quod etiam expresè sub proprio nomine indulgentiarum sunt communicatæ nobis, & alijs Ordinibus: Dum tamen non sint de his, in quibus specialis mentio requiritur, vel quia rarò, & cum magna difficultate conceduntur, vel quia sunt concessa, vel alicui speciali loco, vel determinatæ personæ, propter aliquam rationem, quæ non invenitur in alijs, & idem dicendum est de altaribus privilegiatis, in quibus non datur communicatio, quia hoc conceditur ex specialissimo indulto, & difficillimè, & ideo non comprehenduntur sub generali communicatione. Et sic practicatur de stylo Curiæ; alias non daretur privilegium locale, seu particulare, sed omnia essent communia, ne dicam confusa, sic Portel. verb. *Privileg. communicatio*, Peyrin. *Tom. 2. ad const. Paul. III. in annotationib.* Tambur. *Tom. 1. de jur. Abb. disp. 17. quæst. 2. num. 4.* Merol. *Tom. 3. de privileg. cap. 8. dub. 22. num. 21.* Donat. *Tract. 7. quæst. 16.* Bordon. Lezan. & alij communiter. Quapropter illæ concessiones amplissimæ, quibus innituntur Rodrig. & Miranda debent intelligi juxta præassignatas limitationes: Nam solùm loquuntur de illis communicationibus, quæ Ordinibus, Congregationibus, locis, & personis in communi fiunt, non verò de concessis particularibus locis, seu personis privatis, vel de his quæ rarò, vel cum maxima difficultate conceduntur, & potissimè, si tales gratiæ per decreta suæ Sanctitatis, seu Sacræ Congregationis concessæ sint, juxta ea, quæ supra diximus, quia talia, quasi personalia reputantur.

26. Neque communicabilia sunt 83.
privilegia, seu indulgentiæ quæ solùm ad tempus determinatum conceduntur, quia communicatio intelligitur de privilegijs perpetuis, ut notat bene Bordon. num. 77.

27. Nota etiam hic, quod si in ali- 84.
qua Ecclesia Regularium esset concessa indulgentia aliqua, sivè perpetua, sivè ad tempus, & ob aliquam causam dicta Ecclesia extraheretur à potestate illorum Regularium, & traderetur Clericis Sæcularibus, cessaret talis indulgentia, quia concessa fuit in gratiam Regularium illam petentium. Regulariter enim privilegium reale, seu locale conceditur loco, non propter se, sed intuitu personarum ibi habitantium, quando conceditur: Bordon. *Resol. §2. num. 89.* Sed si constaret fuisse concessam ratione loci, miraculosi, seu imaginis, secus esset dicendum.

28. Dubitabis *quintò*, an in generali communicatione privilegiorum veniant ea privilegia, quæ sunt consuetudine adquisita? Unum supponit dubium, & aliud inquirit. Supponit posse consue-

ſuetudinem habere vim conferendi privilegia, non ex ſe, ſed ex tacita voluntate Principis. Siquidem longa conſuetudo per actus privatorum inducta paulatim, recipit à Principe tacitè efficaciam, & virtutem conceſſionis, ſeu privilegij: hoc conſtat, quia videmus in aliquibus privilegijs Bullatis ſequentia verba apponi: *Concedimus, & indulgemus, ut poſſit potiri, & gaudere, omnibus, & ſingulis privilegijs, quibus Mendicantes in omnibus, & per omnia utuntur, gaudent, & fruuntur, per modum communicationis, & extenſionis, aut alias quomodolibet, ſive de jure, vel uſu, & conſuetudine.* Supponunt ergo Romani Pontifices adquiri aliqua privilegia, per conſuetudinem. Quod optimè docet Navar. *lib. 3. Conſiliorum conſ. 15. de Regularibus, num. 4.* ubi ait: Poſſeſſio, & conſuetudo immemorialis vim habet privilegij; ita quod, ſi quis allegaret ſibi aliqua competere, ex privilegio Papæ, ad quod probandum litteras Apoſtolicas non haberet; probando conſuetudinem immemorialem, probaret privilegium à ſe allegatum, ſecundum omnes. Quo ſuppoſito, procedit dubium, non quando in Bulla communicationis adeſt prædicta clauſula, *uſu, vel conſuetudine*; expreſſa, quia in tali caſu ſumus in claris, ſed quando ſolum dicitur in Bulla, *Communicationis, generaliter per Romanos Pontifices conceſſæ*, Donat. *ubi ſupr. quæſt. 16.* ſentit & benè, comprehendi ſub hac clauſula generali, privilegium per conſuetudinem acquiſitum: quia cum ſimus in materia favorabili, hæc etiam veniunt appellatione privilegij, & cum ſit à principe conceſſum, ſaltem virtualiter, ſeu tacitè, juxta dicta communicabile redditur, ſicut & alia; explicitum enim, & implicitum non variant, nec voluntatem concedentis, nec ipſam conceſſionem. 86.

29. Dubitabis *ſextò*, an privilegia per communicationem ita fiant propria Religionis communicantis, ſicut ipſius, cui primò conceſſa ſunt, taliter ut poſſit Religio communicans apponere nomina ſuæ Religionis, juxta ipſum privilegium, ſeu tranſumptum, loco illius Religionis, cui conceſſum fuit, abſque eo quod in hoc inveniatur vitium falſitatis? Sumus in caſu contingenti, relato à Bordon. *num. 96.* in quo aliqui Doctores reſponderunt; fuiſſe falſarios Religioſos ſubſtituentes nomina propriæ Religionis, loco illius, cui primum conceſſum eſt privilegium. Quia exhibere privilegium, ſub nomine propriæ Religionis tranſcriptum, & in forma probante, & præſentare in ſui favorem, opponitur veritati, & in eo falſitas invenitur, juxta diſpoſita *Cap.* licet *5. de crimin. in falſ.* & ſic incurriſſe pœnas falſariorum, qui hoc fecerunt: affirmant ex *Cap. ad falſari 7. eod. tit.* & inſuper excommunicationem *6.* Bullæ Cœnæ. 87.

30. Nihilominus Bordonus *ubi ſupr.* tenet eſſe licitum talem uſum, abſque ſuſpicione falſitatis. Primò, quia ille dicitur falſarius, qui mutat veritatem cum dolo, & jactura, ſecundum Oſtienſ. Azor, & alios, *text. in l. quid ſit falſ. ff. de falſariis.* Sed nihil horum invenitur in præſuppoſito caſu. Ergo. Probatur; in tali tranſumpto, veritas non mutatur, quia veriſſimum eſt illud privilegium eſſe ſuum; cum per communicationem taliter fiant privilegia propria Communicantis, ac ſi ipſi Religioni in particulari eſſent conceſſa, ut docent omnes Doctores,

ctores, & constat ex clausulis plurium Bullarum. Quod adeo verum est, ut sentiant communiter Doctores, quod si privilegium pereat primo recipienti, ex qualibet causa; Non ideo perit respectu Communicantis, si tempore communicationis erat validum, quia factum fuit proprium, per communicationem independenter à prima Religione, cui fuit primò concessum.

Non ergo invenitur in dicto casu falsitas in tali transumpto, nec dolus invenitur, quia dolosè non dicitur agere, qui facit actum sibi concessum. Denique nulli infertur jactura ut patet; ergo ex nullo capite invenitur falsitas, sed præter hæc habes ad hoc privilegium expressum à Iul. II. Minimis concessum, Const. *Dum ad sacrum Ordinem*, 5. Kalendas Augusti anno 1506. ubi inter alia, §. 37. in Bullario magno Romano, & apud Peyrinum, §. 35. dicente: *Necnon super omnibus, & singulis Maris magni, & aliis quibuscunque Bullis quatuor Mendicantium Ordinibus, & eorum cuilibet quomodocunque concessis unum, vel plura trampsumpta conjunctim, aut divisim, facere queant, perinde, ac si illa, mutatis in eis nominibus, quorumcunque Romanorum Pontificum prædecessorum, & ipsorum Mendicantium, in nostrum, & Fratrum Ordinis Minimorum hujusmodi nomina, cæterisque singulis ad hunc effectum de necessitate mutandis, concessa forent, ac quod transumpta hujusmodi taliter facta, & manu alicujus Notarij publici subscripta, ac sigillo alicujus Prælati Ecclesiastici munita; eadem fides, &c.* sic refert Confect. *pag. mihi* 118. Peyrinus ad dictam Bullam *Iulij* 11. quæ habetur apud Cherub. *Tom. 1. Bullar. Bul. X.* hujus Pontificis; idem concessit die 21. Junij *Clem. VII.* anno 1524. Congregationi Patrum Theatinorum, sub his verbis: *Et omnibus, & singulis privilegijs, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, authoritatibus, indultis, favoribus, concessionibus, & gratijs spiritualibus, & temporalibus, quibus potiuntur, & gaudent, & in futurum potientur, & gaudebunt Canonici Regulares Lateranensis Congregationis* (hujusmodi sunt unio omnium Canonicorum Regularium Ordinis, S. Augustini, ubique professorum) ut advertit idem Cherub. §. ad Martinum V. Bulla 7. *Personæ, & loca earum, vos personæ, & loca vestra, uti, potiri, & gaudere, quorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis, haberi volumus: Ita ut litteræ Apostolicæ super eisdem privilegijs, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, & gratijs eisdem concessis, vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus, cognominibus, & invocationibus, & diebus ad libitum vestrum expediri possint: perinde, ac si illa omnia, & singula non solùm per clausulas generales, sed per eorum tenorem, de verbo ad verbum expressionem & insertionem fuissent vobis per has nostras litteras, sub hac ipsa die expressè, & specialiter concessa, tenore præsentium, ex certa nostra scientia, & ex Apostolicæ plenitudine potestatis, vobis, ac socijs, & successoribus vestris in perpetuum concedimus, pariter & indulgemus, & ad præmissa omnia, & singula quibuscunque impedimentis, & contradictionibus amotis, liberam, plenamque authoritatem, & facultatem elargimus: non obstantibus nomine, dignitate, & officio Episcopali, quæ Ioanni Petro, supradicto, per*

alias

*alias nostras litteras reservavimus, Apostolicisque, aut aliis generalibus, aut specialibus Constitutionibus, Ordinationibus, etiam juramento, & alia quavis firmitate roboratis, etiamsi quæ specialiter, seu de verbo ad verbum exprimenda essent; quæ pro expressis haberi, & quibus, quoad effectum præsentium duntaxat specialiter, & expresse derogamus, aliisque contrariis, non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 21. Junij 1624. Pontificatus nostri anno primo.*

Insuper de novo hæc, & alia privilegia confirmavit, absque aliqua restrictione, *Greg. XV.* septimo idus Februarij 1621. pro ipsis Patribus Theatinis, quam confirmationem apud me retineo, & infra referemus.

Præter Bordon. tenent hanc conclusionem ex dictis fundamentis, Chassaing *Tract. 1. de privileg. proposit. 1. cap. 3.* ubi ait: Quod ex privilegijs, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, multa extraxerunt, quæ eis commoda videbantur Stephanus Usus-Maris Generalis Ordinis Prædicatorum, & Gaspar Passarellus Generalis Ordinis Minimorum, & in suis privilegijs sub proprijs nominibus inseruerunt, & sub nomine ipsorum Pontificum, qui præfatam gratiam concesserunt; Sed meo videri hæc doctrina intelligenda est, dummodo dicta mutatio nominum fiat præsentatis privilegijs in Camera Apostolica, & cum authoritate ipsius; & sic testatur fecisse Reverend. Stephanum Usus-maris, P. Donat. *Tract. 2. de privileg. q. 14. num. 5.* & absque dubio idem fecit Passarel. alias talis mutatio non videretur approbanda, si authoritate privata fiat, quid quid sit de fundamento Bordoni, in favorem veritatis facti.

88. 31. Dubitabis *septimò*, an privilegia in his, quæ sunt odiosa, & pœnalia, communicentur, ex vi generalis communicationis omnium privilegiorum? Conclusio est negativa quia privilegia communicantur in gratiam, & favorem Religionum communicantium; non autem in eorum pœnam, & odium, ut stylus Curiæ docet, & habetur in *Cap.* sanè, *de privileg.* ubi dicitur, privilegia esse restringenda, quod communiter Doctores intelligunt de privilegijs odiosis, per juris regulam in *6. favores sunt ampliandi, odia restringenda*, sic communiter Doctores, & addunt aliqui, concessiones, in quibus sunt pœnæ constitutæ, esse potius statuta, quàm privilegia; statuta autem non communicantur, Mirand *Tom. 1. q. 46. art. 6.* Hieronym. Rodrig. *Resolut. 126. n. 50. in fin.* Tamburin. *Tom. 1. de jur. Abb. disput. 17. q. 6.* & alij communiter.

89. 32. Sed est valde notandum, quod licet aliqua privilegia videantur pœnalia, & odiosa, respectu alicujus particularis Religiosi, sunt tamen favorabilia respectu Religionis, quatenus per illa conservatur melius disciplina regularis, & augetur obedientia erga superiores, & ista absque dubio communicantur; quia si attentè inspiciantur, non solùm sunt favorabilia respectu corporis Religionis, sed etiam respectu cujuslibet particularis: loquendo de favore spirituali; siquidem ipsi subditi, per observantiam talis privilegij, commodius assequuntur perfectionem sui instituti.

90. 33. Hinc fit, ut pauciſſima sint privilegia, quæ si non repugnant Regulæ, seu Con-

Constitutionibus proprij status, non sint favorabilia, & sic communicabilia, respectu cujuslibet Religionis; cum ferè semper in eis saluti animæ, & corporis consulatur. Respectu autem sæcularium, pœnæ contentæ in privilegio unius Religionis, communicantur alijs, in favorem Religionum, ut timore earum, sæculares perterriti, reverentiam, & obsequium Religiosis exhibeant, non contemnendo privilegia; ita Bordon. *n.* 92. 93. *&* 94. Sorbo, verb. *Comm* noster Lezana *Tom.* 2. *cap.* 1. *n.* 52. & alij

91. 34. Dubitabis *octavò*, an sub generali privilegiorum communicatione, veniant vivæ vocis Oracula, & privilegia, quæ sunt clausa in corpore juris communis? Respondetur affirmativè, quoad utramque partem. Prob. quia frequenter in Bullis communicationum generalium ponitur hæc clausula: *Quomodolibet concessa, vel quovis alio modo concessa.* Quæ verba cum sint universalia, & æquivalentia expressioni, sunt talis naturæ, ut faciant venire, etiam ea, quæ alias non venirent; prout habetur in *Clem.* II. *de sent. excomm. in* 6. & *ibidem Gloss.* de quo plura dicemus *disp. de revocat.*

92. 35. Nec obstat dicere, quod in generali revocatione non veniunt privilegia inserta in corpore juris, neque oracula, nisi de eis fiat specifica mentio: Ergo neque in generali communicatione veniunt privilegia inserta in corpore juris, neque oracula. Respondetur, esse magnam disparitatem, desumptam, ex trita juris regula, *quod favores sint ampliandi, odia verò restringenda.* Unde non est mirum, quod Oracula in odiosis non veniant sub nomine privilegij, secus in favorabilibus, ut dicemus *infra disp.* 4. *de revocat. sect.* 3. *num.* 8. Quando, & quomodo, sub revocatorijs generalibus, veniant inserta in jure communi, & quando non, dicemus *eâdem disp. sect.* 2. *nt* 8. sic P. Donatus *Tract.* 7. *quæst.* 13. *per totam*, & alij multi.

93. 36. Dubitabis *nonò*, an privilegiatus, ex Communicatione privilegij possit retorquere suum privilegium, etiam contra primum privilegiatum, & se defendere quoties oportuerit? Pro utraque parte nempe affirmativa, & negativa videntur stare validissima fundamenta. Pro affirmativa, generalis doctrina videlicet, quod ita fiunt propria Communicantis privilegia communicata, ac si ipsi soli fuisset facta concessio. Pro negativa, stat regula Juristarum dicentium, privilegiatum contra pariter privilegiatum non posse uti, nec gaudere privilegio, prout habetur expressè *in l. sed & milites, ff. de excusat. tutor.* & in authen. *quas actiones*, C. *de Sacro Sanct. Eccles.* & in *l. verum, cum ll. seqq. ff. de minorib.* ubi expressè habetur, quod privilegium habens, non utitur contra habentem idem privilegium. Quapropter in proverbium ducitur, quod inter personas privilegiatas confunduntur, & conquassantur privilegia; & quod inter eas, attendendum est jus commune, de quo latè Afflict. in *Const. Regn.* § Statuimus, *&* ibi Tapia, *num.* 26. Franch. *decis.* 188. & novissimè Joann. Maria Novarius in *praxi, de elect. & var. for. q.* 61. *sect.* 4. & in *Tract. miserab person. pralud.* 7. *per totum*, & multi alij relatu à Donat. *q.* 19. *num.* 10.

94. 37. Sed ab hac difficultate facilè nos expediemus conciliando utramque senten-

sententiam. Quare dicendum est, quod si in dictis privilegiatis, omnia sint paria, conquassantur privilegia, & standum est juri communi, ut docet secunda sententia. Si autem sint disparia, attendendum est fortius, & potentius privilegium; & sic erit vera prima sententia. Aliquas regulas assignant Doctores ad cognoscendum, quando privilegium est fortius, respectu unius privilegiati, quàm respectu alterius. Sed pro nostro instituto vix potest assignari alia regula, quæ vim habeat, præter eam, quæ assignatur à Panormitano, *Cap.* in præsentia, *de probat. n.* 39. ubi fortius, & potentius privilegium vocat illud, per quod agitur de damno vitando in re possessa, respectu illius in quo agitur de lucro captando non possesso, sit exemplum. Si aliqua Religio fundaret Monasterium prope Monasterium alterius Religionis, potest hæc Religio secunda defendere se contra primam habentem privilegium fundandi ubi lubet, etiam si hæc secunda habeat hoc privilegium ex communicatione à prima Religione, cui primò fuit concessum, quia respectu istius Religionis, quæ se defendit in proprio damno vitando ex alia fundatione, juxta propriam jam factam, fortius est privilegium, etiamsi nova Religio habeat communicationem privilegiorum cum antiqua; sic tenent communiter Doctores Rodrig. *q.* 55. *art.* 1. Portel. *verb.* Privilegium, *n.* 24. Novarius *n.* 13. Bordon. *Resol.* 52, noster Lezan *Tom.* 2. *c.* 1. *n.* 57. Donat. *Tract.* 7. *q.* 19. *num.* 23. & quamvis ibi adducat alia exempla, quia difficile adaptari possunt ad intentum Regularium, ideo omitto videnda, si oportuerit, apud Covarru. *Tom.* 1. 2. *p. rel. ct.* §. 2. Ludovic. Gonçalez integra *quæst. in Comment. ad regul. Cancellariæ*, in regula *de impetrand. benef. vacant.* per obitum familiæ Cardinalium *quæst.* 12. *num.* 4. Novarium in *praxi, de elect. & variar. forens. q.* 61. *sect.* 4. & in Tract. *miserab. person. prælud.* 7. *per totum*, Mirand. *Tom.* 2. *q.* 42. *art.* 7. P. Merolam *Tom.* 3. *privileg. disp.* 6. *dub.* 2. *diff.* 1. *art.* 17. *usque ad* 47. & apud alios.

95. 38. Prædicta tamen regula fallit in familiaribus Conventuum, qui licèt participent aliqua privilegia Religiosorum; non tamen possunt uti illis contra ipsos Religiosos, quia talia privilegia concessa sunt principaliter in favorem ipsorum Religiosorum, neque communicantur familiaribus, ut propria, & independentia, sed dependenter ab illis, & sic non possunt contra ipsos retorqueri, Corduba ad *Comp. privileg. Mendicant. verb.* Communicatio privileg. §. *Tandem quoad hanc.* Confect. in *summa privileg. maris mag. cap.* 5. Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 21. noster Lezana *Tom.* 2 *cap.* 26. *n.* 34. at secus esset dicendum, si hujusmodi privilegia æquè primò principaliter, & independenter à Regularibus, essent concessa familiaribus prædictis; tunc enim uti possent illis, contra ipsos Religiosos, quia æqualiter participant, sic præfati Authores, sed iste casus vix dabitur in praxi.

96. 39. Dubitabis *decimò*, an in communicatione privilegiorum communicetur usus, vel non usus, an jus utendi? Respondetur, quod communicatur potissimè jus utendi; ita quod Religiones habentes privilegium communicationis possint uti privilegio concesso alteri Religioni, quo ipsa propter aliquam causam non utitur. Quod enim à Papa

impetratur per viam communicationis, est jus utendi privilegio, non verò usus, cum iste non in jure, sed in facto consistat. Unde quamvis in aliquibus communicationibus privilegiorum apponantur similes clausulæ; *Quatenus sunt in usu*; sensus est, quatenus habent valorem, & sic, quotiescunque valida sunt privilegia, quando communicantur, nihil aliud requiritur, ut communicata censeantur, independenter ab usu, vel non usu primæ Religionis. Hinc inferunt aliqui, quod si aliquis ordo, per Papæ sententiam, aliquod, vel aliqua privilegia amiserit, vel limitationem acceperit, posse Communicantes, illis uti, sine limitationibus, quoniam defectus unius ordinis non potest præjudicare juri aliorum Ordinum, sic tenent Rodrig. *Tom. 1. q. 55. num. 19.* Mirand. *Tom. 2. q. 46. art. 8. conclus. 2.* Joann. à Cruce *Concluſ. 3.* P. Brunus *Tract. 3. propoſit. 8.*

Quare si Religio, cui primò concessum est, privilegium illud perdat, propter aliquam causam, vel etiam propter revocationem particularem, vel diminuatur, vel alteretur, non militant hæc in Religione, cui per communicationem factum est proprium; sic Joan. à Cruce, *Cap. 4. conclus. 3.* Portel. *num. 22.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 16. num. 17.* Sanchez in *Consil. moral. lib. 6. cap. 9. dub. 9. num 2.* Bordonus ubi *supr. quæst. 39. num. 96.* noster Lezana, *verb.* Privilegium, *num. 24.* addens cum citatis Authoribus, quod si privilegium communicatum revocetur, vel restringatur in Religione, cui per communicationem convenit, id non nocebit primæ Religioni, cui primò concessum est; auctо verò, seu extenso privilegio, quoad primam Religionem, cui concessum est non censetur auctum, quoad Religionem communicantem, quia est quasi novum privilegium, & nisi ejus communicatio extendatur, etiam ad privilegia concedenda, illo non gaudet.

40. Ex quo fit, quod statim ac privilegium concessum fuit primæ Religioni, potest alia Religio communicans, uti libere illo, sive acceptetur à prima Religione, sive rejiciatur, sive adsit statutum regulare, ut prius acceptentur privilegia à Religione in Capitulis; quia hæc sunt extrinseca respectu privilegij concessi. Ideo non debent præjudicare alijs Religionibus; modo non haberent simile statutum acceptandi privilegia, hoc vel illo modo; nam in eo casu servandum est statutum proprium à qualibet Religione, ita Bordon. *Resol. 52. n. 88.* Sed quia non semel invenitur communicatio privilegiorum sub hac clausula: *Dummodo tamen sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa:* Oritur difficultas, an teneatur Religio communicans se certiorare, an privilegium communicatum, quo uti vult, fuerit in usu tempore communicationis sibi factæ? Et difficultas procedit, quando non clarè constat de tali usu tempore communicationis, quod si de præsenti utitur, rectè præsumitur, quod antea utebatur, quia optima est præsumptio de præsenti in præteritum, si actus non erat illicitus, aut nullus; sic Bald. in *l. ex persona, notab. 2. de probat.* Horat Mandos. in *Tract. de privileg. ad instar gloss 15. n. 49.* & alij. 97.

41. Si autem nec apparet, nec præsumi potest, privilegium fuisse in usu tempore communicationis, non licet uti illo, nisi probetur usus; quia cum privile- 98.

gia

gia sint facultatis,& non necessitatis, illorum usus stat liberè in nostra voluntate, proinde fieri potest, ut quis habuerit privilegium,& quod eo uti noluerit:& cum usus sit quid facti, probandus est, nec sufficit ostendere privilegium; ita Menoch.*de præsumpt.lib.2.præsumpt.12 n.3.*Sed nota pro foro externo,quod alleganti, non esse in usu privilegium, onus probandi ei incumbit, Rota Romana apud *Crecen. decis.* 4. Donat. *Tract.7.q.18.* cum alijs.

97.

99. 42. Dubitabis *undecimò*,an privilegium concessum minori superiori, censeatur concessum majori, & similiter privilegia concessa subditis censeantur concessa superioribus?Respondetur esse rem certissimam apud omnes gaudere Prælatos privilegijs concessis Religiosis subditis: Quia in favorabilibus non est dubium,quod nomine Religiosi veniat Prælatus; etiam est certissimum, quod privilegia concessa superioribus, ut superiores sunt,non communicantur subditis, quia conceduntur ratione dignitatis,non personæ: neque privilegium concessum Generali,extenditur ad Provincialem,neque concessum Provinciali extenditur ad Priorem. Unde solùm est dubium circa primum quæsitum, & ratio dubitandi sumitur, ex constitutione *Julij II.*apud Confect.ubi disponit Pontifex, quod communicatio fiat ordinatim inter partes de superiori locali ad superiorem localem, de Provinciali ad Provincialem: Ergo non est faciendus transitus de Priori ad Provincialem, sicut neque vice versâ; sic sentiunt Portel.*n.*22 Mirand.*Tom.2.q.46.art.*1 Hieronymus Rodrig.in *Comp.resol.*116 *num.*§2.

98.

100. 43. Nihilominus dicendum est,privilegium concessum minori superiori, intelligi concessum majori,ratione officij.Nam jurisdictio, quæ datur inferioti Prælato,non datur ei privativè, sed cumulativè; id est, conceditur, ut ea uti possit, non tamen negatur ejus superiori,ne videatur deterioris conditionis. Si enim Prælatus superior in Religionibus, de jure habet, respectu cujuslibet monasterij, eandem,& majorem potestatem, quàm Prælatus inferior, cur ei deneganda est participatio privilegij concessi inferiori,ratione potestatis,seu officij maximè cum simus in re favorabili? Neque obstat constitutio relata ex *Julio II.*quia ibi disponitur modus communicationis inter superiores, qui pares sunt in officio;sed non negatur, ut majores gaudeant privilegijs concessis minoribus.

## SECTIO III.

### *De Authoritate privilegiorum necessaria quò ad usum.*

101. 1. UT Regulares possint liberè,& licitè uti privilegijs sibi concessis, eis debet constare de validitate,& firmitate eorum; sed diverso modo pro foro interiore,ac pro foro exteriore.Unde de utroque erit sermo, certa ab incertis separando. Pro cujus luce notandum est primò,quod scriptura,seu Bullatio non est necessaria ad valorem privilegij pro foro conscientiæ; sed sufficit esse concessum per vivæ vocis Oraculum habetur in *Cap.*constitutionis 25.*q.* 2. ubi S. Gregorius Papa ait: *Sive quæ scripto decrevimus sive quæ in nostra præsentia videntur esse disposita. &c.* id est *Ore tenus*, ut ibi gloss. Idem dixit Innocentius in *Cap.*Constitutus, *de rescript.* & in Cle-

mentina *Dudum, de sepulturis*, & tenet communis sensus Doctorum, quia in foro conscientiæ, sola veritas attenditur. Unde quomodocunque, sive verbo, sive scripto Princeps declaret animum, sufficit.

102. 2. At pro foro externo, necesse est, ut in scriptis, & forma probante; quia in foro hoc nulli creditur sine probatione, *cap.* Tua nos, *de sponsalib.* & ibi gloss. *vers.* Qualiter, & *Cap.* Accepimus 4. *de privileg.* & *Cap.* cum personæ 7. *eod. tit. in 6.* Est communis omnium Juristarum, & Curialium, & habetur in *Extrav. Julij II.* quæ incipit: *Romani Pontificis.* Et sic hodie non creditur memoriali, adhuc cum verbo *Fiat*, sed requiritur registratio in Cancellaria. Unde beneficia, à Papa obtenta, ante expeditionem literarum non jure possidentur, & qui sine tali expeditione possidet, censetur intrusus, & violentus possessor; nec facit fructus suos, nec illi prodest regula Cancellariæ; de annuali, biennali, seu triennali possessione; ita latè Ludovicus Gomez *q.* 14. *in regula de non judicando* juxta formam supplicationis, Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 11. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disp.* 29. & Bonacin. *de leg. Tom.* 2. *disp.* 1. *punct.* 4. *num.* 49. ex quo colligunt Doctores, quod si Papa solo verbo, aliquem pronunciet Episcopum, licet statim sit Episcopus per pronunciationem, verùm non debet pro Prælato recipi, nec tractari, nisi suam gratiam probet, Navarr. *lib. consil. de privileg. Cons.* 1. & in *Cap.* Accepta, *de restitut. spoliator. oppos.* 8. *num.* 30. quem sequitur Rodrig. *Tom.* 1. *q.* 7. *art.* 5. & habetur clarè in *Regula* 51. *Cancellariæ.*

103. 3. Secundò nota, quod sufficienter probatur etiam pro foro exteriore Primò, per transumpta, vel copias manu publici Notarij subscriptas, & sigillatas; sic concessit *Leo X.* Dominicanis die 22. Novembris anno 1513. dum Generalis esset Eminentissimus Cajetanus, & idem Pontifex, postea anno 1518. die 21. Junij dictum privilegium ampliavit, ita ut crederetur transumpto, sigillo Ordinis munito; ita in privilegijs Dominicanorum, *fol* 187. Const. incip. *Cum inter cæteros operarios, &c.* & Casarrub. in *Comp. Fratrum Minorum, verb.* Privileg. *num.* 31. cum Sorbo *ibidem*; qui testatur idem concessisse hunc ipsum Pontificem Minoritis, sed cum subscriptione Notarij publici, & sigillo, alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, cujus originale habetur in libro Ordinis Minorum, noviter Typis mandato, Venetiis lingua Italica, in *fine secundæ partis*, P. Donat. *Tract.* 2. *quæst.* 14. *per totum*; difficillimum namque esset originales litteras Apostolicas, pro quolibet negotio, deferre. Tum etiam quia instrumentum exemplatum per Notarium, imò, & per aliam personam, authoritate Ordinarij; habet eamdem vim cum originali, *cap. fin.* de fid. instrum. *juncta gloss.* 5. verb. *Publicam personam* Quod verò fides adhibenda sit transumptis munitis firma, & sigillo generalis Ordinis, ac si essent plumbo signata, constat ex privilegio relato, & ex alio *Julij II.* Augustinianis concesso, ut docent Navarr. *Cons.* 1. *de privileg.* Compend. Rodrig. *resol.* 116. *num.* 5, Joann. de la Cruz *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 2. *conclus.* 3. Bordon. *resolut.* 52. *num.* 34. Donat. *Tract.* 2. *q.* 13. Portel. & alij. Imò cum ex *Pio V.* possint Provinciales

ciales creare notarios Religiosos, qui privilegia Ordinis transcribant: Illorum scriptis, tanta fides adhibenda est, quanta Notario publico; ita Portel. *verb.* Notarius, *n.* 1. & *verb.* Privilegium, *num.* 79. & ego latè probavi in *Comp. Ordinis Iudicialis, part.* 1. *cap.* 13. præcipuè in *Additionib. secundæ* impressionis, idiomate latino typis mandatis, in fin. tractatus.

4. Secundò, fidem faciunt etiam in judicio apographa seu copiæ privilegiorum, typis excusæ, in folio, vel in aliquo Bullario, ut docent Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 24. *num.* 7. Pelizar. *Tract.* 8. *cap.* 1. *sect.* 5. *q.* 19. Nald. *verb.* Privilegio, *num.* 3. & etiam in libris impressis probatorum Authorum; quia eas excerpserunt ex Originalibus, ut fecit Confect. de se testans, in summa Maris magni *cap.* 5. *ante* §. *Demum*, ubi fatetur privilegia in suo opere impressa, ex transumptis per Prælatos, & Notarios Cameræ Apostolicæ, de more authenticatis exemplata fuisse; idem est de Bullario, Rodrig, & aliorum, præcipuè de Bullario magno Romano Laertij Cherubini. Probatur à simili, quia scriptura facta coram tribus; testibus, à persona privata, authentica est, & fidem facit, ut juribus allegatis, docet *gloss. ubi supr.* Sed nulla scriptura typis datur, sine licentia superiorum, ex Concil. Lateranens. *sess.* 10, sub *Leon. X.* & Trident. *sess.* 4. Qui quasi testes sunt vera, & realia esse, quæ in lucem edi concedunt, ubi placet advertere, quibus periculis se exponant revisores, quibus Superiores committunt curam examinandi libros imprimendos præcipuè de rebus ad mores pertinentibus; si remissè se gerant, & absque solerti discussione, illos approbent. Sunt enim causa, ut multi saltem imperiti, utantur doctrinâ non vera nixi authoritate librorum impressorum, ut ego ab aliquibus non semel audivi. Igitur scriptura, seu privilegium typis excusum publicum est, & authenticum, ac proinde sufficienter probans; maximè cum superiores nullatenus concedant typis mandari aliquod privilegium, nisi prius sibi authenticè ostendatur: Tum, quia libris credendum est, argum. *Cap.* Cum causam 13. *de probat.* & libris mercatorum creditur. Bartol. Jason cum alijs *in l.* 1. *C. de edend.* & *l. admonendi, ff. de jur. jurand.* Navarr. *cons. de procurat. num.* 3. Ergo potiori jure scripturæ impressæ, quæ magis publica est, & authentica, quàm sint libri mercatorum non impressi; unde Nald. *verb.* Privilegium, *num.* 2. cum Doctoribus ibi allegatis, refert per Sacram Rotam decisum fuisse, habentem copiam alicujus privilegij impressam; dici certum de sua facultate, quamvis originale non habeat, aut non exhibeat. Ergo privilegium præcisè impressum habet vim, & efficaciam etiam in foro externo, & judiciali; sic extensè Bordon. *num.* 53. & 54. Portel. *verb.* Privilegium, *n.* 3. & 79. & idem dicendum est de clausulis in originalibus privilegiorum contentis: Quia ad hoc, ut copia, seu transumptum earum fidem faciat, parum refert, quod contineat integrum, & totum tenorem privilegij, vel aliquam illius particulam, dummodo sit authenticata à Notario publico, & sigillata, & subscripta à persona in Dignitate Ecclesiastica constituta, vel Generali Ordinis; sic P. Donat. *q.* 14. *num.* 3. *Tract.* 2. & *q.* 13. *à num.* 8. *usque in finem*, ex diversis privilegijs. Est tamen notandum, quod *Leo X.* qui hoc

concessit, addidit: *Dummodo in primo actu, coram ipso mandante, vel citante, antequam ad ulteriora procedatur, ipsa litteræ originales, aut earum transumptum authenticum exhibeatur*; sic Rodrig. *Tom. 1. quæst. 6. art. 18.*

104. 5. Sed dubitabis, an privilegium, quod invenitur sine *data* diei, mensis, anni, & loci, habeat vim? Sub distinctione respondendum est, privilegia antiqua in juris corpore impressa, *data* non indigent ad sui valorem, quia sic habetur in prima *Constitut. Codicis*, vers. *Etsi quæ earum*, ubi dicitur, quod leges, & constitutiones sine die, & mense, valeant: & docet *gloss. ibidem*, & in *l. si qua*, C. *de diverss. rescript.* & ibi Doctores. Quod etiam procedit de legibus, & statutis Universitatum, quæ quidem cum fuerint diutius observata, nota, & practicata, quamvis *data* careant, & manu Notarij non sint munita, propter eorum notorietatem omni dubio postposito creduntur; ita Bartol. in *Tract. de repres ai.* verb. *Data*, Duard. in *Comment. Bullæ Cœnæ lib. 1. cap. 4. q. 9.* de data Bullæ *n. 4.* & alij: & idem dicendum est de privilegijs antiquis, cum sint, quasi leges receptæ, constat ex *Cap.* privileg. *distinct. 3.* & ibi communiter Doctores.

105. 6. Loquendo verò de privilegijs novis, sine *data*, non valent, ita habetur in *d. l. si qua*, C. *de diversis rescript.* & tenent Felin. in *Cap. 1. de fide instrument.* Bernard Pand. in *Declarat. 3. num. 11.* Unde tempus *data* debet maximè attendi, ex *Cap.* cum te, & *Cap.* constitutio, *de rescript.* & refert plures sic decisum fuisse, Ricc. *Collect. 476.*

106. 7. Dubitabis iterum, an privilegium cujus originale, imò & transumptum authenticum deperditum est, neque est in libris impressum, possit per testes probari, ut fidem faciat, in foro fori? Respondetur affirmativè, constat ex *Cap.* cum olim 1. *de privilegijs*, & docet post multos Cancer. *Tom. 3. variar. cap. 5. num. 170.* dummodo testes deponant de ejus tenore, & qualitate & quod fuerit facta gratia motu proprio, vel ad partis instantiam, die, & anno tali, &c. Quia de jure eandem vim habent testes, & instrumenta, & æquiparantur in robore. Ideoque si scriptura alicujus testamenti formaliter facta deperdatur, per duos testes probari potest; licet ad testamenti validitatem plures requirantur, Mascard. *de probat. conclus. 825. num. 16.* Marant. in *Specul. part. 6. tit. Actor. edition. num 31.* Rebuff. cum alijs in *Concordat.* tit. *de mandat. Apost.* & in facti contingentia; sic decisum fuisse in Regio Neapolitano Consilio, docet Donat. *Tract. 5. q. 6. num. 6.*

8. Dubitabis denique, an Episcopus dubius de validitate privilegij, concessi Regularibus, possit eos impedire, ne interim illo utantur? Respondetur negativè. Rodrig. *Tom. 1. quæst. 56 art. 12.* cum Innocentio, Joanne Andrea, & Henrico, quos sequitur Pelizarius *sect. 4 quæst. 21.* de amissione Privilegij, *num. 85.* quia nemo potest esse judex in propria causa, unde si impediret, hoc faceret judicando privilegium esse subreptitium, amissum, aut aliter intelligendum, quod non pertinet ad Episcopum, juxta dicta, *disp. 1. sect. 2. num. 14.* & deinceps. Tum, quia ut bene notant Rodrig. *Tom. 2. q. 63 art. 7.* Pelizar. *num. 86.* cum communi Doctorum; pendente lite super validitate privilegij, an fuerit concessum, necne, non est privandus privilegiatus sua possessione, vel quasi possessione, quamvis possessio sit contra jus, vide alia *infra disp. 7. sect. 8. à num. 20.* 107.

DIS-

# DISPVTATIO TERTIA.

*De amissione, & cessatione Privilegiorum*

EX multiplici capite potest cessare privilegium, vel per renunciationem, vel per non usum, vel per usum contrarium, vel per abusum, vel per cessationem causæ finalis, vel denique per revocationem concedentis, seu habentis æqualem potestatem. Et ut è medio tollatur omnis confusio in hac disputatione agemus de renuntiatione, non usu, usu contrario, de abusu, & de causa finali, & latè in sequenti de revocatione, quæ potissimum habet locum in hac parte.

## SECTIO I.

*De renuntiatione privilegiorum.*

108. 1. CIRCA renuntiationem privilegij, *dico primò*. Privilegijs concessis in favorem totius Religionis, Ecclesiæ, Conventus, Collegij, vel alicujus Communitatis, nullus particularis potest renuntiare; nec valet renuntiatio, etiamsi juramento firmetur. Unde nec Clerici, nec Religiosi possunt renuntiare nec validè, nec licitè privilegio Canonis, *Si quis suadente diabolo*, juxta Cap. Conring. *de sent. excom. in 6*. Nec privilegio fori, secundum Cap. si diligenti, *de for. comp.* nec vasalli in præjudicium Dominorum suorum; nec filij familias in damnum Parentum; nec Religiosus in damnum suæ Religionis, quia ad hoc nullam habent potestatem, cum hujusmodi privilegia concernant favorem Communitatis, & jus tertij, Bonacin. *de leg. tom. 2. disp. 1. quæst. 3. p. 8. §. 6. n. 7.* Pelizar. *Tom. 2. Tract. 8. cap. 1. sect 5. quæst. 7* Bordon. *resolut. 52. num.* 108. Chassaing, Donatus, & alij omnes, & hoc verissimum est, etiam si omnes alicujus Religionis, vel communitatis divisim renuntiationem intentent; dummodo collectivè in Capitulo habeant potestatem, juxta dicenda, id non efficiant; siquidem aliud est Communitas, vel Collegium; aliud verò singuli de Communitate, vel Collegio. Nam Communitas non dicitur facere, nisi id quod facit legitimè congregata faciat; non verò, quod singuli separatim fecerunt. Bartol. *in l. omnes populi 3. quæst. secundæ quæstionis principalis ff. de just. & jur.* quia ad plures pertinentes, ut plures, requiritur simultaneus consensus, nec satis est, quod separatim adhibeatur, *Cap.* in genere, *de elect.*

109. 2. Idem dicendum, quando res pertinet ad omnes, & singulos, dummodo talis sit, in qua major pars possit præjudicare minori; & habetur in *l. juris gentium, §. fin. ff. quod cujusq. univers. nomine*, Abb. in *Cap.* cum omnes *de const. num.* 7. cum alijs, quos citat, & sequitur Villaguta in *Tract. de reb. Eccles. malè alienatis lib. 1. part. 1. cap.* 123. *n.* 4. Tamb. *de jur. Abb. tom. 1. disp. 16. quæst. 5.* ex quibus inferunt Prælatos Ecclesiarum, & Religionum tacendo, & patiendo, ut præscriptio currat contra eorum Ecclesias, seu immunitates, saltem tacitè illis præjudicare, quod non culpâ caret.

110. 3. *Dico secundò*, neque Prior, neque Provincialis, neque Generalis possunt talem renuntiationem facere, nec validè nec licitè, ex defectu potestatis, quia bona

bonis communibus renuntiare non possunt per se ipsos, imò neque Conventus, neque Capitulum Provinciale id poterit, quando jus est adquisitum Communitati, & sic contra renuntiationem, se opponere potest quilibet particularis; imò addit noster Lezan. *Tom. 4. verb.* Privilegium Regul. *num.* 14. & *Tom. 1. cap. 10. à num. 54.* probabilissimum esse, quod nec Capitulum Generale potest renuntiare privilegijs suæ Religionis, nisi illa minus utilia sint ipsi Religioni, aut sint indifferentia, juxta *Cap.* cum accessissent, *de constitut.* & *ibi* Abb. & docent Suar. *Tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 1. num. 3.* Layman. *lib 1. de leg. tract. 4. cap. 23. in q. de privileg. num. 20* §. 3. Bonacin. *punct. 8.* § *6. vers.* Si quæras & alij. Ratio est, quia privilegia sunt bona Religionis & juri per illa acquisito renuntiare est propriè species alienationis, quæ prohibita est Regularibus, non habentibus specialem licentiam Pontificis. Unde qui renuntiat privilegio, non habens potestatem, & qui cogit ad talem renuntiationem faciendam, nihil faciunt, & peccant graviter, P. Chasaing. *Tractat. 2. propos. 2.* videatur Joan. de la Cruz in *Summ. privileg. mariæ magni, tit. de pact. regul.* extra ordinem initis.

III. 4. His non obstantibus communiter docent Doctores, quod Capitulum Generale potest renuntiare privilegio, quia repræsentat totam Religionem, & semper præsumitur, quod in majus bonum illius renuntiabit, & meo videri ab hac opinione minimè recedit noster Lezana *ubi supra*, quod constat ex limitationibus, quas affert. Insuper sunt aliqua privilegia concedentia potestatem renuntiandi, seu moderandi Capitulo Generali: sic concessit *Leo X.* ut refert *Comp. privileg.* verb. *Generalis*, §. 24. De Capitulis verò Provincialibus, pro sua Provincia, idem habetur ex *Alexandr. IV* Bulla incipiente: *Mente solicita*, ubi declarat pacta inita cum Clericis, sine assensu Generalis, vel Provincialis Minorum, esse nulla: idem statuit pro Dominicanis *Honorius IV.* Const. *Religionis favor*, & *Iul. II.* pro Minimis, sed per prædicta pacta renuntiabant tunc aliquibus privilegijs; ergo, & nunc possunt dicti superiores, cum suo Capitulo, renuntiare privilegijs; imò addit Bordon. *Resol. 52. num.* 109. quod idem possunt Prælati locales cum suo Capitulo, ut constat ex *Cap. 1. & 3. de pact in 6.* sed consuetudo Religionis attendenda est; quia meo videri præfata doctrina solùm erit vera, loquendo de privilegijs concessis alicui particulari provinciæ, vel conventui, quæ non participant aliæ Provinciæ, vel Conventus; si quæ dantur, quia talia privilegia sunt propria talis Provinciæ, seu Conventus, & sunt quasi personalia, & possunt ab ipsis renuntiari. At quando privilegium est totius Religionis, vel per concessionem, vel per communicationem, existimo, quod solùm Capitulum Generale, vel qui ejus vicem habeat, poterit renuntiare; quia per renuntiationem Provinciæ, seu Conventus semper læderetur jus acquisitum à tota Religione, & exemplum multùm posset nocere cæteris, & causam præberet litigandi, & sic necessariò expectandus erit consensus Capituli Generalis, vel Diffinitorij Generalis, si ejus vices ad hoc, & similia habeat. Cum id recta ratio postulet, ad bonum regimen: videantur statuta cujuslibet Religionis. Nota

ta tamen quod *Leo X.* pro Generali, & Provinciali Minorum, & *Gregor. XIII.* pro Generali Societatis concesserunt, ut possent, primus, cum assensu sui Capituli, & secundus per se ipsum declarare, & limitare, an usus talis, vel talis privilegij valeat, vel non. Primum habetur in *supplemento Ordinis, fol. 94. concess. 296.* Secundum in *Compendio Societatis*, tit. *gratiarum usus*; quod privilegium extenditur ad superiores aliorum Ordinum participantium in privilegiis; sic Donat. *Tract. 13. quæst. 20. num. 10. & 11.* vide Rodrig. *Tom. 1. quæst. 9. art. 2. & tom. 3. quæst. 22. art. 3.* Peyrinum *Tom. 1. privileg. ad Const. 2. Iulij 11. §. 3. à num. 8. usque ad 12.* Bordon. *resol. 31. q. 1.*

112. 5. Privilegia personalia, & quæ jus tertij non tangunt renunciari possunt à privilegiato; ita communiter Doctores, quia unusquisque proprio, & personali juri potest renuntiare.

113. 6. Est tamen notandum, quod licet renuntiatio privilegij fiat ab habente potestatem, nunquam tamen nisi acceptetur à superiore concedente erit valida, & firma. Res enim per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. Privilegia autem originem habent à Principe, ideo per ejus voluntatem prævia renuntiatione debent dissolvi; sic Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 32. num. 2.* & omnes in *Cap.* si de terra, & *Cap.* accedentibus, *de privileg.* Verum est, quod acceptatio potest fieri, vel à Principe, & dicitur ab homine, vel à jure, videlicet quando sunt jura, vel privilegia concessa ab habente potestatem pactandi, vel renuntiandi, quia tunc in ipsa concessione includitur acceptatio; & sic nulla alia acceptatione opus erit, ut magis *sect seq.* explicabimus; sic Pelizar. *ubi supr. quæst. 7. num. 108.* Bordon. *resol. 52. num. 110.* ubi ait: Quod hujusmodi sunt privilegia, & jura relata *supra, num. 4.* in quibus alia acceptatione non indigent Regulares ibi assignati. Quare si privilegio renuntient, statim tenebit renuntiatio; neque ad privilegium renuntiatum poterunt redire sine nova concessione.

114. 7. Renuntiatio autem strictè accipienda est, ita ut non extendatur ad non expressa, etiamsi similia sint; quia minus debet lædere renuntiantem, quàm sit possibile. Verum est, quod renuntians intelligitur renuntiasse omnibus, quæ sequuntur ex illa renuntiatione, & etiam omnibus cohærentibus, *Cap.* si quis Sacerdotum *dist. 81.* & *Cap.* si quis Episcopus *q. 1.* & *Cap.* nullus primas, *q. 2.* In dubio verò, de renuntiatione, non præsumitur quis renuntiasse juri suo, cum renuntiare juri suo de facili, nullus præsumatur nisi prorsus liberè, & absque aliqua causa contrarium operetur, juxta dicenda *infra sect. sequent. num. 15.* sic habetur, *Cap. 5.* de renunt. *cum gloss.* verb. *Voluerit.*

115. 8. Ex quibus duo inferunt Pelizar. & Bordon. Primum, quod renuntians privilegio, si ante acceptationem, ab habente potestatem, voluntatem mutat, gaudet suo privilegio, sicut antea, quia renuntiatio nullam habuit vim, ante acceptationem, & idem est quando renuntiatio non habuit effectum, quia jura loquuntur de renuntiatione perfecta; ita præfati authores cum Cephal *cons. 286. num. 29. tom 2.* Secundum, infert Bordon. quod si aliquis Religiosus confessarius tædio affectus; vel ob multitudinem pœnitentium, vel ob aliam causam, facultatem audiendi confessiones, quam in scriptis habet ab Episcopo, porrigat suo superiori, vel eā laceret

coram ipso; protestando nolle se amplius illud munus exercere, sed omnino renuntiare tali facultati. Si postea pœnitentia ductus sponte, vel ex obedientia sui Prælati, velle ad tale munus voluntarie redire, potest: Quia illa non fuit perfecta renuntiatio, cum desideretur acceptatio Episcopi, vel Papæ, qui talem facultatem concessit.

## SECTIO II.

### *De amissione Privilegij per non usum, usum contrarium, & per abusum.*

EX varietate opinionum, non levis confusio invenitur in præsenti difficultate, ideo ut claritate desideratâ procedamus, aliqua prænotari oportet.

116. 1. *Primùm*, esse certissimum posse per non usum, & per usum contrarium, perire privilegium, si omnia requisita adsint, sic communiter Doctores, & constat ex clausula, quæ apponi solet in Bullis, videlicet: *Quatenus sunt in usu, vel dummodo sint in usu.*

117. 2. *Secundum*, privilegium posse perdi per non usum, seu per usum contrarium, ex duplici capite, vel quia non usus includit virtualem, & tacitam renuntiationem, vel quia intercessit sufficiens tempus ad præscriptionem requisitum.

118. 3. *Tertium*, non usum sumi *negativè*, *privative*, & *contrariè*. *Negativè*, quando privilegiatus cessavit ab omni actu privilegij, absque alio respectu. *Privativè*, quando privilegiatus sciens, & volens, & data occasione, non utitur privilegio. *Contrariè*, quando facit actum contrarium privilegio sibi concesso, v.g. solvendo decimas, à quibus exemptus erat.

119. 4. *Quartum*, privilegium non amitti aliquo ex tribus modis assignatis, si non adsit scientia, seu notitia privilegij, vel deficiat occasio illo utendi, vel si adsit occasio, se obtulit impedimentum utendi, vel denique, si deficiat libertas in privilegiato, quia si invitus fecit, nihil ei nocet, sic communiter Doctores.

120. 5. *Quantum*: tempus requisitum ad præscriptionem esse computandum à primo non usu, seu ab ultimo tempore, in quo quis cessavit ab usu privilegij, ut docet Suar. cum multis *lib. 8. cap. 34.* insuper tempus ad præscribendum non esse uniforme respectu omnium. Nam ad præscribendum contra laicos, & privatas personas, sufficit tempus decem annorum, & præcisè in præjudicialibus, sic omnes Juristæ in *l. 1. ff.* de nundinis impetratis à Principe, non utendo, qui meruit decennij tempore amittere; tenent, etiam omnes Canonistæ in *Cap.* cum accessissent, *de const.* quamvis Pelizar. *Tract. 7. tom. 2. cap. 1. sect. 5. num. 110.* dicat hoc esse speciale in privilegio nundinarum; quippè quod solet concedi hac conditione, ut per non usum decennij amittatur; quod non debet extendi ad alia privilegia, quibus non inest talis conditio, sed in hoc Juristæ consulantur.

121. 6. Ad præscribendum verò contra Communitates, Universitates, Ecclesias, & Collegia debent intervenire triginta anni, juxta *Alexandrum III.* in *Cap.* si de terra, *de privileg.* sed juxta *Innocent. III.* in *Cap.* accedentibus, *de privileg.* desiderantur quadraginta anni, & hoc in praxi servatur, ait Donatus *Tract. 12. quæst. 9. num. 5.* Ad præscribendum autem contra Ecclesiam Romanam, in spectantibus, primò, & principaliter, non autem secundariò ad illam, tempus centum annorum est necessarium, habetur in *quæst. 16. Cap. nemo*, juncta 3. gloss. in *Cap.* ad audientiam, *de præscriptionibus*; quapropter ait Donatus:

tus: Omnia pertinentia immediatè ad dispositionem Papæ, & Ecclesiæ Lateranensis, ejusque res gaudent isto privilegio, ut notat Joannes Andreas *regula* scienti, *lib.* 6. cum Silvestro *quæst.* 7. & alijs; quod privilegium extendit *Paulus IV.* pro Monasterio S. Pauli extra muros.

120.

122. 7. Denique ut Regulares amittant sua privilegia præscriptione temporis, præsuppositio non usu privativo, vel usu contrario (quia per non usum merè negativum nunquam amittuntur, ut dicemus *infra*) juxta jus commune desiderantur 40. anni, *Cap.* volumus 2. 16. *quæst.* 4. & ibi Doctores. Sed ex privilegio *Eugenij IV.* concesso Patribus Benedictinis Vallisoletanis, anno 1434. septimo Kalendas Martij, ut videre est in *lib. privileg. dicti Ordinis*, desiderantur 60. anni. Idem concessit Camaldulensibus *Leo X.* teste Confect. *tit* 12. *cap.* 1. & Peregrin. in *introduct.* §. 4. sed plus hunc favorem extendit *Paulus III.* Const. incip. *Benignitas*, & est 15. in Bullario novo Romano, ubi concedit ipsis Benedictinis, ut non nisi per spatium centum annorum deperdant privilegia; sic Bordon. *quæst.* 41. *num.* 122. & Pelizarius

121. *quæst.* 8. *num.* 113. & *Pius IV.* anno 1507 pridie Idus Junij, concessit Congregationi Montis Oliveti, quod sicut contra Romanam Ecclesiam, non nisi centenaria currit præscriptio, ita quoque respectu dictæ Congregationis, habetur in *lib. privileg. S. Benedicti* Romæ impresso anno 1589. *pag.* 802. videatur Rodrig. *Tom.* 3. *quæst.* 35. *art.* 2. ubi refert aliam amplissimam concessionem, factam ipsis Benedictinis, ab ipso *Eugenio IV.* in qua concedit, ne contra dictorum Patrum privilegia, ullo modo possit præscribi, & adducit Bullam in suo Bullario, & est 9. in ordine; sic Portel de *dubijs Regular.* verb. *Privilegium*, *n.* 4. *in addit.* Diana 3. *part. tract.* 2. *resolut.* 8. Joann de la Cruz. *lib.* 2. *cap.* 3. *dist.* 2. *conclus.* 2. quod sine dubio (ait Pelizarius) est magnum privilegium; siquidem adhuc durat, est que Bullarum; sed de usu illius dubitat, quoad forum externum, in quo utique non pauca omitti debent, quæ aliàs in foro conscientiæ licitè fieri possunt, quod notari debet.

8. Et quia præfatum privilegium magni ponderis est pro hac materia, & ex illo 123
ab omni anxietate liberari possumus; referam quædam verba illius videnda fusius, si oportuerit, cætera, in Bullario Rodrig. *loco citato*; concessit ergo *Eugenius IV.* Congregationi Benedictinorum S. Justinæ sequentia: *Quod si contigerit per aliquem, aut plures actus, contra hujusmodi, aut quæcunque alia privilegia, indulta, gratias, immunitates, præfatæ Congregationi concessa, aut ipsorum aliquod à quocumque, cujuscunque conditionis, gradus seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore observatum ignoranter, vel scienter; nullum tamen præjudicium dictis privilegijs, indultis, gratijs generetur, sed in suo vigore ac robore permaneant*; hæc Pontifex.

9. Quibus prænotatis, *dico primò*: pri- 124.
vilegia merè gratiosa, i. dest, illa, quæ nulli nocent, neque juri alterius opponuntur, nunquam per non usum, sive negativum, sive privativum deperduntur; etiam exclusis privilegiis relatis, *num.* 7. *antecedenti*. Ratio est quia neque in jure civili, neque in Canonico, neque in alia lege, reperitur jus, quod det talem efficaciam non

usui, vel quod determinet tempus fundatum in ipsomet non usu, ut amittantur privilegia; & cum simus in materia odiosa, non debemus alia attendere. Quæ conclusio procedit in utroque foro, sic Merol. *Tom. 3. de privileg. disp. 6. cap. 7.* cum multis, quos allegat Laiman, *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 20. de privileg.* Donat. *Tract. 12. quæst. 7.* & alij communiter.

125. 10. Unde infertur, quod privilegia possunt amitti per non usum, solùm ex duplici capite, vel ratione præscriptionis, vel ratione tacitæ renuntiationis, neque excogitabilis est alius modus.

126. 11. *Dico secundò*, nunquam invenitur tacita renuntiatio in non usu privilegiorum Regularium, sive negativo, sive privativo, & sic nunquam deperduntur, virtute talis renuntiationis. Loquor de privilegijs merè gratiosis, quæ alijs onerosa non sunt, sive juri alterius non nocent. Tum, quia tacita renuntiatio deducitur ex quadam juris interpretatione, quæ locum non habet, nisi in casibus à jure expressis, ut docet Paris. *de resig. beneficior. lib. 1. quæst. 1.* Non usus autem illam non inducit, quando nulli nocet. Privilegium enim, seu lex quæ dat facultatem ad agendum, non necessitat uti privilegio, sed dat privilegiato liberum jus, ut scilicet utatur privilegio cum voluerit. Tum etiam, quia dato, & non concesso, quod privilegia gratiosa Regularium possent per non usum amitti, hoc non potest probari, nec certò sciri, quia privilegia gratiosa, fere omnia exercentur secretè, ut absolutiones, dispensationes, & alia similia. Nam si unus detur, qui non utatur, alius utitur, & si in una Religione, seu Provincia non utuntur, in alijs utentur; sic Rodrig. *Tom. 1. quæst. 8. art. 4. infin.* Donat. & alij. Unde benè notant Portel. *verb.* Privilegium, *num. 55.* Pelizarius *Tract. 8. cap. 1. sect. 5. quæst. 8. num. 114.* quod ut privilegium concessum alicui Ordini, non censeatur amissum, sufficit, quod illud sit in usu apud aliquam, seu aliquas Provincias vel Conventus ipsius Ordinis, vel aliorum Ordinum, si participet in privilegijs. Quia licet privilegium desierit per non usum, vel quid simile, etiam in omnibus Provincijs, & Conventibus alicujus Ordinis; si tamen sit in usu apud aliquem alium Ordinem, & ille ordo in hujus privilegijs communicet, poterit talis ordo uti dicto privilegio, non secus ac si de novo ei concederetur, aut nunquam cessaret ab usu; nam quod talis ordo non fuerit usus aliquo ex privilegijs concessis alijs Ordinibus, cum quibus habet communicationem, non obstat, quod possit incipere nunc de novo uti suis privilegijs.

127. 12. Adverte tamen, quod tota hæc doctrina intelligatur de privilegijs affirmativis, idest, quæ aliquid faciendum indulgent, nam de merè negativis, in quibus conceditur facultas non faciendi, quod erat faciendum, & non tangunt jus tertij, nunquam per non usum possunt deperdi, sed potius per non facere observantur, cum eorum usus consistat in non usu rei, quæ sine privilegio debebat fieri.

13. Quæ autem sint privilegia merè favorabilia, diximus *disp. 1. sect. 12. & 3.* fere per totam, videantur *ibi* dicta ne bis repetantur.

128. 14. *Dico tertiò*, privilegia onerosa, idest, quæ alicui juri nocent, vel vergunt in damnum tertij; possunt amitti, vel per non usum privativum, vel usum contrarium, si cætera adsint, videlicet legitima præscriptio, vel tacita renuntiatio à jure præ-

sumpta, & sit scientia privilegij, & libertas omittendi inveniatur; & hoc sive privilegia sint negativa, sive positiva, quia omnes obligationes, ac servitutes, tam reales, quàm personales, extinguuntur, si altero jure suo pro temporum occasione, & libere nunquam utente, res obligata decursu legitimi temporis possideatur, & ut libera, usucapiatur à tertio læso, & hoc ideo, quia hujusmodi privilegia redundant in damnum aliorum; quapropter jura, quæ disponunt de amissione per non usum, in similibus locum habent, quatenus in beneficium tertij gravati, impedimentum gravaminis auferunt, quo sublato Dominus re sua liberè utitur, & potitur; ita Suarez *lib. 8. de legib. cap. 34. num. 16.* Bonacin. *de leg. disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 15.* num. 3. Tamburin. de *jur. Abb. tom. 1. disp. 16. q. 4. num. 3.* & alij. Sit exemplum in illo, qui haberet privilegium celebrandi, v. g. in aliena Ecclesia, seu Capella: iste si datâ opportunitate, & sine impedimento, non celebraret per tempus sufficiens ad præscriptionem, amitteret tale privilegium, & posset impediri, vel à Parocho, vel à Domino Capellæ, quia admittendo tempus ad præscriptionem requisitum, ex dispositione juris, tollitur gravamen tertij, & perit privilegium.

129. 15. Similiter, si quis ab ordinario exemptus per privilegium personale, absque protestatione, & rationabili causa voluntariè se subdat jurisdictioni illius, etiam per unum actum contrarium, saltem pro fore exteriori amittit privilegium, nisi aliud constare possit, ut jam dico. Ratio est, quia particularis absolutè disponere potest de propris bonis, & in tali casu præsumit jus, renuntiare proprio privilegio per actum contrarium, liberè, & absque necessitate admissum: ita Tapia in *Commentariis ad l. fin. de constitut. Princip. part. 2. cap. 2. num. 7.* Donat. *q. 13.* & constat ex *Cap.* Cum accessissent, *de constitut.* & ex *Cap.* Accedentibus, *de privileg.* sic Pelizar. *num. 112.* Laiman. *lib. 1. tract. 4. cap 23 num. 23.* & Suarez *supr. cap. 35. num. 25.* Donat. *q. 12. num. 4.* cum communi Doctorum: Addunt verò, quod licet privilegiatus sponte exerceat unum, vel aliquos actus contrarios, non habens simpliciter animum renuntiandi privilegio, sed solùm, quoad illum, vel illos actus, non amittit privilegium, quòad forum conscientiæ circa alios, cum talis amissio fundetur in præsumptione renuntiationis, quæ cessat ubi constat de veritate; imò neque amitti privilegium, quò ad forum externum, si constet, aut ex indicijs colligatur defuisse animum simpliciter renuntiandi, & tempus legitimæ præscriptionis non transijt; una cum taciturnitate privilegiati. Recole dicta *sect. 1. hujus disputat. num. 15. & 16.*

16. Colligitur totum *ex l. voluntaria,* 130. *C. de excusat. tutor.* ubi dicitur: Quod voluntariæ tutelæ munera privilegiis nihil obstant, hoc est, quoad futura munera non voluntaria, & subjungit *gloss.* quod si quis ex Capitulo habeat privilegium non solvendi decimas, si illas solvat, semel, & iterum, etiam ex communi consensu Capituli, non ob id amittet privilegium, quòad futuros actus; quia licet valeant actus, quòad illas solutiones factas, quòad futurum non præjudicant, quia dum non constat, non præsumitur Capitulum renuntiasse, nisi quoad illos actus, ita Innocent. in *Cap. relato* cum accessissent, Panormitanus in *Cap.* pro illorum, *de prebend.* Thusc. *litt. P. conclus. 756.* Mandos.

de *privilegijs ad instar. gloss. 15. num. 22.* Quia in odiosis non præsumitur Capitulum sibi nocere velle, nisi in levi, & minimo, & in quo se explicat, & cum sufficienti causa. In dubio autem non præsumitur renuntiare, ut docent Pelizar. & Donat. sed tu ad lites tollendas adhibe semper protestationem; nam protestatio excludit omnem voluntatem renuntiandi, Suar. *lib. 8. de legib. cap. 35. num. 3. & 24.* Salas *disp. 17. sect. 13. num. 66. de legib.* vide dicta *sect. 1. relata.*

131. 17. Quæ doctrina multò magis vera erit, quando privilegium se extendit ad diversas res; quia non ex eo, quod in aliqua adsit actus contrarius, læduntur aliæ partes privilegij; imò potius non desunt, qui sentiant, quod etiamsi adsit longissimum tempus ad præscriptionem requisitum, in quo non utitur quis suo privilegio, quòad aliquam partem, utendo eo quòad alias, nihil deperditur de toto privilegio; ita Seraph. *decis. 1043. num. 4.* & ad probandum multa adducit, & judicat probabile Donat. *q. 8. n. 2.* licet oppositum, ut probabilius sequatur, videlicet, quod deperditur quòad illam partem, in qua datur legitima præscriptio.

132. 18. Hic duo notanda veniunt. *Primum.* cum ex dispositione juris amittatur privilegium, vel per temporis præscriptionem, vel per tacitam renuntiationem inclusam in usu contrario, ut constat ex *Cap.* cum accessissent, *de const.* & docet Suar. *cap. 35. num. 5.* cum communi; non est opus acceptatione Pontificis, quia ab ipso jure conceditur facultas acceptandi talem renuntiationem à tertio læso, v. g. ab Episcopo, cui exemptus subjicitur, vel à tertio præscribente.

133. 19. *Secundum,* quod contrarius usus privilegij per aliquem Religiosum, vel particulare Monasterium, vel etiam Provinciam, non tollit privilegium concessum toti Ordini, quia contrarius usus per quem amittitur privilegium debet esse ab habente potestatem renuntiandi, vel expressè, vel tacitè, quæ in jure idem sunt. Potestas autem renuntiandi absolutè privilegio reali, non manet in particulari aliquo, sed residet in toto Capitulo Generali repræsentante totam Religionem, ut diximus *supr.* ita Portel. *num. 6.* Pelizar. *q. 9. n.* 118. & alij.

134 20. *Dico quartò,* privilegium amitti potest per abusum, tam non utendo illo, loco, tempore, ac mensurâ præscriptâ in ipso; quàm utendo extra limites privilegij. In quo casu actus est nullus, ex defectu potestatis: & etiam amittitur, aliquid iniquè faciendo spe, occesione, aut licentiâ, desumptâ à privilegio, & etiam agendo contra formam ipsius privilegij; constat ex multis juribus relatis à Donato *quæst.* 14 & Pelizar. *q.* 10. sed cum amissio privilegij ob abusum, sit pœna inflicta à jure, ob culpam; juxta qualitatem culparum metienda est, & videnda, quæ apponitur in Sacris Canonibus, ut benè notant Tamburin *Tom. 1. de jur. Abb. disp. 16. q.* 14. *num.* 10. Meroll. *Tom. 3. de privileg. cap.* 7 *dub. 3. num.* 112. Donat. *q.* 14. *per totam,* & cum hæc sit pœna imposita à jure, ut incurratur expectanda est sententia, saltem declaratoria delicti; etiam quando in jure asseritur, quod ipso facto incurratur, vel non expectatâ sententiâ, & sic ante sententiam, non tenetur abutens, se privare privilegio, ita Suar. *cap. 36. n. 8.* Pelizar. *q.* 10. & est communis inter Doctores.

135 21. Addo, saltem in foro conscientiæ, Religiosos irregulariter viventes, per abusum

usum suæ regulæ amittere privilegia, ut constat expresse ex *Cap.* cum cessante, *de appell.* gloss. in *Cap.* generaliter, §. *non divagantes* 16. *q.* 1. Bald. in *l. semper ff. de jur. immunit.* & testatur Papa *Eugenius* in Bulla concedente fructus beneficij in absentia, causâ studij Scholaribus Universitatis Salmantinæ, ut docent Silvester, *verb.* Privilegium, *q.* 10. Mirand. *Tom.* 2. *q.* 43. *art.* 3. Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 9. *art.* 10. & alij: unde ex dictis in hac sectione, & in præcedenti, & ex dicendis in duabus sequentibus deducunt, & benè, Bordon. *resol.* 52. *quæst.* 41. *num.* 122. & Pelizar. *q.* 8. *num.* 113. Quod etsi aliqui Pontifices in confirmatione privilegiorum apponant has Clausulas restrictivas: *Modò sint in usu, vel modò non sint revocata*, quia tamen alij multi confirmaverunt talia privilegia, ampliori gratiâ absolutè, sine Clausulis restrictivis, ut videbimus *infra*; consequenter ex tunc vetera privilegia valida, & firma existunt; & quæ erant invalida, seu nulla prætextu non usus, vel abusus, vel contrarij usus, vel privativi usus, aut factæ præscriptionis, denuo cœperunt valere, ac si tunc primò concessa fuissent, & aboletur quævis cœpta præscriptio adversus illa; ita cum relatis authoribus Confect. *tit.* 1. *cap.* 3. §. *nec etiam*, & *tit.* 12. *cap.* 1. *de præscript.* Portel. *num.* 63. Joann. à Cruce *concl.* 6. Peregr. in *introduct.* §. 5. & secundum intellige; videas ergo quàm difficile sit, quod privilegia, ex relatis capitibus, inveniantur invalida, seu amissa; sed ad hæc plura dicemus, loquendo de revocationibus, & confirmationibus privilegiorum.

## SECTIO III.

### *De amissione privilegij ex cessatione causæ finalis.*

135. 136. 1. CUM paria sint in jure, privilegium à principio non habere causam; & causam jam finitam esse, loquendo de totali, ut constat ex *l. nihil interest, ff. de nautico fœnore*; necessariò dicendum est, quod in privilegijs merè gratiosis, idest, quæ non derogant juri communi; neque juri tertij; etiam si cesset causa finalis totalis, non cessat privilegium; quia tale privilegium, ut validè concedatur à principio, imò secundum aliquos, etiam ut licitè non requirit causam, nisi ad summum, ut prudenter, & honestè detur. Quare semel concesso, non expirat, adhuc spirante causa. Siquidem illa solùm fuit requisita, ut Princeps honestè, & prudenter moveretur ad ejus concessionem, non verò ad ejus conservationem, & sic semper durat, quamvis causa cesser. Decet enim beneficia Principis præcipuè merè gratiosa esse perpetua, sic communiter Doctores.

137. 2. Nec cessat privilegium ob cessationem causæ impulsivæ; hæc enim sicut à principio non dat gratiam, sed facilitat, ut detur; sic postea, etiamsi ipsa cesser, non vitiat concessum. Neque cessat privilegium absolutè per cessationem ad tempus causæ finalis totalis, sed suspenditur usus pro illo tempore, non verò pro alio, in quo usus erit honestus sic Suar. *cap.* 32. *num.* 14. Pelizar. *quæst.* 5. *n.* 95. sit exemplum: Habeat quis privilegium vescendi lacticinijs tempore quadragesimæ ob penuriam piscium in loco ubi habitat; transeat per aliquod tempus ad locum ubi abundant pisces, non poterit pro tali tempore privilegio uti, quia est suspensum privilegium; si autem transiret ad habitandum stabiliter, absolutè amitteret privilegium, ut jam dicam, quia tale privilegium erat locale, non verò personale.

138. 3. His prælibatis *dicendum* est *primò*, cum

cum communi Doctorum, quod in privilegijs, vel quæ juri communi opponuntur, vel juri alicujus tertij: si causa finalis cesset contrarie, cessabit privilegium totaliter, si cessat causa finalis totaliter; si verò solum cesset partialiter, idest, quòad aliquam sui partem, quoad illam, cessabit privilegium. Contrariè cessat causa finalis, quando usus privilegij factus est injustus, iniquus, & pernicioſus alijs, vel ipsi privilegiato. Quod evenire solet ob mutationem materiæ, aut circumstantiarum; ut si alicui Monasterio applicetur à Pontifice pars aliqua decimarum alicujus Ecclesiæ, quæ tempore concessionis poterat ex reliquo sufficienter sustentari, & postea mutatis rebus, non potest talis Ecclesia sustentari sine parte sublata, privilegium cessat. Item habet quis privilegium vescendi carnibus tempore quadragesimæ ob talem infirmitatem; cessante infirmitate, cessat privilegium. Similiter, si Episcopus recipiat mandatum dispensandi super irregularitate alicujus, ut Ordines possit suscipere propter parentum paupertatem, si talis acquirat divitias ante susceptionem Ordinum, non poterit, nec licitè, nec validè tali dispensatione uti. Tum, quia hæc privilegia censentur concessa sub illa causa, & conditione, quæ si adsit, permanent; si absit evanescunt. Tum, quia valor privilegij, non extenditur plusquam intentio concedentis, quæ, non est credibile, ut extendatur, cessante causâ totali, ad læsionem legis communis, vel juris alterius, deficiente causâ totali. Hoc enim est contra dictamen rationis, quia privilegium, eo ipso quod est injustum, seu de re illicita, est nullum: Cum sit eadem ratio, ut diximus de conservatione privilegij, ac de inceptione. Et quia nullo modo dari potest facultas ad agendum malum; unde sicut cessat lex cessante causâ per contrarietatem, debet cessare privilegium, quod est quædam lex, & tantò mutabilior, quantò minus communis; ita Sanch. *lib.* 8. *de matrimon. disp.* 30. *num.* 13. & 14. Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 30. *num.* 12. & 13. & *lib.* 20. *num.* 15. Salas *disp.* 20. *tract.* 14. *sect.* 6. *art.* 6 §. Bonacina multos allegans *Tom.* 2. *de leg. disp.* 1. *q.* 2. *de dispens at.* §. 1. *num.* 5. Pelizarius, Donatus, & alij communiter.

4. Unde bene infertur, quòd si alicui Conventui, vel Provinciæ concessum sit privilegium vescendi lacticinijs in diebus à jure prohibitis, ob magnam penuriam piscium, non gaudebunt tali privilegio Provinciæ, seu Conventus, ubi hæc causa finalis cessat; quia tale privilegium est locale, & quasi personale, esset magnum absurdum contrarium asserere, 139

5. *Dicendum* est *secundò*; etiam si cesset causa finalis totalis privilegij, si tamen cesset, non contrariè, sed solum negativè, quando ratio, quæ induxit Pontificem ad concedendum privilegium non amplius subsistit, usus tamen privilegij non redditur injustus, neque opponitur alicui virtuti, durat privilegium, quia in tali casu, & si cesset ratio, seu causa finalis concessionis negativè, non ideo fit injustum, seu iniquum, cum usus ejus adhuc sit justus, licitus, & uti is ad multa; ita Granados 1. 2. *controvers* 7. *de legib. disp.* 17. *tract.* 3. *sect.* 4. Pelizar. *q.* 5. *num.* 94. & 95. colligitur clarè ex Suar. Sanch. & alijs relatis pro præcedenti conclusione. Vide sis de privilegiorum amissione compendiosè differentem è nostris Antonium à Spiritu Sancto, *loco supracit. sect.* 7. Francisc. Bonæ spei *Tom.* 4. suæ Theolog. *Tract.* 3. *disp.* 11. *dub.* 7. & Urbanum ab Ascensione *Tract.* 2. *Theolog. moral. cap.* 5. 140

Di-

# DISPVTATIO QVARTA.

*De revocatione privilegiorum.*

IN tota privilegiorum materia, nihil æquè necessarium invenitur, quàm exacta notitia revocationum eorum. Pendent enim ex ea omnia, quæ pro praxi servanda sunt; idcirco inutilibus omissis, selectiora in sequentibus adducam.

## SECTIO I.

*Quæ privilegia possint revocari validè, & licitè à Principe concedente, vel à successore habente æqualem potestatem.*

139

141. 1. CUm difficultas procedat de privilegijs concessis, seu concedendis à Romanis Printificibus respectu fidelium; præcipuè Religiosorum, qui omnes peculiariter subditi illius sunt, non datur locus quæstioni, circa non subditos. Hoc enim solùm ad alios Principes sæculares, potest pertinere, qui si semel concedant privilegia Ecclesiasticis, nequeunt illa revocare, quia jam fiunt bona Ecclesiastica; sed quia hoc non est ad rem, ideo ab eo abstinendum.

140

142. 2. *Dico primò*, privilegia merè gratuita, idest, quæ procedunt ex sola benignitate, & liberalitate Pontificis, revocari possunt, etiam sine aliqua compensatione, vel ab ipso, vel à suo successore, etiam nulla interveniente causâ, semper validè, & meo videri, semper licitè in praxi; quia semper fiet ex aliqua causa. Non enim est credendum Summum Pontificem, absque aliqua causa rationabili, velle revocare gratias à se absolutè concessas. Hoc enim de tanti Patris sanctitate, & benignitate nefas est suspicari. Conclusio est certissima in omnium opinione; nam in tali casu privilegium pendet ex sola voluntate Papæ in sui conservatione, sicut in sui concessione, & sub hac conditione intelligitur concessum, quod aliqui limitant, nisi per tale privilegium acquisitum sit dominium alicujus rei, v. g. oppidi, vel domus, tunc enim privilegium non potest revocari sine gravi causa, ut dicemus infra, sic Pelizar. *q. 6. n. 101.* videatur Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 33. n. 3.* Suarez. *lib. 8. cap. 37. num. 10.*

143. 3. *Dico secundò*, privilegia collata per modum contractus oneros, etsi cum urgente causa, & ob bonum publicum possint revocari, sed cum debita compensatione debet hoc fieri, quamvis enim Supremus Princeps ob bonum publicum, aut aliam urgentem causam, possit rescindere contractum initum cum subdito: quia semper intelligitur servata Supremi Principis authoritate ad meliora operandum; non potest tamen tertium privare re suâ, absque eo quod illi faciat debitam compensationem, cum subditus non teneatur cedere gratis juri suo; si ipsi justa compensatio commodè fieri potest; sic Suar. *supr. cap. 37. num. 5.* quem sequuntur alij. Hinc colligunt Doctores privilegium Bullæ Cruciatæ, & alia similia, non posse revocari à Pontifice utcumque; quia concessum est per modum contractus oneros; hoc est, mediante pecuniâ exhibitâ, pro Fidei defensione, ut ex ipsa Bulla constat; nisi ex justa, & publica causa, & cum restitutione ac-

ceptæ pecuniæ, vel cum debita compensatione: imò, & cum expressa revocatione illius, & interveniente novo contractu compensationis. Unde cum nullum istorum inveniatur in revocatione, quæ fit in anno Jubilæi, & in Bulla Cœnæ, non manet revocatum privilegium Cruciatæ, ut docent Sanch. *de matrimon. disp. 33. num. 10.* Portel. *verb.* Bulla, *in fin.* Rodr. & alij multi.

144. 4. Circa privilegia remuneratoria, propter servitia facta, vel facienda, distinctione utendum est. Nam si merita, ob quæ privilegia concessa sunt, dant privilegiato jus agendi, & actionem implorandi officium judicis, pro meritorum satisfactione, ut obsequia famuli servientis, etiam sine pacto, vel servitia militis in bello, liberè præstantis; quorum intuitu Rex, seu Princeps privilegium concedit illis, cum sapiat debitum ex contractu, quasi implicito, hujusmodi privilegium datur ex debito justitiæ, licet ex servitiis, quæ videntur liberaliter præstitis; & in tali casu non potest revocari, nisi modo dicto in conclusione antecedenti; sic Sanch. *lib. 8. de matrimon. disp. 33. num. 4.* cum alijs multis à se relatis, quos sequuntur cæteri moderni. Et hæc pacta sive explicita, sive implicita, tenentur Principes, & eorum successores omnino servare; aliàs nulla pacta cum principibus, superioribus, & supremis, possent esse firma, & stabilia; quod est contra jus gentium, & contra rationem benè gubernandi; ita Paul. de Castr. in *l. digna vox, C. de leg.* Afflict. *decis. 2. & 128.* Boerius *decis. 204*

145. 5. Si verò obsequia, & servitia, ob quæ datur privilegium, fuerunt liberaliter exhibitâ, sed ex alijs titulis debita, etiam si illorum causâ, Princeps privilegium concedat; concessio, in rigore, non potest dici remuneratoria ex debito justitiæ, sed potius ex lege antidotali, idest, gratitudinis, vel benevolentiæ, & benignitatis, & hujusmodi privilegia possunt revocari absque compensatione; quia tale obsequium non inducit obligationem justitiæ conservandi illa, sed ad summum, ex quadam gratitudine, & benevolentia: nam sicut prima concessio fuit ex gratitudine, non debetur compensatio, si tollatur, nisi ex sola gratitudine; de quo latè Suar. *lib. 8. de legib. cap. 27. num 6.* Ratio est, quia concedens privilegium ex gratitudine, non præsumitur se velle obligare ad compensationem in eventu quo auferat tale privilegium, nisi solùm ex gratitudine, quæ ex natura sua petit aliquid compensari, ne Princeps ingratus se ostendat: & nota, quod adhuc in hoc casu, ut privilegium remuneratorium revocetur, requiritur justa causa respiciens bonum publicum, sive nova, sive antiqua, non prævisa tempore concessionis, quæ semper in Principe, præcipuè Romano Pontifice, præsumitur; ita Menoch. *cons. 156. num. 48.* Suarez *cap. 37. num. 9.* & alij.

146. 6. Merita autem debent exprimi specialiter in privilegio concesso, ut constet esse remuneratorium, nec sufficit, ut in communi, & in generali exprimantur, juxta mentem Castri Palai, *Tract 3. disp. 4. p. 21. § 1. num. 6.* Pelizar. *q. 6. num. 106.* sed ut benè notat Donat. cum multis, *quæst. 10. num. 1.* satis est ut constet, merita præcessisse, & licet in foro externo id debeat probari, in foro conscientiæ non est necessaria alia probatio, quàm ipsa veritas.

7. Hinc

147. 7. Hinc cum privilegia Regularium ferè omnia conceſſa ſint per Romanos Pontifices, in præmium laborum, quos paſſi ſunt, & quotidie patiuntur pro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ defenſione, & augmento, ac animarum ſalute, prout ipſi Pontifices, in multis Bullis, expreſſe teſtantur: merito dubitatur, an ſint remuneratoria modo dicto, *num.* 3. & ſic non poſſint revocari, niſi in caſibus magnæ, & publicæ neceſſitatis, & cum debita compenſatione: An ſolùm ſint remuneratoria, juxta modum, *num* 4. aſſignatum? Non pauci Doctores, nec inferioris notæ, ſentiunt eſſe remuneratoria, ex cauſa oneroſa, & per modum contractus, ſaltem impliciti, ad modum famulorum ſervientium, & militum præliantium ſine pacto: & ſic non poſſe revocari, niſi ſervatis, quæ diximus *num* 3. ita præfari Authores. Sed oppoſitum tenendum eſt, nempè privilegia Regularium (uno vel altero excepto, quando contractus expreſsè interceſſit) eſſe ſolùm remuneratoria, titulo gratitudinis, non verò juſtitiæ, & ſic poſſe revocari à Summo Pontifice, validè, & licitè modo explicato, *num.* 5.

148. 8. Probatur primò, quia Princeps ſupremus ut eſt Papa, quando hujuſmodi privilegia concedit ſuis ſubditis, abſque contractu, non ſe obligat ad conſervandum talia privilegia, ſi occurrat cauſa, quæ ſi à principio extitiſſet, Papa non concederet talia privilegia, nec poſteros Pontifices privare valet illa poteſtate revocandi, ut benè Suar. *cap.* 37. *num.* 9 Merol. *Tom.* 3 *cap.* 8. *num.* 474. cum multis alijs; & ſufficientiſſima cauſa reputatur, jus commune illibatum ſervare; & in caſu violationis, ad illud redire, & ſic quando diſpenſationem ejus concedit, potius ex ſua benignitate concedit, quàm aliunde; ita *gloſſ.* communiter recepta in *Cap.* decet, *de reg. jur. in 6.*

149. 9. Secundò probatur, quia omnia obſequia, & ſervitia Regularium, in utilitatem Eccleſiæ, & animarum ſalutem, fiunt ex debito, & obligatione regulæ, & ſtatus Religioſi; nam ad hoc tenentur ex pacto, & juramento præſtito à fundatoribus Religionum, quo ſe, & ſuos poſteros adſtrinxerunt invigilare, ac nervosè laborare pro Eccleſiæ defenſione, & pro ſalute animarum, admiſſæque ſunt Religiones à Pontificibus ad hæc omnia procuranda, ut Epiſcoporum coadjutores; & ſic ex debito ſtatûs perfectionis, quem profitentur, talia ſervitia non poſſunt jus præbere Religioſis agendi contra Romanum Pontificem. Unde privilegia, quæ eis concedit, potius ex ſua benignitate, & gratitudine procedunt, quam ex juſtitia. Verum tamen eſt, quod attendunt Pontifices ad ſervitia præſtita, & præſtanda, quamvis aliàs, ratione ſui ſtatus, ad ea teneantur; ita Donatus *quæſt.* 19. *per totam*, alios citans, & *num.* 13. adducit exemplum, quod parum favet intentum in revocatione ab *Urbano VIII.* Facta ad petitionem noſtri Regis *Philippi IV.* omnium privilegiorum, quibus in illis Regnis, aliquo modo Regulares eximebantur, in aliquibus ab obedientia ſuorum ſuperiorum; & nulli fuit facta compenſatio, prout patet ex Bulla incip. *Paſtoralis Officij* edita anno 1626. & habetur *Tom.* 4. *Bull.* Cherub *Bull.* 37. ſed hoc parum urget; quia talia privilegia erant perſonalia, & regulariter, magis extorta precibus, & diligentijs humanis,

manis, quàm meritis in obsequium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; & cum essent maximè nociva boni communis, non est mirum, quod illa Sanctus Pontifex revocaret, absque compensatione, declarando solùm usque ad illud tempus potuisse extendi.

150. 10. Et si adhuc instes pro prima sententia, dicendo, quod multa obsequia, quæ fiunt à Religionibus, videntur excedere limites suæ obligationis (casibus urgentissimis exceptis) ut patet in rebus difficillimis aggressis abipsis, ut sunt labores maximi, & continui, in studiis, & concionibus fidelium, & infidelium, non solùm cum maximo periculo propriæ salutis, sed & vitæ. Ergo saltem ex hoc capite, privilegia concessa, & concedenda, reputanda sunt remuneratoria, pluspquam ex debito gratitudinis.

151. 11. Respondetur negari non posse, quod multa ex his operibus, excedunt debitum rigorosæ, & præcisè obligationis suæ professionis, cum sint opera supererogatoria, sed cum fiant, ut debent fieri, ex amore Dei, & proximorum à Deo expectanda est retributio, non à Romano Pontifice, nisi ad summum ex gratitudine, siquidem voluntariè, & gratiosè fiunt. Non tamen nego, quod propter ea præbeant sufficiens fundamentum, ut talia privilegia, quando revocantur, seu restringuntur debeant intelligi cum minori restrictione possibili: Maximè si cedant in favorem animarum, quem semper intendunt Romani Pontifices. Et ideo in pertinentibus ad bona spiritualia, & salutem animarum, concessiones debent extendi, & revocationes restringi.

152. 12. Rursus instat P. Chalaing. *tract. 1. cap. 4.* ubi acriter defendit, quod privilegia Regularium specialiter, quòad prædicationes, confessiones, & alia hujusmodi, non sunt privilegia gratiosa, sed transierunt ad jura quæsita concessa intuitu laborum, & sic jam non sunt meræ gratiæ, imò multa transierunt in rem judicatam, & sic nequeunt voluntariè revocari. Probat ex multis sententijs Pontificum, & Conciliorum, contra opponentes se hujusmodi privilegijs, ut constat ex sententia *Bonifacij* Extravag. *super Cathedram, de sepultur.* quæ licet correcta fuerit *à Benedicto XI.* tamen postea à *Clemente V.* instante Concilio Generali Viennensi in Gallia fuit de novo confirmata, & appellatur Clementina, *Dudum, de sepulturis*, adducit alia exempla ex diversis Pontificibus: Non ergo talia privilegia, sine gravissima causa, & sine citatione partis, ut declaravit *Urbanus VIII.* ad Reg. 13. Cancellariæ de jure quæsito, & sine compensatione, possunt revocari, neque mens Pontificis id intendit in suis revocationibus, quia jus tertij semper curat illibatum servare; omitto alia acriora, quæ ibi iste Author adducit.

153. 13. Respondetur, quod tantum probat hæc instantia, ut fere nihil probet. Non enim hoc jus quæsitum fundatur in debito justitiæ, ex al quo pacto, adhuc, implicito, quod erat necessarium, ut doctrina tradita à Patre Brunone haberet vim; sed fundatur in liberalitate, benignitate, & gratitudine Summi Pontificis, per obsequia debita alio titulo, nempè professionis, & liberaliter exhibita, ex charitate ad Deum, & proximos. Quapropter si adsit justa causa, possunt revocari absque requisitis in debito Justitiæ; sic docent Suar. *c. 37. n.*

4. Basil.

4. Basil. de Leon. *lib. 8. cap. 19. §. 2. num. 3.* Palao *Tract. 3. disp. 4. punct. 21. §. 1. num. 6.* Bonacin. *disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 3. num. 3.* Unde ex dictis titulis (ut diximus) solùm datur fundamentum, ut revocationes talium gratiarum, debeant interpretari strictè, ut minus lædant; præcipuè quando respiciunt salutem animarum, quam Romani Pontifices, ut veri Patres, & Vicarij Christi, semper præsumuntur intendere in suis Ordinationibus, scandalis, & litibus exclusis.

## SECTIO II.

*De diversis revocationibus privilegiorum.*

154. 1. UT cum majori distinctione, & claritate procedamus, & certa ab incertis separata maneant, aliqua prænotari oportet. *Primum* est, non semper esse idem *privilegium, rescriptum, gratiam, beneficium, & indultum*, sed multoties diversa significare: *Rescriptum* enim intrinsecè petit, ut nomen ipsum præsefert, quod in scriptis detur: siquidem *rescriptum* est responsum scriptum; ideoque per antonomasiam responsa Pontificum, ad dubia juris Canonici, in scriptis data, appellantur *Rescripta Pontificia*; sicut responsa Imperatorum ad dubia juris civilis, dicuntur *jura civilia*; sic notant Curtius in *præfat. tract. ad Cap.* cum tanto, *de consuet.* Suar. *lib. 8. cap. 2. n. 7.* Hæc tamen differentia, ut benè notat ipse Suar. valde materialis est: Nam responsum Principis, si ipse vellet, posset sine scripto dari, & esset firmum, neque hoc est universale, siquidem privilegia frequentius in scriptis conceduntur; & possent ita concedi: taliter, ut aliter non valeant, juxta Principis dispositionem. Insuper *Rescriptum*, secundum usum juris Canonici, & Civilis, est nomen generale, ad omnia se extendens, sive privilegia, sive gratias, quæ propriè privilegia non sunt, dum in scriptis conceduntur.

155. 2. Rursus, *Rescriptum*, aliud dicitur *Iustitiæ*, aliud *gratiæ*. Primum est; quod datur ad explicandum ius ad lites, vel ad decidendum jus inter partes, & hoc manifestè differt à privilegio, siquidem datur, secundùm commune jus, vel ad interpretationem ejus, vel ad debitam ejus executionem: Cum verum privilegium semper detur, vel contra, vel supra jus commune; ut in ejus diffinitione diximus. Secundum, *Rescriptum* dicitur *gratiæ*, & est illud, quod versatur, vel circa res, aut circa Canonica rescripta, quæ beneficialia appellantur, & dantur ad collationem beneficiorum Ecclesiasticorum; in quibus ex dispositione Pontificum est omnino scriptura necessaria; alias nihil valebunt, ut dicitur in materia de beneficijs, & explicat Azor. *lib. 5. inst. cap. 2. quæst. 5.* Quando autem Rescriptum gratiæ versatur circa jus operandi, sub illo continetur privilegium scriptum; sed latius patet, quàm privilegium, quia continet sub se alias gratias, seu beneficia, quę propriè privilegia non sunt, ut patet in dispensationibus, quæ solùm dantur ad unum actum, quæ minimè privilegia dici possunt; siquidem de ratione privilegij, ut lex privata est perpetuitas, & ad plures actus conceditur. Verum est, quod si dispensatio sit perpetua & ad plures actus concedatur coincidet cum privilegio: aliæ autem dispensationes, ut in irregularitate, & similibus, non sunt privilegia, quia solum sunt ablationes impedimenti Canonici, quo sublato, liber manet, qui erat impeditus, & licet dispensatus (idem dic de absolu-

luto à censura, sive alio impedimento Canonico) multa possit facere, quæ antea non poterat; non tamen illa facit ex privilegio, sed secundum jus commune, ex eo, quod jam non est impeditus, sicut antea.

156. 3. Ex quibus etiam infertur, quomodo privilegium comparetur ad gratiam, seu beneficium, non enim inter se convertuntur, quia etsi ferè omne privilegium possit dici gratia, siquidem fundatur in favore Principis, nec soleat esse debitum, sed gratiosum, saltem sub aliqua ratione; non tamen omnis gratia est privilegium, ut apparet in dispensationibus adductis, & alijs similibus gratijs, & indultis. Quæ omnia, ut bene notat Suar. *lib.* 8. *cap.* 2. deservire possunt ad exponenda jura loquentia, de rescripris, & quomodo explicanda sint privilegia, quæ in scripto dantur.

157. 4. *Secundò* notandum est, revocationem aliam esse expressam, & formalem; & est omnis illa, quæ fit per clausulam expresse derogatoriam privilegij; aliam implicitam, seu per quandam consecutionem; ut quando Princeps facit aliqui l, seu concedit, quod non potest subsistere, seu habere effectum intentum, sine derogatione privilegij prius concessi. Tunc enim cum illæ duæ voluntates Principis sint oppositæ, necesse est, ut una impediat alteram, & sic in secunda præsumitur implicitè revocare primam, sed cum ad hoc necessaria sit in Principe scientia, seu notitia, prioris privilegij; est maxima difficultas, quando secunda præsumatur revocatoria primæ? de quo infra. Alia revocatio implicita potest assignari, nempe, quando non est clausula expresse revocatoria, verbis proprijs formalibus, sed alijs æquivalentibus, ut quando in secunda concessione, ponuntur clausulæ: *Ex certa scientia, motu proprio, vel de plenitudine potestatis.* Sed meo videri hæc revocatio potius debet dici expressa, in verbis æquivalentibus, quam virtualis, ut ex *infra dicendis* patebit.

158. 5. *Tertiò* est notandum, quod revocatio expressa, & formalis subdividitur, in *genericam*, seu *generalem*, & *universalem*, v. g. quando apponuntur verba: *Non obstantibus quibuscunque privilegijs, vel privilegijs omnibus exclusis*: & in *specificam* seu *individualem*, quæ idem sunt apud Juristas, & Canonistas: & est quando nominatur tale, vel tale privilegium, quod Princeps revocare intendit; & quando hæc revocatio specifica apponitur, non est dubium, quod revocatio ex se est firma, & valida: dixi ex se, quia ex alijs defectibus potest esse nulla; puta ex subreptione, obreptione, & similibus. Unde in hujusmodi revocatione specifica, & individuali, non est immorandum, sed solùm in revocatione generica, seu universali, ac etiam in revocatione specifica virtuali, seu implicita, ut in secundo notabili.

159. 6. *Quartò* notandum est, quatuor modis posse Pontificem implicitè, seu tacitè revocare privilegia. *Primò*, per legem generalem, & universalem novam: *Secundò*, per hominis mandatum, idest, per rescriptum, seu privilegium personale, privilegio contrarium: *Tertiò*, per novum privilegium reale, & per modum legis: *Quartò*, per sententiam contra privilegiatum.

160. 7. *Quintò* nota, quod clausulæ generales revocatoriæ in duplici classe possunt constitui, In prima illæ quæ sunt ma-

magis generales, & communes, magisque distant à specificis, & individualibus, hujusmodi sunt : *Non obstantibus quibuscunque privilegijs in contrarium penitus exclusis, seu derogatù, & alijs similibus.* In secunda classe collocantur
158 aliæ clausulæ, quæ licet generales sint, magis tamen accedunt ad specificas, naturamque illarum aliquantulum participant, ut sunt sequentes: *Non obstantibus quibuscumque privilegijs, etiam si de verbo ad verbum petant de eis mentionem fieri: vel quorum tenores pro expressis habentes, vel non obstante quocunque privilegio, sub quacunque forma concesso, vel non obstantibus privilegijs quibuscunque, etiam si essent talia, ut de eis facienda esset mentio de verbo ad verbum.*

8. *Sextò* nota, quod lex (loquor de Ecclesiastica, quia ad intentum) potest
161. dici generalis tripliciter. *Primò*, quia comprehendit homines fideles, cujuscumque status, & sexus. Do exemplum in lege prohibente manducationem carnium in die veneris, & audiendi Sacrum in diebus festivis, & respectu hujus generalitatis, quælibet alia lex, quæ respicit determinatum statum personarum, ut Clericorum, vel laicorum, vel
159 Religiosorum, potest dici lex specialis, seu particularis, quia speciales personas respicit, seu particulares

9. *Secundo* modo potest dici *lex generalis*, non quia omnes absolute tan-
162. git, sed quia tangit omnes illius status, seu conditionis, pro quibus fertur, ut lex stabilita pro solis Clericis, vel pro solis Regularibus; & licet hæc lex dicatur
160 specialis respectu primæ, absolutè in se generalis, & communis potest dici, respectu mandati, seu præcepti impositi, & personarum, quibus imponitur. Nam ut benè notarunt Thusc. *verb.* Lex, *concluf.* 253. *num.* 11. & Rom. *cons.* 151. omnis lex est generalis, & universalis; nam de ratione cujuscumque legis est, universalitas, seu generalitas: debet enim ordinari ad plures, saltem alicujus universitatis, seu status, cujus bonum commune respiciat; nam si ordinetur ad aliquam determinatam personam, non lex, sed mandatum, aut præceptum diceretur; quia ad rationem veræ legis, inter alia, tria requiruntur, ut necessaria.

*Primum*, quod sit à Principe Supremo habente supremam Jurisdictionem super communitatē; Unde inferiores Prælati non possunt concedere leges, licet possint imponere præcepta suis subditis.

10. *Secundum*, quod tangat omnes illius status, nisi ab ipsa lege aliquis excipiatur. *Tertium*, quod sit perpetua, & non solùm extendatur ad præsentes, sed ad futuros, & sic nec morte Principis statuentis lex perimit; nec subditorum præsentium; sed semper manet in sua vi, quod non habet mandatum particulare, seu præceptum, nam hoc morte, seu vacatione officij imponentis exspirat, sicut morte recipientis: & idem est de qualibet constitutione, seu dispositione, quæ solùm ad tempus statueretur, etiam à Principe supremo, quæ ex defectu tertiæ conditionis, non esset lex, etiam si respectu totius cōmunitatis imponeretur. 163.

11. Hinc facile intelliges, differentiam inter censuram positam à jure, & 164.
posiram ab homine; quarum prima est, quæ imponitur à superiore, per modum legis, ut quando stabilitur generaliter, ab habente potestatem leges condendi contra quemcunque, qui hoc vel illud fecerit, aut omiserit; unde non dicitur à

jurè,

jure, quia sit à jure Canonico, seu communi, sed quia sit à lege, quæ jus est; imo & jus commune, prout respicit communitatem subditorum, cui imponitur. Secunda, dicitur ab homine, non quia imposita est ab humana potestate; certum est enim, omnem excommunicationem fundatam esse in potestate alicujus hominis, quo sensu omnes censuræ possent appellari ab homine; sed vocatur ab homine, quia non imponitur id quod præcipitur per modum legis, sed per modum præcepti tēporalis, sive ab inferiore, sive à Superiore Prælato.

165. 12. *Tertio* modo, lex potest dici generalis, quia inclusa est in voluminibus juris Canonici, seu in aliquo Concilio Generali; & leges hujusmodi sic collectæ sunt maximæ authoritatis, ex eo quod magna curâ, prævioque, & maturo examine multorum, post longam experientiam sunt stabilitæ, & concinnatæ, authoritate Romani Pontificis, & propositæ toti Populo Christiano, tanquam regulæ certæ, per quas gubernari debeat, & à quibus non liceat recedere in gubernio totius Ecclesiæ, sine prævia facultate ipsius Romani Pontificis, & respectu harum legum, quæ jus commune vocantur, seu conciliare, cæteræ leges extra illud dicuntur speciales, seu particulares quamvis respectu eorum, pro quibus imponuntur, appellari possint generales, & communes; quia omnes Communitatem respiciunt. Colligitur hæc tertia expositio legis generalis ex *Cap.* Abbate, & *Cap.* in his, de *privileg.* ubi declaratur dici aliquid speciale, ut distinguitur ab his, quæ juri communi conceduntur.

166. 13. Sed quia communiter privilegium, etiam reale, dicitur lex privata; ac proinde non lex absolutè, sed qua lex, Nota septimò quod à S. Isidoro privilegium appellatur lex, & sequitur Suar. *lib.* 1. *de legib. cap.* 14 *num.* 8. & alij communiter. Neque obstat, quod D. Thom. 1. 2. *quæst.* 92. *art.* 2. *ad primum* dicat: *Quia lex est imperium procedens à voluntate efficaci obligandi ejus, qui potestatem habet. Unde nulla potest esse propriè lex, quæ obligationem non inducat, ideſt necessitatem quamdam operandi, vel non operandi, quod lex præcipit.* Igitur cum privilegium non obliget, ut eo utatur, unusquisque enim uti, vel non uti illo potest, tamquam favore sibi concesso, & potest illi renuntiare, non habebit rationem legis absolutæ.

14. Sed hoc non obstat, quin privilegium reale possit dici lex. Nam privilegia perpetua, seu realia sunt in duplici differentia. Quædam sunt concessa intuitu alicujus boni communis, quibus renuntiari non potest, juxta *Cap.* si diligenti, *de foro Compet.* Tale est privilegium fori concessum Clericis, & Monachis, cui nullus renuntiare potest, quia non intuitu personarum, sed dignitatis Clericalis, seu Monachalis, concessum est; & hoc privilegium proprijssimè est lex, non solùm respectu illorum, quibus præcipitur, ut tale privilegium Clericis observent, sed etiam respectu ipsorum Clericorum, quibus præcipitur, ut illo utantur, nec renuntiare valent. Alia sunt privilegia concessa intuitu privati commodi ipsarum personarum, & hæc si comparentur ad ipsos privilegiatos, non habent rationem legis, siquidem non est præceptum illis impositum, nec obligat illos, cum possint illis non uti, & illis renuntiare. At verò respectu aliorum, qui tale privilegium observaturi sunt, parendo illi, & non contradicēdo; si haber 167.

habet veram rationem legis, continet enim præceptum obligans ad talem immunitatem servandam privilegiatis: Alioquin valde inefficax esset tale privilegium, si quando privilegiatus vult uti privilegio sibi concesso posset impediri ab alijs.

In legibus permissivis hoc idem cum proportione apparet, quæ in tantùm sunt leges, in quantum implicitè habent admixta præcepta, sine quibus permissio non posset intelligi, ut decreta per legem, quod voluit *gloss. in l. legis virtus, ff. de legib.* dum utitur exemplo *l.* 1. C. *de jur. & fact. ignorant.* ubi militi permittitur uti exceptionibus sibi concessis post latam sententiam contra se, propter suam ignorantiam, ubi illa permissio legis obligat judicem, & actorem ad tales exceptiones admittendas, ut bene probat Padill. *in d. l.* 1. *num.* 6. ex quibus patet ad objecta D. Thom. & quare frequenter dicatur, privilegia deficere à ratione propriæ, & rigorosæ legis.

168 15. Habes ex dictis, quod quælibet vera, & rigorosa lex, lata à Pontifice, potest dici generalis, & universalis. & etiam potest dici specialis (exceptis illis, quæ omnes fideles adstringunt) sed ex diversis respectibus; nam prout respicit universitatem personarum, quibus imponitur erit generalis, & communis, sed prout refertur ad legem magis extensam, & universaliorem, dicetur specialis. Item, quæcunque leges extra jus commune, & conciliare, possunt dici speciales; eò quod non claudantur in voluminibus propositis toti Ecclesiæ; in quibus continentur regulæ pro gubernio universali totius populi fidelium. Nam leges, quæ de novo fiunt post dicta volumina, vel sunt ampliativæ illarum, vel coarctativæ, vel denique declarativæ, & sic sunt speciales, licet in communi modo loquendi, aliæ dicantur generales, aliæ speciales, secundum diversas rationes, quod magis pertinet ad nomen, quam ad rem: & quia omnia supradicta possunt maximè deservire, ad æquivocationes rejiciendas, tam in hac, quàm in alijs materiis, placuit ea hic attexere.

16. His suppositis in hac sectione agemus de clausulis, *num.* 6. *hujus sectionis* assignatis, id est, de clausulis generalibus revocatorijs primæ classis; in sequenti verò de assignatis in secunda classe.

17. Dubitabis ergo primò, an privilegijs insertis in corpore juris communis, seu ordinarij, derogetur per dictas clausulas revocatorias, in novis statutis Pontificum insertas. Et loquimur, quando in dictis statutis, non apponuntur particulæ, v. g. *Motu proprio, certa scientia, & de plenitudine potestatis*; quia quando adsunt istæ particulæ, currit diversa ratio, ut dicemus *infra*. Aliqui Juristæ respondent, per dictas clausulas generales revocari quæcunque privilegia antecedentia, etiam inserta in corpore juris communis, & alterius cujuscunque. Quia Pontifex habet scientiam omnis juris communis: Ergo quando generaliter revocat omnia privilegia, intendit revocare saltem ea omnia, quorum scientiam habet, qualia sunt inclusa in jure communi, & quovis Concilio generali, etiam Tridentino. Etenim 169

jus commune ordinarium, & jus Conciliare, ejusdem naturæ, & authoritatis sunt, siquidem omnia sunt jura Pontificia, stabilita tanquam leges communes, & universales, & sic ejusdem valoris, & authoritatis. Neque est assignabile jus, quod contrarium disponat, igitur quodlibet privilegium, seu dispositio posterior, repugnans priori revocabit.

Confirmatur, quia dictiones, & clausulæ, quæcumque generales revocatoriæ, tantam vim habent, ut comprehendant ea, quæ aliàs non comprehenderent; cum nihil excludant, & tantùm operantur, ac si singula fuissent expressa, sic Bursat. *volum.* 4. *conclus.* 364. *num.* 14. Marc. Ant. *lib.* 1. *resol.* 8. *num.* 12. Innocent. *in Cap.* Ex parte, *de Capell. Monach.* Alciat. *Paradox. lib.* 6. *cap.* 10. P. Suar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 14. *num.* 7. ut videbimus *infra sect.* 3. *num.* 15. & 16. Hostiens. in *sum. tit.* de rescript. §. *quas vires*, & §. *sed potest distingui*, Joan. Andr. *in Cap.* unico, *de excess. Prælatorum*, & alij multi, quos refert, & sequitur noviſſimè P. Juniperus à Drepano Minorita, Pœnitentiarius Lateranensis, apud *Vrbanum VIII.* in defensione juris Pontificij *disp.* 3. *q.* 3. *cap.* 2. *per totum*, & addit esse communem Juristarum, ut docet Felin *in Cap.* nonnulli, *de rescript. regul.* 1. *fall.* 2. *n.* 11. & juxta mentem hujus authoris, & aliorum, quos citat; nulla derogatio expressa necessaria est in novo privilegio, seu statuto, ut privilegio communi derogetur in eo in quo contrariatur; quia ex natura sua, absq; alia expressa derogatione (ait *num.* 7. & dixerat *num.* 4.) privilegium, licet lex privata, derogat legi communi; & ultra jus commune aliquid operatur, etiamsi id non exprimat, ne dicatur nugatoriam, & frustraneam esse novam concessionem; idem docet Juniperus *de cas. reserv. disp.* 7. *quæst.* 4. *cap.* 2. *num.* 9. & 10. Ibi tamen petit ad revocationem Trident. clausulam saltem generalem, revocatoriam antecedentium, de quibus *infra* in duabus sectionibus sequentibus redibit sermo, ut melius doctrina intelligatur. Excipit tamen Juniperus, prius concessa per contractum onerosum, & idem dic de his, in quibus jus tertij, in re temporali acquisita, & possessa, pateretur. Nam ad ista revocanda, & requiritur expressa, & specifica mentio, & condigna compensatio.

18. Sed quia quàm plurimi Authores, ex antiquis, & modernis apponunt varias exceptiones præfatæ doctrinæ, ex diversa praxi, & stylo Curiæ temporis antiqui, & moderni, quibus satis difficilem reddunt quæstionem: Claritatis gratia sequentibus conclusionibus, dicam quid sentiam, juxta doctrinam relatam, *notabili* 4.

19. *Dico primò*, quando Papa statuit per modum legis, seu statuti generalis; dictæ clausulæ generales revocatoriæ sufficiunt ad deroganda privilegia, quæ inserta inveniuntur in corpore juris communis, in his, quæ opponuntur novæ legi; etiam si privilegia in jure communi inserta haberent clausulas derogatoriarum derogatorias; dummodo jus commune, cum lege nova in proprietate sermonis, non possint inter se conciliari; nam si hoc potest, semper debet fieri, 170

ut

ut jus commune illæsum servetur, vel cum minori læsione possibili. Unde si lex nova possit habere proprium effectum, sine læsione juris communis antiqui, indemne debet servari; ita communiter Doctores. Ratio est, quia lex generalis posterior derogat priori generali; in his, quæ contrariantur. Siquidem Pontifex concedens secundam legem, habet scientiam prioris. Cum ergo omnia inclusa in jure communi, sint leges communes, per subsequentem legem derogatæ manent anteriores, in his, quæ omnino contrariantur. Nam posterior voluntas Principis, cum scientia prioris, semper prævalet, ut docent Juristæ, & Canonistæ; confirmatur manifestè ex *l. Conciliari*, v.g. Tridentini, ubi multoties revocantur privilegia Regularium, inserta in corpore juris, & non inveniuntur in Tridentino revocationes specificæ, & individuales, sed solùm Clausulæ generales, & nihilominus tales revocationes sunt validæ, & firmæ, sic Suar. *cap. 39. num. 2.* Castro Palao *Tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 21. §. 4. num. 10.* Merol. *disp. 6. cap. 7. dub. 8. num. 117.* & *Tom. 2. disp. 4. de leg. cap. 7. num. 23.* P. Juniperus de casib. reserv. *Part. 3. disp. 7. quæst. 3. cap. 3. num. 6.* Basilius de Leon. *lib. 8 de matrimon. cap. 19, num. 19.* ubi addit: Quod etiam privilegia inclusa in quibuscunque Concilijs Generalibus, derogentur per subsequentem legem universalem; nullam admittens differentiam, quòad hoc inter jus antiquum, & jus novum, nempè conciliare, etiam Tridentini; sed omnia manere derogata per subsequẽtem legem universalem: & sic fuisse declaratum à *Pio V.* in quadam *Extravag.* & esse praxim Ecclesiæ, affirmat Basil. *ibidem.* Addit Suar. *lib. 6. cap. 27. num. 10.* quod licet lex posterior non habeat clausulam derogatoriam, si priori legi directè opponatur; ita ut si priori non deroget, fiat inutilis posterior, prior lex manebit derogata, ac per consequens, privilegium in ea inclusum, alias numquam posset fieri derogatio legis antiquæ, sine clausula formali derogatoria, quod apertè falsum est; ait Suar. ex c. 1. de const. in 6. cum gloss. ibi Doctoribus. Nam voluntas posterior, quæ non potest consistere cum priore, mutat illam, & ipsa repugnantia est abrogatio prioris legis, insertæ in jure communi. Quam Doctrinam appellat indubitatam, etiam respectu Concilij Tridentini, Diana *part. 7. tract. 2. resol. 23.*

20. Affirmant tamen multi, quod 171
revocatio posterior generaliter facta, indistinctè loquens in aliqua lege, seu statuto correctivo prioris legis, limitanda est per priorem specialem, si expressè, & specificè lex posterior non faciat mentionem prioris, juxta regulam juris in 6. quod species derogat generi, etiam si species antecedat; probant ex *l. sed posteriores, ff. de legib.* Unde inferunt, non pauci; facultatem concessam Episcopis à Tridentino, *sess. 24. cap. 6.* absolvendi à casibus reservatis occultis, pro foro conscientiæ, non esse revocatam; saltem ex vi Bullæ Cœnæ Domini, quia ille casus in specie conceditur Episcopis per priorem legem, cui non derogatur per Bullam Cœnæ Domini, quia de illa gratia priori, non facit mentionem,

hæc derogatio posterior, contenta in Bulla Cœnæ; hunc modum dicendi sequuntur Banez 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. *vers.* Etsi objicias *post* 2. *conclus. arg.* 30. Navarr. *in sum. cap.* 27. *n.* 260. *& tom.* 2. *cons. lib.* 5. *de privileg. cons.* 11. *quæst.* 1. *num.* 1. Bosius de Jubilæo *sect.* 1. *cas.* 10. §. 2. *num.* 11. & alij multi, quos referam *infra* agendo de revocationibus inclusis in Bulla Cœnæ Domini, affirmantes esse sententiam communem Juristarum. Sed meo videri, hæ sententiæ possunt reduci in concordiam.

Nam Authores hujus sententiæ admittunt, quod lex posterior generalis correctiva, debet explicari, taliter, quod non comprehendat casum specialiter concessum in priori lege, & ad hoc affirmandum, præbent sufficiens fundamentum, regula juris assignata, & communior sententia Doctorum, sic interpretantium mentem Pontificis, generaliter statuentis, in posteriori lege correctiva, quod si attentè inspiciatur, ferè nihil aliud est, quàm quod concedunt Suar. & alij. Dicunt enim, quod quando lex posterior potest cum priore componi, debet ita fieri; dummodo aliquem aliũ effectum lex posterior habeat, quod in lege generaliter statuente, ferè semper continget, componendo unam cum alia. Et sic utraque lex potest habere effectum cum aliqua concordia in jure usitata, & credendum est, legislatoris intentionem fuisse posteriorem legem generalem ferre, cum illa particulari limitatione, & exceptione.

172 21. Si verò detur casus, in quo lex generalis correctiva posterior, nullo modo possit componi cum priori, neque aliquem effectum possit habere, nisi illi derogando, derogata manebit. Neque obstabit regula juris supra relata ex *Cap.* 1. *de Const. in* 6. ibi enim est sermo de particularibus statutis, quòad loca, & licet eadem ratio sit de peculiaribus statutis, quòad materiam, & personas; hoc non verificatur in statutis, & legibus universalibus; videlicet contentis in jure communi, vel conciliari; etiamsi specialiter aliquid concedant determinatis personis, seu locis, quia de his omnibus habet scientiam Pontifex, seu præsumitur illam habere, cum sit jus comune; secus verò de statutis extra jus commune, seu conciliare, ut *infra* dicemus.

22. Porro verum est, quod P. Sanchez. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 27. *num.* 7. 173 cum alijs, sentit necessariam esse expressam mentionem Conciliorum Generalium, saltem in generali, ut illorum statuta revocata intelligantur; propter majorem authoritatem, quam Concilia Generalia habent. Imò addit, quod si Concilium Generale modernum sit, ut est Tridentinum, oportet illius specificam mentionem facere; nec sufficit Generalis revocatio Conciliorum, sed de his *infra* redibit sermo.

23. *Dico secundò*, per leges Concilij 174 Generalis, non derogantur privilegia specialia, id est, quæ sunt extra Corpus Juris communis, nisi in Concilio sint clausulæ expressæ derogatoriæ generales assignatæ, pro prima classe. Ratio est, quia legislator non præsumitur scire jus privatum, seu leges speciales, nec particularia facta, juxta *Cap.* 1. *de Const.*

*Conſt. in 6.* ſed privilegium extra corpus Juris communis, continet ſpeciale,& privatum jus,pertinens potius ad factum: Ergo niſi expreſsè revocetur, illæſum manebit. Quod verò ſufficiat revocatio ſub dictis clauſulis generalibus poteſt probari,ex magna authoritate legum Concilij generalis, voluntatem Principis exprimentis,quando in eis revocatio, licet Generalis additur. Utriuſque exemplum apparet in Tridentino, ubi expreſsè revocantur privilegia aliqua Regularium, & licet ſub Generali, & communi revocatione, revocata manent, de quo nullus dubitat. Quando verò Concilium non apponit expreſſam revocationem illorum, illæſa manent, quamvis opponantur decretis Tridentini,ut ex multis Authoribus probavimus ſupra. Ideo hanc concluſionem tanquam cõmunem tenent Suar. *lib.8.de legib.cap.39 num.1.* Baſil. de Leon *lib.8.c.19.* Caſtro Palao *ubi ſupr.* Merol. *Tom.3. de privileg. cap.7.num.* 22.& alij innumeri.

175 24. Major autem difficultas eſt, an per privilegia, ſeu reſcripta, quæ leges communes non ſunt, ſed ſolùm privatæ, cũ ſolis dictis clauſulis generalibus,derogetur privilegijs in ſertis in corpore juris communis? Hæc difficultas, quæ verè maxima eſt, coincidit cum alia,videlicet, an per privilegia de novo conceſſa revocetur jus commune,in eo quod privilegio novo contrariatur,& omiſſis varijs dicendi modis, qui videri poſſunt apud Juniperum, *ubi ſupra*, qui mordicus defendit partem affirmativam,etiam reſpectù cujuſcunque Concilij Generalis, & apud Suarez *lib.8.c.14.n.1.2.& 3.* alios Authores.

25. *Dico tertio*, quando privilegium 176
ſpeciale poteſt habere effectum, aut utilitatem petitam, ex proprietate verborum,ſine derogatione juris communis,& neque in privilegio, quod conceditur, neque in jure communi ſunt clauſulæ derogatoriæ,adhuc Generales, non manet revocatum jus commune, neque privilegium in eo contentum,per ſubſequens privilegiũ. Et idem dicendum eſt, quando in jure communi ſunt clauſulæ generales derogatoriæ,ſeu reſiſtentes privilegiis, pro futuris temporibus, & in privilegio noviter conceſſo, ſolùm ſunt clauſulæ generales derogatoriæ: Quia id æqua ratio poſtulat, ſumitur hæc concluſio ex *Cap.* in his,*de privileg.* ubi poſtquam reprobatur quædam ſtricta interpretatio cujuſdam privilegij,per quam inutile reddebatur,additur: *Ita eſſe interpretandum privilegium,ut privilegiati aliquam inde gratiam conſequantur; dummodo ab illis, quæ jure Parochiali proveniunt, prorſus abſtineant.* Ex quo text.& ex *Cap.* Patentibus *ſub eod.tit.* colligunt Doctores privilegiũ, quod uni juri derogat,non eſſe extendendum contra alterum, quia citra læſionem alterius poteſt ſuam habere utilitatem. Ergo à fortiori ſentiunt, quod ſi abſque derogatione alicujus juris communis poteſt ſalvari utilitas privilegij, non eſt credendum Pontificem voluiſſe derogare juri communi, cujus mentionem non fecit, quod intelligendum eſt,ut inſinuavi de effectu, & utilitate privilegij ſufficiente ad explendam proprietatem verborũ

ejus, hæc enim semper attendenda est, & servanda. Sit exemplum, si detur aliquod privilegium ad commutanda vota, debet intelligi de commutatione in re æquali, quia illa verba, sufficienter explentur per commutationem æqualem, & ideo non potest extendi ad inæqualem, quæ juri est contraria, & ideo nec potest extendi ad dispensandum, quia commutatio in proprietate sermonis, non significat dispensationem; quia multò major est, quàm commutatio, & sic semper quãdo salvatur utilitas privilegij in proprietate sermonis, sine derogatione alicujus juris communis, non est ad illam extendendum, nisi in eo aliud exprimatur; sic Suar. *ubi supr. cap.* 14. *num.* 4. quem sequuntur Merol. Donat. & alij, & in hoc sensu possunt intelligi Authores dicentes; juri communi non derogari per privilegia, habentia clausulas generales derogatorias, & multò minus sine illis.

177 26. *Dico quartò*, quando privilegiũ est prorsus inutile, nec haberet effectũ, quem petit juxta proprietatem verborum, nisi derogando juri communi, illi derogabit in eo, quo illi contrariatur, & hoc non solùm cum clausulis derogatorijs generalibus relatis in secunda classe; verùm sine illis, & absque alia obstantia, quando in jure communi nulla est specialis resistentia. Probatur efficacissima ratione, quia tale privilegium etiam si nullam expressam derogationem contineat, ipsa concessio in actu exercito est implicita, & virtualis derogatio juris communis, in eo quo privilegio contrariatur. Nam Pontifex præsumitur habere scientiam juris communis, & eorum, quæ in ipso continentur juxta *Cap.* 1. *de Const. in* 6. Ergo quando cum tali scientia, & cognitione concedit novum privilegium, ipsi juri communi oppositum tacitè derogat illi; etiamsi expressè id non declaret; aliàs frivola, & frustranea esset concessio novi privilegij, quod non est admittendum; præterquamquod est contra naturam ipsius privilegij, quod petit operari contra jus commune, quando aliter effectum habere non potest, sic Salas *disp.* 17. *de leg. b. sect.* 14. *num.* 75. Bonacin. *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 3. *num.* 15. Palao *Tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 21. §. 4. *num.* 11. & alij contra Suar.

27. Confirmatur ex *Cap.* cum his, *de privilegiis*, ubi privilegium datum, *Ad celebrandum in altari portatili*; declaratur esse intelligendum, sine licentia Episcopi, licet hoc non contineatur expressè in privilegio, & sit contra jus commune. Nam si talis licentia Episcopi esset necessaria, privilegium esset prorsus inutile; siquidem ad celebrandum in tali Altari cum licentia Episcopi, non erat necessarium privilegium, nam cum tali licentia, in jure nulla est prohibitio celebrandi in altari portatili: similiter si alicui simplici Sacerdoti detur privilegium ministrandi Sacramentum pœnitentiæ, debet intelligi de peccatis mortalibus; quia ad venialia non indiget privilegio; sic Suar. *cap.* 20. *num.* 7. cum alijs, & *cap.* 14. *num.* 3. & in hoc sensu veriissima est sententia dicentium, per nova privilegia derogari juri communi, etiamsi nec specificas, nec generales clausulas derogatorias 178

torias expressas contineant.

179 28. Sed hic nota, quod quando in jure communi, seu privilegijs in illo insertis, sunt clausulæ repugnantes privilegiis, pro futuris temporibus concedendis, quod est habere clausulas derogatoriarum derogatorias, & in novo privilegio non sit mentio juris communis illud derogando expresse, & formaliter, vel æquivalenter, non derogatur juri communi, neque privilegio in illo inserto. Ratio est, quia jus commune cum clausulis resistentibus pro futuris privilegiis, est qualificatum, & sic ad sui revocationem petit necessariò, ut in forma novi privilegij fiat mentio talis juris, vel in specie, vel sub clausula sufficiente ad derogandum illi juri, sic fortificato, id est sub verbis æquivalentibus derogationi specificæ; aliàs novum privilegium nihil valebit. Confirmatur, & explicatur fundamentum; plus requiritur ad derogandum legi firmius stabilitæ, quam aliis communi modo latis. Nam clausula derogatoria addita legi, seu privilegio, aliquid operari debet, & saltem hoc operabitur, ut non tam facilè derogetur talis lex per privilegium subsequens, ut patet in decretis Tridentini. Ubi in illis statutis, in quibus est clausula derogatoria, seu resistens privilegiis, difficilior est revocatio, & nisi in specie revocentur, non manent revocata in magis comuni opinione, sic Suar. *cap.* 14. *num.* 6. cum Felin. Panormit. & aliis.

180 29. Dices ergo, in tali casu privilegium erit prorsus inutile, quod inconveniens vitare intendimus in nostra conclusione. Respondetur, quod hoc admittere, quando ratio convincit, non est inconveniens, nec negari potest, quin in aliquibus casibus, privilegia etiam à Pontifice concessa, possint esse inutilia, ob aliquem defectum substantialem, verbi gratia, subreptionis, obreptionis, vel voluntatis Principis, aut manifestationis ejus: In dicto ergo casu apparet subreptio, ex eo quod impetrans non satis declaravit juris communis resistentiam; & sic sibi imputet: vel si declaravit, sibi imputet, qui privilegium concessit, quia non satis voluntatem suam explicavit. Nam eo ipso præsumitur illam non habuisse, quando non est de rebus quæ frequenter, & de stylo conceduntur à Papa, ut dicemus *infra num.* 37. & *sect.* 3. ferè per totam: Nam in tali casu, quia præcedit notitia specifica in narratione, seu memoriali, unde si Papa dicat: *Fiat, ut petitur*, sufficit; etiamsi postea in litteris nihil expresse de statuto, seu privilegio revocando, dicat. Quod non est admittendum in aliis casibus, ut *ibidem* fusius dicemus.

30. Nec negari potest, quod aliqua privilegia ex dictis defectibus, 181
vel aliquo illorum sint prorsus inutilia: & quid mirum, si nulla extiterint in prima sui concessione: & quod privilegium possit esse nullum, ex defectu voluntatis concedentis, patet, quia licet talem voluntatem concedendi habuerit, si non sufficienter illam explicuit, concessio non debet interpretari juxta voluntatem non manifestatam, sed juxta tenorem verborum,

borum. Nam voluntas non declarata, per communem usum loquendi, nihil facit ad valorem privilegij, ut benè notat Suar. *ubi supr. n. 6. in fin.* & constat ex vulgari axiomate: *Propositum in mente nihil operatur.*

182 31. Neque obstat dicere, quod non semel conceduntur aliqua privilegia absque defectu, & nihilominus videntur prorsus inutilia; siquidem nihil concedunt, quod sine illis non posset fieri, ut patet in privilegio concesso Universitati Parisiensi, de constituendo Procuratore in causis propriis ab *Innocent. VIII.* ubi addit Pontifex: *Licet de jure communi hoc fieri valeat*, & in *Cap.* Etsi Christus, *de jure jurand. in fine*; conceditur potestas Religiosis jurandi in causis proprijs, quando alia deest probatio. Quod non solùm jure communi, verùm etiam jure naturali concessum habetur, & Navarr. *Tract. de Orat. cap. 19. num. 84.* & Rodriguez *Tom. 1. quæst. 7. art. 1*, affirmant: Multas concessiones inveniri in privilegiis Religionum, quæ nihil de novo concedunt. Non ergo erit necessarium, quod privilegium aliquid de novo, seu speciale concedat; non solùm contra jus commune; sed neque extra illud, quod est contra supradicta, & contra diffinitionem privilegij, quam in principio assignavimus, non inquam hæc obstant, nam dupliciter potest satisfieri.

183 32. Primò dicendo, hæc non esse propriè privilegia, sed quasdam declarationes juris communis, vel naturalis, vel sunt speciales admonitiones, ut talia jura serventur, vel ut cum majori authoritate fiant. Quod insinuatur in *gloss.* dict. Cap. *Quia*, ubi ita exponit verbum, *Concedimus, id est, declaramus concessum.* Et in dict. Cap. *Et si Christus*, eodem modo *gloss.* exponit verbum, *Indulgemus, id est, indultum esse ostendimus.* Sic Navarr. *ubi supr. &* §. 7. 8. *&* 9. dicens sæpè hæc non esse privilegia propria, sed declarationes juris, quæ dantur ad tollendos scrupulos, & pacandas controversias.

33. Secundò dici potest, & melius; 184
has, & similes concessiones esse vera privilegia, quia propriè potest adaptari illis particula posita in diffinitione privilegij: *Aliquid speciale concedens*, sive sit per modum declarationis, sivè admonitionis, quia ipsamet declaratio dubij addit aliquam certitudinem, quę multum confert ad rectè operandum sine remorsu, & gravamine conscientiæ; qui est favor non contemnendus. Similiter specialis admonitio favor est, & plurimum valet; nam sunt aliqua, quæ nisi specialiter notentur, videntur neglecta, ut dicitur in *l. item apud Labeonem*, §. *hoc edictum*, *ff. de injuriis*, & magis timentur, quæ specialiter caventur, *Can.* quis nesciat 1. *dist.* & *Can.* quamquam 22. *distinct.* & quia interveniente dispositione Principis concedentis, gratiæ majori authoritate servantur; quæ omnia beneficiũ Principis sunt, ac proinde verum privilegium.

34. Instabis rursus contra dictam 185
quartam conclusionem. Rescriptum, seu mandatum contra communem legem non habet effectum, nisi illius mentionem faciat, ut habetur in *Cap.* Rescripta 25. *quæst.* 1. & tradit *gloss. Cap.* nonnulli, *de rescript.* verb. *Fecerit*

mentio-

*mentionem*, & *Cap.* Ex parte, *de Capell. Monachor.* verb. *Nulla mentio*, & *ibi* Abbas, & multi alij. Ergo nec privilegiũ contrarium juri communi habebit aliquem effectum, nisi specificam mentionem de illo faciat. Respondetur, quod hi textus, & similes debent intelligi, quando verba privilegij sumpta in propria significatione possunt habere effectum sine læsione juris communis. Secus autem, quando talem effectum non possunt habere sine læsione, aut derogatione ipsius juris, ut diximus.

186 35. Nota hic ex Felin. *Cap.* 1. de rescript. *num.* 4. Panormitan. *ibidem* Suar. *ubi supr.* Merol. *num.* 15. quod si necessarium sit verba privilegij extendere etiam contra jus commune, ut aliquid de novo concedant, extendi debent, quantùm fieri potest secundùm proprietatem verborum, cum hac tamen differentia, quod privilegia merè favorabilia possunt extendi quantùm patitur proprietas verborum, non solùm secundùm significationem naturalem, sed etiam civilem. At quando sunt contra jus commune, vel tertio præjudicium afferunt, tanquam odiosa, extendenda sunt solùm quantùm patitur proprietas verborum juxta significationem naturalem. Excipe privilegia in favorem causæ piæ, in bonum commune, & salutem animarum: ista enim utroque modo extendi debent, secundùm communem sententiam, etiam contra jus commune, & in damnum tertij, juxta dicenda in *sequentibus, & disput. de confirmatione.*

187 36. *Dico quintò*, privilegia inserta in corpore juris, quæ in suo tenore continent ut revocari non possint, nisi fiat eorum mentio expressa de verbo ad verbum, vel quid simile, non revocantur per præfatas clausulas generales sequentis privilegij, sed requiritur, ut addantur in revocatoriis alia verba reflexiva, ut revocari possint, v.g. non obstante tali, vel tali clausula, revocata intelligantur, vel signatim dicatur, *non obstante privilegio, sub quacumque formâ verborum concesso, vel non obstante jure communi, vel lege communi*, ut habetur in *Clementina prima*, de sepulturis *in fin.* & *Clement. secunda*, ejusdem tituli, quia non est cogendus Pontifex, ut de verbo ad verbum, privilegia, quæ revocare intendit referat ad unguem, sed sufficit scientia illorum, & voluntas ipsius sufficienter expressa; sic Suar. *cap.* 38. *num.* 2. cum communi: Ratio esse potest, quia illud privilegium insertum in corpore juris, cum dictis obstantijs, vel cautelis pro futuris privilegiis concedendis, nõ solùm est jus commune, sed jus qualificatum, per dictas clausulas. Ergo indiget ad sui revocationem mentione speciali, & quasi qualificatâ, aliàs non intelligetur mentem Pontificis esse illud revocare.

188 37. Dices, Pontifex habet scientiam illius privilegij in corpore juris inclusi, cum suis clausulis: Ergo quando concedit aliquid illi oppositum, cum sola clausula generali derogatoria derogabit, & revocabit illud. Respondetur argumentum eodem fere modo probare, quod solâ concessione simplici, novi privilegij maneret illud revocatum, siquidem in ipsâ concessione includitur revocatio illius, quod

concessioni contradicit, quod est falsum. Respondetur igitur, quod potius ex argumento roboratur nostra assertio; quia eo ipso quod Pontifex habet scientiam juris communis, & omnium, quæ in eo sunt, si quando sunt obstantiæ speciales in eo; specialiter non facit de illis mentionem, vel formalem, vel æquivalentem, ostendit se nolle illi derogare, quia quando hoc vult, expressè, & specificè apponit derogatorias, ut in praxi videtur. Instabis, ergo tale privilegium noviter concessum, erit prorsus inutile, & frustraneum, quod est contra supradicta *concluſ. 2.* Respondetur concedendo, quod erit inutile, & nullum, si alium effectum non possit habere, sed hoc, vel ex defectu narrationis necessariæ in petente, & sic sibi imputet; vel ex defectu sufficientis expressionis voluntatis in concedente, ut ibi diximus, quia ex stylo hoc necessarium est, & in praxi servatur.

189 38. *Dico sexto*, per clausulas generales non revocantur privilegia concessa per modum contractus, nisi saltem in genere addatur, *etiam si per modum contractus fuerint concessa*, quia cum talis revocatio sit difficillima; & in præjudicium tertij in jure æquisito, nisi exprimantur, non intelliguntur revocata per clausulas generales.

190 39. Sed hæc omnia limitant Doctores, dummodo non fiat revocatio *motu proprio, certa scientia, vel de plenitudine potestatis*, quia si hæc adsint, privilegia quomodocunque qualificata revocant, exceptis privilegiis, quæ in contractu oneroso fundantur, & jus tertij lædunt, in re gravi, acquisita, & possessa, tempore à lege præscripto. Quia istæ clausulæ, ut dicemus latè *infra sect. 4. de confirm. privileg.* denotant cognitionem saltem confusam, & voluntatē Pontificis revocantis, quod solùm requiritur ad veram revocationem. Si verò omnes istæ clausulæ simul ponantur, multò magis expressè id manifestant. Et quamvis talis revocatio, sine specifica notitia illius quod revocatur, non possit dici revocatio specifica formalis, dicetur, & erit revocatio specifica æquivalenter; & sic idem operatur, ut tenent dicti Authores, & nos dicemus fusius *infra loco jam citato*. Quæ omnia adaptari debent, cum proportione præsenti difficultati. Quando autem inveniatur revocatio specifica, vel non, *sect. 4. sequenti* dicemus.

40. *Dico septimò*, in privilegiis extra corpus juris; Primum privilegium non derogatur per secundum, etiamsi secundum habeat clausulas generales revocatorias, & hoc sive primum privilegium sit generale, v.g. respectu Religiosorum, sive sit particulare, & privatum, respectu alicujus particularis, vel è contra, nisi de primo privilegio fiat in secundo specialis mentio; quia ut diximus præsumitur in Pontifice ignorantia primi privilegij concessi: Unde posterius reputatur subreptitium; sic Panorm. *Cap.* veniens. *de præsumpt. num.* 12. Salas *de legib. d sp.* 17. *sect.* 14. *num.* 74. Basil. de Leon. *lib.* 6. *de matrim. cap.* 19. *n.* 21. Bonacin. *disp.* 1. *pag.* 8. *quæst.* 3. *num.* 17. Suarez *cap.* 39 *num.* 6. & alij communiter. Quamvis oppositum, ut magis probabile sequatur Palao *disp.* 4. *punct.* 21. §. 191

4. *num.*

4.*num.* 14. nisi in concessione alicujus rei temporalis, primus privilegiatus acquisierit jus in re, contra quod secundum privilegium conceditur. Nam tunc non est censendum Principem velle juri jam acquisito derogare, nisi de illo mentionem expressam faciat, vel formalem, vel æquivalentem, ut diximus, sed prima sententia est communior.

192 41. *Dico octavò*, per sententiam tunc revocari privilegium, quando privilegiatus in pœnam commissi delicti, privilegio privatur, & in tali casu illa non est tacita revocatio, sed expressa, & debet proferri sententia, vel à concedente privilegium, vel ab habente ejus potestatem, aliàs nihil fiet; siquidem inferior nequit privilegium superioris revocare: At verò per sententiam contrariam privilegio, in qua reus condemnatur, non obstante privilegio, nullo modo privilegium revocatur, sed reprobatur, quia si sententia est injusta, nihil revocabit: si justa, non revocat privilegium, sed solùm declarat (si potest) privilegium esse invalidum, utpote subreptitium, vel dissuetudine derogatum, vel quod ad illum casum non se extendit; & tunc solùm est reprobatio, non revocatio privilegij, quæ si fuerit authentica, declarat ad illum casum non se extendere privilegium, benè tamen ad alios, de quibus nihil agit sententia; ita Suar. *cap.* 39. *num.* 4. Basil. *lib.* 8. *cap.* 19. *n.* 27. Palao *ubi supr. num.* 17.

193 42. *Dico nonò*, cæteris paribus, quando in aliquo privilegio, seu statuto derogando, est duplex clausula resistens revocationibus futuris, necessarium est, ut in novo privilegio, quod illi opponitur, fiat specifica mentio illius duplicis, seu repetitæ resistentiæ, ut revocatum intelligatur. Unde si solùm fiat specifica mentio de prima resistentia, subreptitium judicabitur secundum privilegium, quia major, & magis qualificata resistentia majorem, & uberiorem requirit revocationem. Ita Seraph. *decis* 296. *n.* 6. Covarr. 2. *part. tit. de testament. num.* 19. *vers.* 4. Merola *disp.* 6. *de privileg. cap.* 7. *num.* 218. sit exemplum: Testator in priori testamento, ita dicit: *Volo hoc meum testamentum firmum, & perpetuum esse, nec censeri revocatum per aliud, quod fecero, nisi in eo adverbum scripta sit angelica salutatio, etiamsi nominatim illius primæ voluntatis meminero*; oportet ad hæc verba repetita, & duplicata tollenda in posteriori testamento, mentionem facere utriusq; resistentiæ, in hunc modum. *Non obstante quocumque alio testamento per me facto, quacunque verba derogatoria habente, sub quacunque verborum forma confecto*; nam per illa verba: *Quacunq; verba derogatoria habente*, tollitur prima clausula derogatoria, & per sequentia revocatur secunda; ex quo infert Covarr. cum Antonio Rubeo *Conf.* 24. *col.* 3. testamentum habens juramentum, & clausulam derogatoriam specialem, non tolli per secundum, in quo clausula derogatoria juramenti tantùm apposita sit, sed ulterius requiri, ut in eo alia illa specialis clausula resistens, expressè retractetur. Quæ doctrina applicanda est derogationibus privilegiorum.

43. Hinc fit quod quando in pri- 194

vilegiis sunt hujusmodi clausulæ resistentes, ut non possint revocari, nisi de illis fiat de verbo ad verbum expressa mentio, ut constat illas habere, Mare magnum Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, & aliorum Ordinum, per subsequens privilegium, cum solis clausulis generalibus non revocantur, etiam si novum privilegium sit frustraneum, quia ex defectu expressionis, vel voluntatis concedentis, vel declarationis necessariæ in impetrante, judicatur subreptitium, & nullum; si non fiat specifica mentio illarum clausularum resistentium, vel expresè, per verba formalia, vel per æquivalentia, ut dicemus in sequentibus, quidquid in contrarium dicant alij.

195 44. Dices, potestas Papæ successoris non potest coarctari à prædecessore; & sic quamvis prædecessor apponat in suis privilegiis illas clausulas impeditivas derogationum, non poterit impedire, quod etiam illis non expressis in suis derogatoriis derogent successores Pontifices talia privilegia.

196 45. Respondetur, quod apponuntur illæ clausulæ, non ut ligent manus successoris, sed ut fortius resistant posterioribus privilegiis: vel dic clarius cum Pelizar. *q. 6. num. 98.* quod Papa concedens prius privilegium non apponit illas clausulas ut liget manus successoris, sed instituit formam loquendi ad manifestandam, seu aperiendam suorum successorum voluntatem, quæ non sufficienter manifestatur suppositâ talis sermonis institutione, si tali formâ non utantur, vel formaliter, vel æquivalenter. Adducit aliquale exemplum in grammaticis, seu linguarum inventoribus, qui non dicuntur ligasse manus Pontificibus, aut aliis legislatoribus, si non loquantur juxta significationem verborum, & constitutionem talis idiomatis, sed solùm posita tali institutione sermonis, non satis explicare suam internam voluntatem, aliter loquentes: vel dic cum Gonçalez. *super Regul. 8. Cancellariæ, gloss. 15. num. 37.* Moneta *de Commun. ultim. volunt. cap. 7. n. 232.* Barbos. *de clausulu clauf. 40. num. 10.* & aliis, quod quando in lege, Concilio, vel Privilegio ponitur clausula irritans futura, ligat manus Pontificis Successoris, non absolutè, sed secundùm quid, & dependenter ab ipso Successore: vel melius, quod ipse Pontifex Successor consentit in ligationē manuum suarum, eo ipso quod cum faciliter possit apponere revocationem prioris Constitutionis, seu privilegij Antecessorum expresè, non ponit talem expressionem. Unde censetur nolle illi derogare, quod nullum est inconveniens, cum æqua lance servetur ab omnibus Pontificibus, & de stylo exerceatur ab omnibus.

Occurrebat hic examinare, quid sentiendum sit de revocationibus privilegiorum, quæ in aliquo Concilio Generali, vel continentur, vel ab ipso confirmantur, sed hoc commodius fiet *sect. seq.*

* * * *
* * *
* *
*

SECTIO

## SECTIO III.

*An per clausulas generales revocentur privilegia, seu statuta inserta in Conciliis Generalibus.*

197 1. LOquimur solùm de clausulis, *num. 7. sectionis antecedentis*, in prima classe constitutis, nam de secundis agemus *sect. immediatè seq.* Dubitatur ergo, an per dictas clausulas generales revocatorias inclusas in privilegiis, quæ leges universales non sunt, derogentur privilegia, seu constitutiones inclusæ in aliquo Concilio Generali, sine specifica mentione illius, quando dispositum in privilegio novo, taliter contrariatur dispositioni Concilij, ut sine derogatione illius nequeat effectum petitum ex proprietate sermonis habere; quia si talis effectus possit salvari, illæsum debet manere Concilium, ut diximus *Conclus. 3. num. 25. sectionis præterita.* Nam ibi dicta fortius militant in dispositionibus Conciliorum Generalium.

198 2. Negativè respondent multi, quia cum jura Conciliorum Generalium sint fortiora, ut potè stabilita per tot viros doctissimos, Post tot controversias, & disceptationes, ut derogentur sunt digna majoris notæ, quàm quæ in corpore juris communis inveniuntur. Unde oportet illa in specie explicare, saltem sub clausula, *Etiam contentis in Conciliis Generalibus*, nec sufficit dicere: *Etiam contentis in constitutionibus Apostolicis*; sic tenent Doctissimus Covarr. *lib. 4. var. cap. 16. n. 4. & 6. decret. 2. p. cap. 8. §. 9. num. 6.* dicens: Totum mundum hoc amplecti, Menoch. *Cons. 294.* Molin. *Tom. 1. de just. & jur. tract. 2. disp. 173.* Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 26. num. 7.* Bonacin. *disp. 1. q. 3. punct. 8. num. 13.* Palao *Tom. 1. tract. 3. de privileg. disp. 4. punct. 21. §. 4. num. 6.* Addens hoc verissimum esse, etiamsi revocatio fiat sub quacunque forma, aut clausula generali, nisi exprimatur Concilium, saltem sub generalibus verbis, dicendo: *Non obstante quacunque constitutione Apostolica, etiam in Concilio Generali edita*, ut colligitur ex *Cap.* Ex parte, *de Capell Monachor.* & ex *Cap.* nonnulli, *de rescript.*

3. Sed hoc limitant, nisi aliter con- 199
stet de voluntate derogantis, nam si clarè constet velle Ptincipem sub verbis generalibus privilegiis, etiam qualificatis derogare, derogata manebunt; quia quocunque modo Pontifex suam voluntatem declaret; etiamsi formam communem clausulæ derogatoriæ non servet; privilegium seu statutum Conciliare revocabit, sic relati Authores, & habetur decisum apud Farinac. *Tom. 3. decis. 614. n. 3.*

4. Ex quo infert Palao *n. 7.* (& est 200
secũda sententia) cum relatis: Dispensationes super impedimẽta affinitatis, & consanguinitatis obtentas à Pontifice, vel à Sacra Pœnitentiaria, cum clausula *non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque*, validas esse, & si non fecerint expressam mentionem Constitutionis contrariæ Concilij generalis, relati in *Cap.* non debet, *de consang. & affin.* quia ex usu, & praxi judicatum est, voluntatem Pontificis esse, pro illo casu speciali Concilij Gene-

ralis dispositioni derogare. Præterea illa generalis derogatio solùm potest habere effectum circa illius Concilij Generalis dispositionem; quia nullibi est alia prohibitio: Ergo reputari debet, ac si derogatio esset formaliter specifica, *ex l. 2. ff. de lib. & posth.* & *ibi* Jason, & tradit relato Felino, Sanchez *lib. 8. de matrimon. disp. 35. num.* 17. hæc Palao *dict. num. 7.* & postea explicans, quando præsumenda sit scientia, & voluntas Pontificis, cum verba privilegij, seu rescripti nihil aliud continent, nisi novam dispositionem repugnantem priori privilegio, seu dispositioni, resolvit *num.* 11. quod quando primũ privilegium est insertum in corpore juris, derogatur secundo privilegio per clausulas generales derogatorias; etiam sine mentione specifica talis juris, in ea parte, qua illi contrariatur novum privilegium; quia præsumitur scitum à Principe, ex *Cap. de constitutionibus in 6.* & addit hoc verum habere, sive novum privilegium sit speciale, sive generale, sive insertum sit in jure, sive non, & citat pro se Bonac. Salas, & Basilium de Leon. *lib. 6. cap. 14. n. 14.* ex qua doctrina, cum nullam faciat distinctionem inter jura communia & Conciliaria, ut constat ex limitationibus, quas refert *ibidem*, videtur clarè sentire Palao, quod quando privilegium novum nullum effectum potest habere, nisi derogando dispositionibus, etiam Conciliaribus, illis derogabit per quascunque clausulas generales. Imò addit Donatus *Tract. 14. quæst. 4. num.* 12. cum multis, quod nunquam D. Papa de illo jure, cui per privilegium derogat, fuit solitus in privilegiis mentionem facere, & quod ita observat stylus Romanæ Curiæ, ut patet in dispensationibus matrimonialibus, & in aliis quotidianis indultis. Et ratio est, quia præsumitur habere Pontificem sufficientem notitiam juris, cui derogat, vel ex supplica, vel ex generali ratione, quod omnia jura communia sint in scrinio pectoris Papæ; & cum nova concessio nullum alium effectum possit habere, nisi derogando dispositionibus cujuscunque juris communis, derogatum reputatur, ut ait Palao *supra*, & est quasi formaliter specifica talis revocatio, ne cogamur dicere, nugatoriam, & frustraneam fuisse concessionem Pontificis, juxta supradicta *sect. 2. conclus. 4. num. 14. & 15.* & potest probari ex *Cap.* in his, *de privileg.* cujus mentionem fecimus *dict. sect. 2. dub. 3. num.* 13. & ita tenent expresè Innocent. *Cap.* Ex parte, *de Capell. Monach.* ubi ait: *Non esse faciendam magu mentionem Concilij Generalis, quàm alterius juris*; cujus opinionem ait Felinus in dicto Cap. *Nonnulli* num. 3. fortasse esse veriorem per dictum textum, & quia opinio contraria, licet multorum, jure non probatur. Sequitur etiam Cenedus in *Collect. 123.* ad dictum cap. *Nonnulli* in 3. ubi ait, valere Rescriptũ, etiam contra legem Conciliarem, cum clausula derogatoria generali, & quod non sit necessaria specialis derogatio Concilij: & ad objectionem, ex ipso cap. *Nonnulli*, respondet, illius decisionem procedere, non quia lex Concilij, sed quia specialiter fuit cautum, quod in illo casu sit necessaria specialis derogatio, ut innuit littera textus.

Ad

Ad id autem, quod solet objici, ex *Cap.* Ex parte, *de Capell. Monach.* respondet, quod rescriptum, de quo ibi, nullam mentionē faciebat Concilij contrarij, neque in specie, neque in genere, ita quod non habebat clausulam derogatoriam, neque specialem, neque generalem, quæ saltem erat necessaria.

201 5. At Pater Suarez *lib. 8. de legib. cap. 15. num. 7.* minimè satisfactus hac solutione; notandam Doctrinam tradit. Ait enim, quod Concilium, cui privilegium illud repugnabat, generale non fuit, & sic revocatione non indigebat: nam ad summum revocatio requiritur pro Conciliis Generalibus, quia ut multi docent, lex Concilij Generalis habet hoc privilegium, ut intra se contineat clausulam resistentem, pro futuris privilegiis, etiam si illam non exprimat. Quod si objicias æquiparari in hoc illud Concilium Conciliis Generalibus per assistentiam Papæ *Alexan. III.* & multitudinem Episcoporum, qui illi interfuerunt; respondet Suar. hæc profecto nimia ampliatio est illius regulæ, & statim addit, eò vel maximè, quod nec de legibus Conciliorum generalium est solidum illud principium (nempè quod Concilia Generalia habeant privilegiū clausulæ resistentis pro privilegiis futuris) quando illam expressam non habent, vel formalem, vel æquivalentem, quod prius docuerat *num. 6.* adhuc loquendo de Concilio Tridentino. Itaque sentit Suarez, quod decreta Conciliorum Generalium, etiam Tridentini, si non habeant clausulam resistentem expressam, pro futuris privilegiis, revocata manebunt per nova privilegia, etiamsi non faciant mentionem Conciliorū Generalium, dum habeant clausulas generales derogatorias; in casu, quod nullum alium effectum in proprietate sermonis possint sortiri, nisi contraveniendo dispositis in Concilio Generali.

6. Unde meritò pro relata sententia citat Garciam *de benefic. part. 4. cap. 5. num. 28.* & P. Juniperus *supra*, citat ipsum Suar. & respondet cum Felino objectioni factæ, ex *Cap.* Ex parte, ibi: *Non reprobari privilegium solum, quia non faciebat mentionem legu Concilij, sed ratione materiæ, quia videbatur esse parum consentanea bonis Religiosorum moribus.* Unde cum esset etiam contra jus, & illius derogationem generalem non haberet, suspicionem subreptionis generabat, & nihilominus non tanquam invalidum, & subreptitium reputatum est, sed à Pontifice fuit revocatum, tanquam minus conveniens: & ita potest ille *text.* potius in contrarium, pro nostra sententia adduci. Hæc Suarez ferè ad litteram; quæ magni ponderis sunt pro hoc modo dicendi, & ut valde probabilis habetur, & illum acriter defendit P. Juniperus à Drepano *de juris Pontif. defens. disp. 3. cap. 2. per totam*, etiamsi in privilegio non sit clausula revocatoria; iterum eum defendit *2. part. de casibus reserv. disp. 7. quæst. 4. cap. 2. n. 10.* licet in hoc loco, clausulam generalem revocatoriam petat. 202

7. Denique Constitutiones Apostolicas à Conciliaribus nihil differre, tenet Alciatus *Paradox. lib. 6. cap. 10.* Doctissimus Saagum, *Cap. 5. de rescript. num. 24.* & Juniper. *supr.* dicentes, generalem 203

neralem revocationem sufficere,& ita in praxi frequentissimum esse, & *Pij V.* Constitutione confirmari. Denique Garcia *de benefic. ubi supr. nu.* 29. hanc opinionem Innocentij, & Suarij dicit esse valde probabilem in puncto juris; non tamen recedit à contraria sententia,quia multorum Doctorum,& praxi, & novo stylo Curiæ approbata invenitur , quidquid dicat Saagum, & alij in contrarium.

204 8. Habes igitur ex dictis,pro resolutione dubij duplicem sententiam inter se pugnantem , quarum quælibet, pro se multos,& graves Doctores,nec levia fundamenta habet,ex quibus negari non potest utramque esse satis probabilem , & sic sentit perdoctus Joann. Martin. del Prado *Tom.* 1. *q.*4. *num.*29 sed pro mea sententia

205 9. *Dico primò*,quando privilegium novum nullum alium effectum in proprietate sermonis potest habere , nisi contraveniendo dispositioni Concilij, etiam generalis antiqui, & tale privilegium est favorabile,& respicit favorem animarum,& forum conscientiæ, & juxta praxim non est de re omnino inusitata , & difficillimæ concessionis, nec reputatur valde exorbitans , nec tertium lædit in jure quæsito; maximè in rebus temporalibus gravibus , nec lites generat ; si cum discretione exerceatur ; cum solis clausulis generalibus derogabit dispositioni Concilij Generalis,cui opponitur , quia præsumendum est Summum Pontificem id concedere , & illi derogare voluisse. Tum,quia ut docent communiter Doctores, privilegia favorabilia , & quæ respiciunt bonum animarum , taliter interpretanda sunt,ut semper operentur aliquid in favorem ipsarum animarum ; ne frustra concessa videantur. Tum,quia de benignitate Supremi Pastoris Ecclesiæ præsumendum est,quod in tali casu intendat aliquem favorē concedere suis ovibus ; quando nullum aliud inconveniens sequitur,nisi solùm aliqualiter, vel suam,vel suorum inferiorum jurisdictionem extendere ad privilegiatum. Tum denique, quia ut benè notavit Pelizarius *supr. sect.* 2. *num.*7. multa pro foro conscientiæ possunt licitè fieri,quæ in foro exteriori debent omittti.

10. Dices ergo , quamvis in tali 206
privilegio non inveniantur clausulæ derogatoriæ adhuc generales , privilegium tenebit , etiam si sit contra dispositionem alicujus Concilij Generalis , ut diximus *supra* de jure communi.

11. Authores relati pro secunda sententia non renuent id admittere; cum nullam differentiam agnoscant inter jura Conciliaria,& alia communia, ut vidimus. At mihi respondendum videtur, negando sequelam, ex illo principio admisso à Felino,& alijs communiter, quod jura Conciliorum Generalium , propter eorum maximā authoritatem includant virtualiter, seu æquivalenter clausulam generalem resistentem , pro futuris privilegiis ; etiamsi illam non exprimant. Unde ad vincendam hanc resistentiā, privilegia nova debent habere clausulas revocatorias, saltem generales, quod non est necesse respectu juris communis , quia ex se talem resistentiam non habet, nisi illam exprimat, videan-

videantur omninò, quæ diximus *sect. 2. concluſ. 4. num. 26. & 27.* & dicenda *infrà* in hac eadem ſectione.

12. Dico ſecundò, in aliis privilegiis,
207. quæ ſunt difficillimæ conceſſionis, quia rarò, vel non ſine magnâ difficultate conceduntur; tanquam exorbitantia, vel tertium lædunt graviter in jure acquiſito, maximè in rebus temporalibus, niſi contineant clauſulam derogatoriam ſpecificam Conciliorum generalium expreſſam, & formalem; ſaltem ſub nomine Concilii generalis in communi, non derogant ſtatutis, vel privilegiis inſertis in eis, etiamſi clauſulas generales derogatorias primæ claſſis contineant nova privilegia, & quàmvis nullum effectum poſſint ſortiri, quia præſumuntur vel ſubreptitia, vel obreptitia, ob defectum expreſſionis, in ſupplica, vel non adfuiſſe voluntatem Pontificis talibus derogando; nam ſi illam haberet, exprimeret. Unde, quando non exprimit cùm de facili poſſit per ipſum non exprimere, ſufficienter declarat non habuiſſe voluntatem nec revocandi unum, nec concedendi aliud, maximè cùm ſciat de ſtylo, hoc eſſe neceſſarium; præcipuè in rebus exorbitantibus: & ſicut in conceſſionibus communiter dicitur, quòd non intelliguntur conceſſa, quæ ſi exprimerentur, non concederentur, vel non ita facilè, ita non intelliguntur revocata, quæ ſi exprimerentur, non revocarentur, vel non ita facilè.

208. 13. Dices: Pontifex habet ſcientiam jurium Conciliorum generalium, quia ſunt jura communia. Quid ergo opus eſt expreſſione talium jurium ab impetrante? Reſpondeo, quòd talis expreſſio requiritur de ſtylo, & praxi, ut voluntas Pontificis manifeſtetur: vel dic cum aliis non eſſe inconveniens admittere in Pontifice aliquando cum ſcientia juris, oblivionem, ſeu ignorantiam actualem, quæ dicitur inadvertentia, & à Suario & Pelizario vocatur ignorantia concomitans, quam ipſi admittunt, quando res eſt gravis, & difficilis conceſſionis, & præſumitur adeſſe, cùm vel impetrans in ſupplica, hoc non explicat, vel Pontifex in ipſo privilegio non facit ſpecificam mentionem illius juris Conciliaris, cui derogat. Verum eſt, quod in rebus facilioribus, & quæ ſolùm bonum animarum reſpiciunt, non præſumitur talis inadvertentia in Pontifice, ſed quòd ut verus Paſtor animarum illud ſemper attendit, & vult uti plenitudine ſuæ poteſtatis.

14. Adde, quòd neque in rebus gra- 209.
vioribus talis inadvertentia admittitur, quando frequenter, & de ſtylo ſine magna difficultate conceduntur, ut patet in diſpenſationibus quotidianis matrimonialibus, & ſimilibus, in quibus, ut dicemus infrà, loquendo de Tridentino, etiamſi Papa non faciat mentionem ſpecificam Concilii, cui derogat, tenent diſpenſationes, quia frequentia, & ſtylus hoc obtinuerunt; at extra hos caſus requiritur clauſula revocatoria modo dicto. Hanc partem à fortiori tenent omnes Authores, quos pro prima ſententia, *num. 2.* retulimus, quia ſi abſolutè, & reſpectu omnium, docent non ſufficere ad derogandum Conſtitutionibus Conciliorum Generalium in privilegio, quod de novo conceditur, clauſulas generales derogatorias, ſed reuniri ſpecificas, ſaltem in com-

mani *sub nomine Conciliorum Generalium*, necessariò ad minus debent intelligi dicti Authores de rebus majoris momenti, & quæ lites, & damna inferre possunt, vel bono communi, vel alicui personæ, vel Ecclesiæ, seu Communitati particulari no cent. Et reverà negari non potest, quòd res graviores, & quæ tangunt jus tertii, jam stabilitæ & possessæ habeant majorem intrinsecam resistentiam, ut dissolvantur. Ergo ad suî revocationem indigent fortiori derogatione, quàm aliæ res, quæ nec bono cõmuni, nec tertio particulari obsunt, sed potius animarum salutem respiciunt: Ergo si istæ, in prima illa sententia, indigent ad suî revocationem clausulis generalibus revocatoriis in privilegio noviter concesso, illæ indigebunt specificis & formalibus.

210. 15. Et juxta hanc doctrinam in decisionibus Rotalibus quotidie experimur, quòd in privilegiis concessis alicui, vel aliquibus regularibus, circa liberationem à solutione decimarum, nisi in revocatoriis privilegiorum fiat specifica mentio, *Cap.* Nuper, *de decim.* quod continet constitutionem Concilii Generalis Lateranensis, non manet revocata dispositio Concilii; sic fuit decisum in causa Orlianen. decimarum 30 *Maij*, & 9. *Junij* 1586. coram Orano, & in Valentina decimarum 9. *Junij* 1637. coram Coccino, & in alia novissima Sabinien. Castri Montis Rotundi 3. *Augusti* 1626. coram eodem Coccino, & habetur in impressis per Paulum Rubeum *Tom.* 1. *novissimar. de anno* 1642. *decis.* 316. *n.* 11. ubi notatur, quòd si in privilegio derogatur alicui Concilio Generali in specie, & postea subdatur clausula, & aliis Conciliis, censetur eriã derogare dicto Concilio Lateranensi, quia illa clausula, & aliis Conciliis, intelligitur etiam de generalibus.

16. Nec alienus à ratione debet reputari modus intelligendi seu explicandi mentes Pontificũ in his nostris duabus conclusionibus, cùm videamus nõ absimili modo se ipsos explicare aliquoties, ut patet in *Pio V.* qui cùm concessisset amplissimam communicationem privilegiorum, absque limitatione aliqua aliquibus Religionibus non Mendicantibus, & ipsæ prætenderent illis suffragari, in quibuscunque privilegiis, reclamantibus intereſſe habentibus, in rebus temporalibus, à quorum solutione existimabant se esse immunes tales Regulares, ratione dictæ amplissimæ communicationis; ipse Pontifex edidit aliam Bullam *die* 30. *Junij anno* 1570. qua declaravit suam mentem nunquã fuisse communicare privilegia quatuor Ordinum Mendicantium talibus Religionibus non Mendicantibus, in attinentibus ad bona temporalia, sed solùm ad spiritualia. Quam bullam ad litteram adduximus *supr. d. sp.* 2. *de cõm. privil. sect.* 2. *n.* 24 vide *ibi in fin.* & *nu.* 21. & 22. & communiter Doctores in his, quæ salutem & bonum animarum respiciunt, sine læsione alicujus tertii, extendunt privilegia, & revocationes coarctant, seu restringunt, quod non ita faciunt in aliis. 211.

17. Cui doctrinæ est valdè consona, alia tradita à Molin. *Tom.* 1. *de just. disp.* 173. §. *Occasione legitimationis*, ubi ait: Quòd si rescriptum, seu privilegium contrariatur legi, seu præjudicio notabili Reipublicæ, vel alicujus tertii; tunc 212.

neces-

necessaria est in privilegio clausula, quæ in speciali deroget legi, cui opponitur, dicendo, non obstante tali lege in contrarium lata, quòd si non vergeret privilegium in notabile damnum alicujus, sufficeret, & necessaria esset clausula generalis, *non obstantibus quibuscunque juribus in contrarium*; & rursus addit, si autem rescriptum derogaret juri in Concilio aliquo Generali condito, tunc esto, jus illud concessionibus futuris non derogaret, necessarium esset (ait cum Covarr.) apponere clausulam: (*Non obstante quocunque jure contrariũ disponente etiam in Concilio Generali statuto.*) Hæc Molina: ex quo patet, quòd diversimodè debent explicari privilegia, quæ notabiliter nocent aliis, seu bono communi; ac illa, quæ nulli nocent, & sunt in favorem animarum. Neque alia ratio reddi potest, nisi quia favorabilia amplè petunt interpretari, alia verò strictè. Vide dicta *disp. 1. qu. 2. ferè per totam*, præcipuè à *num. 6.* & *disp. de revocat. sect. 1. num. 11.*

18. Nunc restat grave dubium examinandum; videlicet, an ea, quæ *suprà* dicta manent de Conciliis Generalibus vetustis, eodem modo intelligenda sint de Concilio Generali novo, hoc est, de Tridentino. In qua difficultate triplicem modum dicendi invenio, seu triplicem sententiam.

213. 19. Prima asserit, quòd licèt ad derogandum cuique Concilio Generali veteri, desideretur, & sufficiat clausula expressa revocatoria Conciliorum Generalium in communi: At si Concilium Generale sit modernum, ut est Tridentinum, ad ejus revocationem omninò requiritur specifica & individua mentio illius in novo privilegio, quod illi opponitur, aliàs revocatio erit nulla ex defectu talis requisiti. Hic modus dicendi tribuitur Enriquez *lib. 7. de Indulg. cap. 26. num. 3.* Vivald. in *Candelab. 3. p. cap. 12. num. 22.* sed apud ipsos hoc non clarè inveni; tenent tamen Thom. Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 27. num.* Salgad. de retent. Bull. *p. 2. cap. 1. num. 62.* & alii *infrà* referendi, probant ex majori authoritate novi Concilii, sed nos aliqua alia non levia fundamenta adducemus *infrà*.

214. 20. Secunda sententia defendit, nullam esse differentiam inter Concilia Generalia antiqua, & nova, sed omnia esse prorsus ejusdem authoritatis; sic Garcia de benefic. 4 *p. cap. 5. num. 30. & 32.* & *num. 41.* rejicit differentiam positam in prima sententia à Sanch. & aliis inter Concilium novum & vetus, quia sine fundamento (ait) & contra praxim communem. Ideoque addit, jam non invenitur in novis impressionibus Vivaldi, cum Garzia sentit Castro Palao *Tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 21. §. 4 n. 10.*

215. 21. Imò addunt ipsi Authores (& erit tertius modus dicendi) minus requiri, ut derogetur statutis in Tridentino, quàm in aliis Conciliis Generalibus; nã ad horum revocationẽ desideratur expressa mentio, saltem sub clausula Conciliorum Generalium; at respectu Tridentini neque specialis, neque generalis mentio desideratur, ut illi derogatum intelligatur, in eo quòd privilegio novo prorsus opponitur; ex eo quòd in decreto ultimo Tridentini *sess. 25.* sic de-

declaratur: *Omnia in dicto Concilio statuta de morum reformatione, & Ecclesiastica disciplina, ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.* Per quæ verba videtur sublata resistentia inventa in aliis Conciliis Generalibus pro futuris concessionibus, clausulam specificam derogatoriam Conciliorum Generalium non habentibus, ac proinde, quando Pontifex aliquid repugnans Tridentino decernit, non contradicit ei, sed facultate sibi expressè in ipso tradita utitur, & sic ait Garcia *num.30.* quòd quando Pontifex aliquid concedit contra statuta in Tridentino, non illi derogat, sed potius videtur uti facultate sibi in eo concessâ, quàm aliquid facere contra Concilium. Non ergo indiget derogatione speciali Tridentini privilegium, quod à Pontifice conceditur, repugnans alicui dispositioni illius: sic dicti Authores allegantes in suî favorem Anastasium German. de Sacrarum imm. *lib.3.cap.11.num.47.* Alderete in allegat. pro reg. exempt. *part.1. cap.8.n.20.* qui adducit Aretinum & Felinum pro hac sententia.

216. 22. Probant hanc suam conclusionem primò ex variis exemplis. Nam in secundo gradu nunquam dispensari præcipit Concilium Tridentinum, *Cap. 5. sess.24. de Matrim.* nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam: sed videmus, quòd frequenter dispensatur inter infimæ plebis homines. Idem apparet in coadjutoriis, & aliis, quæ à Sacro Concilio sunt prohibita, & tamen nulla illius mentio, nec derogatio fit in talibus dispensationibus. Adducit Garcia plures decisiones Rotæ in suî favorem, & declarationes Eminentissimorum Cardinalium Congregationis Concilii, & quòd ita servat Cancellaria, & quod magis est, adducit *motum proprium Pii V.* in quo declaravit, neque speciali, neque generali derogatione Tridentini opus esse, in quibusvis concessionibus Apostolicis manu Papæ signatis, quem motum proprium placuit hîc inserere, & est tenoris sequentis. *Motu proprio, &c. cùm plerumque contingat dubitari in causis Rotæ, auditorio nostro, & alibi, pendentibus super provisionibus, & cõmendis, unionibus, & alijs dispositionibus, ac alijs gratijs Apostolicis, quæ cõtraveniunt decretis Concilij Tridentini, an sit opus speciali derogatione ejusdem Concilij? Nos quæcunque dubia desuper mota, & movenda submovere volentes, ac quorumcunque decretorum Concilij hujusmodi tenores præsentibus pro expressis habentes, motu simili, &c. Ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione declaramus, neque speciali, neque generali derogatione ejusdem Concilij opus fuisse, & esse in quibusvis collationibus, provisionibus, commendis, unionibus, &c. & alijs dispositionibus de quibusvis beneficijs Ecclesiasticis, cum curæ, & sine cura secularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, etiam Monasterijs, Conventualibus, & Consistorialibus, ac curam animarum habentibus, quæ quomodolibet vacârunt, & vacabunt, ac etiam gratiam, & justitiam concernentibus, & alijs gratijs, ac concessionibus Apostolicis per nos, ac felicis recordationis Pium Papam Quartum prædecessorem, nec non quoscunque Romanos Pontifices successores nostros, nostra tamen, & prædecess-*

*decessoris, ac successorum prædictorum propriâ manu signatis, ac Sedem Apostolicam, quibusvis personis, Collegijs, & alijs pijs locis, & aliàs quomodolibet factis, & faciendis, ac concessis, & concedendis, & ita per quoscumque judices, & causarum Palatij Apostolici Auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quibusvis causis etiam per appellationem pendentibus, judicari, & definiri debere sublatas, &c. Irritum quoque decernimus, volentes præsentis nostri motûs proprij schedulam in cancellaria Apostolica publicari, & in illius libro, quinterno nuncupato, describi, non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus stylo Palatij, &c. cæterisque contrarijs quibuscunque: ille motus proprius fuit lectus & publicatus Romæ in Cancellaria Apostolica anno Incarnationis Dominicæ 1570. die verò Sabbathi 23. mensis Decembris, Pontificatûs Sanctissimi D.N. Papæ Pij V. ann. 5.*

217. 23. Ex quo Sacra Congregatio Concilii in declaratione Abulens. ad quæsitum, an ad derogationem S. Concilii Tridentini sufficiat Papam contra illud rescribere, absque illius speciali, vel generali derogatione, ut *Pium V.* declarâsse dicitur, sic respondit: *Si supplicatio manu Papæ signata fuerit, non requiritur, nec specialis, nec generalis derogatio.* Accedit alia declaratio, quam adducit *sum. Bull.* Quarant. verbo *Confessor*, ad finem, tenoris sequentis: *Illustrissimi, & Reverendiss. D.D. Sixtus Pap. V. felicis recordationis indulsit Patribus Congregationis Oratorij, ut qui ex eis, prævio examine ad audiendas confessiones in ipsa urbe, à Vicario approbati fuerint, extra eandem urbem, absque alio examine, de licentia tamen Ordinariorum locorum, confessiones liberè audire valeant. Sed quia in partibus præcipuè Neapolis, ipsis in dubium revocatur privilegium prædictum, sub prætextu, quòd non contineat præcisam derogationem, neque mentionem aliquam Concilij Tridentini sess. 13. cap. 15. quo cavetur, ne quis absque propriorum Diœcesanorum examine audeat confessiones audire. Ideò prædicti Presbyteri Congregationis Oratorij desiderant supplices super hoc responsum à Sacra Congregatione, an fuerit necessaria derogatio Sacri Concilij Tridentini. Congregatio Concilij censuit, si hujusmodi privilegium fuerit, ut ponitur à Sede Apostolica concessum; utique omninò esse observandum, quàmvis nullam derogationem, aut mentionem Concilij Tridentini contineat.* Hæc Cardinalis Matthæus

218. 24. Hujusmodi Constitutionem cum declarationibus relatis de verbo ad verbum referunt Quaranta in *sum. Bull.* verb. *Confess.* Riccius *lib.* 5. de jur. personarum, *cap.* 14. *num.* 15. & *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 6. Diana *part.* 7. *tract.* 2. *resol.* 20. alios referens, Graph. *Tom.* 1. *cons. lib.* 5. de homicid. *cons.* 4. *num.* 26. ubi ait: Quòd etiamsi in Tridentino adsit clausula expressè revocatoria pro futuris privilegiis, sufficit ad tuî revocationem clausula saltem: *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis.*

219. 25. Vide varietatem Doctorum in re quidem gravissima, perpende fundamenta, & invenies omnes probabiliter loqui. Ego tamen sentio, quòd ut revocentur statuta, seu privilegia inserta Tridentino, vel ab ipso confirmata, non sufficiunt in novo privilegio clausulæ communes, & generales revocatoriæ, sed omninò desiderantur specifi-

cæ, & individuales. Tum propter ejus magnã authoritatem; tum, quia Concilium Generale novum, ut Tridentinum, exactè recognòvit convenientiam, & disconvenientiam rerum pro statu præsenti, & hoc cùm maturo & vigilanti examine tot sapientissimorum & prudentissimorum virorum; ex quo habet majorem resistentiam pro futuris dispositionibus, quàm alia Concilia Generalia antiqua. Unde non est mirum, quòd ex hac parte indigeat fortiori & expressiori revocatione, qualis est specifica, & hoc fortè est fundamentum primæ sententiæ, licèt clarè non exprimat.

220. 26. Sed accipe aliud non leve desumptum ex Bulla *Pij IV.* in fine Concilii relata, ubi confirmat omnia decreta Tridentini, cum clausulis revocatoriis, & resistentiis urgentissimis omniũ privilegiorum in contrarium. Et ferè idem fecit *Greg. XIII.* revocando quascunque concessiones factas contra dispositа in Tridentino à *Pio V.* suo antecessore, de quo *infrà*, & passim in novis concessionibus factis in favorem Regularium, à Summis Pontificibus, additur clausula, *dum decretis Tridentini non adversentur*, per quam manifestè videntur confirmare omnia dispositа in Tridentino, ex quibus sic formo rationem: Statutum, seu lex pluries confirmata, redditur plus stabilita & firma, ut omnes testantur: Ergo includit majorem resistentiam ad sui revocationẽ, quàm quælibet alia, quæ sic fortificata non est. Cùm ergo ad derogandum aliis Conciliis Generalibus requiratur, & sit necessaria saltem clausula generalis modo assignato suprà; ad derogandũ Tridentino sic stabilito, necessaria erit clausula specifica, & individua. Non ergo Authores primę sententię sine sufficienti fundamento loquuntur; ut ait Garcia, quibus ibi relatis adde Carrot. in repet. *lib. 6. part. 2. ampliat. 1. limit. 1.* Hodiedum de incompatibilitate benefic. *2. p. cap. fin. num. 58.* Azor. *2. part. lib. 8. cap. 8. quæst. 7.* Menoch. & Zerol. relatos ab ipso Garcia ubi *suprà nu. 36.* Doctissimum Montesinum in manuscriptis de pœnit. *disp. 2. quæst. 3. num. 1.* Vincent. Candidum, Magistrum Sacri Pal. *Tom. 1. disquisit. 3. art. 28. dub. unico.* Quid autem sentiendum sit cùm adduntur clausulæ *ex certa scientia, plenitudine potestatis, & motu proprio*, dicemus *infrà disp. 7. sect. 7. dub. 5.*

27. Ex quibus inferunt graves Doctores, quos refert, & sequitur Bosius de Jubilæo *sect. 1. cas. 10 §. 2. nu. 10. & sequentibus.* Quod quia in Bulla Cœnæ Domini non sit specifica mentio Tridentini, non manet revocata facultas concessa Episcopis ab ipso Concilio *sess. 24. cap. 6. de reformat.* absolvendi à casibus occultis, etiam ab hæresi, non obstante quòd in Bulla Cœnæ addatur clausula derogatoria, *Cujusvis Concilij.* Nam ut optimè docuit doctiss. Montesinus *ubi supr.* Illa verba posita in derogatione Bullæ Cœnæ, *Cujusvis Concilij decreta*, etiam reperiebantur posita ante Tridentinum; nam Bulla Cœnæ multò antiquior est, quàm Tridentinum, & consequenter dictam clausulam, *Cujusvis Concilij*, intelligunt præfati Doctores de Conciliis Provincialibus, seu Nationalibus. Neque urget in contrarium ratio, quæ videtur Dianæ firmissima *p. 7. tract. 2. resolut. 23.* nem- 221.

pe,

pe, quòd nullum est assignabile Concilium Provinciale, imò neque Generale, cui derogetur per talem clausulam, nisi Tridentinum, quia si, ut inquit Montesinus, eâdem clausulâ utebatur Bulla Cœnæ ante Tridentinum, interrogo, cui Concilio derogabat, tunc, cùm nullum esset, quòd illam facultatem Episcopis concederet?

Dicendum ergo est, quòd non otiosè posita est in Bulla Cœnæ talis clausula; licèt de præsenti nullum Concilii Provinciale sit assignabile, cui derogetur: nã cũ lex semper loquatur, & sit perpetua; etiamsi de præsenti nulli juri deroget, est utilis ad derogandum futuris Cõciliis Provincialibus, si talia in eis Episcopi intenderent cõcedere, & sic erit lex præservativa futuri eventûs. Quapropter, nisi fiat specifica, & individualis mentio Tridentini in novo statuto, seu privilegio, non intelligitur derogatum, & cùm hucusque in nulla Bulla Cœnæ talis clausula specifica sit posita, nõ intelligitur dicta facultas Episcoporum revocata. Sed an ex aliis capitibus hodie revocata sit, maximè circa absolutionem ab hæresi, dicemus suo loco; ita P. Candidus *ubi supr. num. 26. in fin.*

222. 28. Præcedens tamen doctrina limitanda est, quando in memoriali, seu petitione fit instantia, ut concedatur hoc, vel illud, non obstante quòd sit contra aliquod statutum Tridentini, quia tunc non est necessaria in instrumento concessionis, ut fiat mentio Tridentini, nec in specie, nec in genere, sed sufficit: Papam dicere, *fiat*, vel subscribat dicens: *Conceditur, ut petitur*, quia dum supplicatis annuit, & cum notitia narratorum concedit, censetur de facto velle se revocare contrarium; mens enim concedentis se conformat supplicanti, à quo etiam specificationẽ accipit, & quando constat de voluntate Papæ, non est necesse de alio disputare, ut constat ex *Cap.* Nonnulli, *de rescript.* & *Cap.* Ex parte sua, *de Capell.* relatio enim, seu narratio supplicantis, non minus, quàm tenor instrumenti insertus in concessione Papæ, operatur: ita Archidiacon in *Cap.* In præsentium, *nu. 1. qu. 1.* Aret. *cons. 15.* Ricc. *3. part. decis.* Arch. Neapol. *decis. 36. nu. 2.* Rodrig. *Tom. 3. quæstionum, qu. 46. art. 1. §. 2. conclus. 3.* & quia in dispensationibus, & concessionibus, quæ de stylo Curiæ frequenter conceduntur, contra aliqua statuta, sive Tridentini, sive aliorum præcedit, talis narratio, quæ actualiter in mente Papæ est, ex frequenti usu, non solet in concessionibus mentionem facere jurium, quibus derogat, ut benè notat. P. Donat. *Tract. 14. q. 4. n. 12. 13 & 14.* sed de hujusmodi notitia Pontificis debet constare, ut fidem faciat in foro externo, licèt in foro conscientiæ veritas sufficiat.

29. Restat nunc respondere fundamentis oppositarum sententiarũ, quod fiet breviter dicendo: Quòd debent coarctari, vel extendi juxta conclusiones, & doctrinam à nobis traditam. Unde *motus proprius Pij V.* & declarationes Eminentissimorum Cardinalium; dato, quòd sint authenticæ, & sufficienter publicatę, de quo non constat, debent intelligi, quando in narrativa, seu petitione præcessit mentio expressa Tridentini, nec aliud ex ipsis potest convinci. Vel dic, quòd admisso, & non concesso, quòd nihil eis deficeret, 223.

& lo-

& loquerentur de omnibus casibus, jam consuetudo, & stylus novus oppositum obtinuit; & sic manent revocatæ per usum contrarium dictæ explicationes.

224. 30. Ad illud autem, quod potest objici ex secunda sententia desumptum ex clausula Concilii, *relinquentis omnia in eo contenta* (præter definitiones) *dispositioni & voluntati Romani Pontificis*, facilè respondetur; quòd ibi nulla major facultas conceditur ei, quàm haberet, etiamsi talis clausula non apponeretur, sicut habet eandem, circa omnia statuta aliorum Conciliorum Generalium talem clausulam non habentium; sed ibi posita fuit expressè, quæ in aliis implicitè continebatur. Quis enim rationabiliter dubitare potest, quòd Papa habet absolutam potestatem supra statuta Conciliorum Generalium, & quòd sicut suæ authoritatis est dare valorem talibus statutis; sic ea poterit facere invalida, quando recta ratio id postulaverit; unde nihil contra nostram assertionem.

31. Quid autem sentiendum sit, quando in derogatione novi statuti, seu privilegii adsunt clausulæ positæ in secunda classe *suprà sect. 2. num. 7. hujus disputationis*, & similes, *sectio sequens* declarabit.

## SECTIO IV.

### *Quid operentur clausulæ generales revocatoria in secundo ordine positæ, præcipuè circa Tridentinum.*

225. 1. Divisimus clausulas generales in duas classes *sect. 2. num. 7. hujus disputationis*, & de primis egimus huc usque, nucc agendum restat de secundis, & ut à claritate intenta minimè recedamus, repetam illas, & sunt hujusmodi: *Non obstantibus quibuscunque privilegijs, etiamsi de eis de verbo ad verbum mentio fieri debeat, vel quorum tenores pro expressis habentes, vel non obstante quocunque privilegio, sub quacunque forma concesso: vel non obstantibus quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, vel etiam cujuscunque Concilij provincialis seu generalis, & similia.*

226. 2. Dubitatur ergo, an quando in revocatoria alicujus novi privilegii, seu statuti adest aliqua ex dictis clausulis, vel omnes simul, intelligantur revocata quæcunque antecedentia; sive in jure communi, sive in Conciliis generalibus; etiam in Tridentino, & denique in aliis quibusvis privilegiis, sive Religiosis in communi, sive alicui personæ particulari concessis, excipiendo semper illa, quæ in contractu oneroso fundantur, vel jus tertii lædunt in re gravi temporali acquisita, & possessa; taliter, quòd omnes dictæ clausulæ, & quælibet illarum, respectu privilegiorum & statutorum antecedentium quomodolibet concessorum, operentur idem ac operantur clausulæ formales specificæ; ex eo quòd æquivalenter reputantur tales, & sic revocent quodlibet privilegium antecedens, quascunque clausulas derogatorias derogatoriarum, & restrictivas urgentissimas habentes. Intellige in omni, & solo eo, quòd novum privilegium clarè contrariatur antiquo, & sine cujus derogatione novum non potest habere effectum quem petit ex proprietate sermonis;

nis; nam quando illum habere potest, servanda est indemnitas prioris legis, privilegii, seu statuti juxta qualitatem materiæ. Quod addo propter ea, quæ diximus *disp. 1. sect. 2. n. 1. & 2.* & dicemus *sect. 3. n. 9.* Nam contra purè favorabilia, maximè quæ animarum salutem respiciunt, restringendæ sunt revocationes, sicut concessiones ampliandæ, quantùm fieri potest, non solùm secundùm naturalem significationem verborum, verùm & secundùm civilem, ut *ibi* diximus, & ut cum majori claritate procedamus,

227. 3. Supponendum est *primùm*, tanquam omninò necessarium, quòd in sententiis relatis *suprà sect. 3. num. 3. usque ad num. 6. inclusivè*, non solùm omnes, sed quælibet seorsim, ex relatis clausulis *num. 1. hujus sectionis.* Sufficiat ad derogandum cuilibet antecedenti contrariæ dispositioni novæ; etiam inclusæ in Tridentino, quia si de qualibet clausula generalissima derogatoria id sentiunt Authores relati, multò magis sentient de istis, cùm revera magis accedant ad specificas, & sapiant naturam illarum.

228. 4. *Secundò* supponendum est, quòd in sententia Sanchez, & aliorum, nulla clausula ex relatis, neque omnes simul sunt sufficientes ad derogandum dispositis in Tridentino, sed omninò requiritur mentio expressa, & individualis illius, & hanc sequuntur præter relatos *supr. sect. 3. n. 18.* omnes, qui defendunt, per Bullam Cœnæ Domini non derogari potestati concessæ à Tridentino DD. Episcopis absolvendi à casibus occultis, etiam ab hæresi, quia n fitur dicta Bullae xp ressa mentio ipsi Tridentini, sed de hoc modò non disputo. Itaque hanc differentiam constituunt isti Authores inter Tridentinum, & alia Concilia Generalia, quòd ad derogandum istis, sufficit mentio Conciliorum Generalium in cõmuni, at verò ad derogandum illi, videlicet Tridentino, requiritur specifica & individualis.

229. 5. Quibus suppositis. *Dico primò*, per clausulas, *Non obstantibus quibuscunque privilegijs, etiam si de eis de verbo ad verbum mentio fieri petatur, in prioribus statutis, seu privilegijs*, revocantur quæcunque privilegia inserta in jure communi, & in qualibet Bulla, seu concessione, tam respectu Communitatis, quàm respectu personæ privatæ, in omnibus, in quibus contrariantur, neque secundùm proprietatem verborũ, possunt conciliari, aliàs frustranea esset talis revocatio, cùm nihil revocaret. Non nim esset major ratio unius, quàm alterius, supposito quòd nullum in individuo nominatur in tali revocatione generali, quod absurdum est dicere. Et idem est dicendum, quando Pontifex condit aliquã legem, statutum, aut Bullam correctoriam præcedentiũ concessionum, esset omninò fermè impossibile, & omninò intolerabile obligare Põtificem, ut omnia privilegia, quæ revocare vult, insereret de verbo ad verbũ in nova Constitutione. Unde supradicta clausula licèt non sit formaliter specifica & individualis respectu cujuslibet statuti, seu privilegii revocandi, est æquivalenter specifica & individualis respectu cujuslibet. Ita communiter Doctores. quod maximè verum est, quando cum tali clausula cõjungitur alia: *Ex certa sciẽtia, de plenitudine potestatis, &*

*motu proprio*. Et idem dicendum est de clausula: *Non obstante quocunque privilegio, sub quacunque forma verborum concesso, vel omnibus pro expresiu habitis.* De clausula autem: *Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus Apostolicis*, multi idem affirmant, alii negant cum Palao, utrumque probabile, si nihil aliud exprimatur.

230. 6. Est tamen advertendum. Primò, ex sententia Suar. *suprà relata*, quòd in Bullis, seu decretis correctivis antecedentium concessionum, cùm odiosa sint, non debent extendi revocatoriæ, sed restringi, quantùm patitur proprietas verborum, secundùm significationem naturalem; at in concessionibus gratiosis, & quæ nulli nocent, debent extendi etiam secundùm significationem civilem, quam juxta modum loquendi possunt habere, dummodo ad exorbitantia & inusitata non extendantur, ut *disputatione de confirmatione* dicemus.

231. 7. *Dico secundò*, dictæ clausulæ licèt sufficiant ad derogandum Conciliis Provincialibus, seu Nationalibus, sed non Generalibus, nisi saltem fiat in communi mentio Conciliorum Generalium, exceptis casibus *sect. 3.* assignatis. Respectu verò Tridentini, nisi fiat mentio specifica & individualis illius, juxta dicta *sect. 3. à num. 25.* & sic nihil faciunt propter rationes ibi assignatas, præter casus *eodem loco, nu. 28.* admissos. Itaque ad derogandum cuilibet privilegio, seu statuto, tam extra quàm intra jus commune, sufficiunt dictæ clausulæ generales. Ad derogandum verò Concilio Generali, requiritur mentio Concilii generalis, saltem in communi. Ad derogandum autem Tridentino, requiritur mentio specifica & individualis, facta saltem in narrativa ab impetrante, sive verbo, sive scripto, & in rebus, quæ communiter conceduntur, semper præsumitur præcessisse, & sic credendum est præcessisse in concessione *Pij V.* circa validitatem professionis Monialis, in articulo mortis constitutæ, ante adimpletionem anni novitiatûs, & præcedere in quotidianis concessionibus, quæ nullum effectum possunt habere, nisi alicui dispositioni Tridentini derogando, quia sic stylus Curiæ jam obtinuit, per quod facillimo negotio respondebimus fundamentis, in contrarium adductis.

DISP. V.

# DISPVTATIO QVINTA.

## *De publicatione necessaria in revocatione, & concessione privilegiorum.*

## SECTIO I.

### *Præsupponuntur aliqua utilia pro intelligentia hujus materiæ.*

232. 1. UT tota hæc difficultas commodius intelligatur, nonnulla præsupponenda sunt & resolvenda, quæ in materia de legibus ex professo disputantur à Theologis 1.2.*qu.*90. *art.*4. & à Juristis, & Summistis pluribus in locis. Pendet enim ex eis resolutio hujus dubii. Unde in hac sectione aliqua de legibus resolventur, in sequenti verò satisfiet dubio principali proposito.

233. 2. Suppono igitur *primò*, nullam legem humanam, nec civilem, nec Ecclesiasticam, sive generalem, sive privatam, habere rationem legis formaliter, sed solùm materialiter, ut notat doctus Montesinus, nec vim obligandi subditos, sine sufficiente publicatione: quia publicatio, vel est forma legis, in ratione regulæ humanarum actionum, vel est de substantia illius, ut sit obligatoria, ita communiter Doctores, Theologi, & Juristæ. Dixi, *sine aliqua publicatione*, nam modus publicationis non est de substantia illius, sed potest esse multiplex, & varius quoad loca & tempora, ex quo oriuntur diversæ opiniones, videlicet, quæ publicatio, & in quo loco sit necessaria, ut lex vim obligandi habeat? Insuper, à quo tempore post sufficientem publicationem incipiat obligare?

234. 3. Neque ab hac communi de necessitate alicujus publicationis excipiuntur leges irritantes actus, etiamsi nihil aliud præcipiant, seu vetent; neque leges pœnales, quia in his omnibus invenitur obligatio, vel non faciendi quod prohibetur, vel non utendi lege, seu gratiâ antiquâ, vel non celebrandi contractum, nisi tali, vel tali modo: sic Suar. *lib.*5. *de legib. cap.*33. & *lib.*8. *cap.*11. Montesin. *disp.*20. *quæst.*4. *de legib. num.*86. contra nonnullos negantes, requiri aliquam promulgationem in lege irritante, sed statim postquàm est in mente Principis voluntas interior revocandi, manere revocatam legem antiquam, licèt ignorantia excuset transgressores à culpa, & à pœna; sic Medina 1.2.*qu.*90. *art.*4. sed oppositum, sicut communissimum, ita certissimum, quàmvis in materia indulgentiarum non judicet improbabilem Montesinus, & Suar. sententiam Medinæ; sed oppositum est tenendum.

235. 4. Ex dictis fit, quòd si quis ante legitimam promulgationem sciret in Concilio, seu Congregatione, Constitutionem, seu legem factam fuisse de minori pretio rei venalis, seu diminutione valoris monetæ, posset vendere majori pretio, vel monetam mutuare, vel aliis tradere, v.g. in solutionem debiti,

biti, vel aliquid per illam emere absque peccato, neque restituere tenetur; sic colligunt ex D. Thom. 2.2. *quæst.* 77 *art.* 3. *ad* 4. Sotus *lib.* 6. *de justit. quæst.* 3. *art.* 2. §. 4. *num.* 6. Cordub. *lib.* 1. *quæst.* 14. *in fin.* Zerol. in praxi Episcop. *verb.* Pragmatica, *in princip.* Sair. in Clav. Reg. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. & noster Andreas à Matre Dei *Tom.* 3. curs. moral. Theolog. *Tract.* 11. *cap.* 1. *punct.* 6. *num.* 76. Ratio est, quia ex vi legis hoc non impeditur, cùm non liget ante promulgationem, neque ex accidenti futuro sibi noto, non secus ac qui vendit pretio currenti justo, quàmvis sciat plures vendentes superventuros, & pretium inde minuendum fore; quia satis est pretio justo vendere tempore venditionis, ut notant Authores relati arg. *l. pretia rerum, ff. ad legem falcid.* Quidquid in contrarium sentiat Bart. in *l. quæro, ff. de act. empt.* & alii, quia talis utitur jure suo.

236. 5. Suppono *secundò* ut certum, legem latam pro aliqua limitata provincia, seu Regno, aut pro qualibet Diœcesi, non indigere nisi unicâ publicatione solemni factâ in Metropoli, seu civitate, quæ est velut caput provinciæ, seu Diœcesis; aliàs in quolibet parvo loco deberet publicari, quod cum fundamento affirmari non potest, cùm sit contra stylum, & praxim communem.

237. 6. Suppono *tertiò*, quòd dupliciter potest intelligi obligatio legis: *Primò*, ita ut post primam publicationem in Curia; mediâ quâ manet lex constituta formaliter in ratione legis statim obliget omnes subditos, ubique commorantes, tam in actu primo, quàm in actu secundo, ex se, & ex natura sua, licèt ignorantes invincibiliter talem publicationem excusentur per accidens à culpa & pœna, sed habitâ notitiâ privata undecunque illam habeant, statim obligentur ad observantiam, absque aliâ publicatione. *Secundò* potest intelligi, quòd licèt lex post primam publicationem sit obligativa per modum actûs primi, seu per modum habitûs respectu omnium, sed in actu secundo non obliget, seu non extendatur ejus actualis obligatio, nisi ad commorantes in Curia, & ejus territorio, at respectu commorantium in longinquis provinciis, seu Regnis, extendat suam obligationem paulatim, juxta exigentiam temporis necessarii, arbitrio prudentum, ut notitia talis publicationis ad omnes perveniat, seu moraliter pervenire possit.

7. Differunt valdè isti modi dicendi, & ex eorum explicatione pendet intelligentia præsentis difficultatis, in qua non mediocris confusio invenitur in aliquibus Authoribus indistinctè loquentibus; illi enim, qui primum modum sequuntur, tenentur asserere, quòd ex ignorantia publicationis suspenditur per accidens vis obligationis legis, quæ per se semper obligat, ut excuset à culpa, & pœna. Unde sublatâ ignorantiâ undequaque quilibet sciens manet ligatus à lege, & si lex fuerit irritatoria, actus contra illam ex tali ignorantia, semper erunt invalidi, quia ignorantia non dat valorem, nisi juxta *infrà* dicenda de legibus irri- 238.

irritantibus. Qui autem secundum modum sequuntur, affirmare debent, quòd licèt lex sit obligatoria ex se, per modum habitûs, seu actûs primi, sed non extendi suam vim obligandi in actu secundo respectu commorantium in longinquis provinciis, quousque in eis fiat solemnis & specialis publicatio. Unde scientes ex quavis alia notitia particulari publicationem factam in Curia, non tenentur ad legem, neque actus invalidos facient, quousque authentica publicatio fiat in propria Metropoli.

239. 8. Suppono *quartò*, quòd non sufficit, quòd lex in publico consistorio Regis, aut Senatorum Reipublicæ, vel in aliquo Concilio, etiam Generali definita, & subscripta sit à Principe legislatore, ut habeat legis rationem formaliter, nec vim obligandi, etiam scientes, & præsentes, priusquàm sit promulgata publicè & solemniter. Quia solemnitas requisita ad legem, non tantùm est necessaria ex parte Conditorum, sed etiam in ordine ad Communitatem, & ideò non est lex formaliter, donec respectu Communitatis habeat statum legis, nec incipit obligare singulos, donec possit Communitatem obligare. Quod maximè patet in legibus in Generali Concilio editis, siquidem nulla potest esse solemnior editio ante promulgationem, quàm Conciliaris, & nihilominus non sufficit, nisi sequatur promulgatio. Quàmvis enim lex sit edita in Supremo Consistorio, & ibi omnium ore prolata, vel eorum authoritate subscripta, & licèt sit typis mandata, nondum est lex formaliter, donec aliquo modo publicè sit Communitati proposita, & hæc appellatur promulgatio: si verò solemnis editio legis fiat in conspectu totius populi, tunc illa solemnis editio includeret promulgationem. Unde semper est necessaria editio, & publicatio solemnis. Ita Innocent. in *Cap. 1. de postul. Prælat. num. 6.* Hostiens. *num. 21. & 22.* P. Suarez *lib. 3. de leg. cap. 16.* Merol. *disp. 4. cap. 3.* Donat. *de leg.* per varias quæstiones; & alii dicentes, verba illius capitis: *Solemniter edita, aut publicè promulgata*, sumenda esse copulativè, non verò disjunctivè, quia ibi particula, *aut*, posita est pro *seu*, ut in jure frequenter fit.

Sed ut melius hoc percipiatur, advertit *ibidem* Pater Suarez, posse distingui inter *promulgationem*, & *divulgationem legis*, & *promulgationem* appellat publicam propositionem legis, seu denuntiationem, quæ fit aut voce præconis, aut affigendo legem scriptam in publico loco, more solito, juxta consuetudinem patriæ, per ministros Principis: *Divulgationem* verò appellat applicationem, seu extensionem illius primæ promulgationis ad notitiam, seu aures subditorum absentium, qui aut legere, aut audire primam illam promulgationem non potuerunt. His suppositis procedendum est ad intentum.

## SECTIO II.

*An leges generales, sive civiles, sive ecclesiasticæ debeant publicari in singulis Regnis, & Provincijs, & Diœcesibus, vel sufficiat unica publicatio in Curia, vel regali, vel ecclesiastica, ut vim obligandi habeant?*

240. 1. NOn loquimur in præsenti de legibus imperialibus, nam de his dispositum est in jure civili, ut non obligent antequàm publicentur in singulis Provinciis, & post duos menses à publicatione, ut constat ex authentica, *ut facta nova constitutiones*, novell. 66. ibi: *Legem non obligare, nisi post duos menses à publicatione facta in singulis Provincijs.* Imò, & in singulis civitatibus Metropolitanis, ut notat doctus Montesinus 1.2. *Tom.* 2. *disp.* 20. *quæst.* 4. *difficult.* 3. *num.* 94. Sed cùm leges imperiales non ligent Principes supremos, qui Imperio non subduntur, ut Reges Hispaniæ, Galliæ, &c. & multò minus Romanos Pontifices, difficultas quòad hos manet in sua vi.

241. 2. Prima ergo sententia docet legem generalem, maximè Ecclesiasticam, non obligare existentes extra Curiam, per solam publicationem factam in ea; sed omninò desiderari, ut publicatio fiat pro singulis Provinciis in civitatibus Metropolitanis cujuslibet Provinciæ, seu Diœcesis, quando Princeps habet varias Provincias inter se valdè distantes, ut Romanus Pontifex. Si enim non habeat nisi unam parvam Provinciam, seu Regnum, sufficit unica publicatio in Curia, sicut in qualibet Diœcesi, sufficit in Metropoli ecclesiastica, ut omnes Doctore docent; at ubi multæ sunt Provinciæ, in qualibet debet fieri specialis publicatio. Unde commorantes extra Curiam in aliqua ex istis Provinciis & civitatibus, seu Diœcesibus, etiam si noverint publicationem legis factam in Curia, non ligantur talibus legibus, nec facient actus nullos, quoad usque in propria Provincia publicentur, sic sentiunt Cajetan. & Medin. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* Sotus de just. *lib.* 1. *quæst.* 1. *art.* 4. vers. *At verò.* Molin. *Tom.* 2. *de just. tract.* 2. *disput.* 395. Reginald. *lib.* 13. *cap.* 16. *num.* 152. Silvius 1.2. *quæst.* 96. *art.* 4. *quæst.* 11. *concluf.* 4. Mirand. in manuali *Tom.* 2. *qu.* 25. *art.* 4. *concluf.* 5. & probabilem reputat Merola infrà referendus, & alii multi Juristæ, & Theologi, quos refert & sequitur Trullench. in Cruciat. *lib.* 1. §. 7. *dub.* 9. *num.* 20. cum Ludovic. à Cruce *distinct.* 1. *cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 1. inter quos novissimè Joannes Præpositus, loquendo de lege generali Pontificia 1.2. *quæst.* 49. *disp.* 1. *dub.* 7. sequentia deducit ex præfata opinione.

*Primùm*, aliquem non obligari servare legem generalem, quam scit Romæ publicatam, si non sit publicata in provincia, ubi commoratur. *Secundùm*, pœnam legis non incurri, nec excommunicationem, neque suspensionem, aut privationem officii, aut beneficii, ante talem publicationem. *Tertiùm*, non incurri inhabilitatem ad officia, seu beneficia, neque irregularitatem. *Quartùm*, contractum non esse irritum, neque in conscientia teneri quis ab eo abstinere. *Quintùm*, leges revocatorias privilegiorum, v.g. absol-

ven-

vendi à reservatis, eligendi confessarium; non habere vim antequàm publicentur in provincia, seu Diœcesi. *Sextùm*, alias leges Papales, in propriis provinciis non promulgatas, non obligare, nec quòad culpam, nec quòad pœnam; ac proinde regulas Cancellariæ, extra Romanam Curiam non habere vim legis, cùm non publicentur extra eam; nam etsi stylus Curiæ Romanæ juxta eas judicet causas totius orbis, id tamen est, quia judices sequuntur oppositam sententiam pro foro externo; sed in foro conscientiæ poterit quis alteri opinioni probabili se conformare. Hæc dictus Author, & omnes qui hanc sequuntur opinionem absolutè prolatam, quod addo, quia diversimodè intelligitur à pluribus illorum.

242. 3. Fundamenta præcipua hujus sententiæ ad sequentia reducuntur. *Primùm*, quia quando jus Canonicum nihil disponit, judicandum est juxta jus civile, si bonis moribus non contradicat; sed in jure Canonico nihil de hac re disponitur, & assignata authentica juris civilis non solùm non contradicit bonis moribus, sed potius illis favet; cùm sit æqua & justa, fundata in optima ratione; igitur observanda est in legibus Ecclesiasticis, quando nihil aliud in contrarium disponunt, cùm eadem ratio militet in omnibus legibus, & fortius videtur urgere in legibus Pontificiis, quæ universaliores sunt, quàm laicales; siquidem imperium Papæ latius patet, quàm imperium cujuscunque Regis, & Imperatoris. Insuper præfata lex imperialis invenitur acceptata ab Ecclesia, ut dicemus *infrà* loquendo de legibus irritantibus, & *sect. sequenti*: Ergo, &c.

243. 4. *Secundùm*, quia non publicatâ lege in provincia, vel lex obligat ignorantes, vel non obligat; si obligat, durissima & injusta videtur; si non obligat, ergo neque scientes obligat. Nam quando major pars populi legem non servat ex ignorantia ipsius, neque ego sciens teneor observare: sicut si major pars populi legem non acceptavit, neque ego teneor observare. Esset enim magnum inconveniens, & inferret regiminis confusionem, & innumeros scrupulos gigneret, legem paucos casu scientes obligare. Quando verò in propria provincia publicatur, per se est sufficiens obligare omnes, licèt per accidens excusetur à culpa & pœna aliquis privatè ignorans: nam leges per se commune bonum respiciunt, & ad illud ordinantur, non curando de his, quæ per accidens possunt accidere.

244. 5. *Tertiùm*, nam lex, quæ pro tota Ecclesia fertur, potest non esse utilis, & conveniens pro particulari Religione, & in tali casu potest, & debet Episcopus suspendere executionem, & supplicare Romano Pontifici, eique rescribere, ut habetur in *Cap.* Si quando, 5. *de rescript.* & docent omnes, ut ostendemus *infrà*. Si ergo pro illo tempore suspensionis, & supplicæ, lex non obligat, ut est communis sententia, de qua dicam *infrà*: Ergo signum est quòd lex non cepit obligare statim post publicationem factam in Curia, aliàs Episcopus non posset talem obligationem suspendere, cùm sit imposita à supremo Superiore.

6. Quæ-

245. 6. *Quartùm*, nam ex oppositò magna inconvenientia sequerentur. Nam si Summus Pontifex statuat novum impedimentum dirimens matrimonium, v.g. usque ad 5. gradum, plurimæ virgines ignorantes, cum tali impedimento nubentes, post deperditam virginitatem, oporteret à suis viris separari.

246. 7. Confirmatur ex *Cap.* Cùm infirmitas, *de pœn. & remiss.* ubi statuitur: *Si quis Medicorum hujus nostræ Constitutionis, postquàm per Prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec satisfecerit competenter.* Ergo lex Ecclesiastica conformat se legi imperiali tanquam æquæ & justæ quòad publicationem legis in qualibet Diœcesi; vide alia *infrà*, loquendo de legibus irritantibus.

247. 8. Nihilominus multi Doctores antiqui, & moderni tam ex Juristis, quàm ex Theologis nervosè defendunt Pontificias leges, post publicationem Romæ factam, obligare omnes provincias, quàmvis in illis non sint specialiter publicatæ.

9. Probant, quia universalis & receptissima consuetudo in toto orbe sic suadet; aliàs ferè nulla lex, aut Bulla Pontificia hactenus, plusquàm in Curia, & juxta eam obligaret; siquidem alibi non publicantur, maximè multæ Constitutiones juris Canonici Extravagantium particularium, & Bulla Cœnæ Domini, quia istas certum est non fuisse publicatas in Provinciis particularibus, quod absurdissimum videtur asserere.

248. 10. *Secundò*, quia Episcopi, aliique Prælati non publicant Bullas Pontificias in suis Diœcesibus, & non excusarentur à peccato, si ad eorum obligationem requireretur publicatio in Diœcesi, & tamen non peccant non publicando, nisi Papa in sua Constitutione id eis præcipiat, & cùm Summo Pontifici sit notissimum hoc, neque conqueratur, nec Prælatos reprehendat, sufficiens signum est eum posse, & velle validè, & licitè, post solam publicationem in Curia Romana factam omnes Fideles obligare, sic Doctores relati à Diana *part. 1. tract. 10. resol. 8. & 9. & part. 4. tract. 4. resol. 127. & part. 5. tract. 14. resol. 5. & part. 6. tract. 6. resol. 39. & part. 7. tract. 1. resol. 28.* Bonac. *de leg. disp. 1. quæst. 1. punct. 4. num. 16.* Vatquez *1. 2. disp. 156. cap. 2. num. 12. ibidem.* Montesin. *disp. 20. quæst. 4. dff. 3.* Suar. *lib. 4. de leg. cap. 15. num. 8.* & passim multi moderni & antiqui, inter quos P. Merol. hanc probabiliorem vocat, sentit ergo quòd prima est probabilis, ita docet *disp. 4. dub. 17. nu. 250.* Idem sentiunt traduntque è nostris Andreas à Matre Dei *Tom. 3.* curs. moral. Theolog. *Tract. 11. cap. 1. punct. 6. §. 1. num. 86.* Franciscus Bonæ Spei *Tom. 4.* suæ Theolog. *Tract. 3. disp. 7. dub. num. 8.* & Stephanus à S. Paulo *Tract. 2.* suæ Theologiæ moralis *disp. 1. dub. 2. n. 9.*

249. 11. Non me latet alius modus sentiendi, quem noviter excogitavit P. Angelus Maria Verticelli de Apostolicis missionibus *Tract. 3. quæst. 76. & 77.* ubi docet, primam sententiam, & deductiones P. Præpositi esse probabiles, si intelligantur quando in singulis Provinciis lex Pontificia non est publicata, neque formaliter, neque æquivalen-

lenter, & vocat *publicationem æquivalentem*, quando typis impressa circumfertur inter majorem partem populi, vel alio modo nota est ipsi majori parti populi; at si æquivalenter non sit publicata majori parti populi, etiamsi formaliter sit publicata solùm Romæ, sentit esse improbabilem sententiam relatam, continereque intollerabilem errorem deductiones P. Præpositi; aliàs inquit Bulla Cœnæ Domini, & ferè omnes aliæ solùm Romæ obligarent, quia solùm Romæ publicantur, quod absurdissimum est. Sed quidquid sit de censura, quæ satis acris videtur, vellem tamen, ut ipse P. Angelus Maria nobis explicaret, an illa major pars populi, ad quam notitia publicationis Romæ factæ, debet pervenire, intelligenda sit de quolibet populo in particulari, an verò de majori parte populorum totius Ecclesiæ? An verò de majori parte subditorum in tota ditione Ecclesiastica, vel in qualibet Provincia? quod minimè explicat, nec miror, cum hoc ad praxim reducere, non solùm difficillimum, sed ferè impossibile sit, ut inspicienti facilè patebit, & optimè notavit P. Valentia, sed quia *num. 5 quæst. 77.* insinuat requiri notitiam subditorum in majori parte cujuslibet populi, siquidem ibi ad peculiarem casum descendit, mihi valde difficilis videtur iste modus dicendi, & contra communem Theologorum, & Juristarum sensum Omnes enim affirmant, loquendo de legibus municipalibus, idest, quæ fiunt pro peculiaribus Provincijs, seu Diœcesibus, quod sufficiat unica publicatio formalis pro tota illa Provincia facta in Curia, vel præcipua civitate, seu Metropoli illius, vel in aliquo loco, secundum morem Patriæ, & illa sola sufficit, ut lex dicatur per se publicè, & solemniter edita, & publicata, & ut obliget per totum territorium, seu Provinciam, absque alia publicatione, aliàs non esset major ratio, cur exequeretur in quibusdam civitatibus, & non in singulis parvis locis, & quare in uno loco civitatis, & non in alijs, & sic oporteret in singulis Civitatibus, & terris, seu locis promulgari, quod est absurdum, & nullus dicit, quia nullus docet, quod publicatio debeat fieri, neque in majori parte populorum, neque subditorum, sed omnes fatentur vel sufficere publicationem factam in capite, seu Metropoli cujusvis Provinciæ, juxta primam sententiam, vel solùm Romæ, juxta secundam; sed quænam ex his sententiis (cum utraque probabilis appareat) habeatur ut probabilior, ex dicendis sectionibus sequentibus constabit.

## SECTIO III.

*An lex sufficienter publicata in locis debitis, juxta sententias relatas, statim incipiat omnes subditos obligare, nullâ postpositâ morâ à die, seu horâ factæ publicationis?*

1. ALiqui Doctores affirmant, & probant ex *Gloss. in* Clement. *2. de haret.* vers. *Ex tunc*, & insuper, quia legislator potest hoc modo obligare, si id expresè velit, & de claret; cum jam lex supponatur perfecta in ratione legis per promulgationem, & cum sua vi obligandi. Ergo eo ipso quod lex per voluntatem legislatoris non limitetur, nec 250.

impediatur absolutè lata & promulgata, statim omnes obligabit, non secus, ac si expressè diceret *ex tunc*, vel *ex nunc*: Licet à culpa, & pœna excusentur invincibiliter ignorantes; sic Parnormitan. in *Cap. 2. de constit. n. 7.* Felin. *ibidem num. 7. limit. 5.* Navarr. *conclus. 1. de const. q. 4. num. 15.* & in summ. *cap. 23. num. 44.* quos non pauci sequuntur.

251. 2. Alij verò persistendo in relata *Authentica*, ut novæ Constitutiones defendunt adhuc post factam debitam publicationem, legem etiam Ecclesiasticam, sine determinatione temporis prolatam, nullum obligare, nisi post duos menses à die factæ publicationis, in qualibet Provincia, ita Cardinalis Zavarela, Enricus Decius in *lect. 2. cap. 2. de const.* Valentia 1. 2. *disp. 7. q. 5. p.* vers. *Statutum, lex*, Reginald. *lib. 13. n. 152.* Emanuel Sa, *verb.* Lex. Miranda in Manual. *Tom. 2. q. 25. art. 4. conclus. 5.* nost. Andreas à Matre Dei *loc. supracit. punct. 6. §. 2. num. 91.* Molin. *Tom. 2. disp. 396. §. 2.* ducor, *circa finem*, ubi probat dictam *Authenticam* civilem statuentem nullam legem obligare, nisi post duos menses à die publicationis, in qualibet Provincia esse justissimam, & valde consonam rationi, illamque saltem virtualiter esse acceptatam à jure Canonico, ut tenet *Gloss. cap. 1. de concess. præbendæ*, Verb. *Post tempus*, & constat ex *Cap. 1.* non oportet, & ex *Bulla Pij IV.* super publicatione Tridentini. Insuper, quia quando jus Canonicum nihil statuit, recurrendum est ad dispositionem juris civilis in foro Ecclesiastico, illique standum, ut constat ex dictis de publicatione pro prima sententia.

252. 3. Nihilominus dicendum est, legem Ecclesiasticam Generalem, post debitam publicationem, obligare statim scientes, & præsentes, absentes verò, seu distantes obligare post sufficiens tempus, ut morali, & politico modo ad illos notitia perveniat, vel possit per se pervenire, & non antea. Est expressa sententia D. Thom. 1. 2. *q. 90. art. 4 ad 2.* ibi: *Legem obligare in quantùm ejus promulgatio in omnium notitiam per se, vel per alios pervenire potest.* ubi notat Cajet. hoc non debere intelligi de potentia logica, quæ non implicat contradictionem, sed de potentia physica, & politica, idest, secundum ordinem communem naturalē, & cursum politicum. Cum ergo publicatio legis facta in uno loco, non possit humano modo pervenire ad loca distantia, nec lex statim poterit obligare in omnibus locis suæ latitudinis; etiamsi hoc intenderet Legislator, quia excederet ejus potestatem. sic sentiunt Suar. *lib. 4. de leg. cap. 15. num. 15.* & *lib. 3. cap. 17.* Castro Palao *Tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 11. num. 7.* Doctus Montesinus *disp. 20. diff. 4.* Granad. *controvers. 7. tract. 3. part. 1. disp. 11.* Merola *disp. 3. de leg. cap. 3. dub. 8.* Donat. & alij communiter, & videtur expressè haberi in *Cap. 1. de const. in 6.* ubi dicitur: Quod lex, & mandatum nullos adstringant, nisi postquam ad notitiam pervenerit eorundem, aut post tempus infra, quod ignorare minimè debuissent.

253. 4. Probatur ratione, quia ad actualem obligationem legis, semper est necessaria notitia ejus, aliàs obligaretur subditus ad impossibile: Ergo ut possit lex obligare necesse est, ut per se loquendo

do, possit ad notitiam subditorum pervenire modo humano; nam ubi non est potestas ad media, neque ad finem erit; sed fieri non potest, ut factâ promulgatione in uno loco, lex statim sciatur ab omnibus subditis, in toto loco jurisdictionis: Ergo impossibile est, ut lex statim obliget: Ergo necessariò requiritur sufficiens tempus post promulgationem, ut notitia legis in toto territorio, per se loquendo, diffundatur, vel diffundi possit; itaque lex semel publicata, ubi oportet ex natura sua obligat, ubi moraliter, & humano, ac politico modo sciri potest, & sic in loco præsenti statim: in alijs verò, intra tempus sufficiens, extendit suam obligationem, & notitiam, arbitrio prudentis computandam.

254. 5. Ex quibus deducitur, *Primò*, quod si lex v. g. Matriti privatim, vel summissa voce proferretur in aula Regis, non potest habere vim obligandi Communitatem totius Matriti, quia non esset ita sensibiliter prolata, ut sit accommodata toti Communitati talis populi; imò etiamsi in loco publico, ut in platea, & voce præconis, promulgaretur, non in instanti obligaret omnes Matriti habitantes, sed post aliquod tempus, in quo notitia pervenire possit moraliter ad omnes: quia sicut est impossibile, legem promulgatam Matriti, sciri Barcinonæ eodem momento temporis; ita est impossibile, quod lex promulgata in platea, in eodem instanti, sciatur ab omnibus Matriti commorantibus, unde sufficiens tempus prudentis arbitrio concedendum est, ut lex suam obligationem in omnibus, morali modo, diffundere possit.

6. Deducitur *secundò*, quod etsi lex apponat particulam *ex nunc*, vel aliam 255.
similem, non ideo incipit simul obligare in toto territorio pro quo fertur, quia lex humana, sicut non potest obligare ad impossibile, ita nec potest obligare modò impossibili, nec circa talem modum obligandi aliquid statuere, quod pugnet cum ratione naturali; ostensum autem est, illum modum obligandi esse impossibilem & contra rationem naturalem; sensus ergo illius particulæ, si apponatur, erit, ut *ex nunc*, ac lex promulgatur in loco debito, sine ulla mora incipiat obligare omnes; ad quorum notitiam moraliter devenire potest, & *ex tunc*, etiam extendatur obligatio ad omnes, prout crescet etiam moralis potestas diffundendi notitiam ad omnes, & ideo dixit Medina, promulgationem legis non fieri in instanti, aut in parvo tempore, sed in temporis spatio, quo possit ad notitiam omnium devenire, quod valde placet Suario, redditque rationem. Nam licet publicatio prima solemnis, brevi tempore fiat, & finiatur physicè (ut sic dicam) tamen non censetur moraliter completa, donec sonus ejus possit ad loca distantia pervenire, quod non fit parvo tempore; imò nec certo, ac determinato, sed prudentis arbitrio opus est, ut Doctores allegati *supra* dixerunt. Hæc autem intelligenda sunt de legibus præcipientibus, ut aliquid fiat, vel non fiat, non de irritantibus actus, vel de pœnalibus, in quibus est particula, *ex nunc*; Nam de hoc erit speciale dubium *infra*.

7. Deducitur *tertiò*, legem dicentem 256.
post duos, vel tres menses à publicatione obligare, non comprehendere simul

omnes subditos, pro quibus fertur, si illud tempus designatum insufficiens sit, ut notitia ejus per totum territorium moraliter diffundatur, unde prius obligabit proximos, quàm remotos, quia prius est sufficienter promulgata pro vicinis, seu præsentibus, quàm pro distantibus, nam si ad illos moraliter non possit notitia pervenire intra illos duos menses, vel tres, exspectandum est longius tempus, arbitrio prudentis necessarium, ut notitia ad ipsos remotos moraliter possit diffundi. Unde ipse Medina bene dixit *supra*, posse legem esse sufficienter promulgatam respectu quorundam, & respectu aliorum non esse satis propositam.

257. 8. Deducitur *quartò*, post elapsum tempus sufficiens à solemni publicatione, ut ejus notitia per totum territorium, pro quo fertur, moraliter possit diffundi, absolutè loquendo, obligat de facto in toto illo, & omnes de illo, etiamsi forsan per accidens, talis notitia, quòad plures subditos, vel etiam ad aliquam partem territorij non pervenerit. Hoc planè invenitur esse de mente D. Thom. *supra*, quia ad obligationem legis solùm requirit ut notitia ejus habeatur, vel possit per se haberi. Sed quando facta est solemnis publicatio, & tempus sufficiens elapsum est, potest per se notitia legis ad omnes pervenire: Ergo hoc satis est, ut obliget, licet casu, & per accidens non pervenerit; quia tunc notitia legis non est per se, & morali, seu humano modo impossibilis. Leges autem non considerant ea, quæ per accidens eveniunt, sed quæ per se sunt necessaria; ita Suar *ibidem*, cum alijs.

258. 9. Deducitur *quintò*, quod si aliquis medio aliquo extraordinario, ut arte Dæmonis, vel per Angelum reciperet notitiam ante tempus moraliter, & humano modo sufficiens, non obligaretur à lege promulgata in curia; quia in tali casu esset excusatio, non solùm ex parte subditi, sed etiam ex parte legis, & ideo simpliciter non obligat, vel quòad efficaciam, vel quòad sufficientiam (ut sic dicam.) Quando verò notitia legis, per se, & morali modo, potuit pervenire, & casu non pervenit, lex de se sufficienter obligat, licet per accidens, ignorantes excusentur. Quæ differentia, quòad effectum obligationis legis, v. g. culpæ, transgressionis, non videtur in esse moris considerabilis, nihilominus quoad alios effectus irritandi, aut inhabilitandi, valdè considerabilis est, quia in uno casu annullatur actus factus contra legem, in alio verò minimè; sic Suar. cum relatis authoribus, ex quibus, & ex dicendis *sect. seq.* facillimo negotio argumentis in contrarium adductis satisfiet.

## SECTIO IV.

*An lex Pontificia irritans contractum, absolutionem Sacramentalem auferendo jurisdictionem, professionem, collationem beneficij, alioque actus, & similiter lex pœnalis, post publicationem factam solùm Romæ, statim obliget omnes absque ulla mora.*

259. 1. SEparatim excitatur hoc dubium à DD. quia specialem inveniunt difficultatem in duplici casu. Primò, quando lex dicit expresè se irritare *ex nunc*, vel *à die publicationis*. Secundò, quando talem clausulam non apponit, sed

sed irritat actum absolutè, nullum tempus determinans. In primo casu P. Salas de legib. *disp* 12. *sect.* 2. *num.* 11. docet, hujusmodi leges esse pernicioſas Reipublicæ, & nullas, ac invalidas, quòad effectum; quia sentit etiam in legibus irritantibus esse omnino necessariam publicationem in qualibet Provincia, seu Diœcesi, & insuper tempus sufficiens, ut notitia possit ad omnes pervenire; idem docet Sotus, & sequitur Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 7. & hoc ex benigna interpretatione Pontificis censeri debet, ut effectum non sortiantur antequam in Diœcesibus promulgentur. Fundamenta hujus sententiæ sunt eadem quæ *supra* pro legibus solùm disponentibus adduximus; quia si publicatio, & tempus sufficiens sunt de ratione legum, ut obligatoriæ sint, sine illis obligare non possunt; etiam si apponatur clausula *ex nunc*; facit enim hunc sensum, statim post debitam promulgationem, & tempus, intra quod notitia legis haberi possit. Quod si in Curia Romana, & alijs Tribunalibus Ecclesiasticis contrarium judicatur, est, quia judices sequuntur opinionem contrariam, non verò quia in conscientia, & pro foro interiori ista non possit sequi.

260. 2. Sed hæc sententia P. Salas, sic absolutè prolata, communiter rejicitur à Decio, Felino, Panormitano in *Cap.* 2. *de Const.* à Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 17. *n.* 10. Rodrig. *Tom.* 1. *q.* 6. *art.* 5. & ab alijs. Nam tales leges irritantes actus *ex nunc*, vel *ab hac die*, non fiunt in odium agentis, sed ob bonum publicum, quod privatis commodis præfertur, nec supponunt culpam in agentibus: Ergo independenter à scientia ligant; nam *Sixtus V.* irritas, & nullas declaravit professiones factas contra formam suæ Constitutionis, à die publicationis ejusdem in Curia Romana, quod etiam temporibus præsentibus, fecit *Innocent. X.* anno 1649. qui die 17. Decembris declaravit irritas professiones contra suas Constitutiones per totam Italiam, & Insulas adjacentes, faciendas à die 22. ejusdem mensis in quo publicata fuit Romæ ejus Bulla, cum esset impossibile naturaliter, ut intra quatuor dies, sua Bulla per totam Italiam, & insulas innotesceret.

3. Attamen P. Suarez *lib.* 5. *de leg. cap.* 33. *num.* 7. licet sequatur hanc secundam sententiam, notanter addit, observandas esse hujusmodi leges, in quibus tales particulæ apponuntur regulariter: Loquendo de quibusdam rebus, vel actionibus, in quibus Pontifex potest liberè disponere, & dispensare, ut sunt beneficia, & collationes eorum, & valor professionis Religiosæ, & ideo in his sæpe inhabilitat personas, vel impedit collationis valorem, seu professionis à die promulgationis Romæ factæ, ut fecit *Sixtus V.* circa nullitatem professionum; quia etiam valor professionis in Religione pendet ex acceptatione Sedis Apostolicæ. Unde si ab hac die non vult acceptare, nisi talibus conditionibus servatis, erunt nullæ. Quod alijs terminis explicat Layman. *lib.* 1. *tract.* 4 *cap.* 2. *num.* 7. dicendo: Hunc modum irritandi esse proprium legum irritantium actum; non in odium agentis, sed ob defectum solemnitatis assignatæ à Principe in bonum commune, & sic statim ligant etiam ignorantes, &

261.

actus sine tali solemnitate ab illa die redditur nullus.

262. 4. At verò in alijs rebus, quæ non ita pendent à voluntaria institutione Pontificum, seu solemnitate, ab ipso petitâ, sed supponunt aliquod naturale jus, quod per humanam legem interdum modificatur, id nunquam fit sine concessione sufficientis temporis, ut lex ad notitiam deveniat. Tum, quia regulariter esset nocivum bono communi. Tum etiam, quia videretur aliquo modo juri naturali repugnare, ut declaratum est, & statim addit: Quamvis autem hoc ita sit, nihilominus semper pro lege est præsumendum, & ideo quandocunque lex Canonica habuerit simile clausulam, quàm primū ad notitiam deveniat servanda est, ut nullitatis periculum evitetur, Suarez, sequitur absque hac ultima additione Layman, *ubi supra*, neque quòad hoc ullam facit distinctionem in his legibus, licet habeant clausulam *ex nunc*, vel *ab hac die*, sive non. Imò, dicto *num.* 7. addit, quod lex Pontificia, quæ infirmat contractus, vel aufert jurisdictionem, verbi gratia, in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, benigna interpretatione censeri debet, non antea effectum suum sortiri, quàm in Diœcesibus promulgata sit. Sentit ergo, quod etiam in his legibus requiritur publicatio in singulis Diœcesibus, & sufficiens tempus, ut notitia ab omnibus possit haberi. Legendus de hoc noster Andreas à Matre Dei *loc. supra cit. num.* 78. sed de hoc dicam modò.

263. 5. In secundo autem casu, nempe quando in legibus irritantibus non apponitur clausula *ex nunc*, vel *ab hac die*, sed absolutè proferuntur; multi Doctores sentiunt esse necessariam in singulis Diœcesibus peculiarem publicationem, sicuti in legibus civilibus imperialibus, ex fundamentis *supra relatis sect. 2. hujus disp. à num.* 3. sic docent Sotus *lib.* 1. *de just. quæst.* 1 *art* 4. Layman *ubi supr. num.* 7. qui malè citat Suarez pro hac parte. Nervosè Molina *Tom.* 2. *tract.* 2. *disput.* 345. & alij. Itaque sentiunt, quod lex non solùm civilis, quæ irritat contractus, alioquin jure naturæ validos, vel aufert jurisdictionem, v. g. in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, benigna interpretatione censeri debet, non antea effectum suum sortiri, quàm in Diœcesibus promulgata sit, & sufficiens tempus post promulgationem transierit, ut notitia legis promulgatæ in propria Diœcesi ad omnes possit pervenire, & multi adhoc petunt spatium duorum mensium, post quamlibet promulgationem, & certè ait Molina, non benè faceret Summus Pontifex, si cum injuria suorum subditorum aliqua lege vellet, aliquid reddere nullum, antequam illis in suis Diœcesibus promulgaret, concesso insuper eis tempore competenti, in quo regulariter ad omnium notitiam posset devenire, & loquitur in terminis Bullæ *Pij V.* annullativæ contractus censuum, sine solemnitatibus ab ipso requisitis, & similibus, & in nullitate absolutionum Sacramentalium.

Quod autem annullatio talis contractus, & similium, cederet in præjudicium illos celebrantium probat; quia celebrarent contractum ex natura rei licitum, traderentque pretium aliquando cum majori lucro cessante, aut dam-

no

no emergente, quàm essent pensiones receptæ, & nihilominus cogerentur pensiones restituere, alioquin licitè receptas, & carerent lucro cessante, & venditores censuum, toto illo tempore gauderent pecuniâ receptâ gratis, quod constat esse injuriosum, & ita illa opinio, quæ censet, sufficere duos menses post publicationem, Romæ factam, ut obligetur tota Ecclesia, neque sit necessaria publicatio in singulis Provincijs, aut Diœcesibus ad effectum, quod nullus præsumatur illas invincibiliter ignorare, & quod invalidæ sint, quæ talibus legibus annullantur; profectò non est tam certa, quàm supponitur ab aliquibus, quin potius contraria meo judicio (ait Molina) est probabilior, quam sequitur Sotus, & idem est de lege annullante absolutiones, seu jurisdictionem auferente circa Sacramenta.

264. 6. Addit insuper, quod ratio cur leges imperiales debent in qualibet Provincia promulgari, & post duos menses à singulis publicationibus obligare est, quia ad tempus judicatum est, ut post publicationem in unaquaque earum notitia legis regulariter, seu politico modo, ad omnes posset devenire. Quod si totum Romanum Imperium tunc per orbem terrarum latè diffusum, unica esset temporalis Respublica, eo modo quo est tota Ecclesia, certè non præscriberetur tempus duorum solùm mensium, à die publicationis, in Curia Imperiali factæ, ut totus orbis non excusaretur habere ignorantiam legis, & ut testamenta, aut contractus, ob defectum solemnitatis, aut ob alias causas, nulla censerentur; quoniam esset irrationabile, eò quod in tam exiguo tempore notitia legis devenire non posset ad totum imperium, singulaque illius oppida, & personas, & ob id constituta fuit Authentica, *ut novæ Constitutiones.*

Quare cum Ecclesia tam latè per orbem terrarum sit diffusa, quam late diffusum non erat imperium, divisaque sit per Metropoles, & Diœceses, sicut imperium per Provincias erat divisum, legesque Pontificiæ derivari à Curia Romana consueverint ad Patriarchatus, Metropoles, & Diœceses, ut ita ordine quodam promulgentur, ut ex multis Bullis liquet, consequens profecto est, ut quando jus Canonicum consentaneè ad civile de duobus mensibus circa Pontificias leges loquitur, intelligendum illud sit à publicatione, in unaquaque Diœcesi facta, alioquin irrationabile esset, tam modicum tempus designare. Tum, ut ignorantia in universa Ecclesia non præsumeretur. Tum etiam ut in tota Ecclesia irriti non essent actus alioquin ex felicitì, aliàs fieri non posset, sine multorum injuria, quod non est præsumendum de voluntate Pontificis; confirmatur ex Tridentina Synodo, *sess. 24. cap. 1. de reform.* Dum irritum reddens matrimonium clandestinum, cernensque id cedere posse in magnum Fidelium gravamen, noluit legem illam obligare nisi post triginta dies à publicatione in unaquaque Parochia. Hæc Molina, ex Soto, & alijs, qui expressè loquuntur etiam de irritatione jurisdictionis administrandi Sacramenta.

265. 7. Quibus si objicias, quod communiter Bullæ Pontificiæ non publicantur solemniter, nisi solùm Romæ. Imò multa inserta in jure communi non

non inveniuntur alibi publicata; & nihil ominus obligant ubilibet, cum sola illa publicatione, & idem est de Bulla Cœnæ Domini. Respondet Molina, §. *Verum tamen*, & §. *ad secundum*, quod hæc non debent movere, ut quis discedat à sua opinione, authoritate juris, firmisque rationibus confirmata, & comprobata; sed solum ad eam limitandam, ut intelligatur nisi constitutio, seu Bulla in corpore juris sit inserta, quo jure Provinciæ uruntur, & in Universitatibus addiscatur, & inter literatos viros practicetur; id enim in unaquaque Provincia pro promulgatione sufficit; quia est æquivalenter promulgatio, pro qualibet Provincia, neque necessaria est alia, sive jus illud Canonicum sit, sive civile; & hoc modo eam limitat Felinus *ubi supra*, & Panormitanus, *Cap.* noverit, *citato*, & eodem modo philosophandum est de Bulla Cœnæ Domini, propter ejus observantiam, & communem usum in Universitatibus, & Tribunalibus, ubi recepta est.

Unde si corpus aliquod juris de novo Romæ ederetur, in quo essent novæ aliquæ Constitutiones, atque sufficiens earum notitia ad aliquam Provinciam intra duos menses, non deveniret, neque in ea publicarentur, ait Molina, tunc illas non obligare ipsos ignorantes in ea Provincia, antequam de eis haberetur communiter dicta notitia. Et sic quòad Bullam *Pij V.* de qua præcipuè *ibi* disputat Molina, docet, quod si in Provincia aliqua publicata non sit, neque ea inter viros doctos practicatur, tabellionesque, & contrahentes de illa non sint admoniti, non irritat contractus contra formam ipsius, ab ignorantibus celebratos.

8. Et adhuc, si instes ex Bulla *Pij IV.* super declarationem temporis ad observanda decreta Tridentini, referente: *De jure communi sancitum esse, ut novæ Constitutiones vim non obtineant, nisi post certum tempus*, ubi addit Pontifex: *Prout rationi, juri, & æquitati convenire censuimus, duximus declarandum, quod decreta ad reformationem, & jus positivum pertinentia, omnes cœperint obligare à Kalendis Maij, neque post eam diem excusationem cujusquam, quod ea ignoraverit, admittendam. Quod si in contrarium aliquid fuerit judicatum, totum sit irritum, & inane.* Cum igitur præfata Bulla cum decretis Concilij, Romæ fuerit publicata à fine Januarij, & solùm tres menses designet Pontifex, post publicationem Romæ factam, & nullam aliam publicationem exigat in particularibus Diœcesibus, & incrementum illud ultra duos menses, designare videatur, propter moram factam, in Typis mandando, ac mittendo Concilium ad Provincias, ut ex ipsa Bulla constat; sequitur, quod nec requiritur, nisi sola publicatio Romæ, neque majus tempus duorum mensium pro obligatione cujusvis legis Pontificiæ, in quolibet loco jurisdictionis Universalis Ecclesiæ. 266

9. Respondet Molina, quod attentâ notitiâ, quæ de Concilio Tridentino, jam antea absolutè, per Provincias omnes habebatur, & quod per patres ante illius confirmationem ad Provincias omnes Typis mandatum devenerat, attentâ etiam notitiâ confirmationis, & publicationis illius Romæ factæ, quæ ad Provincias omnes Europæ Romanæ Eccle- 267.

Ecclesiæ subjectas intra breve tempus pervenit, utpote rei adeo insignis, & tanto tempore, ubique desideratæ. Insuper attentâ celeri illius publicatione, quæ ubique facta est, jure optimo *Pius IV.* declaravit omnes obligare cœpisse à Kalendis Maij: per Epichejam autem legum interpretem, est judicandum, non intellexisse de his, qui in Indijs, & qui in remotissimis novi Orbis partibus commorantur, ad quos notitia confirmationis Concilij, tam brevi tempore devenire non potuit. Quid enim illis prodesset ad suam notitiam, tempus duorum mensium?

Insuper si leges Pontificiæ elapsis duobus mensibus à publicatione Romæ facta, universam obligarent Ecclesiam; sane *Pius IV.* non declararet consentaneè ad jus commune, post tres menses obligare cœpisse, sed statim post duos menses ita cœpisse obligare, ut quidquid contra decreta postea fuisset effectum, irritum esset, & inane. Potius ergo hæc sententia (ait Molina) confirmatur ex declaratione *Pij IV.* quàm contraria, cum statuat Pontifex juxta jus commune duos menses à publicatione, & alium pro mora impressionis suæ Bullæ, ut diximus, aliàs solùm ad duos menses deberet præcedere publicatio in qualibet Diœcesi, & quid prodessent illi duo menses, pro longissimis Provincijs, ubi in tam brevi tempore non posset pervenire notitia publicationis Romæ factæ. Hæc Molina & alij.

268. 10. Attamen P. Angelus Maria persistens in sua opinione *supra quæst. 76. num 5.* ait: Quod si lex Ecclesiastica irritans, v.g. matrimonium publicata solùm Romæ, deveniat ejus notitia ad majorem partem populi, habebit vim statim obligandi populum, seu gremium Christianorum, existentium etiam inter infideles, dum numerus sit saltem decem Christianorum, & *num. 3.* ait: Quod si uterque conjux existens apud Japones, sciat publicationem legis Romæ factæ de impedimento matrimonij dirimente, quamvis cæteri Christiani ibi commorantes ignorent, erit nullum matrimonium. Sed quomodo hæc cohæreant cum dicta doctrina de majori parte, & cum contraria, quam ipse docet *ibidem, num. 1.* docti examinent

269. 11. Ego verò sentio cum P. Suario *lib. 5. de leg. cap. 33. num. 3.* Merola *disp. 4. dub. 22. num. 297.* & alijs, ad obligationem legis Pontificiæ irritantis sine determinatione temporis, sufficere unicam publicationem Romæ factam, sed requiri pro distantibus, vel tempus duorum mensium, si sufficiat, vel majus secundùm quod necessarium est, ut notitia possit, modo humano, & morali, ad omnes pervenire, ut diximus *supra* de alijs legibus Civilibus, & Canonicis, & ex tunc, si aliqui ignorent legem, erit per accidens, & facient actus nullos, si operentur contra tales leges; excusabuntur tamen à culpa, & ab alijs pœnis, quæ culpam supponunt, si ignorantiam invincibilem pro foro exteriori probare possint, propter rationes eisdem locis allatas. Unde dictæ leges obligant præsentes, & scientes absolutè statim; absentes verò obligant post primam generalem publicationem quasi in actu primo; & post publicationes particulares, etiam in actu secundo, juxta dicta in hac disputatione *sect. 1. num. 6. & 7.*

## SECTIO V.

### *Quomodo adaptanda sit Doctrina præcedentium sectionum revocationi omnium privilegiorum, & indulgentiarum*

270. 1. SUppono ut certum duobus modis posse fieri revocationem privilegij. Primò, per publicam, seu universalem legem: Alio modo ab homine, idest, per privatam, seu particularem revocationem, vel respectu alicujus Communitatis particularis Religionis, seu privatæ personæ, & suppositis de necessitate requisitis, pro omnibus legibus in communi. Dubitatur primò, an ad revocationem per legem generalem privilegiorum, & indulgentiarum, sufficiat unica publicatio solemnis, facta in Curia, pro omnibus privilegiatis, etiam in varijs locis valde distantibus, commorantibus? An verò in qualibet Provincia, seu Diœcesi remota, debeat fieri specialis promulgatio?

271. 2. Non desunt, qui persistentes, in opinione relata, *sect.* 2. circa leges universales generaliter disponentes, & *sect.* 3. *num.* 1. circa leges irritantes, affirment unicam publicationem factam in Curia Romana sufficere pro omnibus subditis, & quod illa facta, statim manent revocata quælibet Privilegia, taliter, quod virtute illorum nihil validè fieri possit. Probant, tum ex magnis inconvenientibus ex opposito sequutis, & relatis pro legibus communibus, *sect.* 2. Tum, quia consuetudo, & praxis sic vigent, ut probatum est *ibidem*, & constat ex motibus Pij V. Gregor. XIII. & Innocent. X. circa ingressum Conventuum Monialium, & nullitates professionum, qui solâ publicatione Romæ factâ omnes obstrinxerunt.

3. Alij ex adverso, defendunt non 272.
sufficere unicam revocationem in Curia, privilegiorum, indulgentiarum, & aliarum rerum, sed necessarium esse ut hujusmodi leges promulgentur non solùm in singulis Provincijs, verum etiam in singulis Diœcesibus privilegiatorum, aliàs privilegia non manebunt cum effectu revocata. Imò Sayrus in Clavi Regia *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 13. ait, circa revocatorias privilegiorum, & indulgentiarum, illud communiter ab omnibus receptum, & approbatum est, hujusmodi leges vim obligandi non habere, quousque promulgatæ sint, non solùm in Provincia, sed etiam in Civitate, & Parochia, addens, quod usquedum talis revocatio sit promulgata ibi: Quicunque potest uti concessis privilegijs citra culpam. Neque hoc tantùm, verùm etiam, si quis usque ad illum articulum, virtute privilegiorum, fuerit à reservatis absolutus, absolutio est valida, & tenet etiam cum Sayro, Sotus *lib.* 1. *de just. quæst.* 1. *artic.* 4. Valentia 1. 2. *disp.* 7. *punct.* 5. *quæst.* 2. §. *nam primò*, Medina 1 2. *quæst.* 90. *art.* 4. citantque in sui favorem Felin. & Panorm. *supr. cap.* Cognoscentes *de const.* fundantur in hoc, quod privilegia sunt favorabilia, & revocationes odiosæ. Unde illa, sunt ampliandæ, istæ verò restringendæ, & de benignitate summi Pastoris hoc licet præsumere, maximè quod redundat in favorem animarum, & ita esse consue-

suetudine introductum, docent Sotus, & Medina.

273 4. Nobis tamen tenenda est sententia Suarez cum moderamine appositio *supra sect. 4. n. 3. & 4. & disp. 3. à num. 4. & deinceps.* Itaque primam sententiam reputamus veram, intellectam de quibusdam rebus, seu actionibus in quibus Pontifex liberè potest disponere, & dispensare, ut sunt beneficia, collationesque eorum, & valor professionis Religiosorum, ut diximus *ibidem*, in alijs verò rebus, præcipuè quæ ad salutem animarum pertinent, secundam sententiam amplectimur, juxta *ibi* dicta, *num.* 4. & juxta deductiones relatas, *sect. 3, à num. 5.*

274. 5. Sic docent Sayrus in Clav. Reg. *lib. 3. cap. 5. num. 13.* loquendo de materijs privilegiorum, & Indulgentiarum, & ait esse ab omnibus receptum, & approbatum, hujusmodi leges vim obligandi non habere, quousque publicatæ sint modo assignato; & licet isti Authores absolutè loquantur de omnibus revocatorijs; tu tamen semper excipe casus relatos *sect. 4. num. 3.* Quia illi ut per se patet, semper sunt comprehensi propter rationes *ibi* assignatas, quod verum est etiam non stante privilegio referendo.

275. 6. Argumenta præcipua, quæ generaliter militant contra nostram assertionem soluta manent à Molina, & alijs *supra sect. 4. à num. 7.* Neque allata in præsenti, alicujus momenti sunt contra nostram repetitam conclusionem. Concedimus ergo, cum prima sententia, quod praxis viget in casibus à nobis exceptis, ut in motibus *Pij V. Greg. XV.* & *Innocent. X.* circa nullitatem professionum & beneficia Ecclesiastica: Nego tamen cum secunda sententia hoc currere in revocatorijs aliorum privilegiorum, propter fundamenta à nobis adducta.

276. 7. Privilegium quod maximè juvat secundam partem nostræ assertionis, & minimè primæ fuit concessum patribus Societatis IESV à *Greg. XIII.* ubi statuit, ut nulla abrogatio sub quavis amplissima forma præjudicet privilegijs ipsi Societati concessis, nisi fuerit insinuata, & intimata dictis Patribus, prout constat ex §. 4. *ipsius Privilegij Bullati*, incipientis: *Æquum reputamus, &c.* habeturque apud Cherub. *fol. 361.* sub annum 1572. & sic fuisse decisum à Rota, tenent Cherub. in *Comp. Bull. Tom. 2. ad Const. Gregor. XIII.* in Scholio 2. Marcus Anton. de Amat. *decis. 17. per totam*, Diana *3. part. tract. 2. de dub. Regul. resol 68.* Donat. *Tract. 13. quæst. 23.* & alij, quo privilegio gaudent omnes Mendicantes, ob communicationem privilegiorum, & aliæ Religiones, quæ in eis participant, ut fatentur dicti authores, & hoc privilegium hodie esse in viridi observantia, etiam in alma urbe constat ex litè decisa inter Patres Societatis, & Episcopum Angelopolitanum, ubi *Innocent. X.* jussit, ut eis intimaretur revocatio facta contra dictos Patres, ne se excusatos judicarent à revocatione, ob dictum privilegium, quibus omnibus adfui dum Romæ existerem.

## SECTIO VI.

### *Vtrum lex revocans privilegia, vel indulgentias sortiatur suum effectum statim, à die sufficientu promulgationis, ubi oportet, juxta relatas sententias?*

277 1. ALiqui affirmant, quod quando lex directè fertur ad privilegiorum abrogationem, ab hora promulgationis actus contra legem non valent, etiamsi propter ignorantiam sine culpa fiant; probant ex *l. ult. C. de decurionibus lib.* 10. ibi: *Omnibus anterioribus modis, quos non comprehendit sanctio, ex præsenti die, antiquandis.* Insuper, quia cum revocatio solùm pendeat à voluntate Principis, & sit quid extrinsecum respectu privilegiati, non est necessaria alia dilatio temporis, ut statim effectum habeat independenter à notitia privilegiati.

278. 2. At nobis dicendum est, non habere effectum revocandi, nisi post tempus necessarium, ut notitia perveniat, vel morali, & humano modo, possit pervenire ad notitiam omnium privilegiatorum, quod tempus erit taxandum juxta prudentis arbitrium, ut diximus *supra* de alijs legibus; sic P. Suar. *lib. 8. de leg. cap. 40. num. 4.* Bonac. *de leg. disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 3. num. 20.* Castro Palao *Tom. 1. oper. mor. tract. 3. disp. 4. punct. 21. quæst. 5.* & alij, propter rationes *supra* assignatas, quæ quantùm ad hoc, eodem modo probant in utroque casu:

279. 3. Addunt insuper, quod transacto tempore sufficiente à promulgatione facta ubi oportet, ut notitia illius ad omnes possit humano, & communi modo pervenire, si aliquis, vel aliqui laborent ignorantia invincibili, quamvis excusentur à culpa, nihil validè efficiunt contra legem, quia leges communes attendunt ea, quæ pro communi sunt necessaria per se, non verò, quæ per accidens, & rarò evenire possunt, sicut dictum est de obligatione, & revocatione aliarum legum.

280. 4. Advertit tamen Suar. *num. 5.* & est communis doctrina; quod si post dictum tempus contingat, aliquem uti privilegio sic revocato, stante communi errore revocationis, & usus privilegij pertineat ad jurisdictionem, vel aliud simile munus publicum, tunc actus erit validus; non vi solius privilegij, sed adminiculo juris sustinentis, & supplentis jurisdictionem ad similes actus factos titulo colorato, ac tolerato, juxta *l. Barbarius ff. de officio Prætoris*, ut vitentur incommoda publica, quæ ex ignorantia possunt oriri, privata autem, & quæ per accidens sequuntur, non attendit jus.

281. 5. Cæterùm quamvis doctrina P. Suarez, Bonacinæ, & Palaij adducta, in rigore juris sit vera, nihilominus quòad praxim attinet, addunt aliqui leges revocatorias privilegiorum non habere vim obligandi ignorantes invincibiliter, ac per consequens, nec reddere actus invalidos, antequam ad notitiam cujuslibet privilegiati perveniant, etiam transacto sufficiente tempore à die publicationis necessariæ, sive in qualibet Provincia, juxta secundam sententiam, sive solùm Romæ juxta primam, etiamsi hoc negetur in aliquibus legibus revoca-

vocatorijs, ut *supra* ostensum est, excepto casu *l. Barbarius*, sic tenent expresè Vazquez 1. 2. *q.* 45. *disp.* 156. *num.* 28. Valentia *eadem* 1. 2. *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 5. *quæst.* 2. Sà, *verb.* Gratia, *num.* 1. Azor. *lib.* 5. *Tom.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 6. *& cap.* 22. *q.* 7. dicens esse communem opinionem Sebastian. Scaccia in *Annotat. ad Panorm. ad cap.* 1. *de conceſſ. præb. in* 6. §. nec obstat, *verb.* Privilegiati *littera K.* citans Jasonem, & alios, Sayrus in Clav. Reg. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 13. Merol. *Tom.* 3. *de leg. disp.* 6. *cap.* 7. *diff.* 1. *num.* 247. & alij.

282. 6. Probant, tum quia videtur hoc rationi valde consonum. Nam cum privilegium sit privata lex, consonum videtur, ut unicuique innotescat revocatio, ne aliqua, cum damno proprio, & aliorum, fiant irrita, sine culpa privilegiati, & aliorum. Quare ex æquitate juris Doctores meritò in hoc sensu mentem Pontificum, & principum interpretantur, dum expresè in sua lege contrarium non disponunt. Tum etiam, quia cum privilegia sint favorabilia, & regulariter concessa ad causas pias, & salutem animarum, odia circa illa debent restringi, ut repetitum manet in hoc Tractatu; & idem dicunt de Indulgentijs concessis prædicti Authores, cum Navarr. in *Comment. de Iubil. & indulg. notab.* 28. *num.* 27. *& notab.* 33. *in principio, & medio*, & sequitur Donat. *Tract.* 16. *de Oracul quæst.* 6. *num.* 6. cum etiam indulgentiæ latè saltem privilegia sint, ut suo loco probatum manet, & hæc sententia mihi valde probabilis est; imò, & probabiliorem judico.

283. 7. Ex quo benè inferunt Vazquez, Valentia, Sayrus, & Merola, *Primò*, validam esse confessionem, quam quis ex privilegio fecit Presbytero à se electo virtute privilegij, seu Bullæ, etiamsi tale privilegium revocatum esset, ipso tamen privilegiato ignaro invincibiliter de tali revocatione. *Secundò*, quando summus Pontifex per suam legem revocaret privilegium aliquibus Religiosis concessum, absolvendi à casibus ipsi Pontifici reservatis, validæ erunt absolutiones ab ipsis datæ, cum ignorantia invincibili talis revocationis, alias multa incommoda fideles paterentur sine culpa, quod minimè præsumendum est de mente Pontificum, nec de eorum pietate, & amore erga Fideles, quorum verus Pastor, & Pater est.

284. 8. Nota tamen, quod secus alij sentiunt in aliquibus legibus generalibus revocatorijs prohibentibus, ne aliquid fiat, quod ante fieri poterat, vel in aliqua lege jure, vel consuetudine legitimè introducta, pro his enim cum privilegia non sint, sed leges communes, sufficit publicatio communis, & quod notitia possit ad omnes pervenire morali, & humano modo. Unde deducit Vazquez. *num* 29. cum alijs, quod si post decretum Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* aliquis sæcularis eligeret Sacerdotem non approbatum ab Ordinario, ut consuetum antea erat; ejus confessio esset invalida, etiamsi tale decretum invincibiliter ignoraret, quia illud non erat privilegium, sed consuetudo introducta per modum legis, nam ante Concilium approbatio Ordinarij necessaria non erat, & ita consuetudo illa eligendi non approbatum, habebatur pro lege permittente, Lex autem Con-

Tridentini disponens approbationem necessariam esse, & revocans consuetudinem illam, non indiget tanta publicatione, ut ad singulorum notitiam actu perveniat, sicut indiget privilegium, quod est quasi lex privata.

285. 9. Similiter, si per legem, aliqua excommunicatio reservetur Pontifici, invalidè absolvet ab ea, qui ante reservationem poterat, etiamsi invincibiliter ignoret reservationem, post tempus sufficiens à promulgatione; quia ibi nullum intervenit privilegium. Nota etiam hic obiter ex Azor *ubi supra*, quod si quis incidit in peccatum, cui annexa est excommunicatio reservata, si postea Pontifex ipse, vel alius, tolleret reservationem talis excommunicationis, nihil dicens de tempore futuro, vel præterito in revocatione, quod talis posset absolvi à quolibet confessore ab excommunicatione præterita reservata, quia ablatio reservationis, etiam retrotrahitur ad excommunicationem antea incursam, & sic manet sine reservatione, & turâ conscientiâ absolvitur.

286. 10. Consequenter infertur, quod si quis hodie cum ignorantia invincibili decreti Trident. *sess. 24. cap. 1. de reformat.* irritantis matrimonia clandestina, contraheret matrimonium absque præsentia Parochi; matrimonium esset nullum, quia quod id posset fieri validè ante Tridentinum, non erat privilegium, sed jus commune. Ratio est, quia in his, & similibus non militat ratio privilegij, ut clarè patet, sed proportio rationis servatur, sicut enim ad revocationem privilegij, quod est lex privata, est necessaria notitia revocationis in singulis privilegiatis, ita ad revocationem legis communis necessaria erit, & sufficiens communis notitia illius, ut *supra* declaratum manet; sic Merola, ex Vazquez, Sairo, & alijs.

## SECTIO VII.

### *De revocatione privilegiorum ab homine, sive privatim facta.*

1. CONveniunt ferè omnes, revo- 287.
cationem ab homine, sive privatam, non habere effectum antequam ad notitiam certam privilegiati perveniat; ita Azor *supr. quæst. 6.* ubi nomen denuntiationis, pro notitia certa usurpat. Unde cum sola dubia notitia non impeditur privilegium; quia melior est conditio possidentis, neque cum sola probabili tenetur abstinere ab illo, ut docent Authores relati *supra*, & per se patet. Ex dictis infertur manifestè, quod sive revocatio privilegij fiat per legem universalem, sive per privatam, non habet effectum in ignorantibus invincibiliter revocationem; etiam post sufficiens tempus, ut illam possent habere exceptis casibus assignatis *supra sect. 4. hujus disp. à num. 3.* quia inculpabiliter eam non habent; sic P. Merola cum Doctoribus adductis *sect. præcedenti* pro nostra sententia *eod. cap. 7. disp. 6. diff. 2.* ubi *num. 254.* rejicit sententiam Suarez, & Bonacinæ assignantium differentiam quantùm ad hoc inter revocationem per legem universalem, & legem privatam, seu particularem, & constanter affirmat, quod sive revocatio fiat per legem, sive fiat ab homine, nunquam habet

bet effectum revocatio privilegiorum; donec ad notitiam privilegiati perveniat, & notitia sit certa, & hoc non aliâ ratione, nisi quia ita præsumitur rationabiliter de intentione Papæ, qui privilegium concedit, ut sic incommoda vitentur, quæ sine culpa sequi possunt in conscientiis suarum ovium, & commoda in favorem animarum sequantur, ut diximus *supra*.

2. Hoc ut certò, vel saltem probabiliter supposito, superfunt aliqua examinanda, pro resolutione sectionis. Videlicet, quæ publicatio, & ubi sit necessaria, ut revocatio ab homine, seu privata sortiatur suum effectum?

288. 3. Pro cujus intelligentia est notandum cum Azor. *ubi supr. quæst. 6.* quod privilegium potest esse concessum solùm alicui determinatæ personæ ratione sui, aut pio loco particulari; vel potest esse concessum Collegio, Conventui, vel Confraternitati, vel peculiari Diœcesi, aut Religioni, vel denique alicui personæ determinatæ ratione officij, seu dignitatis.

289. 4. Quo prænotato, *dico primò*, si concessum sit privilegium determinatæ personæ ratione sui, vel peculiari loco, necesse est, ut ipsi privilegiato notificetur revocatio, quia non est alius modus publicandi respectu ejus, ut communiter docent Doctores. Est tamen controversum, an hæc notificatio debeat fieri, vel per litteras derogantis, aut per Nuntium, ad hoc destinatum ab ipso, & ad privilegiatum directum? An verò, ut ei notificetur derogatio, sufficiat quælibet alia certa notitia, undecumque privilegiato proveniat. *Hoc* secundum tenet Azor. ubi *supra* cum alijs relatis à Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 30. num. 13. & disp. 36. num. 9.* & sequitur Merola *supra num. 256.* ait ipse Sanch. Bonacina, & alij docent probabiliter esse necessarium, ut hæc denuntiatio fiat, vel per Nuntium, vel per litteras destinatas ad privilegiatum, nec sufficere, ut privilegiatus aliâ viâ privatâ cognoscat revocationem sui privilegij, & stando in privilegio concesso Patribus Societatis à *Gregor. XIII.* supra relato, verissima est hæc sententia, sed absque tali privilegio secundus modus dicendi probabilior mihi videtur, quia ad valorem revocationis ex natura rei, non est necessaria acceptatio privilegiati, nam eo invito potest privilegium revocari, in quo differt revocatio à concessione, ut *infra* dicam, quia notitia solùm est necessaria ad vitanda inconvenientia, quæ aliter sequi possent, ad hoc autem sufficit notitia certa quacunque viâ comparata. Ergo absque solido fundamento alius modus desideratur sine ratione cogente.

290. 5. *Dico secundò*, quando privilegium est concessum alicui Communitati particulari, non est necessarium, ut ejus publicatio, seu intimatio revocationis fiat cuilibet particulari de tali Communitate, sed sufficit, ut fiat corpori Communitatis, videlicet, ejus Capitulo, vel ejus Capiti, ut Priori, Provinciali, si concessum sit Provinciæ, vel si toti Religioni, sufficit, quod publicetur, seu intimetur Capitulo Generali, vel ipsi Generali, vel ijs, qui eorum vices gerunt, vel Procuratori Generali, seu Provinciali, & ex illis cum primùm possit ordinatè debet derivari notitia in singulos, quod si negligenter se gerant, quibus hoc incumbit,

bit, absque dubio, peccabunt graviter, ipsi tamen subditi ignorantes invincibiliter revocationem, licitè utuntur privilegio quòad usque certam notitiam ejus habeant, ut ex dictis patet.

291. 6. Dubitabis *tertiò*, an sicut requiritur notitia revocationis privilegij in privilegiato, ut revocatio vim habeat; ita requiratur ut notitia concessionis privilegij, ut illo validè utatur? Aliqui docent privilegium habere vim, ac prodesse semper statim, ac rescriptum est, & authenticè confectum, & subscriptum, seu Bullatum; etiam si ab eo, cui conceditur ignoretur; sic Geminianus in *Cap. 1. de conces. præbend. in 6.* & alij multi Juristæ, & Canonistæ.

292. 7. At Silvester, *verb.* Privileg. *quæst.* 15. ait: Quod si privilegium concedatur ad instantiam privilegiati per se, vel per suum Procuratorem, statim privilegiatus gaudet privilegio; etiamsi nullam habeat notitiam concessionis, at si concedatur ex motu proprio, vel petitione alterius, ignaro privilegiato, nihil valet privilegium, sine notitia illius. Sit exemplum alicui petenti per se, vel per alium à se excitatum, Conceditur privilegium, ne possit excommunicari, si excommunicaretur post privilegium sic concessum, nulla esset excommunicatio, etiamsi tempore excommunicationis privilegiatus nihil sciret de concessione privilegij, secus verò esset, si privilegium esset concessum motu proprio, vel ad petitionem alterius, inscio privilegiato, nisi aliud exprimeret Pontifex in concessione.

293. 8. Ratio disparitatis est, quia in primo casu, & adest voluntas concedentis, & ejus cui conceditur in proprio procuratore. In posteriori autem non ita, donec illi, cui concessum est privilegium innotescat, & illud acceptet; sequuntur hanc sententiam multi cum Sanch. *lib. 3. de matrimon. dis. 36. num. 6.* & licet illam etiam sequantur Suar. *lib. 6. de leg. cap. 11. n. 8. & lib. 8. cap. 25. n. 25.* Vazq. *1. 2. disp. 156. n. 31.* Salas de leg. *disp. 12. sect. 7. n. 30.* sed cum limitatione; dummodo intelligatur de privilegijs, quæ dant aliquod jus, & potestatem ad aliquid agendum; non verò de illis, quæ sunt dispensationes in aliqua lege communi obligante in conscientia.

*Primum* apparet in potestate ad eligendum confessorem, vel ad absolvendum à reservatis, & etiam in privilegio, quod concedit immunitatem ab aliquo onere, vel exemptione, ab alterius jurisdictione. Secus verò dicendum existimant in privilegijs, quæ continent dispensationem legis, auferendo obligationem in conscientia; adducunt de hoc exempla in privilegio contra legem Tridentin. annullantem matrimonium cum aliquo impedimento dirimente, & in lege jejunij. Unde affirmant, quod si quis contraheret matrimonium in gradibus prohibitis post concessum privilegium, seu dispensationem, non sufficit acceptatio illius per Nuntium, sed requiritur propria, & personalis, & consequenter notitia propria ipsius privilegiati, aliàs non solùm peccaret, sed etiam matrimonium esset nullum, quia talis non potest uti dispensatione, tutâ conscientiâ, donec in se illius notitiam habeat; nam exponeret se periculo transgrediendi legem, ac proinde peccaret. Cum igitur dispensatio concedatur propter usum id est, ut

ut licitè privata persona contra legem communem operetur, non censetur ei prodesse dispensationem, quousque in se notitiam habeat dispensationis: Ex eo enim tempore solùm, tutâ conscientiâ, poterit contra legem communem operari. Hæc enim est intentio & mens Pontificis dispensantis, aliàs præberet occasionem peccandi operantibus, sine tali notitia, ut per se patet. Non ergo est credendum, velle Pontificem dare occasionem illius pravi usûs privilegii.

294. 9. Nihilominus sententia Silvestri absolute est tenenda sine dicta limitatione, eamque sequuntur Sotus *in 4. distinct. 29. dub. 14. in appendice, §. post dispensationem.* Ludovic. Lop. *part. 2. tract. de matrim. cap. 42.* Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 36. num. 6. & 8.* Bonacin. de leg. *disput. 1. tract. 4. quæst. 3. punct. 3. num. 15.* Castro Palao, *part. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 3.* Granad. *1. 2. controv. 7. tract. 3. part. 1. disp. 11. sect. 3, num. 21.* & alii.

10. Probatur primò, quia ad effectum privilegii non satis est concessio activa, sed requiritur admissio passiva, quæ non satis est sine voluntate privilegiati acceptantis, vel per se, vel per procuratorem à se specialiter ordinatum ad munus adipiscendi pro se privilegium, ut benè notat Merula *nu. 102.* quia generalis commissio procuræ ad omnia negotia non sufficit. Ratio est, quia beneficium non confertur invito, neque aliquis potest sine voluntate aliquid adquirere. Ad voluntatem autem acceptandi, necessaria est notitia, quoniam voluntas non fertur in incognitum: Ergo privilegium operari non potest circa ignorantem ante sui notitiam.

11. Confirmatur, quia privilegium 295.
est quædam donatio, ut docent Anchar *in Cap. 1. de conceff. præbend. in 6. num. 6.* & Franc. *ibidem §. ex parte*, donatio autem requirit voluntatem, non solùm donantis, sed & recipientis per se, vel per alium à se designatum, ut valorem habeat: sic sentiunt communiter Doctores.

12. Neque fundamentum Vazquez 296.
& Suarez contra nostram sententiam aliquid obstat, nam ex eodem probatur contra ipsos, quòd neque in privilegiis concedentibus aliquod jus, & potestatem, aut immunitatem ab aliquo onere, vel exemptionem ab alicujus jurisdictione, esset sufficiens acceptatio, & notitia per nuntium ad id destinatum; siquidem ille qui uteretur potestate absolvendi à reservatis, antequam ipse certò habeat notitiam facultatis sibi concessæ, exponit se periculo faciendi Sacramentum irritum, siquidem ignorat concessionem, & dubitare debet, an sit concessa vel non; ac proinde peccat graviter. Similiter si quis antequam habeat notitiam suæ exemptionis à jurisdictione Ordinarii, non pareat illi, vel contemnat censuras ejus, mortaliter peccat: Ergo si in his privilegiis non requiritur propria notitia, & personalis acceptatio, vel per nuntium à se destinatum, ut Vazquez & Suarez concedunt, semper utens privilegio sine propria notitia, se exponit periculo peccandi, neque aliter cum fundamento præsumitur de mente Pontificis; & nescio cur non erit idem dicendum ab ipsis Authoribus exclu-

bus, cùm per dispensationem in utroque casu tollatur obligatio legis, antequam ad notitiam privilegiati perveniat, & licèt verissimum sit, quòd talis usus sit peccaminosus, propter periculum, cui se exponit; hoc est tantùm per accidens, & ratione periculi ex ignorantia provenientis: actus verò per se non est malus, nec contra legem, si revera concessum erat privilegium, seu dispensatio modo dicto.

Idcircò si lata esset excommunicatio ab Episcopo contra eos, qui in Quadragesima, vel vigiliis Sanctorum carnes comedunt, & aliquis post expeditam dispensationem à Pontifice, per Nuntium impetratam, ut possit carnes comedere, non incideret in excommunicationem, etiamsi illam ignoraret, licèt ob periculum graviter peccaret. Unde dicendum est cum relatis Authoribus, quòd in omnibus privilegiis requiritur, & sufficit ad eorum valorem seu effectum acceptatio per se, seu per Nuntium, vel Procuratorem ad id destinatum, sed notitia propria requiritur in privilegiato, ut non temerè operetur.

297. 13. Neque de mente Pontificis potest præsumi intentum Vazquez & Suarez, sed potius oppositum, ut bene notat Layman, qui nostram sententiam sequitur *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 10.* Nam Summus Pontifex, nisi aliud exprimat, in dispensationibus seu privilegiis, intendit quod est per se, & ex natura rei, non verò quòd per accidens & ratiò contingit. Per se autem, & ex natura rei dispensatio absoluta robur suum habet post nutum petentis, sive per se, sive per Procuratorem, & concedentis consensum. Ergo idipsum intendere censetur Pontifex, esto per accidens, propter defectum certæ cognitionis, aliquid interdum imprudenter, vel temerariè operetur. Unde si quis ab Ordinario petivit facultatem per Nuntium, ut assistere possit alienus Sacerdos matrimonio, & prudenter seu probabiliter præsumat, jam fuisse concessam, saltem in casu necessitatis, non solùm validè, sed licitè posset uti tali dispensatione, & fiet verum matrimonium, si dispensatio concessa erat, quamvis ignoraretur à petente; ita Sanchez, *ubi supr.* & *ibidem* Layman cum cæteris relatis, quia in tali casu adest sufficiens fundamentum concessionis, & adest acceptatio.

14. Verum est, quòd non sufficiat notitia parta ab aliquo, qui casu audivit, vel scivit, privilegium fuisse à Pontifice concessum, neque si ipsemet privilegiandus casu audiret, concessionem esse factam, sed opus est, ut Pontifex donans intimet donatario, vel per se ipsum, vel per Nuntium, aut epistolam privilegium concessum, seu donatum esse. Do exemplum: si ego domi existens donarem Petro fundum, & ille casu audiens acceptaret, non esset perfecta & irrevocabilis donatio. Ratio est, quia ut donatio sit efficax & valida, necesse est, ut saltem per nuntium ab ipsomet donante destinatum, vel per epistolam intimetur donatario, quia hujusmodi acceptatio ad minus requiritur ut perficiatur contractus donationis, cujus perfectio in consensu utriusque partis consistit. Cùm igitur concessio privilegii sit quædam donatio, sine acceptatione & consensu tam dantis, 298.

tis, quàm recipientis', nequit valorem habere: sic multi relati, & sequitur Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 36. num. 7.* Verum quidem est, quòd præsuppositâ hâc notitiâ sufficit, quòd acceptatio sit tacita, nempe quòd privilegiandus, cui intimatur privilegium, expressè non contradicat, quia in favorabilibus, tacens consentire videtur, ut docent *gloss. in Cap.* Non me. *ne præsumpt. lib. 3. præsumpt. 42. num. 4.* & communiter Doctores, qui asserunt, ad hoc ut donatio facta absenti sit valida, & fiat irrevocabilis, satis esse tacitam acceptationem donatarii, ut si absens, cui notificata est, non contradicat, non secus ac in communi sententia affirmatur, de donatione facta præsenti.

299. 15. Non me latet esse aliqua privilegia, quæ licèt concessa sint solo motu proprio, prosint privilegiatis à die concessionis, etiamsi nullam notitiam illorum habeant, ut multi docent de privilegiis nobilitatis, militiæ, alienationis, feudi, ex facultate Regia, acceptationis alicujus in civem, ut videre est apud Molinam *de primog. Hispan.* Tiraquel. *l. Si unquam*, verb. *Donatione largitatis*, *num.* 330. Tapia in *l. fin. 1. part. cap. 4. num.* 30. *ff. de const. Princip.* & alios, quàmvis in his aliqua sint controversa, sed ab illis abstineo, quia extra intentum, & quia in eis militat diversa & specialis ratio.

300. 16. Excipitur etiam privilegium ad absolvendum ab excommunicatione, ut diximus. Hæc enim cùm possint absenti, & invito conferri, prodest ante acceptationem, & cognitionem, ut docet D. Thomas *in 4. distinct. 18. qu. ult. art. 5.* quem sequuntur omnes communiter.

17. Addunt aliqui, quòd non solùm 301.
hæc privilegia concessa ad petitionem procuratoris privilegiati, habent effectum statim, ac per Procuratorem, seu Nuntium ad id destinatum acceptantur, verùm à die concessionis Pontificis, ante acceptationem Procuratoris; quia ex tunc censentur à privilegiato acceptata, ex vi petitionis privilegii factę à Procuratore, nomine ipsius privilegiandi. Imò acceptatio tunc videtur antecedenter facta ex vi petitionis, quasi sub conditione, si Pontifex concedat: Ergo nulla supereſt necessitas notitiæ concessionis in Nuntio, vel Procuratore ad effectum privilegii, cùm solùm propter acceptationem desideretur, & jam facta supponatur à proprietario, & cùm ex alia parte voluntas Principis concedentis adsit, nihil potest obstare, quominus sit efficax, & suum effectum assequatur, non secus ac quando privilegium conceditur absenti per epistolam ipsius petentis, sine Procuratore, in quo casu tale privilegium habet effectum à die concessionis, & non requiritur nova acceptatio, vel notitia concessionis in privilegiato, quia tunc censetur ab ipso acceptatum antecedenter, ex vi ejusdem epistolæ. Sic docent Silvester, *verb.* Privileg. *quæst. ult.* Rosell. *verb.* Indulgentia, *num.* 8. Tabiena, *qu.* 10. Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num.* 10. & alii. Quæ sententia etiam habet verum, quàmvis privilegium concedatur à Papa cum clausula: *motu proprio*, & intercedat supplicatio privilegiandi, quia hæc clausula non

semper excludit diligentiam petentis. Stat enim optimè, quòd concessio sit *motu proprio*, & quòd fiat ad petitionem partis, videlicet, quando Pontifex non fuit motus ad concedendum, principaliter ex petitione; licèt excitatus sit ab illa: motus tamen à sua voluntate propter rationes sibi notas, ut docent cõmuniter Juristæ, & cùm ad intentum, sufficiat petitio per epistolam ad acceptationem, sive concessio sit ex *motu proprio*, sive non; assertio hæc erit verissima, quia semper intervenit acceptatio, ex parte privilegiandi, & voluntas concedendi ex parte Pontificis. Unde cùm primùm Summus Pontifex petitioni annuit, licèt litteræ expeditæ non sint, privilegium concessum censetur, exceptis provisionibus beneficiorum, de quibus jure novo Pontificio, aliter statutum est, ut videri potest apud Azor. *Tom. 1. lib. 5. cap. 2. quæst. 5.* & alios.

302. 18. Similiter voluntas acceptandi sufficit, quòd sit virtualis, si privilegium detur per modum legis alicui Communitati, & sit intimatum illi, licèt particularis aliquis id ignoret, quia illa notitia; & acceptatio publica Communitatis, est cognitio, & acceptatio virtualis singulorum de Communitate: nam eo ipso, quòd per totam Communitatem non est renuntiatum privilegio, acceptant omnes. Ratio est, quia privilegiũ datum per modum legis, per se primò ipsi Communitati conceditur, quia lex pro aliqua Communitate ferri debet, alioquin non erit magis lex, quàm quælibet privata ordinatio. Unde si per accidens contingat, quòd aliqua privata persona illius Communitatis ignoret illud, ut sæpè contingere potest in Religiosis, tunc ignorantia non impediet effectum privilegii; etiam in quolibet particulari, quia jam illud est cognitum, & acceptatum à corpore Communitatis, ubi virtualiter includuntur singuli de Communitate.

19. Ex quo optimè infert Suarez 303.
*lib. 8. de leg. cap. 25. num. 16.* cum aliis, validam esse absolutionem à casibus Pontifici reservatis, datam à Religioso habente facultatem absolvendi abeis, vigore privilegii suæ Religioni concessi, quamvis ipse id privilegium ignoret, quia virtualiter habet notitiam illius, ex eo quòd certè præsumitur habere voluntatem generalem gaudendi & utendi privilegiis suæ Religionis; ignorantia autem illa, qua laborat, est error privatus, & concomitans, qui non excludit privilegium, nec generalem intentionem gaudendi privilegio, Suarez sequitur Merola, *num. 94.*

20. Quæ doctrina non solùm est vera, quando privilegiũ conceditur alicui 304
Communitati, sed etiam, quando conceditur aliquibus personis ratione officii, esto tales personæ verè Communitatem, aut Collegium non constituant, ut si concedatur Consiliariis Principis, vel Gubernatoribus talis loci; & idem est, quando conceditur particulari personæ ratione officii, ut notat Mandos. *Tract. de privileg. ad instar. lib. 2. gloss. 7. in fine*, & sic fuit resolutum in Rota Romana teste Cardinale Puteo *decis. 21. lib. 2.* quod privilegium concessum Referendariis, competit eis, etiamsi ignorent privilegia. Et cùm objectum fuisset, quòd privilegium non favet, ni-

si à die scientiæ; responsum fuit, quòd illud procedit, quando privilegium datur alicui personæ privatæ ratione sui; secus quando datur ratione officii: nam conceditur pro omnibus successoribus in officio, & acceptando officium, universaliter acceptat illud cum omnibus oneribus & honoribus illi annexis; sic Merola *cap. 6. num. 94. & 95.*

305. 21. Non obstat communis regula Juristarum, videlicet: *quamdiu quis ignorat jurisdictionem se habere, non valet quod agit.* Nam respondet Suarez *ubi supr. num. 17.* quem sequitur Merola *num. 96.* regulam illam solùm habere locum in jurisdictione contentiosa, non autem in jurisdictione voluntaria, ad quam absolutio à censuris, vel à peccatis pertinet.

306. 22. Aliqui prætendunt præfatam doctrinam de absolutione à reservatis solùm habere locum quando Religiosus absolvens ignoraret privilegium, & etiam ignorat casum esse reservatum; secùs verò si sciat casum esse reservatum, & ignorat privilegium; in hoc enim casu affirmant esse invalidam absolutionem, ex eo quòd tunc non potest verè habere intentionem absolvendi, cùm certò sciat se non posse absolvere. Ita sentit Suarez, & sentire tenentur illi, qui affirmant non esse validum matrimonium, quando contrahentes falsò existimant subesse impedimentum dirimens, quos refert Sanchez statim citandus.

307. 23. Sed probabilius est in utroque casu absolutionem esse validam, dummodò absolvens intendat, quantum est ex se, absolvere, eodem modo, ac si potestatem haberet, vel secundùm omne quod potest. Sicut validus est baptismus, si quis baptizaret aliquem, quem falsò putat fuisse anteà baptizatum, si dum abluit, intendit, quantùm est ex se, baptizare, ac si ille baptizatus non esset. Similiter hæreticus, qui credit baptismum esse irrisorium, & nihil valere, verè baptizaret, si intenderet facere quod potest & facit Ecclesia, ut omnes concedunt. Si ergo cum errore valoris baptismi est compossibilis intentio baptizandi, cur non erit idem dicendum in nostro casu de Religioso absolvente cum ignorantia, & privilegii, & reservationis censuræ, seu peccati, si intendit facere totum quod potest, ut regulariter debet præsumi; sic tenet Merola *num. 98.* & tenentur admittere omnes, qui affirmant validum esse matrimonium, quando contrahentes intendunt quantùm est ex se contrahere, licèt falsò putent subesse impedimentum dirimens, hi sunt Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 33. num. 2.* & alii ab ipso relati.

308. 24. Ad fundamenta adducta in contrarium, *num. 8.* ex Suar. patet ex dictis, negatur enim in tali casu matrimonium esse non solùm illicitum, sed etiam invalidum, cùm ex fundamentis adductis constat esse validum, si dispensatio jam erat concessa procuratori, quamvis ignoraretur à contrahente.

## SECTIO VIII.

*An privilegium aliquando obliget privilegiatum, ut eo utatur?*

309. 1. NOn adeò certa est pars negativa, ut aliquibus fortasse videbitur ex communi axiomate, quòd nemo tenetur uti privilegio sibi concesso, desumpto ex *regula juris in 6.* quæ in gratiam alicujus concessa sunt, non debent in ejus damnum retorqueri, alioquin gratia onerosa fieret, & libera facultas in obligationem verteretur.

310. 2. Sed dicendum est, quòd sunt multi casus, in quibus privilegiatus tenetur uti privilegio, & hoc sub culpa gravi. *Primò*, quando quis non potest renuntiare privilegio suo, ut patet in privilegio Canonis, & fori, concesso Clericis, & aliis similibus Religionibus concessis, quibus particulares nequeunt renuntiare, ut docent communiter Doctores, & ostendimus suo loco. Unde si occurrat casus, in quo vel cedendum sit privilegio, vel illo utendum, ut sæpè contingere potest, obligabitur Clericus uti privilegio, & nec validè, nec licitè potest consentire, ut contra illud operetur, & hoc nihil aliud est, quàm obligare ad observantiam, & usum privilegii.

Ratio est, quia hujusmodi privilegia sunt concessa, Primò ac principaliter, in bonum commune ac publicum, cui persona privata renuntiare non potest, *Cap.* Si diligenti, *de foro competent. & l.* Jus publicum, *ff. de pact.* & idem dicendum de privilegio cõcesso in privatum commodum unius personæ, si respiciat etiam per se commodum alterius, & unum ab altero non sit separabile; tunc non poterit unus eorum renuntiare juri suo sine consensu alterius. Sit exemplum: uxor, cui conceditur privilegium, ne obligetur fidejussione, non potest illi renuntiare, saltem sine consensu viri. Nec filius familias potest renuntiare privilegio, quo liberatur ab obligatione solvendi mutuò accepta, sine licentia patris. Quia ista privilegia per se etiam respiciunt commodum mariti & patris, ut multis allegatis docet Azor, *Tom. 1. lib. 5. cap. 22. qu.* 10. Salas *de leg. disp.* 17. *sect. 2. num.* 25. Suarez *lib. 8. de leg. cap. 6. num.* 4. & est communis. Dixi, quando *per se respicit commodum alterius*, quia si respicit per accidens, & quasi accessoriè, ut patet in privilegio concesso alicui audiendi Missam, & alia divina Officia tempore interdicti, licet tale privilegium cedat etiam in commodum & utilitatem famulorum, qui eum comitari solent, cùm hoc sit accessorium, Dominus solus potest renuntiare privilegio; & idem est de privilegio concesso Religioni, quod interdum communicatur familiaribus illis.

311. 3. *Secundò*, quoties per privilegium fit actus licitus, qui anteà non erat, vel tollitur obligatio, quæ anteà erat, nam tunc superveniente aliâ lege præcipiente talem actum, poterit quis obligari ad actum per privilegium concessum. Sit exemplum in conjuge habente votum castitatis; iste tenetur reddere alteri conjugi petenti, ut communiter docent Theologi, nihilominus si petens adulter fuerit, uxor habens votum

non

non tenebitur reddere, & consequenter obligatur non reddere, sed votum servare. Quia licèt, in casu adulterii, sit privilegium innocentis, ut non teneatur reddere adultero petenti, posito hoc privilegio, sit licita observatio voti castitatis, & ideò obligat præceptum servandi votum, sic Silvester, *verb.* Matrimonium, 7. *quæst.* 5. *dict.* 6. Sanch. *lib.* 9. *de matrim. disp.* 6. *num.* 14. Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 23. *num.* 8. & alii.

312. 4. Ex quo infertur, quòd si incarceratus haberet privilegium, ut in diebus festivis posset liberè exire è carceribus, tenetur uti hoc privilegio, & consequenter obligatur ad audiendam Missam, licèt hoc non videatur omninò certum propter dicenda infrà.

313. 5. *Tertiò*, quando usus privilegii esset necessarius ad evadendam mortem, vitandum grave scandalum, aut notabile damnum proprium, vel proximi; teneretur privilegiatus uti privilegio, ut si aliquâ lege statueretur sub pœna amissionis vitæ, honoris, vel bonorum, ne quis a Regno extrahat frumentum, equos, vel quid simile: si contingat aliquem talia extrahere virtute privilegii sibi à Principe concessi, & capiatur à ministris justitiæ hoc privilegium ignorantibus, tenetur in conscientia allegare privilegium ad mortem evadendam.

314. 6. Circa habentem privilegium audiendi Missam tempore interdicti, est dubium inter Doctores, an teneatur uti privilegio, & Missam audire?

7. Multi & graves Doctores negant, Petr. de Ledesma in *summ.* p. 1. *tract. de Eucharist. cap.* 27. Avila de censur. *part.* 5. *disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 6. Llamas in *summ. part.* 3. *cap.* 5. §. 12. Marius Alterius de *censur. tom.* 2. *d.s.* 2. *de interd. cap.* 3. *in fin.* Coninch. de Sacram. *disp.* 17. *num.* 28. & alii multi apud ipsos, & idem dicunt de infirmo habente oratorium domi. Alii multi affirmant, Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *circa finem.* Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 23. *num.* 7. Nugn. *de Sacram. lib.* 9. *de matrim. disp.* 6. *num.* 14. Sanch. *in select. disp.* 15. *num.* 2. Bonac. *de cens. disp.* 5. *punct.* 4. *in* 2. & alii; utraque sententia est satis probabilis, quia fulcitur sufficiente authoritate, & fundamentis videndis in Authoribus relatis.

8. Verùm aliqui ponunt differentiam in casu incarcerati, & in impedito ob infirmitatem habente Oratorium domi, & respectu habentis privilegium domi, & respectu habentis privilegium tempore interdicti: & obligant primum, non verò secundum, nam impedimentum carceris, & infirmitatis est impedimentum ipsius personæ, quo sublato, seu cessante, currit obligatio tali personæ audiendi Missam. At verò impedimentum interdicti est impedimentum juris ob bonum commune, & privilegiatus potest se cum tali jure conformare, & non uti privilegio. Ita videtur sentire Avila ubi suprà *num.* 54. & tenet ut probabile Merola *disp.* 6. *cap.* 6. *diff.* 2. *n.* 69. 315.

9. Aliud dubium occurrit hìc examinandum: An habens privilegium absolvendi à casibus, vel censuris reservatis, teneatur uti privilegio, & ita absolvere à casu reservato pœnitentem, cujus confessionem audivit, vel 316.

possit

possit illum remittere ad superiorem cui casus reservatus est? Enriq. *lib. 7. de indulg. cap. 28. num. 2.* & in Commentario *litterâ I.* existimat, quòad absolutionem à censura reservata, non teneri confessorem uti privilegio, sed posse remittere pœnitentem ad Superiorem. Secus verò quòad absolutionem à peccatis, alàs enim obligaret pœnitentem iterum eadem peccata confiteri, semel ipsi confessario, & iterum Superiori, quod absurdum videtur, & nimis onerosum. In censura autem hoc non currit, quia poterit absolvi ab ea à Superiore extra confessionem.

317. 10. Hæc tamen differentia minimè placet, quia plus ex illa oneratur pœnitens, quàm si iterum obligaretur confiteri peccatum, ob quod censura posita est. Quàmvis enim Superior possit absolvere à censura extra Sacramentum pœnitentiæ, sed nemo absolveret ab illa, sine cognitione qualitatis censuræ, ne cæco modo operetur in re gravi, ac per consequens sine notitia peccati, ob quod est censura imposita: obligaretur ergo pœnitens manifestare iterum suum peccatum Superiori extra confessionem. Et quis non videat hoc durius esse, quàm iterum manifestare in confessione. Ergo si hoc reputat absurdum Enriquez, magis absurdum debet illud reputare. Unde in utroque casu, vel dicendum, posse confessorem non uti privilegio, & remittere pœnitentem, ut aliqui tenent probabiliter: vel quòd in utroque eventu teneatur illo uti, audità confessione, ut alii volunt, quod probabilius judico, regulariter loquendo; quia non potest renuntiare suo privilegio, cum gravi præjudicio tertii, ut tenet Panormit. in *Cap. si de terra, de privileg.* dixi *regulariter*, quia si justa & rationabilis causa adsit, poterit confessarius non uti privilegio, & ita non absolvere ab his casibus & censuris reservatis, sed remittere ad Superiorem, v. g. si pœnitens sæpè in eadem peccata reservata incidere soleat, vel alia simili de causa, quia tunc non propriè dicitur renuntiare, seu non uti privilegio in præjudicium pœnitentis, sed potius in favorem animæ ipsius, ut in futurum cautior sit in committendis talibus peccatis. Quòd verò tunc pœnitens obligetur ad confitendum, seu manifestandum bis eadem peccata, est per accidens, & provenit non ex culpa Confessarii, qui prudenter, & ut spiritualis medicus animarum se gerit, sed ex culpa ipsius pœnitentis constituentis se voluntariè in tali necessitate; ita Angelus, *verb.* Conf. *3. num. 28. in fin.* Rodrig. in explicatione Bullæ Cruciatæ, §. 9. *num. 142. & in additione ad eundem numerum*, Merola, & alii.

## SECTIO IX.

### *An leges revocantes privilegia dependeant ab acceptatione privilegiatorum?*

318. 1. Difficultas hæc coincidit cum illa communi in materia de legibus: An lex sufficienter promulgata, & nota subditis dependeat ab acceptatione illorum? Et quidem loquendo de legibus civilibus multi probabiliter affirmant, & multi negant apud Suar. Salas & alios. Circa leges Ecclesiasticas, seu Pontificias, non desunt graves Autho-

thores, qui partem affirmativam sequantur, non quia sentiant potestatem condendi leges in Pontifice provenire à Fidelibus, ut benè notat Azor infra citandus. Certum enim est provenire immediatè à Christo Domino; sed quia, ut ait Apostolus 2. *Corinth.* 13. hujusmodi potestas data est à Christo Domino, non in destructionem, sed in ædificationem; sine consensu autem, seu acceptatione subditorum, lex inutilis redditur, & periculosa majoris nocumenti, ac proinde non in ædificationem, sed in destructionem cedet, & ideo præsumendum est rationabiliter Pontifices non alio modo velle obligare per suas leges; licet potestatem absolutam habeant, & sic sentiunt quod leges etiam Pontificiæ ferantur sub hac tacita conditione, si à subditis acceptentur; ita tenent expresè Joan. Major in 4. *distinct.* 14. §. *contra secundam conclus.* Valentia *Tom.* 2. *disp.* 7. *quæst.* 5. *quæstiuncula* 4. dicens esse communem Juristarum, & Theologorum, adducit pro se Navarr. in *manual. cap.* 23 *num* 41. & *Cons.* 1. *de const. quæst.* 5. *addit.* 2. & certè id videtur sentire, quia absolutè loquitur de omnibus legibus, & quando aliquid vult excipere de Canonicis legibus se explicat, & *num.* 62. loquendo absolutè ait, quod sicut lex in nihilo recepta, ad nihil obligat, ut paulo ante dictum est, & citat se ad *dict. num.* 41. relatum: Et ita lex in una sola parte recepta, quoad illam solam obligat, quò fit, ut aliquæ leges obligent ad suam dispositionem principalem, & non quòad pœnam, quia quòad illam sunt receptæ, & non quòad hanc; & aliquæ quòad unam partem pœnæ, & non quòad aliam. Adducit ipse Navarr. exempla in legibus Pontificijs, & concludit dicendo, quod aliqua lex etiam Ecclesiastica ligat quòad pœnam exteriorem, & non quòad interiorem, licet ejus lator utramque ponere intendisset, si acceptata non est, nisi quòad pœnam exteriorem: Sentit ergo manifestè Navarr. quod etiam in legibus Ecclesiasticis obligatio in praxi, pendeat ab acceptatione majoris partis populi, seu Provinciæ, in qua sufficienter promulgata, & nota est, juxta dicta *supra*. Eum sequuntur, præter citatos, Bonac. *dis.* 1. *de leg. quæst.* 1. *punct.* 4. *n.* 27. Filiucius *tract.* 21. *cap.* 11. *quæst.* 11. *n.* 429. Salas, & Reginaldus, citati à Bonacina.

319. 2. Eandem sententiam sequitur P. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *de leg. num.* 2. §. *Conclusio verò*, sed diverso modo eam explicat. Ait enim, quod licet lex, tum Pontificia, tum imperatoria substantiam suam, & intrinsecam vim, subditos obligandi, promulgatione acquirat, accidentaliter tamen perficitur, & confirmatur per populi acceptationem, & usum, & hæc proculdubio fuit mens Gratiani *dist.* 4 ubi, ut multi volunt, sequentia verba Divi Augustini adducit: *Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium comprobantur.* Ecce quomodo ait, leges promulgatione institui, ac condi, firmari verò, perfectionemque acquirere (ut nimirum omnes & singulos è Communitate, totamque posteritatem constringant) posteaquam à majori parte populi acceptatæ, & usu comprobatæ fuerint. Hæc Layman. & *num.* 4. resolvit, quod si lex, sive Pontificia, sive Imperialis, legitimè promulgata à ma-

jori parte populi, prætextu rationabilis causæ non recipiatur, currit contra eam præscriptio, etiam ignorante legislatore. Ex quibus infert, quod potest lex esse recepta non solùm quòad aliquam sui partem, vel in aliquo loco, ut dixit Navarr. cum alijs, sed etiam, quòad aliquod genus personarum, & non quòad aliud, ut si soli Clerici, & non Laici, vel soli Regulares, non autem Sæculares legem acceptaverint, & servent, in quo casu juris regula tenet, *quod utile per inutile non vitiatur.*

320. 3. Sed P. Azor *lib. 5. inst. moral. Tom. 1. cap. 4.* absolutè docet; & latè probat legem Canonicam sicut Imperialem sine acceptatione non ligare subditos. Quia jure, etiam Canonico constitutum est, ut leges Ecclesiæ vim non habeant, nisi fuerint usu receptæ, ut tradunt Gratian. *supra*, & *ibi* Archidiaconus, Dominicus, Præpositus, & Turrecremata, & *cap. de tregua, & pace*, Innocent. Hostiensis, & Joannes Andreas, & *cap. ult. de consuetud.* dicitur tolli leges consuetudine rationabili, & præscripta. Sicut ergo possunt abrogari leges semel receptæ, per consuetudinem contrariam, multò magis possunt impediri, ne obligent à principio, cum ante acceptationem minorem firmitatem habeant, neque quòad hoc considerabilis differentia invenitur, ut benè notat Suarez *infra* referendus, *num. 9.* cum alijs, & hanc dicit Azor esse communissimam sententiam Doctorum, & sic sentiunt *supra* relati.

321. 4. Denique P. Suarez *lib. 4. de leg. cap. 16.* per totam de hac difficultate agens, *n. 4.* resolvit dicendo: Supposità legis Canonicæ publicatione, & notitiâ requisitâ, per se loquendo oriri ex illa in subditis obligationem acceptandi eam; ita ut non careat culpa, qui incipiunt illam non observare, & assertio est clara, quando lex non solùm est justa, sed etiam moderata, & facilis observantiæ. Quia tunc potestas non deest, & voluntas contraria nullâ rationabili conjecturâ præsumi potest. Addendum verò est etiam in legibus difficilioribus, & durioribus si in rigore justæ sint idem esse servandum, ut declarat Corduba in *quæstionibus lib. 4. quæst. 6.* ex *Cap.* in memoriam *19. distinct.* ibi: *Licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, & piâ devotione toleremus.* Quod censeo ait Suarez verum per se, & ex vi potestatis Canonicæ, quæ major est, quàm civilis. Oportet autem, ut etiam de voluntate satis constet; tum ex verbis legis, & modo præcipiendi, tum etiam ex alijs indicijs, & circunstantijs legis. Addo etiam oportere, ut verosimile sit legislatorem non ignorare specialem difficultatem pro tali loco, vel tempore, aut aliâ occasione. Nam si probabiliter credatur hæc ignorasse, credi etiam potest noluisse cum tanto rigore obligare.

322. 5. Et postquam *num. 6.* admittit Suar. supplicationem in legibus difficilibus, & quæ videntur minus convenientes pro aliqua, vel aliquibus Provincijs, *num. 7.* ait: Quod eò ipso quod lex universaliter fertur, facilè fieri potest, ut non congruat moribus, aut dispositionibus gentium omnium, pro quibus fertur, & maximè contingere potest in legi-

legibus Canonicis, & Pontificijs, quæ pro universa Ecclesia dantur. Nam Ecclesia comprehenditur varia Regna, & Provincias habentes varios usus, & modos vivendi. Unde licet talis lex regulariter loquendo, non sit disconveniens, vel nimis dura pro tota Ecclesia & ideo respectu ipsius non habet locum supplicatio, nihilominus in uno loco, vel alio Regno, aut Provincia, potest esse nimis difficilis, pro moribus ejus, quos non solent Pontifices, velle mutare, nisi id exprimant, sed potius conservare, juxta *Cap.* certificari, *de sepult.* In tali ergo casu ratio postulat, ut liceat supplicare Pontifici, quia scientia ejus universalis non potest semper extendi ad hæc particularia, & hoc ipsum est à Pontificibus jure statutum, *Cap. 1. de const. in 6.* ex quo videtur colligi absque alia supplicatione ad Pontificem, ipsam legem ex vi illius juris, ipso facto non obligare in simili casu. Sed quia fieri potest, ut casus non sit ita clarus, & certus, quin sit necessaria declaratio Pontificis, ut de ipsius voluntate constet, in tali ergo casu, licita erit supplicatio, & juri consentanea, neque hoc est appellare à lege, ut vult Vazquez, sed supplicare, quod valde diversum est, & licitum, quidquid dicant ipse Vazquez & alij, si adsit rationabilis causa, ut communiter sentiunt Doctores, & praxis docet; hæc Suarez *loco citato* satis prudenter, & piè.

323. 6. Cujus doctrina mihi videtur parum, aut nihil pro praxi distare à nuper relata ab Authoribus hujus ultimæ sententiæ. Ipsi enim non negant, nec negare possunt, quod si lex sit justa, & conveniens debeat acceptari. Nam omnes admittunt causam rationabilem, ad non acceptandum, & supplicandum. Ergo si non adest causa rationabilis, acceptare tenentur, nec possunt ad libitum respuere. Si verò clarè non sit conveniens, datur locus non acceptandi ex ipso jure, ut ait Suarez sine alia supplicatione. Si verò casus sit dubius admittitur supplicatio ad Pontificem, & ut dicemus, dum non respondet Pontifex supplicationi, manet obligatio legis suspensa; ergo pro praxi ferè idem videntur sentire omnes Authores hujus sententiæ, & sic ut verior amplectenda, est, juxta resolutionem in dubiis, & notis sequentibus exprimendam.

7. Notandum igitur est *primò*, non 324.
usum legis vocare Doctores dissuetudinem illius, non tamen quemlibet non usum, sed quando casus observationis legis se offert, & tamen à principio liberè, & voluntariè non servatur à tota, vel majori parte Communitatis: nam quandiu casus observationis legis non occurrit, non censetur dissuetudo per non usum ad præscribendum contra legem; etiamsi per centum, vel mille annos lex non servetur; quia talis non usus cum simpliciter in negatione consistat, nihil contra obligationem legis potest inducere. Recolantur quæ diximus *supra* de amissione privilegiorum per non usum, & in hoc sensu verissimum est dictum Joannis Andreæ, Felini, & aliorum, videlicet legem non tolli per non usum, ideſt, per non usum nihil continentem contra legem, qualis est merè negativus, ut rectè notavit Navarr. *cons. 1. de Const. quæst. 6. num. 25.* quem alij sequuntur, & ego.

325. 8. *Secundò* notandum est, *dissuetudinem*, & *consuetudinem* legi contrariam, differre inter se in hoc, quod *consuetudo* contraria legi præscribit contra legem jam acceptatam, & observatam; sed *dissuetudo* præscribit contra legem per non usum, seu per non observantiam illius à principio non receptam, & quia majorem firmitatem habet lex jam acceptata, & observata, quàm illa, quæ nondum acceptata est, optimè colligunt Doctores minus temporis requiri ad præscribendum contra legem per dissuetudinem, quàm per consuetudinem contrariam. Legendus de his noster Andreas à Matre Dei *Tom.* 3. Theolog. Moral. Tract. 11. cap. 6. per totum.

326. 9. In designatione autem dicti temporis divisi sunt Authores, non enim desunt, qui sentiant nullum tempus determinatum requiri, ut per dissuetudinem lex abrogetur, quia nullum jus tale tempus determinat. Ideo dicunt sufficere aliquos actus contrarios ad arbitrium prudentis; ita Enriquez *Tract. de Synod. art. 2. num. 63.* cum Felin. *Cap. de tregua, & pace*, §. leges, *num.* 13. & alijs, sive legislator sciat non usum, sive non. Quam sententiam probabilem judicat Suarez ubi *infra num.* 11. Merola *disp. 4. cap. 4. num.* 282. & sic in hac opinione non requiritur certum tempus, sed solùm repugnantia per actus contrarios, in numero sufficienti arbitrio prudentum. Adest enim virtualis voluntas Principis nolentis obligare contra mores loci cum tali repugnantia.

327. 10. Nihilominus Azor. *lib. 5. cap. 4. quæst. 6.* Suarez *lib. 4 de leg. cap. 16. num.* 12. Bonac. *disp. 1. de leg. quæst. 1. punct. 4. num.* 47. putant sufficere duos, vel tres actus contra legem sciente Principe, & non repugnante, seu non puniente, cum possit, quia hoc ipso, quod scit legislator dissuetudinem sive non usum, nec contradicit, nec punit cum possit, videtur legem abrogare, ut tradunt Panormit. & alij, & idem dicunt de scientia ministrorum Principis: At quando legislator ignorat dissuetudinem, sive non usum, seu non observantiam legis, requiritur decennium continuatum. In hoc enim differunt *consuetudo*, & *dissuetudo*: nam ut consuetudo præscribat contra legem jam receptam, requirit longius tempus, quia semel recepta, est magis fortificata, & in tota sua vi completa, & sic pro derogatione illius per contrariam consuetudinem assignant Doctores communiter tempus 40 annorum. Dissuetudo verò cum versetur circa legem nondum receptam, neque in tota sua vi completam, non indiget tanto tempore, sed sufficit tempus decem annorum sine intervallo, quia hoc in jure reputatur longum tempus, ut docent Suarez, & alij. Si verò intra decennium interrumperetur dissuetudo per acceptationem, & usum legis à majori parte populi, jam dissuetudo non haberet locum; sic Doctores *supra relati* cum Suarez, & Navarr. *Cons. 1. de const. quæst. 7.* quibus libenter adhæreo.

328. 11. Dubitabis autem *Primò*, quid si legislator semper, & contradicat dissuetudini, & curet ut lex acceptetur, & usu recipiatur? Respondetur, quod legislator intra decennium habet jus, & potestatem adigendi pœnis, etiam constitutis in lege, populum ad servandam

legem

legem sufficienter promulgatam, nec opus est intra id tempus, ut legem de novo constituat, etiam si non fuerit recepta, quia cum non sit ante decennium per dissuetudinem sublata, sufficit, si Princeps imperet populo, ne contra eam faciat. Si tamen non usus, sive dissuetudo continuetur per decennium, lex amplius non valet, etiam reluctante Principe, nec jure potest Princeps, sive sæcularis, sive Ecclesiasticus punire cives non implentes legem, nisi legem redintegret, ac renovet eam iterum publicando; sic Azor. *ubi supr.* cum alijs. Ex quo fit, quod dissuetudo intra decennium habet vim impediendi, ne promulgata lex incipiat valere, tamen intra illud non abrogat legem; post decennium verò continuata abrogata manet. Sic relati Authores, & benè cum Navarr. *ubi supra.*

329. 12. Ratio hujus doctrinæ est, quia ut diximus lex, sive civilis, sive Pontificia, semper fertur sub hac tacita conditione, si acceptetur à populo, & ideo sive adsit scientia Principis, sive non, dissuetudo operatur effectus relatos.

330. 13. Dubitabis *secundò*, quando lex censeri debeat non usu recepta? Respondetur, quando vel tota Respublica, vel ejus pars major agit contra legem, sed quia multæ leges civiles, & Pontificiæ à majori parte Provinciarum, & Populorum usu receptæ sunt, in alijs autem Provincijs non sunt acceptatæ, ibi vim non habent, ut constat in multis legibus Canonicis, quæ servantur in Italia, & Hispania, & tamen in Germania, Polonia, vel Gallia non observantur, nec obligant, quia ibi non sunt usu receptæ. Patet hoc in Tridentino, Bulla Cœnæ Domini, & alijs, quæ in Gallia nullus sunt firmamenti, & authoritatis; requiritur ergo ut acceptentur à majori parte cujuslibet civitatis, & loci, seu Communitatis, pro quibus lex fertur, ut diximus *supra* ex Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 3. num. 5.*

331. 14. Dubitabis *tertiò*, an si contingat legem non servari ex ignorantia alicujus Populi, nescientis promulgationem ejus, hoc sufficiat, ut post decennium desinat obligare, seu abrogata maneat in illo loco? Navarr. *ubi supra quæst. 7. n. 35.* Azor. *Tom. 1. lib. 5. cap. 5. quæst. 1.* Reginald. *lib. 13. num. 164.* Salas *de leg. disp. 13. sect. 2. num. 11.* Bonac. *disp. 1. quæst. 1. punct. 4. num. 28.* affirmant in tali casu legem manere abrogatam, & sine vi. Quia ratio ob quam lex non servata desinit obligare, non est scientia, & voluntas quasi formalis non observandi legem; nam hæc potius posset impedire dissuetudinem, quia non est digna tali indulgentia: Sed ratio est, mos ipse, seu consuetudo ipsa populi, seu quasi præscriptio. Idem sentit Chochier. *de jurisd. ordin. in exempt. p. 1. q. 50. n. 14.*

332. 15. Sed melius cum Suarez, & Merola dicendum est, quod in tali casu dissuetudo cum ignorantia, non abrogat legem, sed suspendit ejus obligationem propter ignorantiam. Quapropter, si postea tollatur ignorantia, manebit lex respectu talis populi in eo statu in quo esset, si tunc fuisset primò edita, & promulgata, & ideo tunc incipit obligare si acceptetur, sin minus currit doctrina tradita, & tradenda. Ratio est, quia consuetudo non præscribit contra legem, si lex ignoretur, requiritur enim cognitio legis, ut actus contra illam sint

voluntarij, aliàs nihil facient contra legem, ut tenet communis sententia: Nam actus agentium ultra eorum intentionem non operantur, *l. non omnis, ff. de reb. cred.* & Cap. fin. *de præbend.* unde quamvis legem ignorantes transgrediantur materialiter, non propter hoc intendunt eam tollere, cum voluntas non feratur in incognitum. Ergo quòad hoc pari passu philosophandum est in dissuetudine, ex quo fundamento evanescit adductum à contraria sententia.

333. 16. Dubitabis *quartò*, quinam peccent non acceptando legem? Respondetur distinguendo, si non statim acceptetur, sed interponatur supplicatio ad Principem, sive ex eo, quod sit nimis dura, & difficilis observantiæ, vel ex alia rationabili causâ, nulli peccant legem non observando, quia per supplicationem, cum sufficiente ratione obligatio legis manet suspensa, quòad usque legislator respondeat. Quæ supplicatio debet fieri, vel ab Episcopo, vel à Communitate, seu aliquo nomine illius, ut solet fieri à Regibus, de quo plura sunt exempla, sic sentiunt Salas *de leg. disp. 18. sect 4. num. 21.* Salon. 2. *Tom. de just. tract. de cens. art. 4. disp. 4. concius. ult.* Villalob. *Tom. 1. sum. tract. 2. dub. 16. num. 6.* Malder. 1. 2. *q. 90. art. 3. dub. 2.* Bonac. de *leg quæst. 1. disp. 1. punct. 4. num. 41.* Diana *Tom. 1 tract. 11. resol. 6.* Probatur ex *Cap.* si quando, de rescript. ubi Pontifex declarat, licitum esse non exequi rescriptum ejus, donec ipse plenius informetur, quando vera, & rationabilis causa intercedit, & videtur fundari in jure naturali, & sic debere præsumi de voluntate, & benignitate Pontificis, quidquid in contrarium dicant Vazquez 1. 2. *disp. 156. cap. 5.* Suar. Castro Palao, & alij relatà Diana.

334. 17. Si verò legislator auditâ supplicatione, non respondeat, censetur legem revocatam manere, sic tenet Castro Palao *part. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 13. num. 15.* & nost. Stephanus à *S.* Paulo, *Tractatu 2. Theolog. moralis disput. 1. dub. 3. num. 16.* qui pro eadem sententia adducit nostrum Urbanum, animadvertendam huic rei limitationem adhibentem, quia tenetur Princeps legi insistere, & subditos ad illius observationem cogere, si animum habeat obligandi. Cum igitur nihil horum faciat, censetur petitioni annuere. Constat ex Doctrina Salas, & Bonac. quamvis defectum consequentiæ notet Merola in doctrina Castro Palao, de quo non curo, sed doctrinam hanc amplector.

335. 18. Quando autem non fit supplicatio, si causa supplicandi sufficiens adsit prudentum arbitrio: tenent aliqui, quod lex non obligat, & currit contra eam præscriptio decem annorum, adhuc ignorante legislatore. Ita Enric. *tract Synod. art. 2. num. 63.* Felin. *Cap 1. de treg. & pact. num. num. 13.* & alij. Si autem non est rationabilis causa supplicandi primi, qui in majori parte populi non observant legem, peccant contra illam, usque ad tempus præscriptionis decennij, si hoc ignoret legislator, quia si sciat, & non contradicat, neque isti peccant post primam vicem, quia censetur legem revocare, tamquam difficilem, & incommodam; sic Azor. *ubi supra*

*supra*, & benè, *quæst.* 5. cum Felin. Navarr Covarr. quos sequitur Laym. *ubi supr. cap.* 3. *num.* 3.

336. 19. De minori verò parte populi, quando major pars non acceptat, idem videtur dicendum; sed Layman *ibidem* ait, quod si tu paratus sis legem recipere, & data occasione intra decennium, etiam observes, & alij plerique de Communitate, nempe major pars, neque recipiat, neque recepturi existimentur, per Epicheiam, excusatum te fore à legis obligatione, neque peccabis contra illam operando, etiam ante expletum tempus præscriptionis, cum ratio, & æquitas permittere non videatur, ut tu solus, vel cum alijs paucis, legem communiter non receptam, longo tempore observare debeas, præsertim cum te tunc conformare debeas sententiæ Navarr. *cap.* 23. *num.* 41. & *conf.* 1. *de const. q.* 5. Azorij *lib.* 5. *cap.* 4. Rodrig. *in qq. q.* 46. *art.* 9. & aliorum Canonistarum, quos supra retulimus, dicentium legem ante acceptationem non obligare. Cum igitur acceptatio legis debeat esse à majori parte, quæ secum affert minorem, ex communi regula juris, dum hæc non acceptat, minor videtur excusari. Si enim minor pars tenetur sequi majorem, quando acceptat, cur non poterit se illi conformare, quandiu non acceptat, supposito quod ex acceptatione pendeat legis obligatio in illorum sententia. Quam doctrinam, & si dicti Authores absolutè sequantur, tamen Layman solùm illam admittit, quando adest ignorantia dissuetudinis in legislatore, sed si sciat non observantiam, & contradicat, & compellat ad illam, transgressoresque puniat; tunc singuli etiam observare tenentur, quamvis major pars resistat, quia ratio naturalis postulat, ut in schismate, vel dissensione, quodlibet membrum sui capitis potius, quàm reliquorum membrorum ductum, atque imperium sequatur; sed hoc, & si in aliquo gravi casu verum sit, regulariter tamen oppositum est verius, esset enim nimis onerosum, & leges communes tendunt in Communitatem per se, & cum hanc constituat major pars, si ista non acceptat, minor excusatur.

337. 20. *Denique* dubitabis, an quando lex est sufficienter publicata dubitatur tamen ab aliquibus an sit acceptata à majori parte populi, tunc teneatur dubitans ad observantiam illius? Respondent Salas 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. unica sect.* 18. *num.* 164 Azor. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 12. & alij, quod in tali casu non tenetur quis ad observantiam legis, maximè in odiosis, & pœnalibus. Quia perinde est, ac si esset dubium juris. Cum leges non obligent ante acceptationem. In dubio autem juris judicandum est pro libertate subditorum. Tum etiam, quia possessio stare videtur pro subditis, suam libertatem possidentibus; hæc sententia probabilis est.

338. 21. Opposita tamen est probabilior. Tum, quia possessio stat pro lege, nam pro eo stat lex, pro quo stat legis præsumptio, sed præsumptio stat pro lege jam publicata. Unde onus probandi non esse acceptatam, pertinet ad negantem; ut docent Bartol. & alij Juristæ, & sic hanc partem amplectuntur, Sanch. *lib.* 1. *oper. moral. cap.* 10. *num.* 33. Felicius *Tract.* 21. *cap.* 4. *quæst.* 10. *num.* 164. Bonac. *disp.* 2. *de pecc. punct.* 8 *num.* 19. & *disp.* 1. *de leg. quæst.* 1. *punct.* 4. *num.*

4. *num.* 44. Layman. *Cap* 3. *de leg. num.* 6. & alij sentientes, hoc dubium non tam ad jus, quam ad factum pertinere.

339. 22. Ex dictis in tota hac disputatione facilè colligitur, quid dicendum sit de legibus revocantibus privilegia, quæ si directè, & principaliter disponant aliquid faciendum, vel non faciendum, ut fit communiter, & ad ejus observantiam, privilegia revocantur, omnia quæ assignata manent de legibus, intelligenda sunt de ipsis privilegijs, quia accessorium sequitur principale. Si verò detur casus, in quo directè, & principaliter ordinetur lex ad revocanda privilegia; in merè gratiosis, erit necessaria publicatio, & notitia illius, non tamen acceptatio, unde sine hac manebit extinctum privilegium, & idem est de indulgentijs, quia ista nullo modo pendent, ut revocentur ab acceptatione, sed à voluntate revocantis, ut bene notat Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 40. *num.* 7.

# DISPVTATIO SEXTA.

## *De Revocationibus privilegiorum, quæ in Tridentino continentur, & de clausulis, quibus in eis utitur.*

## SECTIO I.

### *De his, quæ interdicuntur Religiosis exemptu in Concilio Tridentino cum revocatione privilegiorum.*

340. 1. CUM ex decreto Tridentini, *sess.* 25, *cap.* 22. *de reg.* constet obligari Religiosos ad observantiam eorum, quæ eis in ipso Concilio ordinantur, & præcipiuntur, revocando eorum privilegia in multis casibus, opus est, ut claram eorum notitiam ipsi habeant, ne cæcutientes in foveam cadant, potiora ejus ante oculos ponere intendo, notando in quolibet casu revocationem, quam includit, addendo aliquas particulares notas, alias in propria loca remittendo.

341. 2. Primò, *sess.* 4. *in decreto de usu, & editione novorum librorum* sic ait: *Non liceat fratribus imprimere libros de rebus sacris sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum superiorum.* Hic non apponitur revocatio privilegiorum, sed credo nullum inveniri privilegium in contrarium.

342. 3. Secundò, *sess.* 5. *de reform. cap.* 1. præcipitur, ut in Conventibus Regularium lectio sacræ Scripturæ habeatur, ubi commodè fieri potest, accipe verba: *In Monasterijs quoque Monachorum ubi commodè fieri potest, etiam lectio sacræ Scripturæ habeatur. Quæ in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, & in hoc, ut Sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remedijs compellant. In Conventibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ Scripturæ lectio habeatur. Quæ lectio à Capitulis Generalibus, vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris:* In hoc neque derogatio, neque privilegium in contrarium invenitur.

Advertant autem Lectores & Prædicatores, quæ præcipiuntur circa rectam interpretationem sacræ Scripturæ *sessione 4. in decreto de usu sacrorum librorum.*

343. 4. Tertiò, in eadem *sess. cap. 2.* loquendo de prædicatione, sic ait: *Regulares cujuscunque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, & moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, prædicare non possint. Cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint.* Et nulla est revocatio privilegiorum, & *sess. 4. cap. 4. de reform.* præcipit, ut nullus sæcularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat. Tamen hîc nulla invenitur revocatio privilegiorum. Sed de hoc dicemus agendo fortè de privilegiis Prędicatorum Regularium.

344. 5. In eadem *sess. 5. cap. 2. de reform.* sic ait Concilium: *Si verò (quod absit) Prædicator errores aut scandala dissemi-naverit in populum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet: Episcopus ei prædicationem interdicat. Quòd si hæreses prædicaverit, contra eum secundùm juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, & si Prædicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse prætendat. Quo casu, Episcopus auctoritate Apostolicâ, & tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus procedat.* Hîc, ut vides, privilegia omnia contraria revocantur. Sed de hoc agitur communiter ab authoribus de privilegiis particularibus Regularium disputantibus.

6. *Sess. 14. cap. 1. de reform.* ordinatur: *Quòd nullus Superior Regularium, etiam vigore cujuscunque facultatis Religiosum alterius Ordinis, ad habitum admittat, nisi in Ordine, ad quem admittitur sub obedientia Superioris, in clausura perpetuò vivat, & sic translatus, etiamsi sit Canonicus Regularis, ad beneficia curata incapax existat.* Non derogantur privilegia, si fortè aliqua dantur, de quo multum dubito. Imò potius alia jura strictiora sunt de hac materia in Const. *Vrbani VIII.* de Apostatis & ejectis. Insuper *ibidem cap. 2.* præcipitur: *Quòd nullus Religiosus vigore cujuscunque facultatis possit ad laxiorem Ordinem transire. Nec detur similiter licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum suæ Religionis.* Sed vide decretum *Vrbani VIII.* de Apostatis, & ejectis, in nostro *compendio Ordinis judicialis.* 345.

7. *Sess. 22.* in decret. de observantia, in Celebratione Missarum, præcipitur Episcopis, vel aliis Ordinariis, etiam Regularibus, ut in domibus privatis, atque omninò extra Ecclesiam ad divinum tantùm cultum dedicata, v.g. Oratoria (ab eisdem Ordinariis assignanda, & visitanda) non celebrent, & abrogantur quæcunque privilegia in contrarium: sed de hoc agunt multi loquendo de privilegiis particularibus ad celebrandum, & *ibidem* præcipit Episcopis: *Ne cui vago & ignoto Sacerdoti, nec notoriè, & publicè criminoso permit-* 346.

tant celebrare. Quod Idebent advertere Religiosi, ne sine titulis suorum Ordinum iter agant, & derogat privilegiis.

347. 8. *Sess. 23. cap.* 10. interdicitur Abbatibus, aut aliis quantumvis exemptis : *Intra fines alterius Diœcesis, vel subditis alterius (sed tantùm suis Regularibus) tonsuram, & Ordines minores conferre,* sed hîc loquitur de Abbatibus, qui exercent ministerium Ordinandi. Nam cæteri Regulares, nec Ordines minores possunt conferre suis subditis. Hîc revocantur privilegia.

148. 9. *Ibidem cap.* 12. præcipitur : *Quòd nullus ad Subdiaconatum ante 22. ætatis annum: nec ad Diaconatum ante 23. Nec quis ad Presbyteratum ante 25. promoveatur, etiamsi sint Regulares*, ubi revocatur privilegium *Benedicti VIII.* concedentis Benedictinis Vallisoleti posse in ætate 22. annorum ad omnes Ordines sacros promoveri, ac eisdem ministrare, ut in Compendio Benedictinorũ *Concess.* 4. & ut neque isti, sine diligenti Episcopi examine ordinentur, non obstante quovis privilegio. Ubi revocatur privilegium *Eugenij IV.* pro Benedictinis S. Justinæ Bull. 11. & *Sixti IV.* Bull. 33. pro Prædicatoribus. An verò post Tridentinum quòad hoc concessa sint aliqua privilegia, pro Regularibus dicetur suo loco.

149. 10. *Ibidem cap.* 13. præcipitur, ut nemo etiam Regularis duos sacros Ordines, intelligitur de Ordinibus majoribus, eodem die possit recipere. Et revocantur quæcunque privilegia, & quòd nisi in Ordine recepto sint versati per unum annum, ad altiorem gradum non ascendant, nisi aliud Episcopo videatur ex rationabili causa. Revocantur privilegia, sed de hoc suoloco dicetur. Et nota, quòd licèt *sess. 23. cap.* 8. omnes prohibeantur ordinari extra tempora, sed nõ derogatur privilegiis in contrarium.

11. *Ibidem cap.* 15. præcipitur, quòd 350. nullus, etiam Regularis audiat confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, nisi sit approbatus ab Episcopo per examen, si ei videbiutur, vel aliàs idoneus judicetur. Excipit habentes Parochiale beneficium. Revocantur privilegia, & consuetudines in contrarium. Sed nota, quod de confessionibus Regularium, inter se, nihil disponit Concilium hoc loco.

12. Posteà verò *sess.* 25. quæ est ul- 351. tima Concilii, tam in decretis de Regularibus, quàm de reformatione multa statuit sancta Synodus pro Regularibus privilegia quæcunque cassando.

13. Primò, *Cap. 2 de Regular.* statuit, quòd Religiosi particulares non possideant bona immobilia, nec mobilia, ut propria.

Secundò, *Cap. 3.* præcipit, ut in quolibet Monasterio non possit recipi major numerus Religiosorum, quàm qui possint cõmodè sustentari, vel ex redditibus Conventûs, vel ex consuetis eleemosynis, & concedit facultatem omnibus Religionibus (Franciscanâ exceptâ) ut bona immobilia habere possint. Insuper, ut non fundentur de novo Monasteria sine Episcopi licentia, petita, & obtenta. Ubi nota, quòd hîc non comprehenduntur translationes de uno Conventu in alium, intra eandem civitatem; benè tamen, si translatio fiat de una civitate in aliam. Et licèt aliqui affirment, quòd etiam in translatione intra eandem civitatem, debeat servari di-

stan-

stantia Cannarum à Conventibus aliarum Religionum, juxta Bullam *Clem. VIII.* sed oppositum tenent multi apud Dian, *part. 3. tract. 2.* de dub. Regular. *resol, 136.* & tenet Lezana, verb. *Monasterium,* & alii multi, quos refert & sequitur Pasqualigus in *Constit. ad controvers. inter Episc. & Reg. ad Bullam Clem. VIII.* de Conventuum nova fundatione, *quæst. 1. num. 404.*

352. 14. Nec sub dicto decreto, seu Bullis comprehenduntur hospitia, nisi aliàs sint talia, quòd nocere possint alicui Conventui alterius Religionis, ex diminutione eleemosynarum. Constat ex *Reg. juris*, quòd appellatione Monasterii seu domûs, non venit hospitium; unde Bald. *l. ea quæ, in fine, C. quomodo & quando jud.* ait: Quòd si aliquod statutum puniret offendentem in domo, nõ comprehenderet offendentem in hospitio, sequitur Alciatus in *l. subsignatum, n. 4. ff. de verb. sign.* Alex., *cons. 213. n. 5. volum. 2.*

353. Neque obstat, quòd Monasterium dicitur Monachorum statio, secundùm Panormitanum in *Cap.* Monasteria, *de vita, & honestate Clericorum*, quia debet intelligi de firma habitatione Monachorum, non autem de illa, quę fit quasi per transitum, ut in hospitio, licèt fiat cum detentione, ut tenet Ricc. in *praxi Neapol. Eccles. decis. 652.* Vide Suar. *disp. 23. de censur. sect. 5. num. 35.* Navarr. *Cap. 27. manual. num. 144.* Lezana *verb.* Monasterium, *num. 6.* Tamb. de jur. Abb. *Tom. 3. disp. 5. quæst. 1. num. 10.* Bordon. in *cons. Reg. resolut. 41. qu. 2.* & alii multi, de quo fusius agunt Doctores loquentes de exempt Regulari.

15. Tertiò, *eâdem sess. cap. 5. de Regular.* interdicit Concilium egressum Monialium è clausura, & ingressum aliarum personarum ad eam. De quo suo loco disputatur. 354

Quartò, *ibidem cap. 6.* præscribit modum eligendi superiores Abbatissas, & alios officiales per vota secreta, itaut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec suppleantur vota absentium, sed de hoc alibi.

16. Denique in *eodem cap. 6.* præcipitur, ne inposterum liceat Provincialibus, aut Abbatibus, Prioribus, aut aliis quibuscunque titularibus, ad effectum electionis faciendæ constituere voces, suffragia absentium supplentia, & concludit: Si verò contra hujus decreti dispositionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & is qui ad hunc effectum se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat. Ubi nota, quòd verè absens, & legitimè impeditus, potest mittere suo loco procuratorem ad effectum eligendi, juxta *Cap.* Quapropter, *de elect.* & *Cap. 46. de exempt.* neque hoc vetat jus, sed intendit radicitus amovere depravatam quandam antiquam consuetudinem, quam habebant aliqui Superiores, & Præsidentes in Capitulis ad effectum faciendi electiones ad sui beneplacitum, absentium vota supplendo, quod certè in fraudem electionum, & in maximum detrimentum Religionis redundabat. Non tamen excluduntur ii, qui Titulares perpetuò sunt, habentes varios titulos suarum Ecclesiarum, à quarum possessione vi excluduntur, ut sunt Priores Angliæ, 355.

Ungariæ, Jeroſolymæ. Sic declaravit ſacra Congregatio apud Sotell. *ubi ſuprà*, & Barboſam. Secundò nota, quòd Concilium per hoc decretum nō intendit tollere alios modos Canonicæ electionis, v.g. per acclamationem, vel compromiſſum, nec modum obſervatum à qualibet Religione confirmatum à Pontifice, ſed præſcribere formam ſervandam per ſcrutinium, ita Layman in *quæſt. Canon. cap. ult. q.* 231. Mirand. *Tom. 2. manual. quæſt.* 23. *art.* 4. & alii

356. 17. Quintò, in *cap.* 7. Conſtituitur modus ſervandus in electionibus Abbatiſſarum, ſeu Prioriſſarum, & quòd debent habere 40 annos ætatis, & 8. profeſſionis, licèt in caſu neceſſitatis poſſint eligi 30. annorum. Item præcipitur, quòd Præſidens pro electione clauſtra Monialium non ingrediatur; ſed de hoc alibi.

Sexto, in *cap.* 10. præcipitur, quòd ſacra Euchariſtia in Conventu Monialium neque in Choro, neque in Sacriſtia, ſive alio loco intra ſepta Monaſterii ſervetur, ſed tantùm in publica Eccleſia, non obſtante quovis privilegio.

357. 18. Septimò, in *cap.* 11. præcipit, quòd in Monaſteriis habentibus curam animarum, præter eas perſonas, quæ ſunt de eorum familia Regulares, & Seculares, iſtam curam exercentes, ſubſint immediate, in pertinentibus ad iſtam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem, juriſdictioni & viſitationi Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt ſita.

358. 19. Octavò, *ibidem cap.* 12. præcipitur, quòd cenſuræ, & interdicta Papæ, & Ordinariorum, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis, & publicentur, & ſerventur.

20. Nonò, *Cap.* 13. quòd teneantur 359.
Regulares exire ad publicas proceſſiones conſuetas, & ad eas, quæ fiunt pro bono pacis, vel pro victoria contra infideles, iis tantùm exceptis, qui ſtrictiori in clauſura perpetuò vivunt, & exceptis etiam illis, qui à civitate per dimidium milliare, hoc eſt, ſextam partem leucæ diſtant, ut declaravit ſacra Congregatio Cardinalium tempore *Clement. VIII* teſte Hieronymo Rodrig. in Comp. & *Pius V.* in *Bulla* 7. eximit Collegia Religioſorum non cantantium in Choro, nec ad mortuos accedentium, ſed ſtudiis vacantium.

21. Decimò, *ibid. Cap.* 15. præcipi- 360.
tur, quòd in quacunque Religione, tam virorum, quàm mulierum, profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum: nec, qui in minori tempore, quàm per annum poſt ſuſceptionem habitûs in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur, ſecus profeſſio erit nulla, & nullā inducat obligationem.

22. Undecimò, *ibidem Cap.* 16. quòd 361.
nulla renuntiatio fiat ſine licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii, intra duos menſes proximos ante profeſſionem, nec intelligatur effectum ſortiri, niſi ſequutâ profeſſione. Sed nota, quòd loquitur de renuntiationibus, non verò de teſtamentis; nam iſta cùm ſint revocabilia, ex hac parte quolibet tempore, & ſine tali licentia poſſunt fieri, ſi cætera requiſita adſint. Quia teſtamentum non opponitur fini Concilii, qui eſt libertas Novitii, ut ſine obſtaculis poſſit religionem deſerere, ſi id magis ſibi conveniens videatur.

Sed

362. 23. Sed primò nota, quòd Concilium solùm loquitur de Novitiis, post susceptionem habitûs. Nam tunc solùm comprehenduntur nomine Regularium, de quibus loquitur Concilium. Unde ante susceptionem habitûs, quælibet renuntiationes, seu donationes sunt validæ sine dictis requisitis, etiamsi fiant intuitu ingressûs Religionis. Ita tenet Passarell. in *privileg. Minimor. c.* 37. Sanch. *lib.* 7. *in Decalogum, cap.* 5. *num.* 4. nostet Lezan. *Tom.* 1 *ca.* 24. *nu.* 38. Et sic fuit declaratum à sacra Congregatione, ut ipsi referunt; idcircò opposita sententia Molin. *Tom.* 1. *disp.* 139. *&* 149. & *Tom.* 3. *disp.* 604. *num.* 3. & aliorum, nullam habet vim hodie. Et in *eodem Cap.* præcipitur, quòd ante professionem nihil recipiatur, excepto victu & vestitu, ne ex hac occasione Novitius discedere nequeat, & hoc præcipitur sub pœna anathematis dantibus & recipientibus.

363. 24. Duodecimò, *ibidem* decernit, quòd finito tempore novitiatûs Superiores novitios, quos habiles inveniunt, ad professionem admittant, aut è Monasterio eos ejiciant, quod procedit in illis Novitiis, quos Superiores lapso tempore novitiatûs habiles invenerint, non in his omnibus, quos inhabiles invenerint, ut sunt illi, qui non benè adhuc didicerunt, quia quoad istos inhabiles *Pius V.* declaravit: *Superiores Regulares posse prolongare illorum professionem per alios sex menses*, quando adest spes probabilis, quòd efficientur habiles. Ita Passarello Generali Minorum consulenti fuit responsum à sacra Congregatione Tridentini, die 18. Novembris 1569. ut testatur ipse in principio suorum privilegiorum, ad *Canones Concilij, Canon.* 52. Sorbus in *Compend.* verb. *Novitij, §.* 6. Si autem inhabilitas ex infirmitate procedat, poterit etiam prorogari tempus, quamdiu durat spes recuperandæ sanitatis: & universaliter tempus ad emittendam professionem posse arbitrio Superioris prorogari, censuit sacra Congregatio Tridentini die 31. Martii 1597. teste Peirino *Tom.* 1. *privileg. const.* 2. *Sixt. IV.* §. 11. *num.* 81. *&* 82. & nostet Lozana *Tom.* 1. *cap.* 24. *nu.* 41. & Suar. *Tom.* 3. *de Religione, lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 8. explicans verba Concilii, ait, debere intelligi, nisi aliquid obstet; nam si aliqua justa & rationabilis causa occurrat differendi professionem, ut si in probatione non sufficienter satisfecerit Religiosis, vel aliquid obstaret ad rectam bonorum suorum dispositionem, licitè potest à Prælato professio differri, & ait esse multorum sententiam, Sanch. in *Summ. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 2. & *ibidem, num.* 21. addit, quòd hoc decretum Tridentini non loquatur de monialibus Novitiis, sed solùm de viris, & sic professio communiter differtur in eis, donec dotem habeant, vel solvant.

364. 25. *Ibidem cap.* 17. statuit, quòd puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, non minor duodecim annis sit, & non ante eum suscipiat. Ubi nota, quòd licèt ante hoc tempus non possit admitti ad habitum Religionis per modum inceptionis novitiatûs, quia in minori ætate nequeunt experiri rationabiliter difficultates Religionis (& idem dic de viris ante pubertatem, scilicet ante decimum quartum annum) nihilominus possunt recipere habitum

per modum devotionis, seu educationis, ut experientiâ constat in multis Religionibus; dummodo puella habeat usum rationis. Verum est, quòd si hoc fiat invitis parentibus, poterunt ipsi compellere, ut puella dimittat habitū, & exeat, quia ante expletam pubertatem ad hoc extenditur potestas parentum, neque ad inceptionem novitiatûs malitia supplet ætatem, neque est valida renuntiatio temporis, sive ex parte puellæ, sive ex parte Religionis; sic Sanch. *lib. 5. cap. 4, num. 22. & num. 24.* Addit, quòd licèt verus novitiatus non possit incipere ante pubertatem, hoc est, ante duodecimum annum expletum in fœminis, & ante decimumquartum in viris; tamen si recipiantur ad habitum modo dicto dum habeant usum rationis, gaudebunt privilegio canonis concesso Novitiis, *Cap.* Religiosus, *de sentent. excommun.* & sic puellam percutiens erit excommunicatus; sed hoc mihi difficile videtur, nam solus habitus non facit Monachum, unde oppositum, dum jus in contrarium non ostenditur, judico verum.

365. 26. *Ibidem Cap.* 17. statuitur, quòd nulla Monialis professionem emittat antequam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, ipsius voluntatem, an coacta, vel subducta sit, & an sciat quid agat; & ne professionis tempus Episcopus ignoret; teneatur Priorissa cum ante mensem certiorem facere, aliàs quandiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit. Sed hîc Concilium non annullat professionem ex hoc defectu.

366. 17. *Ibidem Cap.* 18. decernitur, quòd qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel emittendam professionem, & qui sanctarum Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittendi sine justa causa impedierint, manent ipso facto excommunicati.

28. *Ibidem Cap.* 19. *de Regularibus* 367. statuit, quòd quicunque Regularis prætendit se per vim & metum ingressum Religionem, aut ante ætatem professum fuisse, aut quid simile, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram suo Superiore, & Ordinario; quod si ante spontè habitum dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur, & tanquam apostata puniatur. Hîc nota, quòd *Vrbanus VIII.* in sua *Constitutione* incipiente: *Ad occurrendum*, &c. edita die 5. Januarii anno 1636. quam referunt ad literam Peirinus *3. part. cap. 12. const. 7. aliàs 17. Vrbani VIII.* Novarius in *lucerna regul. in fine*, & alii. Præcipit in favorem Religionum, ut Regularis infra quinquennium agens de nullitate suæ professionis, ex qualibet causa (quia loquitur generaliter) teneatur exprimere causas coram sacra Congregatione Tridentini privativè. Unde, nisi de speciali concessione Pontificis, nullus alius potest cognoscere, ut ex verbis ipsius patet, & sic sine controversia practicari debet, nisi aliàs extra Italiam contraria consuetudo vigeat, ut in Hispania viget.

29. In *sess. 25. de reformat. cap.* 11. 368. vetantur locationes bonorum Ecclesiæ anticipatis solutionibus in damnum Successorum, & licèt non faciat mentio-

tionem de Regularibus, loquitur absolutè, & indistinctè, & apponitur hîc revocatio privilegiorum, si fortè dantur.

369. 30. *Ibidem Cap.* 13. statuitur de quarta funerali solvenda Cathedralibus, & Parochialibus Ecclesiis, quæ solita erat persolvi ante annos quadraginta. Sed de hoc suo loco disputant Authores.

370 31. Hæc sunt præcipua, quæ in relata *sess.* 25. præcipiuntur observari à Regularibus cum revocatione expressa quorumcunque privilegiorum. Alia quæ his possent addi, remitto ad propria loca, & ad disputationem de exemptione à jurisdictione Episcoporum, quæ possunt videri in Authoribus Rodriguez *Tom. 1. quæst. 8.* Joann. de la Cruz, Bordono, Donato, & aliis.

371. 32. Duo tamen hîc notare oportet. *Primum*, quòd in *sess. 25. cap. 22. in fine* præcipit Concilium omnia, & singula in superioribus decretis contenta observari in omnibus Cœnobiis, Monasteriis, Collegiis, & per illa verba: *In superioribus decretis contenta*, solùm loquitur de decretis illius Sessionis, non verò de aliis aliarum Sessionum; aliàs, ut benè notat noster Lezana *infrà*, non dixisset Concilium, in superioribus decretis, sed in superioribus Sessionibus, & sic ibi solùm revocantur privilegia contraria decretis hujus sessionis; ita Rodriguez *Tom. 1. quæst. 8. art. 6.* Joann de la Cruz *lib. 2. cap. 3. concluſ. 1.* noster Lezana *Tom. 2. cap. 1. num. 58.* Basseus verb. *Privilegium, num. 7.* Suar. *de leg. lib. 8. cap. 18. num. 17.* Navarr. in *manual. cap. 27. num. 109.* Archangelus Romanus *verb.* Privilegium, *in principio.* Portel. *verb.* Privilegium, *num. 31.* Antonius de Hinojosa Dominicanus in *direct. decis. regul. verb.* Confirmatio gratiæ, §. *Sed simul respondetur*, & alii multi, quidquid in contrarium sentiant Bordonus, & alii. Si enim omnia privilegia, quæ contrariantur quibusvis decretis totius Concilii, essent revocata, ad quid Concilium in aliquibus locis addit clausulas derogatorias, & in aliis non; Certè non ad aliud significandum, nisi quòd cætera, quæ ibi expressè non revocantur, permaneant firma. Adducunt exemplum ex *sess. 23. cap. 8.* ubi prohibentur etiam Regulares ordinari extra tempora, quia tamen ibi Concilium non revocat privilegia Regularium, quæ ipsi habent in contrarium, remanent in sua vi, imo & roborata.

372. 33. *Secundò* est notandum, quòd alia privilegia, quæ ante Tridentinum habebant Religiosi, tam ex Mari magno, quàm ex aliis Concessionibus, & expressè non revocantur ab ipso Tridentino, quòd non solùm habent valorem antiquum, sed etiam habent firmitatem novæ confirmationis à Tridentino. Nam in *sess. 25.* quæ est ultima Concilii, *cap. 20. de Regularibus*, postquàm de Regularibus egit, addit: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum (videlicet exemptorum) privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint & illæsa.* Unde talia privilegia hodie dicuntur inserta in corpore juris novi: Tridentinum enim novum jus appellatur. Ita P. Donatus

Tract.

*Tract.* 11. *quæst.* 14. *num.* 6. P. Brunus Cassaing. *Tract.* 1. *cap.* 2. *propos.* 2. *nu.* 4. ubi ut indubitatum hoc supponit, Portel. *verb.* Privilegiorum communicatio, *num.* 27. & alii. Quæ doctrina valdè notanda est, ad cognoscendum qualis debeat esse revocatio, ut ista privilegia comprehendat; requirit enim ipsam, quæ requiritur, ut alicui decreto Concilii derogetur. Vide *infrà disp.* 7. *sect.* 2. *à num.* 16. *usque ad finem sectionis.*

373. 34. Sed objicies, quòd sacrum Concilium Tridentinum confirmatum fuit à *Pio IV.* per Bullam incipientem: *Benedictus Deus.* 7. Kalendas Februarii anno 1563. & habetur in fine Concilii, & postea ipse Pontifex revocavit quæcunque privilegia, etiam Maris magni, & sub quibusvis derogatoriarum derogatoriis, quæ quomodolibet contrariantur cuilibet decreto, sive dispositioni, ex omnibus, quæ in toto Concilio continentur. Expedita fuit hæc Bulla derogatoria tertiodecimo Kalendas Martii anni 1565. & incipit: *In Principis Apostolorum Sede*, & habetur etiam in fine Tridentini: Ergo ex tunc omnia, & quæcunque privilegia, quæ in aliquo contrariantur Tridentino, manent revocata, ac proinde doctrina tradita *numero antecedenti*, nullius est momenti.

374. 35. Respondetur, quòd dicta Bulla non plus extenditur, quàm ad id, ad quod extenduntur revocationes Concilii: Tum quia finis prædictæ Bullæ solùm est observantia decretorum Concilii juxta illorum qualitatem: Tum, quia Constitutio, quæ fit ad roborandam aliam, debet intelligi secundùm eam, & concludendam in terminis ipsius, ita Rodriguez *Tom.* 1. *quæst.* 23. *art.* 5. noster Thomas à *Iesu* de procurand. omn. salut. *lib.* 12. *cap.* 8. *tit.* sequitur collectio. *vers.* Illud tamen. Joan. de la Cruz *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 6. noster Lezana *Tom.* 2 *cap.* 1. *nu.* 58. Suar. *lib.* 8 *cap.* 18. *circa finem.* P. Hinojosa in *direct.* verb. *Confirmatio gratiæ.*

## SECTIO II.

### *De universali revocatione Indulgentiarum facta pro omnibus Regularibus à Paulo V.*

375. 1. JURE poscit hunc locum discussio universalis revocatio Indulgentiarum omnium Regularium à Romano Pontifice *Paulo V.* facta, & publicata Romæ *die* 22. *Maii ann.* 1606. & quia includit pro praxi aliquas non leves difficultates scitu dignissimas in gratiam ipsorum Regularium, placuit in *calce hujus disputationis*, quæ circa revocationes versatur, eas breviter explanare, quod exactius fiet ipsam revocatoriam priùs hîc ad literam inserendo, quæ sic se habet.

376. 2. PAULUS V. *ad perpetuam rei memoriam.*

*Romanus Pontifex in beati Petri Sede constitutus, cui inter alia cœlestis indulgentiarum thesauri dispensandi cura incumbit, solicitè prospicere debet ac solerter, ut hujusmodi indulgentiarum dispensatio & usus ad Dei gloriam, & animarum salutem præcipuè dirigatur. Et ne ex illarum multiplicitate confusio, aut inanis interpretatio exoriatur,*

*Proinde cùm fel. rec.* CLEMENS *Papa VIII. prædecessor noster magna cum diligentia*

gentia, & solicitudine procuraverit abusus, & corruptelas, tum in communicando Indulgentiarum thesauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere, & propterea suâ quâdam constitutione formam aggregandi, instituendi, & rectè administrandi societates, & Confraternitates præscripserit, licèt morte praventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere; neque etiam ut cogitaverat, circa indulgentias à plerisque Romanis Pontificibus prædecessoribus, Religionibus & Ordinibus Monastici, & Mendicantibus diversis temporibus concessas aliquid deliberare potuerit.

Nos qui nullis nostris meritis, sed solâ Dei benignitate ad summi Apostolatûs officium vocati sumus, susceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum Catholicæ Ecclesiæ regimen suscepimus, venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ad hoc opus, à dicto CLEMENTE prædecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius CLEMENTIS prædecessoris eramus, injunximus, ut in illo tempore adulteriora progrederentur, & indulgentias Regularibus concessas recognoscerent, iisque recognitis rem nobiscum communicarent.

Cùm itaque præfati Cardinales privilegia, concessiones & gratias prædictis Religionibus & Ordinibus concessas diligenter inspexerint, & examinaverint, ac eorundem Ordinum Superiores & Officiales pluries audierint, ac circa eadem indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confusiones adesse compererint, & ex judicio eorundem, etiam Regularium, vel aliquorum ex illis, nobis proposuerint, valdè expedire pro eorum majori securitate & beneficio, ut indulgentias ipsis religionibus, & Ordinibus adinstar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas, annullaremus, & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

Nos maturâ super hoc consultatione præhibitâ cupientes personis regularibus quibuscunque, quorumvis Ordinum, tam Monasticorum, quàm Mendicantium spirituale solatium & juvamen afferre, infrà scriptas indulgentias & gratias, quas personis regularibus intra claustra, aut extra, cum licentia tamen suorum Superiorum legitima de causa illis concessa degentibus tantummodo suffragari debere, declaramus, concedendas duximus.

3. Omnibus igitur Christi Fidelibus, qui 377.
Canonicè, & juxta Ordines cujuslibet Religionis, & Constitutiones Apostolicas habitum regularem à legitimis Superioribus, causâ profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressûs in ipsam Religionem, si verè pœnitentes & confessi, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam.

4. Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens 378.
& confessus, ac sacrâ Communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit, etiam plenariam.

5. Nec non cuilibet Religioso intra 379.
claustra sui Monasterij viventi, qui in festo principali sui Ordinis confessus, & sacrâ Communione refectus fuerit, aut Missam recitans pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctæ Matris Ecclesiæ ex-

exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.

380. 6. In cujuslibet verò mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens & confeſſus, ac ſacrâ Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltem contritus nomen JESU ore, ſi potuerit, ſin autem, corde devotè invocaverit, etiam plenariam.

381. 7. Qui verò ad Presbyteratûs Ordinem Canonicè promotus, & confeſſus, primam Miſſam celebrabit, nec non etiam ijs Religioſis, qui pariter confeßi, ac ſacrâ Communione refecti, eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam plenariam.

382. 8. Iis verò, qui de ſuorum Superiorum licentia à negotijs per decem dies alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione ſeparati, in piorum librorum, & aliarum rerum ſpiritualium, animos ad devotionem, & ſpiritum inducentium lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſapè conſiderationes, & meditationes myſteriorum fidei Catholicæ, divinorum beneficiorum, quatuor noviſſimorum, paßionis Domini noſtri JESU Chriſti, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium, ſaltem per duas horas in diem & noctem orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciendo eodem tempore confeßionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebraverint, quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

383. 9. Præterea ijdem Religioſi intra clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint, & ut præfertur, oraverint, conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Vrbis, & extra eam diebus ſtationum conſequuntur, in omnibus diebus perinde, ac ſi ipſas urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.

384. 10. Omnibus item Religioſis intra clauſtra, ut ſuprà viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante altare eorum Eccleſiæ in quolibet die, quinque annos, & totidem quadragenas.

385. 11. Iis vero, qui de ſuorum Superiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra clauſtra degentes, tanquam Prædicatores, & Lectores quinquies eandem orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

386. 12. Nec non etiam Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confeßi, & ſacrâ Communione, ultimâ Dominicâ menſis hujuſmodi, refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas.

387. 13. Qui verò contrito corde, & pœnitentes, eorum culpas, & peccata ac imperfectiones in Capitulo culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.

388. 14. Quotieſcunque autem de licentia Summi Pontificis, aut ſuorum Superiorum in ditiones, & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infide-

fideles, & hæreticos ipsos ad fidem Catholicam convertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum mîsi fuerint, si pœnitentes & confessi, ac sanctissimâ Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus sese præparare valeant, pro duabus vicibus, videlicet, quando itineri se accingent, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus, & largimur.

389. 15. Et insuper cùm Superior in visitationibus generalibus Orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, ijs Religiosis, qui dictis Orationibus saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon disciplinæ, & observantiæ regularis augmento, pias ad Deum preces, ut suprà dictum est, effuderint, aut Missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem, ut præfertur, concedimus.

Volumus autem, ut omnes suprà dictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularibus cujusvis Ordinis tam Monastici, quàm Mendicantis duntaxat, ut præfertur, concessæ, etiam omnibus Monialibus cujusvis Regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus, & perpetuam clausuram servantibus, tam Ordinarijs locorum, quàm Regularibus cujuscunque Ordinis, Regulæ, & instituti subjectis suffragentur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Cæterùm omnes, & singulas Indulgentias, quibuscunque Ordinibus, & institutis Regularibus hujusmodi etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus, tam vigore privilegiorum, & litterarum Apostolicarum, quàm vivæ vocis oraculo, aut alias quovis modo, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innovatas, authoritate, & tenore prædictis perpetuò revocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum litterarum præscriptum reducimus, & moderamur.

Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac eorundem Ordinum, & institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, etiam MARE MAGNUM, & Bulla aurea nuncupata, eisdem Ordinibus & institutis, eorumque Monasterijs, Conventibus, Collegijs, Domibus, Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus

*pro expresſu, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hâc vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.*

*Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides habeatur ubique, quæ præſentibus ipſis originalibus literis haberetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 23. Maii 1606. Pontificatûs noſtri anno 2.*

390. 16. Circa hanc ampliſſimam revocationem, quæ quaſcunque Indulgentias, ſive per ſcriptum, ſive per vivæ vocis oraculum pro ipſis Religioſis conceſſas comprehendit, ut ex ipſo textu relato apparet, nonnulla ut certa, vel ferè certa ſupponenda ſunt, alia verò aliquam difficultatem ingerentia examinanda veniunt.

391. 17. Supponendum eſt *primò*, prædictam revocatoriam ſolùm comprehendere indulgentias conceſſas pro ipſis Religioſis, & in utilitatem ipſorum, ſive per opera ab ipſis facienda, ſive per orationes in Eccleſiis propriis fundendas, ut apparet ex clauſula, ibi: *Pro eorum majori ſecuritate, & beneficio, ut Indulgentias ipſis Religionibus & Ordinibus, adinſtar vel per communicationem, aut alio modo hactenus conceſſas annullaremus. Nos maturâ ſuper hoc conſultatione prahabitâ*, &c. & poſteà concludit inferendo revocationem cum firmiſſimis clauſulis.

92. 18. Ex quo deducitur, Indulgentias conceſſas pro omnibus Fidelibus viſitantibus Eccleſias Regularium, non fuiſſe revocatas à *Paulo V.* in dicta revocatoria, cùm nullam de iis mentionem faciat. Et poteſt reddi ratio, quia dictæ Indulgentiæ quàmvis ſint conceſſæ intuitu Regularium, ſed non pro ipſis, ſed pro omnibus Fidelibus, minimè loquitur de eis Pontifex; ſic ſentiunt Novarius in Lucerna Regularium, *verb.* Indulgentias, *num.* 2. Rodrig. & Portel. quos ſequitur, & refert noſter Lezana *Tom.* 3. *ſummæ*, *verb.* Indulgentia, *num.* 13. cum Dianâ *part.* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 22. & ſic declaratum fuiſſe à ſacra Congregatione Regularium, teſtatur Peirin. *Tom.* 1. *de ſubd. quæſt.* 4. §. *ultimo.*

19. Supponendum eſt *ſecundò*, Indulgentias pro animabus purgatorii, ſive 393
ſint Religioſorum, ſive ſecularium, nõ eſſe revocatas per dictam revocationẽ; ſed poſſe Religioſos eas lucrari tam pro ſuis Religioſis defunctis, quàm pro aliis quibuſcunque Fidelibus, per quæcunq; opera, ſive factam propriis Eccleſiis, ſive extra, quia in dicta revocatoria ſolùm includuntur Indulgentiæ, quæ pro utilitate ipſorum Regularium viventium conceſſæ erant; non verò aliæ, licèt conceſſæ ſint intuitu ipſorum Regularium, & applicandæ animabus purgatorii mediis operibus ipſorum Regularium, & ſine dubio hoc præſumendũ eſt de benignitate tanti Pontificis, ut in ſimili reſpondit interrogatus *Vrbanus VIII.* à R. P. noſtro Generali *Paulo Simone* Genuenſe, Congregationis Italiæ, Romæ tunc commorante. *An in ſua Revocatoria Oraculorum comprehderentur Indulgentiæ conceſſæ vivæ vocis oraculo pro animabus purgatorij?* reſpondit, ſuæ men-

mentis nunquam fuisse illas comprehendere, sed manere in sua vi; quod responsum authenticum vidi, & legi cum attestatione, & subscriptione præfati Generalis, dum Romæ essem, conservaturque in archivio nostri Conventus S. MARIÆ de Scala.

Cur ergo idem non præsumendum erit in casu præsenti, in quo etiam militat eadem ratio adducta numero antecedente: nam indulgentiæ concessæ Regularibus, determinatè pro animabus Purgatorij, non conceduntur ipsis Religiosis viventibus, sed animabus Purgatorij, licet applicentur medijs operibus executis à Regularibus. Tum denique, quia cum simus in re odiosa, qualis est revocatio, strictè non latè interpretanda est, ut repetitum manet. Maximè in eventu tantæ pietatis, qualis est succurrere animabus detentis in Purgatorio. Sic docent Peirin. *Tom. 2. Privilegiorum circa constitutionem* Pauli V. *num. 5.* Peregrin. *1. p. sui compendii*, verb. *Indulgentia, n. 9.* ubi affirmat sic declarasse ipsum *Paulum V.* & idem testatur idem Peirin. *n. 5.* & circa *const. 4. Clement. VIII. n. 2.* Hanc partem absolutè, & absque ulla hæsitatione sequutus est noster Lezan. *Tom. 1. summæ, cap. 3. num. 29.* cum authoribus relatis; sed nescio, quâ efficaci ratione vel melius quo scrupulo postea, *Tom. 3. verb.* Indulgentia, *num. 21.* quamvis probabilem judicet, sequitur tamen contrariam, ut probabiliorem, de quo dicemus *infra* in hac eadem sect. *num. 20.*

394 20. Dubitabis igitur *primò*, an præfata revocatio comprehendat indulgentias concessas Regularibus pro Articulo mortis, sive per scriptum, sive oretenus? Negativè respondetur, quia quæ speciali notâ digna sunt (qualis est præsens) non censentur sublata, nisi exprimantur, maximè in re tantæ pietatis, & misericordiæ, nec aliud de benignitate Pontificum potest suspicari, cum videamus pro illo articulo magnâ liberalitate omnes procedere circa oves à Christo Domino sibi commissas, quibus superioribus præsidijs eis auxiliari satagunt; sic tenent Alfonsus de Leon. *1. p. de Iubileo, num. 243.* ex quadam declaratione *Vrbani VIII.* facta Illustrissimo Coccino vice gerenti Pœnitentiariæ anno 1625. dixit enim Pontifex, quod anno Jubilæi non suspendantur Indulgentiæ pro Articulo mortis; idem sequuntur Peirinus *supr. §. 19. num. 10.* Novar. in Lucerna regul. *verb.* Indulgentia, *n. 2.* nostri Doctissimi Stratius meritissimus Generalis totius observantiæ Carmelitanæ, & Lezana, *Tom. 3. verb.* Indulgentia, *num. 10.*

21. Dubitabis *secundò*, an Regulares ex dicta revocatoria impediantur 395. ne gaudeant Indulgentiis in propriis Ecclesiis, quibus gaudent generaliter fideles; Respondetur gaudere absque omni dubio, quia Pontifex solùm revocat Indulgentias Regularium, pro ipsis tantùm concessas, non verò quæ conceduntur universaliter pro omnibus Fidelibus, de quorum numero ipsi Regulares sunt; quis enim dicat, quod si in Ecclesia propria Regularium sit tali die concessum Jubilæum, seu indulgentia plenaria universaliter pro omnibus Fidelibus talem Ecclesiam visitantibus, maneant privati hac gratiâ Pontificiâ Regulares, ex eo quod Ecclesia ubi concessa est indulgentia, sit ipsorum

Regularium? Certè cum fundamento nullus hoc potest dicere, quia ex revocatoria id non potest colligi, sed potius oppositum, quia in illa solùm revocantur Indulgentiæ concessæ tantùm pro ipsis Regularibus, de quorum numero non sunt relatæ; unde firmiter tenendum est, quod sicut gaudent Regulares, post dictam revocationem, Indulgentiis concessis medaliis, Coronis, & aliis rebus similibus, sic eodem modo gaudent, omnibus indulgentiis concessis pro omnibus Fidelibus, sive in alienis Ecclesiis, sive in propriis.

396. 22. Dubitabis *tertiò*, quid intelligatur nomine Ecclesiæ, quando, ut quis lucretur Indulgentias, Ecclesiam assignatam debet visitare? Respondetur, intelligi etiam Cæmeterium ipsius Ecclesiæ, est enim hæc res valde favorabilis, ac per consequens latè intelligenda, cum Cæmeterium reputetur pars Ecclesiæ; sic tenent Suarez *Tom. 4. in 3. part. disp. 52. sect. 1. n. 7.* Layman. *lib. 5. cap. 6. num. 4.* noster Lezana *num. 8.* sed nota quod ad lucrandum Indulgentias non est necesse, quod quis actualiter, & expresè id intendat, aut sciat in eo loco talem Indulgentiam esse concessam, sed sufficit quod habitualiter, implicitè, seu interpretativè id intendat, suppositâ voluntate generali lucrandi Indulgentias, quos potest, dummodo sit in statu gratiæ, & exerceat opus à concedente Indulgentiam petitum, sic sentiunt Suarez, Layman, noster Lezana, *num. 8.* & alij relati supra, quæ licet vera existimem, ad majorem tamen securitatem consulerem omnibus, ut saltem primo mane intentionem actualem habeant lucrandi quaslibet Indulgentias, applicando opera, & Orationes pro necessitatibus petitas à Pontificibus pro qualibet Indulgentia, qua potest gaudere.

397. 23. Dubitabis *quartò*, an infirmi, & decrepiti, qui non possunt Ecclesiam, adire possint ex lectulo, consequi Indulgentias concessas à *Paulo V.* in sua Bulla, pro Regularibus, & idem potest dubitari de aliis similibus gratiis concessis pro omnibus Fidelibus ab aliis Romanis Pontificibus? Ratio dubitandi præcipua sumitur ex verbis ipsius Bullæ, quia in ea Pontifex concedit, ut possint præfatas Indulgentias lucrari, qui extra claustra degunt, cum licentia suorum Superiorum, legitima de causa, concessa visitando Ecclesias locorum ubi inveniuntur, ibi: *Nos maturâ super hoc consultatione prahabitâ, cupientes personis Regularibus, quibuscunque quorumvis Ordinum, tam Monasticorum quàm Mendicantium, Spirituale solatium, & juvamen afferre, infra scriptas Indulgentias, & gratias, quas personis Regularibus intra claustra, aut extra, cum licentia tamen suorum superiorum, legitima de causa illis concessa degentibus, tantum modo suffragari debere, declaramus, & concedendas duximus.* Et statim designat qualitatem, & numerum harum Indulgentiarum, & cum nullam faciat mentionem Religiosorum ægrotantium in lectulis seu omnino impeditis, propter infirmitatem, meritò dubitatur, an isti lucrentur ex lectulis dictas, & alias indulgentias, quibus gaudent sani?

398. 24. Respondendum est, eodem modo gaudere prædictis Indulgentiis, & aliis

& aliis quibuscunque, quibus gaudent, qui nullo impedimento infirmitatis laborant, dummodo aliquod opus pium arbitrio Confessoris exerceant; quia sic præsumendum est de benignitate tam hujus, quam aliorum Romanorum Pontificum, qui solatium, & subsidium præcipuè spirituale, suis ovibus ægrotantibus semper curant præstare, sic tenent Peregrinus 1. *p. sui Comp. titulo* Indulgent. *num.* 7. noster Lezana *num.* 9. & alij; nec oppositum dicentem vidi aliquem.

399. 25. Sed hic nota duo. *Primum*, quod illa Indulgentia concessa in eadem Bulla nominatim pro itinerantibus, & extra claustra degentibus de licentia suorum Superiorum, ut prædicatoribus, & lectoribus, minimè opponitur, nec limitat supra dictas Indulgentias, sed est nova gratia addita supradictis, ob majorem necessitudinem Regularium extra suos Conventus, etiam licitè, & cum debita facultate degentium; unde, & hanc lucrantur, & alias non amittunt; & nescio quo fundamento addat hic Peregrinus *ubi supra*, quod Religiosi extra proprias domos existentes gaudent dictis Indulgentiis, dummodo extra claustra sint ad breve tempus. Si enim legitimè, & cum debita licentia extra claustra degunt, ut itinerantes, vel hospites, quid officit, quod sint per longum tempus in eisdem, vel similibus ministerijs, extra claustra, & proprias domos, cum absolutè, & absque limitatione temporis Pontifex loquatur.

400. 26. *Secundò* nota, quod æqualiter in omnibus Indulgentiis relatis, proportione servatâ, gaudent Moniales cujuscunque Ordinis, sive subdantur Regularibus, sive Episcopis, aut cuilibet legitimo Superiori, constat expressè ex ipsa Bulla *Pauli V.* ibi: *Volumus autem, ut omnes supradictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularibus cujusvis Ordinis, etiam omnibus Monialibus cujusvis Regulæ approbatæ suffragentur.*

401. 27. *Ultima*, & major difficultas se offert circa peculiarem illam Indulgentiam concessam hic à *Paulo V.* pro Regularibus Visitantibus proprias Ecclesias. Duplex difficultas orta est ex verbis dictæ Indulgentiæ, quæ est tenoris sequentis: *Præterea ijdem Religiosi intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & ut præfertur oraverint, consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias urbis, & extra eam diebus stationum consequuntur, in omnibus diebus perinde ac si ipsas urbis Ecclesias personaliter visitarent.*

402. 28. Primam difficultatem excitavit P. Peirinus *Tom 2. privileg. in Constit.* 8. Pauli V. §. 11. *num.* 3. cui adhærere videtur noster Lezana *num.* 9. & 21. quatenus refert hunc modum dicendi, & neque rejicit, neque impugnat. Dubitat igitur præfatus Author, an dictam Indulgentiam consequantur Regulares qualibet die totius anni? an verò solùm diebus stationum? & resolvit, quod solùm intelligatur lucrari diebus stationum, sed nullum adducit firmum fundamentum; & meo videri, nec potest adduci, cum manifestè contrarium convincatur ex verbis ipsius Indulgentiæ.

Ad quod probandum utor hac efficacissimâ ratione. Summus Pontifex hic

hic loquitur, ut per se patet, de stationibus septem Ecclesiarum tam intra, quam extra urbem existentium, sed hujusmodi stationes quolibet die totius anni possunt fieri lucrando indulgentias, ut manifestâ experientiâ constat, cum vix sit dies, in quo aliquis vel aliqui hujusmodi stationes non adeant, nec defuerunt viri devotissimi, qui omnibus diebus illas fecerunt, ut scribitur de S. Philippo Nerio. Neque à Romanis Pontificibus excluditur aliquis dies totius anni; neque determinatur in quo fieri non possint, lucrando Indulgentias pro ipsis stationibus concessas; ergo non est fundamentum ad excludendum diem aliquem totius anni.

403. 29. Confirmatur rursus ex verbis ipsius concessionis, ibi: *In omnibus diebus perinde, ac si ipsas Ecclesias urbis, visitarent.* Hic interrogo, vel illi dies referuntur ad facientes stationes personaliter in Romana Curia, vel ad Regulares visitando proprias Ecclesias? Si primum dicatur habemus intentum, videlicet, quod in omnibus diebus lucrantur illas Indulgentias Religiosi, Visitando proprias Ecclesias: Ergo ex qualibet parte constans manet nostra conclusio, siquidem nullus dies totius anni invenitur, determinatus pro lucrandis illis Indulgentiis, neque aliquis invenitur excluſus, ut ex praxi Romana constat; igitur, vel pro nullo die, vel pro singulis diebus conceduntur Indulgentiæ stationum septem Ecclesiarum, ac per consequens in singulis diebus totius anni Religiosi visitantes proprias Ecclesias lucrantur illas indulgentias.

*Verum huic Authoris opinioni videtur esse contrarium, sacra Congregationis indulgentiis ac sacris Reliquiis præpositæ Decretum, 5. Martij An. 1678. promulgatum; in cujus calce hæc leguntur verba: Indulgentias stationum Vrbis, quæ à Romanis Pontificibus, singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus aut personis, diebus tantum stationum, in Missali Romano descriptis, suffragari posse declarat.*

30. Secunda difficultas est majoris ponderis, videlicet, an Regulares visitantes proprias Ecclesias singulis diebus, consequantur omnes Indulgentias, quas consequuntur visitantes Ecclesias intra, & extra urbem personaliter, tam plenarias, quàm non plenarias, tam pro se, quam pro defunctis; inveniuntur enim aliquæ specialiter concessæ pro liberandis animabus Purgatorii? in qua re nimis scrupulosè se gessit noster Lezan: *Tom. 3. verb.* Indulgentia, *num.* 21. Primò negat, quod licet verum sit, quod Religiosi visitando proprias Ecclesias lucrentur Indulgentias propriasstationum, sed inter illas nulla est plenaria, si quidem *S. Gregorius* Papa, qui primò has stationes instituit, solùm concessit pro eis septem annos Indulgentiæ, ut testatur D. Thom. in 4. *distinct.* 20. & alij communiter, nec invenitur aliquis Pontifex, qui pro ipsis stationibus Indulgentiam plenariam concesserit; verum est, quod fere in qualibet harum Ecclesiarum inveniuntur aliquæ Indulgentiæ plenariæ pro illas visitantibus, & in eis orantibus concessæ à diversis Pontificibus non intuitu stationum omnium illarum Ecclesiarum, sed intuitu magnæ Sanctitatis cujuslibet 404

bet loci talis Ecclesiæ, & forte moti sunt etiam, ut Fideles ferventius moverentur ad omnes visitandas. Negat ergo Lezana lucrari aliquam ex his Indulgentiis plenariis Religiosos visitantes proprias Ecclesias, sed solùm non plenarias concessas pro illis stationibus. Ducitur ad hoc asserendum ex praxi Curiæ, & Regula Cancellariæ, in quibus Indulgentiæ plenariæ, eò quod sint difficilis concessionis, non intelliguntur concessæ, nisi exprimantur, ut tenent Suarez, Molfesius, & Cassarubius, relati ab ipso Lezana *ibidem*. Cum igitur in præsenti concessione *Pauli V.* Indulgentiæ plenariæ non exprimantur, non debent intelligi concessæ in relata Indulgentia pro Regularibus visitantibus proprias Ecclesias.

405. 31. Sed pace tanti viri, qui unicus in hac parte videtur, cum neque ipse alium Authorem pro suo dicto referat, neque ego invenire potui, & si accuratè quæsierim, Dico, quod Regulares visitando quotidie suas proprias Ecclesias lucrantur omnes Indulgentias, quas lucrantur visitantes personaliter Ecclesias stationum, in alma urbe, & extra, tam plenarias, quàm non plenarias, tam concessas intuitu ipsarum stationum, quàm concessas ratione Sanctitatis cujuslibet loci, ubi plura corpora insignium Sanctorum, & aliæ sacræ reliquiæ magna cum reverentia, & devotione ab omnibus fidelibus coluntur.

406. 32. Probatur multipliciter ex verbis concessionis ipsius *Pauli V.* primò, ibi: *Consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias urbis, & extra eam, diebus stationum consequuntur; perinde ac si illas personaliter visitarent*, verba hæc sunt indefinita, & maximè universalia, ergo universaliter, & latè sunt intelligenda præcipuè, cum simus in materia favorabili pertinente ad bonum, & salutem animarum, neque alicui præjudicium inferat. Neque de hoc mens Pontificis inexplicata mansit, sed potius æquivalenter expressa, quod probo satis efficaciter. Illi qui Romæ personaliter visitant Ecclesias stationum, consequuntur tam Indulgentias ipsarum stationum, quàm alias omnes plenarias, quæ in qualibet illarum Ecclesiarum concessæ sunt à diversis Pontificibus ratione illarum particularium Ecclesiarum, de quo nullus dubitat, nec dubitare potest: Ergo, & has omnes lucrantur Regulares visitando suas Ecclesias, quia faciunt id quod expressè æquivalet visitationi personali in Roma de mente expressa Pontificis: Ergo expressè saltem per verba æquivalentia eis concedit quascunque Indulgentias, quas lucrantur visitantes personaliter Ecclesias stationum, totum hoc apparet ex illis verbis expressis: *Consequantur easdem Indulgentias, perinde ac si ipsas Ecclesias urbis personaliter visitarent.* Ergo ex mente expressa Pontificis eodem modo lucrantur easdem Indulgentias, quas lucrarentur, si personaliter visitarent, sed visitando illas personaliter lucrarentur omnes Indulgentias plenarias, & non plenarias in omniũ sententia: Ergo prorsus eodem modo gaudent eisdem omnibus, visitantes proprias Ecclesias, in suis Conventibus, & hoc ex mente expressa Pontificis.

33. Ex quo fit fundamentum ad- 407.

à Lezana ex praxi Curiæ, & Regula Cancellariæ, nihil nocere nostræ sententiæ, quia sumus in casu specialissimo, & valde dissimili, & in quo licet concessio expressa per propria verba Indulgentiarum majorum non inveniatur, invenitur tamen concessio expressa æquivalens in omnibus, ut vidimus, non ergo in casu nostro currunt praxis Curiæ, & Regula Cancellariæ, sive pro aliis valde dissimilibus eas admittamus, quando aliud non cogit oppositum asserere.

408. 34. Probatur secundò, ex alijs verbis ipsius Bullæ, ubi sic loquitur Pontifex: *Nos maturâ super hoc consultatione præhabitâ, cupientes personis Regularibus spirituale solatium, & juvamen afferre infra scriptas Indulgẽtias, &c.* Inquiro, quod solatium, & quod juvamen afferret Pontifex Religiosis personis intra claustra degentibus, si extinctis quàm plurimis Indulgentijs plenarijs, solùm concederet eis pauciſſimas, & quæ unico actu finiuntur, ut patet in die receptionis habitus, in die professionis solemnis in Religione, in die celebrationis primæ Missæ, & in alijs pauciſſimis parum dissimilibus, reliquendo Religiosos, & Sanctimoniales ferè per totum annum inter tot obsequia facta Sanctæ Ecclesiæ, & animabus Fidelium, absque aliqua indulgentia plenaria, quam frequenter possint lucrari, quod non debet credi de pietate, & benignitate tanti Pontificis, imò potius oppositum apparet in verbis ipsius.

409. 35. Quapropter judico alienum fuisse à mente *Pauli V.* talia facere, non enim intendit Indulgentias Religiosorum extinguere, sed abusus, & confusiones tollere, & hæc etiam fuit mens sui Antecessoris *Clementis VIII.* ut ipse *Paulus* testatur, ibi: *Et ex illarum multiplicitate confusio, aut inanis interpretatio oriatur. CLEMENS Papa VIII. prædecessor noster magna cum diligentia, & solicitudine procuravit abusus & corruptelas; tum in communicando Indulgentiarum Thesauros; tum in modo illos recipiendi irreptos tollere, &c. Qui morte præventus tam piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere non potuit. Nos quidem, &c.* Ecce quomodo voluntas horum Pontificum non fuit tollere, imo nec minuere Indulgentias, sed tollere dubia, confusiones, & incertitudinem vitare, reducendo illas ad claritatem, & certum statum, pro majori spirituali solatio, & juvamine ipsorum Religiosorum, & præhabitâ maturâ consultatione Eminentissimorum Cardinalium, Superiorum Religionum, & Procuratorum Generalium, hanc prudentissimam determinationem absolvit juxta intelligentiam relatam, & meo videri literalem. Igitur nimis scrupulosè se gessit noster pissimus, & Doctissimus Lezana in hac parte, sicut in quibusdam alijs, discedens à nostra conclusione, quamvis fateatur esse probabilem; sed nos cum Peirino *Tom. 2. privileg. in Constitut. 8.* Pauli V. §. 11. *num.* 4. & aliis, ut certam amplectimur.

36. Consequenterque ad dicta, & relata dicendum venit, quod Religiosi visitantes proprias Ecclesias non solum lucrantur Indulgentias plenarias, quæ inveniuntur in stationibus ipsis competentibus, sed etiam plenarias, 410.

quæ

quæ inveniuntur concessæ etiam pro animabus Purgatorij, quod est contra sectundum assertum Lezan. *in 3. Tom. verb.* Indulg. *n.* 21. Negantis consequenter ad suam Doctrinam lucrari dictas Indulgentias plenarias concessas pro defunctis, in Ecclesiis stationum almæ urbis, & extra, sed nos consequenter ad nostram, ut certum judicamus lucrari, ut probavimus *supra, num.* 4.

411. 37. Hic notare oportet, ut quælibet confusio è medio tollatur, quod *Paulus V.* in hac revocatoria Indulgentiarum pro Religiosis, comprehendit expresè etiam concessas per vivæ vocis oracula, ut ex ipsa *Const.* patet. At in revocatoriis oraculorum *Greg. XV.* & *Vrbani VIII.* non comprehenduntur oracula circa indulgentias, ut probabimus *infra disp. 8. sect. 3. num.* 2. Unde si aliquæ Indulgentiæ inveniantur concessæ per vivæ vocis oracula pro Religiosis post hanc revocatoriam *Pauli* V. non revocantur à *Greg. XV.* neque ab *Vrbano VIII.* sed permanent in sua vi, & multò minus revocatæ intelliguntur, quæ in scriptis concessæ fuerint.

*Hæc* pro relata revocatoria Indulgentiarum, quæ licet alicui prolixa possent videri, mihi tamen cum sint valde utilia, & non extra chorum, visum est ea non omittere.

# DISPVTATIO SEPTIMA.

## *De confirmatione Privilegiorum.*

### SECTIO I.

*An privilegia expresè revocata per Tridentinum habeant hodie aliquam vim, virtute alicujus confirmationis?*

412. 1. COntroversia hæc ingenia Doctorum adeò torsit, ut in varia placita dispersi inveniantur. Ortum habuit ex *Bulla Pij V.* incipiente: *Et si Mendicantium Ordines*, expedita 17. *Kalend. Iunij* anno 1567. *Pontificatus sui anno* 2. quæ habetur in Bullario magno, & apud Rodericum in suo Bullatio; in qua, occasione sumpta, ex variis litibus inter Episcopos, & Regulares, ferè omnia, quæ in Tridentino circa Regulares disponuntur, declarat, & concedit in eorum favorem, prohibendo, ne Domini Episcopi in eis Regulares molestent. Attamen, quia ex dicta Bulla non quies, quæ expectabatur, & desiderabatur à tanto Pontifice secuta est, sed potius major inquietudo, *Greg. XIII.* omnia in ea contenta cassavit, & reduxit totum ad terminos ipsius Concilij Tridentini, Bulla incipiente: *In tanta rerum, & negotiorum mole*, expedita Kalendis Martij, *anno 1573. sui Pontificatus anno primo.* Reperitur in Bullario Romano, & in diversis authoribus.

413. 2. Multi Doctores in defensionem validitatis & subsistentiæ Bullæ *Pij V.* intrepidè affirmant: Bullam *Gregorij*

*XIII.* revocatoriam Bullæ *Pij V.* nullam habuisse vim, quia etsi Pontifex intentionem habuerit illam publicandi, nunquam tamen eam publicavit etiam Romæ; quod probant ex eo, quod doctissimus & dignissimus Doctor Navarrus, in Curia tunc temporis existens id asseruit in Manuali Latino, *cap. 27. in fine.* Quem postea secuti sunt Enriquez *lib. 7. de Indulgentijs, cap. 24.* & *Tom. 1. de pœnitentia, cap. 6. num. 6.* Llamas in method. *part. 1, cap. 7. §. 6.* Rodrig. in addition. ad summã *Tom. 4. cap. 105.* & in Expositione Bullæ Cruciatæ, *§. 5. num. 26.* Sorb. in *comp. privileg.* verb. *Processiones*, §. an teneantur, & *verb.* Interdictum 3. citans Medinam, Cochier. 2. 2, *quæst.* 123. Peirinum *Tom. 1. Const. 7. Pij V. § 1. n. 2.* nostrum Thomam à JESU, de procurat. omn. gent. salut. *lib. 12. cap. 8.* quos sequuntur Bruno Chassaing *Tract. 1. cap. 6. propos. 6. num. 1.* Augustin. de Bellis in suo libello, Idiomate Hispanico, sedente *Vrbano VIII.* impresso, cujus titulus, *Allegationes en derecho*, qui firmiter absque ulla hæsitatione, cum relatis existimat prædictam Bullam *Pij V.* in præsentiarum, firmam, & illibatam subsistere.

414 3. Sed ex hoc capite, videlicet, non fuisse publicatam dictam Bullam *Gregor. XIII.* nihil concludi potest. Constat enim fuisse publicatam Romæ, & affixam ad Valvas Basilicarum Principis Apostolorum, S. Joannis Lateranensis de urbe, & in acie Campi Floræ, per Joannem, & Marcum Antonium Brutum Cursores ejusdem Domini Papæ, & fuit registrata per Cæsarem Secretanum, & fuit apposita inter alias Bullas Cameræ Apostolicæ, & habetur *Tom. 2. Cherub.* inter bullas hujus Pontificis: & miror, quòd P. Donatus, cum huic veritati firmiter adhæreat, *Tom. 1. tract. 11. quæst. 17. num. 18.* postea *Tract. 16. q. 8. num. 5.* protegat se authoritate ipsius Navarri, dicentis, non fuisse publicatam Bullam *Gregorij XIII.* revocatoriam Bullæ *Pij V.* unde ad minus, sentit hoc esse probabile, sed ut videbimus, de ejus publicatione non potest dubitari.

4. Nec authoritas Navarri in hac 415
parte favet, ut benè notavit noster Lezana *Tom. 2. cap. 1. n. 14.* quia quando *loco citato summa*, ait: Non fuisse publicatam dictam Bullam, non loquitur de dicta Bulla revocatoria *Gregorij*, sed de alia ipsius *Pij V.* quod ut manifestum fiat, & locus ambigendi non remaneat, audias precor verba ipsius Navarri in fine illius *cap. 27.* ubi sic ait: *Quoniam in cap. 21. num. 5. promisimus inserere hic tenorem cujusdam Bullæ felic. memoriæ Pij V. & moderationis eorum, de quibus in subjecta Gregorij XIII. Bulla, si exiret interim, quæ quia non exivit, solam hanc subjicimus prout supra cap. 25. num. 68. etiam promisimus*, & statim ponit ad literam Bullam Gregorij XIII. *In tanta negotiorum mole*, quæ est revocatoria Bullæ relatæ *Pij V.* de qua in præsenti procedit controversia, ubi nota verba, & signa mysteria, Bulla de qua loquitur Navar. & de qua dicit, quod non exivit, non est aliqua Bulla *Gregorij XIII.* sed alia Bulla *Pij V.* moderativa primæ à se expeditæ in favorem Religiosorum, nempe supra relata, voluit enim *Pius V.* moderare suam primam Bullam propter magna in-

inconvenientia contra ſuam ſpem ſequuta,& morte præventus, intentum non potuit perficere,&quòd hæc ſit expreſſa mens Navarri, conſtat ex verbis ipſius Cap.27. *in fine*, ubi expreſsè ait: *Quoniam promiſimus inſerere hîc tenorem cujuſdam Bullæ Pij V. & moderationis eorum (de quibus ſubjecta Bullæ Gregorij XIII.) ſi exiret, ſed quia non exivit, ſolam hanc ſubjicimus, videlicet Gregorij XIII.* Tenorem autem Bullæ *Pij V.* non apponit,quia non exivit, ubi clarè dicit eſſe Bullam *Pij V.* quæ non exivit;inſuper quando Cap.21.*num.5.* loquitur de decreto Tridentini *ſeſſ.24.cap.4.de reformat.* circa auditionem Miſſæ, & concionum in propria Parochia, ſaltem Dominicis diebus,& ſolemnibus feſtis, docet, quòd Concilium hoc non præcipit, ſed ſuadet omnibus, quod non inducit neceſſitatem, & ſic non obſtat Concilium, ſi ſubditi adeant templa Regularium pro Miſſis & concionibus audiendis,& ſtatim ſubdit hæc formalia verba: *Obſtat tamen fortiter id,quod ibi ſubditur, poſſe ſcilicet Epiſcopum authoritate Apoſtolicâ jubere circa hoc opportuna. Niſi reſpondeatur, non videri debere opportunum,cum ſcandalo tot laicorum,& Monachorum,ne tam generalis conſuetudo, quam etiam in urbe ſervari videmus,tollatur, præſertim, quòd felicis recordat. Pius V. in Bulla motu proprio lata menſe Iulij 1567. declaravit audientes Miſſas feſtivis diebus in Monaſteriis Mendicantium, ſatisfacere huic præcepto, cujus Bullæ tenor, cum moderatione, quæ ipſemet dicitur concepiſſe, ſi publicetur,interea ponetur in fine Cap.27.*

Hæc Navarrus, ubi, ut vides, Bulla, de qua dicit Cap.27. quod non apponit,quia non exivit, eſt illa moderativa primæ ſuæ Bullæ ipſius *Pij V.* cujus mentionem fecerat Cap.21.*num.5.* & nullo modo loquitur de Bulla *Gregorij XIII.* relata; & quid mirum, quòd Navarrus tempore *Pij V.* Romæ exiſtens,notitiam haberet dictæ Bullæ *Pij V.* quæ in publicum nõ exivit,cùm *Gregorius XIII.* Bullæ revocatoriæ referat verba, & intentum *Pij V.* in Bulla, quam fecerat, & in publicum non exiverat, cùm morte præventus fuiſſet,ibi: *Demum animadvertens, quòd ea omnia multis dubitationibus involuta, magniſque difficultatibus obſtruſa, multas magnaſque diſſenſiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & Fratrum ipſorum Ordines non ſine gravi divini cultûs. & animarum detrimento, ac populorum ſcandalo concitaverant, contra quod ipſe ſperabat, & præter ſuam expectationem, ut qui interdum ipſe conquereretur, aliter multa, alioq; ſenſu à ſe prolata fuiſſe, quàm litteris expreſſa eſſent, cupiens iis moderari incommodis; primum,illa omnia, quæ Regularibus aliorum Ordinum Mendicantium communicaverat, & ſecundùm præmiſſa conceſſerat, motu proprio & certa ſcientia revocat. Deinde plenius providere volens prioribus litteris, à ſe, quòad ipſos Mendicantes magna ex parte moderatis,omnes, & quaſcunq; alias litteras,quæ de aliis Ordinibus & Cõgregationibus, extra Mendicantium Ordines de Obſervantia nuncupatos, emanaverant,omninò aboleverit, cauſas omnes jam de his, etiam in Romana Curia pendentes, ad ſe advocando, lites extinguendo, ac formatos ſuper illis proceſſus,latas ſententias annullando, quemadmodum aliis ſuis litteris in regiſtro proxim̃è*

*ximè compertis, nunquam tamen publicatis plenius continetur.*

Ecce summam Bullæ *Pij V.* quæ nunquam exivit, licèt in regiſtro eſſet poſita, & de qua certiſſimè loquitur Navar. nō verò loquitur de Bulla derogatoria *Gregorij XIII.* Si enim ipſe Navarr. hanc ad litteram ponit circa finem illius *Cap.* 27. Manualis latini, ut mihi conſtat ex impreſſione Romæ facta anno 1588. & ex alia Moguntiæ anno 1601. quomodo apponeret : *non eximerat, cùm morte præventus fuiſſet*, ibi : *Sed quia non exivit.* Et ſi vis manifeſtè videre, hanc fuiſſe expreſſam mentem Navarri, lege *Cap.* 25. *num* 68. ubi loquendo de Ordinandis, ait : *Et nota, quòd hic non obſtat Bulla Pij V. qua hoc onus, & aliqua alia prædicti Concilij Tridentini abſtulit Mendicantibus, ob revocationem ejus per Sanctiſſimum D.N. Gregorium XIII. cujus tenor eſt, qui ponitur ſub Cap.* 27. Quid clarius, & etiam in fine ipſius cap. 27. ſeipſum citat ad hunc locum.

Ergo neceſſariò dicendum eſt, quòd Navarrus nec ſomniavit negare publicationem Bullæ *Gregorij XIII.* revocatoriæ Bullæ *Pij V.* Unde primus Author, qui aliter intellexit Navarrum, deceptus eſt, & cæteri, qui eum tanquam ovis ovem, & tanquam avis avem ſecuti ſunt, etiam ſunt decepti. Quapropter ſuprà relatū fundamentum prorſus evaneſcit. Ex quo caſu diſces, quantâ ſolertiâ debeant legi Authores magni nominis, ut eorum authoritate fulciatur aliqua ſententia, præcipuè in rebus tanti momenti, ne decipiantur multi audientes eſſe ſententiam alicujus doctiſſimi, & timoratiſſimi viri oppoſitum docentis.

5. Per aliam viam intendunt aliqui enervare vim Bullæ revocatoriæ *Gregorij XIII.* Dicunt enim, quòd *Gregorius* in eadem Bulla declarat, ſe moveri ad revocandam Bullam *Pij V.* ex eo, quòd notitiam habuerit, quòd ipſemet *Pius V.* ſuam primam Bullam per aliam à ſeipſo editam revocaverat; ſed *Pius V.* nunquam talem Bullam revocatoriam primæ publicavit, teſte Navarr. *Cap.* 25. *num.* 5. Ergo neque fuit revocata Bulla *Pij V.* per Bullam *Gregorij XIII.* quia ceſſante causâ, à qua pendet effectus etiam ad ſuî conſervationem, ceſſat effectus, ut tenent communiter Doctores. 416.

6. Sed hoc effugium facilè præcluditur, quia licèt illa Bulla revocatoria *Pij V.* quæ, ut ait ipſe *Gregorius XIII.* innitur in regiſtro, quàmvis nunquam fuerit publicata, & eſt, de qua locutus fuit Navarrus *ſuprà*, fuerit cauſa movens, ut *Gregorius XIII.* ſuam Bullam revocatoriam ediderit, at cauſa finalis non fuit illa Bulla *Pij V.* ſed tollere lites, diſſenſiones & ſcandala, quæ orta erant ex Bulla prima *Pij V.* inter Epiſcopos & Regulares, ut fatetur ipſe *Gregorius* in ſua Bulla. Hæc autem cauſa finalis eſt, quæ debet attendi, non verò cauſa impulſiva, maximè, quia Bulla propria, quam revocare voluit *Pius V.* & non perfecit, eſt, quam de facto revocavit *Gregorius XIII.* 417.

7. Dices : Ergo in his, quæ neque diſſenſiones, neque ſcandala generant, ut ſunt quæ pertinent ad ſecretum forum Sacramentorum, ſeu aliorum in bonum animarum, non revocavit *Gregorius* Bullam *Pij V.* Reſpondetur, Quòd non deſunt, qui hoc affirment; ſed 418.

sed an probabiliter, constabit ex dicendis *infrà sect. 3 à num. 3. usque ad 6.* inclusivè, & *sect. 7. dub. 4. & 5. usque ad finem*, quibus omnia manifesta fient. Videatur etiam *disp. 4. sect. 2. 3. & 4.* ubi multa ad intentum invenies.

419. 8. Alii dicunt, quòd multa, quæ inveniuntur, imò præcipua in Bulla *Pij V.* non sint privilegia, sed declarationes ipsius Concilii Tridentini: Ergo saltem hæc manent in sua vi, quia *Gregor. XIII.* revocat privilegia concessa à *Pio V.* in illa Bulla, sub qua revocatione non cadunt declarationes. Confirmant hoc ex eo, quòd multa in illis declarationibus *Pij V.* inveniuntur confirmata à *Clemente VIII. Vrbano VIII.* & à sacra Congregatione Tridentini. Nam declaratio *Pij V.* ad *sess. 22. cap. 9.* videlicet, quòd Sæculares possint audire Missas & conciones in Ecclesiis Regularium diebus festivis, fuit confirmata à *Clemente VIII.* ut refert Hieronym. Rodrig. *Resol. 25. num. 5.* & ab *Vrbano VIII.* anno 1625. & declaratio *sess. 23. cap. 15.* & *sess. 25. cap. 10.* quòd Confessarii Monialium exemptarum non examinentur ab Ordinario, confirmata fuit à sacra Congregatione Tridentini, referente Barbosâ ad *sess. 25. cap. 10. in remissionibus.* Declaratio *sess. 5. cap. 2.* quòd Concionatores non sint ab Ordinatio examinandi ad prædicandum in propriis Ecclesiis, fuit confirmata à sacra Congregatione, teste Reginaldo *lib. 18. num. 123.* Riccius *decis. 290.* Barbos. ad *sess. 5. cap. 2.* Declaratio *sess. 25. cap. 5.* quòd Episcopus non possit dare licentiam ad ingrediendum in exemptarum Monasteria subjecta Regularibus, confirmata fuit ab eadem sacra Congregatione, ut referunt Barbos. ad *sess. 25. cap. 5.* Farinac. & Joannes Andreas. Declaratio 13. *sess 25.* quòd quarta funeralis non intelligatur, nisi de illo, quod affertur die sepulturæ, fuit etiam confirmata à sacra Congregatione, ut docent multi, & sic de quibusdam aliis, quas in discursu hujus Tractatûs referemus. Ergo, &c.

420. 9. Revera hic modus dicendi probabilissimus est, dummodo intelligatur de declarationibus, quæ non contrariantur Tridentino, ut sunt relatæ, & aliæ similes: non verò de illis, in quibus ipsemet *Gregorius* aperit suam mentem, dicendo se velle ut omnia permaneant integra, sicut erant ante Bullam *Pij V.* quatenus Tridentino opponebantur. Unde meras declarationes non irritat, sed solùm declarationes, quæ in aliquo derogant Concilio. Ita P. Hinojosa in *direct. decis. Regular.* verb. *Confirmatio gratiæ, assert. 1. per totam*, & alii multi; nec mirum: Si enim aliæ declarationes, quæ doctrinaliter possent fieri à viro docto, essent probabiles, cur probabiles, imò & firmæ, non remanebunt, factæ à sapientissimo & sanctissimo *Pio V.*? Adde, quòd post *Gregorium XIII. Gregorius XIV.* anno 1591, die 24. Septembris communicando Camaldulensibus omnia privilegia omnium Ordinum, includit, §. 5. omnes declarationes factas à Romanis Pontificibus, nullâ restrictione factâ Concilii Tridentini: habetur hæc Bulla, quæ amplissima est apud Cherub. *Tom. 2. circa finem.*

421. 10. Sed non possum hîc iterum non mirari assertum Brunonis Chassaing. relati in principio hujus Sectionis, pro prima

prima sententia, ubi probat, quòd licèt Bulla *Gregorij XIII.* fuisset publicata, (quod ipse deceptus, sicut & alii negat) tamen posteà ait : Idemmet *Gregorius* revocavit suam Bullam confirmando ampliſſima confirmatione privilegia Minorum cum Clausula derogatoria suæ antè dictæ Constitutionis per Bullam expeditam die 25. Maii 1573. quę incipit : *Ex benigna*; sed hæc Bulla, ut ex ipsa patet, apud Rodericum in suo Bullario, Bullâ 1. hujus Pontificis non fuit expedita anno 1573. sed an. 1575. sed hoc parum esset, nisi adderet ipse Pater Chassaing. : *Et quoniam omnia verba illius adducere nimiù prolixum esset; Ideò clausulam derogatoriam, quam post confirmata, & concessa de novo, motu proprio, & ex certa scientia Minorum privilegia & declarationes, non obstantibus præmißis, &c. concludit : Lege, amice Lector hanc Bullam, & videbis ampliſsimum privilegium Regularium, confirmationem multorum capitum, cum ampliſsimis etiam clausulis litterarum Apostolicarum, Conciliorum, juris communis, & aliorum hujusmodi revocatorijs. Necnon etiam videbis, quòd Pontifex omnibus judicibus, etiam S. R. E. Cardinalibus judicandi, & interpretandi Concilij Tridentini decreta, & privilegia in dicta Bulla concessa, facultatem aufert.* Hæc ille.

422. 11. At ego vidi Bullam relatam ab isto Authore apud Rodriguez *ubi suprà*; totam attentè legi, & non video quomodo ex illa probetur, quòd prima Bulla *Pij V. Etsi Mendicantium Ordines*; maneat in suo robore, ex eo quòd Bulla revocatoria *Gregorij XIII. In tanta rerum mole*, fuit revocata ab ipsomet *Gregorio* in hac Bulla; *Ex benigna*; nam in parte dispositiva approbando, confirmando, & innovando omnia privilegia quomodolibet concessa, etiam vivæ vocis oracula, tam per concessionem, quàm per communicationem, & hoc ex certa scientia, & de plenitudine potestatis; adducit restrictionem : *Quatenus sint in usu, & in sacris Canonibus, & decretis sacri Concilij non adversentur.* Nota clausulam, & argue, si *Pius V.* multa concessit, quæ Tridentino adversantur, & omnia ista revocavit *Gregorius* Bullâ : *In tanta rerum mole*, anno 1573. quomodo revalidantur ab ipso *Gregorio* per Bullam: *Ex benigna*, anno 1575. cùm in ea expresè apponat clausulam restrictivam : *Dum non adversentur sacris Canonibus, & decretis Tridentini*? Ego, inquam, non video, sed potius video oppositum, nempe remanere magis firmâ Bullam *Gregorij XIII.* revocatoriam Bullæ *Pij V.* Nec video quomodo in hac Bulla: *Ex benigna*, tollatur authoritas Eminentiſſimorum Cardinalium, aliter interpretandi decreta Concilii Tridentini, quia in tota Bulla, nec nominantur Cardinales, neque de Tridentino aliqua fit mentio, nisi solùm in illa clausula restrictiva, quæ omnia legenti Bullam patebunt. Amice Lector, propter hæc, & alia similia attentè lege Authores, maximè in rebus tanti ponderis, & ne decipiaris, fontes inspice.

Ad alia autem extra Tridentinum, fateor hanc Bullam esse ampliſsimâ, ut agendo de confirmatione privilegiorum dicemus. Restabat hìc examinare, an virtute cujusdam Oraculi ipsius *Pij V.* omnia à se concessa in dicta Bulla contra Tridentinum, in favorem Religio-

giosorum, habeant vim pro foro conscientiæ, sed quia hoc longiorem postulat discussionem, in *sect. 3.* remitto.

## SECTIO II.

### *Quomodo intelligenda sint clausulæ, quas post Tridentinum apponere solent Pontifices in Concessionibus, confirmationibus, & innovationibus privilegiorum Regularium?*

423. 1. PRimus Pontifex, qui post Tridentinum posuit dictas Clausulas restrictivas, fuit *Gregorius XIII.* Successor *Pij V.* in relata Bulla: *Ex benigna*, confirmando privilegia Minorum sub ann. 1575. Idemque fecit confirmando privilegia Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, die 18. Novembris ejusdem anni. Sed posteà ipse Pontifex 11. Februarii anno 1582. apud Bullar. Rodrig. *Bull. 26. Greg. XIII.* motu proprio, & certâ scientiâ, & de Apostolicæ plenitudine potestatis, confirmavit omnia privilegia Societatis JESU, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta ab omnibus suis Prædecessoribus concessa, qualiacunque sint; & ea omnia, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro expressis habere, & nullam clausulam restrictivam, neque ex non usu, neque ex revocatione, neque ex Tridentino apposuit, & sic fuit magna concessio, & notanda pro dicendis *infrà*.

424. 2. *Gregorium XIII.* secutus est *Sixtus V.* creatus anno 1585. & in omnibus suis concessionibus, & confirmationibus privilegiorum (ut vidi) usus est unicâ tantùm clausulâ restrictivâ, videlicet: *Dum non sint contra decreta Tridentini.* Neque in communicatione privilegiorum, factâ ab ipso *Sixto* pro Fratribus Minoritis Conventualibus reformatis, Bullâ incipiente: *Apostolici muneris*, ann. 1587. Idibus Octobris aliquid in contrarium invenitur; nam solùm declarat prædictos reformatos gaudere omnibus privilegiis pro Conventualibus concessis. Ex quo nihil ad intentum deduci potest. Nam si revocata à Tridentino comprehendebãt Conventuales, etiam comprehendunt dictos reformatos, quàmvis in eorum communicatione nulla fiat mentio Tridentini. *Sixtum V.* secutus est *Urbanus VII.* sed quia dies duodecim tantùm vixit, nihil fecit.

3. Posteà electus est *Gregorius XIV.* 425. & coronatus nonis Decembris anno 1590. & quàmvis solùm per decem menses vixerit, aliquas Bullas expedivit, & quidem ad intentum anno sequenti 1591. duodecimâ die mensis Julii confirmavit privilegia Ordinis Cruciferorum, eisque communicavit privilegia aliorum Ordinum, à quibuscunque Romanis Pontificibus concessa, & concedenda. Sed posuit has clausulas: *Quatenus in usu sint, & decretis Concilij Tridentini non adversentur*, & nullam facit mentionem de Canonibus Concilii, quod nota pro dicendis *infrà*. Sed ipse Pontifex eodem anno 1591. die 6. Septembris confirmavit omnia privilegia Ordinis Cistercienſis D. Bernardi & D. Benedicti, concessa ab omnibus suis Prædecessoribus, & à se ipso, irritando & annullando quidquid in oppositum posset inveniri, & hoc *ex motu proprio, certâ scientiâ, & de ple-*

*nitudine potestatis*, absque alia restrictione non usûs, & absque mentione Tridentini, quæ est maxima confirmatio, & expresè loquitur de quibusvis privilegiis, concessionibus, indultis, gratiis quomodolibet concessis cuilibet loco, & personis, in qualibet parte mundi, & de Indulgentiis, etiam plenariis. Et addit, quòd non solùm omnia confirmat, & extendit, sed de novo concedit cum clausulis amplissimis omnium derogatoriarum derogatoriis.

446. 4. Insuper eodem anno 1591. 11. Kalendas Octobris concessit & communicavit Congregationi Ministrantium infirmis, omnia privilegia omniũ Ordinum, & Clericorum Regularium, etiam Societatis JESU ¦, cum amplissimis clausulis extensivis, & derogativis in contrarium. Sed inducit sequentes Clausulas: *Quæ tamen sunt in usu, nec ullis revocationibus comprehensa, neque decreto Tridentini*, &c. Rursus idem Pontifex die 24. Septembris 1591. communicando cuilibet Conventui Camaldulensium privilegia, quæ in aliquo illorum erant, addit tamen: *Quatenus sint in usu*, intellige in ipsis Conventibus, de quibus expresè *tibi* loquitur, ut constat ex §. 9. Postea verò quando in §. 11. communicat eis omnia & singula privilegia cujuscunque Ordinis & Congregationis, tam virorum, quàm mulierum ¦, quomodolibet concessa & concedenda, etiamsi talia sint, vel fuerint, quæ specialem & individuam requirerent mentionem, seu in præsentibus de verbo ad verbum insertionem, seu particularem expressionem petant, ait: *Eis authoritate, & tenore perpetuo communicamus, extendimus, & concedimus, aquè, & pariformiter, & absque ulla penitus differentia, perinde ac si illis, & eorum singulis personaliter, & specialiter, & expresè, ac nominatim, necnon ad instar concessa essent, uti, frui, potiri. & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant*, & nullam apponit restrictionem non usûs, nec decretorum Tridentini; sed potius §. 15. in derogatoriis derogatoriarum derogat omnia & quæcunque his contraria sub quibusdam clausulis, tenoribus, & verbis à suis prædecessoribus emanatis, etiamsi de verbo ad verbum essent inserenda ad sui revocationem, & concludit: quòd omnia hæc non possint derogari, nisi præsentium tenor de verbo ad verbum inseratur in derogatoria; quæ fuit magna concessio.

5. Nota differentiam concessionum 447
& confirmationum hujus Pontificis in eodem anno respectu diversarum Religionum, & quomodo in aliquibus apposuit clausulas restrictivas, in aliis verò nullam apposuit restrictionem, & cùm hæc privilegia sint amplissima, & cum derogatoriis quarumcunque derogatoriarum, ab ejus tempore omnia privilegia usque tunc revocata, etiam à Tridentino, revixerunt, & videntur remansisse in sua vi.

Rursus nota, quòd licèt non explicet vivæ vocis Oracula, tamen comprehendit illa, siquidem repetit indulta, concessiones, & gratias quomodolibet concessas, & hoc *ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis*, supplendo omnes, & singulos, tam juris, quàm facti, solemnitatum quarumcunque, quomodolibet omissarum, aliosque

que defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem privilegiis concessis. Habentur istæ Bullæ in Bullario Romano Cherub. *in fin. Tom. 2.* ad Bullam *Gregorij XIV.* quæ valdè notandæ sunt pro dictis, & dicendis in sequentibus.

448. 6. Successor *Gregorij XIV.* fuit *Innocentius IX.* creatus anno 1591. vixit tantùm duos menses, & sic ad rem nihil præstare potuit.

7. Secutus est *Clemens VIII.* creatus 3. Kalendas Februarii, & coronatus anno 1592. rexit Ecclesiam annos 13. iste Pontifex confirmavit omnia privilegia Minorum, cum extensione communicationis omnium aliarum Religionum Mendicantium, & non Mendicantium, etiam vivæ vocis oracula ex certa scientia, & cum amplissimis clausulis, Bullâ incipiente: *Pastoralis officij*, die 20. Decembris anni 1597. sui Pontificatûs anno 6. ut refert Rodriguez in Bullario, sed apposuit restrictionem: *In his omnibus, quibus decretis Tridentini non adversantur*, omisit, quòd *sint in usu, & quòd non fuerint revocata.* Rursus confirmavit privilegia Ordinis S. Benedicti Vallisoleti cum ista clausula: *Dummodo non sint revocata à Concilio Tridentino, ac ei non sint contraria.* Idem fecit confirmando privilegia Præmonstratensium.

Idem confirmavit, & extendit ad omnes Conventus, & ampliavit omnia privilegia Ordinis S. Hieronymi in Hispania, *motu proprio, certâ scientiâ, & de plenitudine potestatis*, cum amplissimis clausulis communicationis privilegiorum aliorum Ordinum, quomodolibet concessorum, in quibuscunque mundi partibus, sed apposuit restrictiones: *Quatenus sunt in usu, & decretis sacri Concilij Tridentini non adversentur.* Canones omisit Bullâ incipiente: *Noverint universi*, die 2. Octobris anno 1601. & prius concesserat idem, Bullâ incipiente: *Romanus Pontifex*, die 20. Septembris an. 1593. apud Rodericum; & in ista posuit: *Quatenus sunt in usu, & non sunt revocata, nec adversantur decretis Tridentini.* Utramque Bullam concessit ad instantiam nostri Catholici Regis Hispaniæ.

449. 9. Confirmavit etiam, & ampliavit privilegia Ordinis S. Benedicti, Bullâ incipiente: *Romanus Pontifex*, die 30. Septembris, an. 1592. posuit restrictiones: *Quatenus sunt in usu. & non sint revocata, & non adversentur decretis Tridentini*, apud Rodericum. Rursus confirmavit omnia privilegia ejusdem Ordinis S. Benedicti, usque tunc concessa ab omnibus suis Prædecessoribus, cum specialissimis clausulis, & in clausula: *Non obstantibus*, posuit hæc verba: *Non obstantibus Apostolicis, ac universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis illorum, sub quibuscunque tenoribus & formis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ac instantijs, & alijs decretis, etiam motu simili, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, etiam consistorialiter, & alijs in contrarium concessis, approbatis, & innovatis:*

*quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, ac omnibus & singulis, quæ dicti prædecessores nostri in eorum litteris voluerunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque.* Hæc Bulla, quæ ut notat Rodericus, amplissimam & exquisitam confirmationem habet, fuit expedita 24. Martii anno 1593. Pontificatûs sui anno 3. & refertur à Rodriguez, sed habet duas clausulas restrictivas, videlicet: *Quatenus sint in usu, & decretis sacri Concilij Tridentini non adversentur.* De revocatione nihil dixit, & sic omnia & quæcunque privilegia concessa, usque ad hunc diem, etiamsi revocata essent, remanserunt revalidata & firma, exceptis tantùm quę revocantur in Tridentino; nam per non usum nulla erant extincta, ut ex suprà dictis patet.

Insuper nobis Carmelitis Discalceatis, Bullâ incipiente: *Cùm dudum*, die 23. Martii anno 1594. communicavit, & de novo concessit omnia & quęcunque privilegia Mendicantium, & non Mendicantium concessa, & concedenda in futurum, cum amplissimis clausulis, & solùm apposuit restrictionem: *Dummodo sacro Concilio Tridentino non adversentur.* Habetur in nostro *Compendio, fol.* 183. & cùm ex *disp. 2. sect. 1. nu. 9.* & ex antecedenti ad istam constet, Religionem Benedictinam, & nostram, per communicationem gaudere omnibus privilegiis cujuscunque Ordinis, omnia iterum innovata sunt, usque ad hunc Pontificem, præter revocata in Tridentino: nam revocata in Tridentino exclusit hîc Pontifex, quod non fecit *Greg. XIV.* & sic hæc innovatio fuit minus ampla, quàm relata *Greg.* supr. *dum. 1. 2. & 3.* vide *infrà sect. 5.* per totam, præcipuè *à num. 6. & infrà num. 8.*

9. *Clementem VIII.* secutus est *Leo XI.* Florentinus, ex familia Ducis Florentiæ creatus die 1. Aprilis, anno 1605. coronatus die 18. ejusdem mensis, vixit tantùm 27. dies, & nihil edidit.

10. Post hunc electus est *Paulus V.* ex familia Burgesia, creatus die 15. & coronatus die 28. mensis Maii anno 1605. vixit in Pontificatu annos 15. menses 8. dies 13. confirmavit omnia privilegia diversis religionibus, & nullam Bullam inveni, in qua non apposuerit clausulas restrictivas: *Quatenus sint in usu.* Et in aliquibus addidit: *Et non sint revocata.* Et in omnibus posuit: *Quod non adversentur Tridentino.* In confirmatione privilegiorum Congregationis Cœleſtinorum Ordinis S. Benedicti plus addidit, ibi: *Quatenus sacri Concilij Tridentini decretis, necnon Regularibus, dictæ Congregationis institutis à Sede Apostolica approbatis non adversentur, ac revocata non sint, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa.* In confirmatione Cistercienſium B. Mariæ Fulienſis, dixit: *Quatenus sunt in usu, & dicti Concilij Tridentini decretis, ac alijs Canonicis Sanctionibus non contrarientur, nec sub ullis revocationibus comprehendantur.* In confirmatione & innovatione privilegiorum Ordinis B.

Mariæ

Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, dixit: *Dummodo tamen Sacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini, ac Constitutionibus Apostolicis contraria non sint, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa.* Et iste Pontifex fuit, qui post *Gregorium XIII.* usus est illa geminata clausula: *Canonum, & decretorum Concilij.* Et postea usus est eodem modo loquendi in communicatione privilegiorum Mendicantium pro Congregatione Sommaschorum. Hæc omnia in Bullario Cherub. Nec inveni aliquam concessionem ab hoc Pontifice, sine dictis restrictivis.

431. II. *Paulum* secutus est *Gregor. XV.* Ludovisius dictus, creatus die 8. Februarij, & die 14. Coronatus anno 1621. Canonizavit simul, & semel quinque Sanctos, inter quos, Matrem nostram S. *Theresiam* à JESU, nostræ Carmelitanæ reformationis Auctricem, vixit annos duos, menses 5. diem unum. Usus est eisdem clausulis restrictivis in confirmatione privilegiorum diversarum Religionum, quibus usus fuerat suus antecessor *Paulus V.* exceptâ confirmatione omnium privilegiorum pro Clericis Regularibus Theatinis, facta ab hoc Pontifice, die 21. Octobris anno 1621. Pontificatus sui anno primo, & est tenoris sequentis videlicet: *Motu itaque proprio, & ex certa scientia, de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta principaliter, vel per communicationem, aliàs quomodolibet, Congregationi, & Clericis prædictis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam concessa, quorum tenores pro expressis præsentibus haberi volumus: Apostolicâ authoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, eaque omnia, & singula innovamus, & de novo etiam concedimus.*

*Quocirca universis, & singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, ac alijs personis in Dignitate Ecclesiastica constitutis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, aut duo, vel unus eorum per se, vel per alium, seu alios easdem præsentes litteras, & in eis contenta quocunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Præpositi Generalis, aliorumque superiorum dictæ Congregationis pro tempore existentium, fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostrâ hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Non permittentes eos desuper à quocumque quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, ac rebelles per sententias, censuras, & Ecclesiasticas pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postpositâ compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilij brachij secularis.*

*Non obstant. fœlic. recordat. Bonifacij VIII. prædecessoris nostri de una, & in Concil. Gen. edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis authoritate præsentium ad judicium nostrum trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac decretis per quoscunque Romanos Pontifices, similiter prædeces-*

*decessores nostros, etiam vivæ vocis Oraculo, aut alios quomodolibet hactenus editis, nec non aliorum Ordinum; etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, quibuscumque personis, sub quibusvis verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijs efficacioribus, & insolitis clausulis, & irritantibus, & alijs decretis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.*

*Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, illorumque totis, specialis, specifica, expressa, & de verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis, alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, & impressis manu Secretarij dictæ Congregationis, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Congregationis, aut personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ illis præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die 16. Octobris 1621. Pontificatus nostri anno primo.* Ubi, ut vides, nulla restrictio ponitur, sed est absoluta confirmatio, & notare oportet, quod hæc sacra Religio participat omnia privilegia Mendicantium, & non Mendicantium, imò ei de novo omnia concessa sunt, sive per concessionem, sive per communicationem alijs Religionibus conveniant; quæ verè maxima concessio fuit.

12. Post *Gregorium XV.* creatus est *Vrbanus VIII.* Barberinus, die 6. Augusti anno 1623. & die 19. Septembris ejusdem anni Coronatus, vixit in Pontificatu annos 22. non expletos, & in confirmationibus, innovationibus, & extensionibus privilegiorum semper, ut vidi, usus est eisdem clausulis restrictivis, quibus usi sunt *Clemens VIII.* & *Paulus V.* videlicet, dum non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, ut videre est in confirmationibus pro Cœlestinis, Mercenarijs, & Minimis, factis ab hoc Pontifice, apud Cherubin, in Bullario Magno Solùm invenio confirmationem ampliſſimam omnium privilegiorum, & declarationum sacræ Congregationis, factam ab hoc Pontifice absque aliqua restrictione, ad instantiam Reverendissimi Patris Dominici de Molina Ordinis Prædicatorum, & est tenoris sequentis: *VRBanus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* 432.

*In plenitudine potestatis Apostolicæ nullis nostris meritis, sed solâ Dei benignitate assumpti varios in Militanti Ecclesia Regularium personarum Ordines diversimode pro quorumlibet Christi Fidelium devotione institutos, contemplantes Sacrum B. Dominici Prædicatorum Patris, & Ducis institutum, quasi sax ardens, & matutinum sydus irradians, totumque Christianæ Reipublicæ firmamentum illustrans meritis, nostram potissimùm dirigimus aciem, ac dignum, quinimo*

*imo æquum, & rationi consonum reputamus, ut ea, quæ à compluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ad favorem tam Religiosi instituti, illiusque domorum Regularium, & in eis sub suavi Religionis jugo altissimo famulantium personarum, justè, rationabiliterque concessa fuisse dignoscuntur, ne longævi temporis cursu obveterata sepeliantur, sed jugiter in viridi observantia persistant, favoris nostri præsidio confoveantur, ac etiam gratia Sedis Apostolicæ innovata reviviscant.*

*Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filij Dominici de Molina Ordinis fratrum Prædicatorum Sancti Dominici expressè professi, ac ejusdem Ordinis Provinciæ Bethicæ Procuratoris Generalis, petitio continebat. Necnon ipsorum privilegiorum, & indultorum declarationes, & decreta, à Congregationibus venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium desuper legitimè emanata. Apostolicâ Authoritate, & tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, ac de novo concedimus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti, & quosvis alios quantumvis substantiales defectus, si desuper intervenerint, supplemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1625. tertio Idus Maij. Pontificatus nostri anno secundo.*

433. 13. Etiam est notanda amplissima communicatio privilegiorum, quam fecit idem Pontifex Patribus Discalceatis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Congregationis Hispaniæ in Bulla incipiente: *Redemptoris nostri IESV Christi*, quinto Kalendas Aprilis anno 1634. habetur in Appendice Bullarij hujus Pontificis apud Cherubinum, ubi concedit: *Vt gaudeant omnibus, & singulis privilegijs, libertatibus & immunitatibus, exemptionibus, indultis, favoribus, indulgentijs, alijsque prærogativis, & gratijs universis, & singulis domibus, & Conventibus, alijs Regularibus locis, ac personis, tam Canonicorum, quàm Clericorum Regularium, ubivis existentium institutis, & non solum Ordinibus Monasticis, Regularibus Mendicantium, & quibuscunque Congregationibus, & præcipuè Clericorum Regularium, infirmis ministrantium, & Congregationis Sanctissimi Salvatoris Lateranensis, Sancti Salvatoris de Bononia, ac etiam Sancti Russi Valentiæ, & Sanctæ Crucis Conimbriæ, Clericorum Regularium de Sommascha, & Pauperum matris Dei, & scholarum piarum, ipsisque Monasticis Congregationibus, etiam Cæsinensi, alijsque Monachis, & Monasterijs Sancti Benedicti, Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, Conventui Beatæ MARIÆ de Guadalupe, nec non Societatis IESV, ipsisque Carthusiensium, & Præmonstratensium, & reformatorum Cistercienstium, Servitorum, Olivetanorum Ordinibus, alijsque familijs, & societatibus Regularibus, militijs, Hospitalibus quibuscumque, & pijs locis Regularibus, ac quibuscumque personis, nunc, & pro tempore existentibus, præfatorum, & quorumlibet Ordinum per nos, & Sedem Apostolicam, ac alios quoscunque Prædecessores nostros Romanos Pontifices, nec non S. R. E. Cardinales, & de latere legatos, & quosvis Sedis prædictæ Nuncios, vel etiã tã Apostolicâ prædictâ quàm*

Ordi-

*Ordinariâ, & Regiâ, vel Imperiali, authoritatibus respectivè aut aliàs quomodolibet, quibuscunque verborum expressionibus, & tenoribus in genere, vel in specie, ac particulariter tam per modum communicationis, ac ampliationis, quàm simplicis, & individuæ, ac particularis, & specialis concessionis, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ plenitudine potestatis etiam iteratis vicibus: Concessis hactenus, vel confirmatis, aut approbatis, & quibus illi tam in vita, quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet de jure, usu aut privilegio, vel consuetudine, quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, quamvis illa sint speciali notâ digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, non solùm per participationem, communicationem, illorum extensionem, & ad illorum instar, sed specialim, & nominatim pariformiter, æquè principaliter in omnibus, & omnia absque ulla prorsus differentia, perinde, ac si dicta Congregationi illiusque Capitulis Generalibus, Ministro Generali pro tempore existenti, illiusque superioribus, & personis prædictis, specialiter, expressè, & nominatim etiam per viam, & modum simplicis, & individuæ, ac particularis, & specialis concessionis, etiam motu proprio, & de certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis concessa fuissent.* Et idem concedit pro sæcularibus visitantibus eorum domos, Ecclesias, & capellas quòad quascumque Indulgentias lucrandas. Sed addit, *quatenus tamen sint in usu, & non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa*, uti, frui, potiri, & gaudere possint non obstantibus, &c. & licet nullam faciat mentionem expressam Tridentini, sufficienter intelliguntur in sua vi, quæ per ipsum Concilium revocantur, & sic eadem est hæc restrictio, ac sunt aliæ relatæ.

14. Sed cupio intelligere, id quod 434
in parte præservativa, tam hujus Bullæ, quàm alterius nobis concessæ, & aliarum similium, ubi additur, §. 3. *Easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices, pro tempore existentes, sedemque prædictam, sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis, & decretis pro tempore factis, minimè comprehendi, vel confundi, sed semper, & perpetuò ab illis excipi, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum, ac validissimum statutum, restitutas, repositas, & plenariè redintegratas, & de novo etiam sub quacumque posteriori data, quandocumque eligenda, concessas esse, & fore.* Hoc est, quod non intelligo, & desidero in hac parte edoceri; nam vel per istam clausulam ligantur manus successorum Pontificum, ad derogandum huic privilegio, & hoc non potest dici, ut notissimum est; vel non ligantur, sed remanet in eis potestas derogandi. Si ergo manet, ut revera manet, suppono, quod Pontifex Successor, v. g. Sanctissimus D. noster, *Alexander VII.* revocat, cum omnibus requisitis, hoc privilegium, certè manebit revocatum, à quo inquiro;

ro; restituendum est in pristinum statum? A Pontifice concedente, nempè *Vrbano VIII?* hoc non, quia migrando è vita expiravit sua potestas revalidandi privilegia revocata à suis successoribus, etiam si de novo miraculosè resurgeret; non ab alio (Romano Pontifice excepto) quia hoc non potest fieri, nisi delegando illi talem potestatem, v. g. ipsi Religioni, vel Generali illius: Sed hoc est inauditum; imò impossibile, aliàs darentur de facto duæ potestates Pontificiæ Supremæ in Ecclesia, una ad revocandum, & alia ad renovandum, toties quoties revocentur, quod est plusquam falsum.

Addo, quod si Pontifex absolutè cum omnibus clausulis requisitis revocaret hoc privilegium, & cum omnibus contentis in illo, necessariò etiam revocaret dictam clausulam, & sic periret totum ædificium; quia destrueretur ejus fundamentum, unde ignoro, quid speciale per dictam clausulam concedatur, nisi aliqualem majorem firmitatem, & expressionem antecedentium.

435. 15. *Vrbanum VIII.* sequutus est *Innocentius X.* Pamphilius dictus, creatus 15. Septembris, & coronatus die 4. Octobris anno 1644. Hujus Pontificis vidi tantùm unicam confirmationem Privilegiorum Regularium, sed cum clausulis restrictivis, de usu, & revocatione à Tridentino. De præsente autem Romano Pontifice *Alexand. VII.* creato die 7. Aprilis anno 1655. nihil novum de hac re vidi. In quo non præcipiat decreta Trident. custodiri.

16. Vidisti, candide Lector, seriem, & varios modos concessionum, innovationum, extensionum, & confirmationum pro Regularium privilegijs, à tempore confirmationis, & publicationis Concilij Tridentini? Attentè, & sincerè perpende ea omnia cum dicendis, & non otiosum, nec inane judicabis laborem, in supradictis summariè referendis, afferent enim huic intricatissimæ difficultati, non mediocrem lucem.

436. 17. At nota *primò*, quod quando Romani Pontifices utuntur illis duabus clausulis restrictivis, Canonibus, & decretis Concilij, quod non loquantur de decretis contentis in alijs juribus extra Tridentinum, v. g. Decreto, & Decretalibus aut similibus, sed de inclusis in ipso Tridentino, aliàs nihil concederent Pontifices in suis Bullis pro Regularibus, quia vix invenientur privilegia (indulgentiis exceptis) quæ vel in toto, vel in parte non contrarientur juri communi, & sic esset otiosa talis confirmatio, & innovatio privilegiorum, quod non est, nec suspicandum, & constat ex diversis modis loquendi Pontificum, nam licet aliqui apposuerint illas clausulas generales geminatas, alij tamen posuerunt solùm decreta, ut fecit *Sixtus V.* pro Minoritis, & *Gregor. XIV.* pro Cisterciensibus, ut *supra*: Ergo quia loquebantur tantùm de contentis in Tridentino. Ita Sorbus in *Compendio privilegiorum Mendicant.* verb. *Privilegium fratrum*, vers. *Est etiam advertendum*, Rodrig. *Tom. 1. qq. Regular. q. 8. art. 8.* Mirand. *Tom. 2. manual. Prælat. q. 12. art. 15. in respon. ad argum.* desumpt. ex Bulla *Gregor. XIII.* Hieronym. Rodrig. *in Comp. resolut. 116.* de privileg. *num. 16.* vers. *Quartum resolvo*, Nald. in *summ.* verb. *Clausura*, vers. Dummodo, Diana *3. p. tract. 2. de dub.*

*regul. resolut. 59. in fine*, verb. *Notandum*, Donat. *tract.* 11. *q.* 14. *n.* 4. & 5. & communiter alij.

437. 18. *Secundò* nota, quod illa particula *Canones*, adjuncta illi *Decretis Tridentini*, non indicat Canones ipsius Concilij, quia contra Canones nullum est privilegium, neque potest esse cum in Canonibus Concilij definiantur, seu exprimentur res de fide. Significat ergo idem, quod decreta, nam verbum *Canon*, largè sumptum, idem est, ac *regula, statutum, dispositio*, seu *decretum*. Unde decreta per Gratianum collecta, Canones appellantur, & *Cap. primo, de Constit.* præcipitur, ut custodiantur Sacri Canones, ideſt, statuta, seu decreta Pontificum, & contra verberantes Clericos stat pœna Canonis, ideſt, excommunicationis à Canone, seu à jure lata, *Cap.* si quis suadente diabolo 17. *q.* 4. & incipit: *In omnibus Canonibus Canonicè vivant*. Nec est inconveniens, ut geminentur diversa verba, idem significantia, nam frequenter hoc videmus in Bullis Pontificum concedentibus, seu confirmantibus privilegia, uti, *fruantur, potiantur, & gaudeant*, & sunt synonoma, quæ idem significant, & ideo, ut diximus, aliqui Pontifices omittunt verbum *Canones*. Sic Bordonus *Resolut.* 52. *n.* 313. Donat. Dian. & ferè omnes *supra* relati.

438. 19. *Tertiò* nota, quod quando Pontifex confirmans privilegia, dicit; *Dummodo non sint contra Concilium Tridentinum*, non intendit revocare privilegia contraria statutis Concilij Tridentini, sed solùm illa, quæ illi sunt contraria, & expressè revocata ab ipso Concilio, & propterea illa clausula revocatoria Concilij, *Non obstantibus Privilegijs*, additur interdum, & interdum non; ut patet ex *sess.* 12. ubi posuit clausulam revocatoriam, ut nullus ordinetur ante legitimam ætatem, quam non apponit *sess.* 23. *cap.* 8. cum decreto, extra tempora; sic Rodrig. *Tom.* 1. *q.* 8. *art.* 6. dicens: sic fuisse responsum à Doctoribus Salmanticensibus; tenet etiam Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 18. *num* 18. *ad fin.* Portel. *verb.* Privilegiorum confirmatio, *n.* 31. Castro Palao, *p.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *num.* 2. §. 10. *in fin.* Peirin. *Tom.* 2. *ad const. Gregorij* XIII. *n.* 3. Tambur. *de jur. Abbat. Tom.* 1 *disp.* 18. *qq. clausula* 1. *num.* 3. Merola *disp.* 6. *c.* 5. *num.* 20. cum alijs.

439. 20. Itaque sentiunt isti Authores (licet aliqui oppositum sequantur) quod quæcunque privilegia, quæ non revocantur expressè à Tridentino, non manent revocata, ex vi illius clausulæ, imò potius manent confirmata, ut diximus *disp.* 6. *sect.* 1. *num.* 33. & dicemus *infra*, quia revera in tali clausula, *Dum non sint contraria Tridentino*, appositа à Pontificibus in suis confirmationibus, seu novis concessionibus, nec verbum adest, ex quo aliqua revocatio inferri possit, sed solùm non revalidare privilegia, quæ opponuntur expressè revocatis in Tridentino; & sic est restrictiva tantùm, quòad illam partem, sed confirmativa quòad aliam, ex regula communi, *infra* referenda. Nam dicere, confirmo omnia privilegia, dummodo non sint contraria Decretis Tridentini, facit hunc sensum: Si aliqua privilegia dantur contra Tridentinum, non illa confirmo, sed abstineo à confirmatione talium privilegiorum; at si fortè

aliqua

aliqua inveniantur, post promulgationem Tridentini, ab aliquo Pontifice concessa, ego non denuo confirmo, nec tamen revoco, quia non confirmare, non est revocare.

Hanc doctrinam destitutus authore, sed ductus ratione, prius apud me cogitaveram, sed postea lætus inveni eam traditam à P. Merola *Tom. 3. de leg. disp. 6. cap. 4. dub. 1. n. 36.* ubi reddens rationem illius ait, quod valor privilegij, prius acquisiti, non pendet à posteriori confirmatione. Aliud enim est revocare, aliud nolle confirmare de novo; per quod nullo modo læditur, quod antea confirmatum, & validum erat. Sic sentit etiam sapientissimus noster *Vrbanus ab Ascensione* in sua Theologia Morali *tract. 2. cap. 3.* de confirmatione privileg *Regul. 7. §. 4. Superadditur*, ubi latè, & doctè probat intentum, & *reg. 8. sequenti*, adducit in confirmationem varia exempla, & declaratio nem sacræ Congregationis Concilij; sequitur etiam Portel, *verb.* Privilegium, *num. 16.* universaliter loquendo. Quæ doctrina pro dicendis *infra* est valde notanda.

440. 21. Dices, si per dictam clausulam, nihil revocatur: ergo superfluè adhibetur, siquidem sine illa intelligerentur revocata privilegia, quæ expressè revocantur à Tridentino, quia, ut diximus *supra*, ad derogandum decretis Tridentini (quæ habent clausulam derogatoriam privilegiorum) requiritur, ut fiat de illis saltem generalis mentio per clausulam, *Non obstantibus revocationibus Conciliorum Generalium*, dixi *saltem*; nam plus requiritur in Tridentino, ut diximus *disput. de revocat. sect. 3. & 4.*

22. Concedunt Rodriguez, & alij 441. quod etiamsi illa clausula non apponeretur expressè, intelligeretur apposita implicitè; negant tamen, quod superfluè, & otiosè apponatur, ex varijs rationibus. Primò, ait Rodriguez, quod utiliter apponitur ad firmandam regulam in contrarium, idest, ut intelligerentur confirmata à Tridentino, quæcunque privilegia contraria alijs Concilijs, juxta regulam multorum Doctorum dicentium, quod in generali concessione potestatis absolvendi à peccatis, non veniant casus reservati, similiter quamvis per confirmationem in forma communi non restituantur privilegia invalida, vel amissa, seu revocata, nihilominus si in tali confirmatione addatur exceptio unius privilegij, aliàs invalidi, revocati, aut amissi; eo ipso intelligitur mentem confirmantis esse, confirmare omnia alia, etiam si essent amissa, vel irrita, vel revocata, quia exceptio firmat regulam in contrarium, in casibus non exceptis, ut docet Bald. *in feud. tit.* per quos fiat investitura, *Cap 1. num. 2. & l.* Tribunus, *§. ult. ff. de milit. testam.* quem allegat, & sequitur Jason *in l. ult. ff.* quod quisque jur.

23. Neque obstat dicere, quod ex 442. hac solutione sequitur, quod magis extensa reddatur confirmatio privilegiorum, cum illa clausula, quam sine illa, quia cum illa solum excipiantur revocata expressè à Tridentino, & confirmantur omnia alia, & sine illa omnia Concilia Generalia intelligerentur excepta, consequens verò videtur falsum. Sed Rodrig. Portel. & alij *supra* relati liberè concedunt, & etiam Barbosa de clausulis, *claus. 124. num. 3. & 4.* cum

aliis, quod hæc clausula ad hunc tantùm finem apposita est, ut servatis illæsis, quæ expressè revocantur à Tridentino, cætera omnia privilegia, etiam contra disposita in Conciliis Generalibus, intelligantur ab ipso confirmata, & revalidata. Unde, ut diximus *notabili tertio* in tali clausula nulla revocatio includitur, sed servatum tantùm manet Tridentinum, in his quæ expressè revocat.

443. 24. Aliam solutionem exhibet P. Suar. *cap.* 19. *n.* 7. dicendo illam exceptionem positam esse à Pontificibus, quia voluerunt omnino certas manere revocationes factas à Tridentino, quod non ita esset, sine illa clausula, quia cum illa non remanebat locus opinionibus, & interpretationibus diversis. Si enim, ut vidimus *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 21. multi, & graves Authores sentiunt, quod per clausulas generales post Tridentinum, derogatur omnibus contentis in decretis ipsius Tridentini, licet hoc negent, de decretis aliorum Conciliorum, propter ibi dicta de remissione facta ab ipso Concilio Summis Pontificibus, circa statuta in Tridentino. Igitur, ut obviaret huic, & similibus interpretationibus necessarium fuit apponere dictam clausulam, ut sacrum Concilium indemne servetur, in his, quæ revocat.

444. 25. Instabis adhuc, quod aliqui Pontifices exprimunt in suis Bullis se confirmare privilegia, quæ non sunt sub ullis revocationibus comprehensa, & postea addunt, *nec sint decretis Concilij Tridentini contraria*, sic fecerunt *Gregor. XIV.* in Confirmatione privilegiorum pro Clericis Ministrantibus infirmis, & *Clemens VIII.* pro confirmatione privilegiorum Benedictinorum Vallisoleti, & Præmonstratensium; sed per prima verba generalia excipiuntur etiam privilegia revocata à Tridentino: Ergo per secunda verba excipiuntur quælibet decreta Tridentini, & sic revocata manent omnia privilegia, ex vi dictæ clausulæ in 2. part. verborum appositæ. Sic sentiunt non pauci dicentes; per illam clausulam: *Dummodo non sint contraria Tridentino*; derogari omnibus privilegiis, quæ quovis modo decretis Tridentini contrariantur, & ideo dicunt, quod solùm ad hoc declarandum Pontifices addiderunt, *Quatenus Concilio Tridentino non contrariantur*, ut fecerunt *Gregor. XIV.* in confirmatione privilegiorum Ordinis Crucigerorum, ministrantium infirmis, & aliorum, ut vidimus in hac *sect. à num.* 4. Quod etiam fecerunt alij Pontifices, ut *ibi* dicitur, & refert Hieronym. Rodr. *resolut.* 116. *n.* 8.

445. 26. Sed respondetur persistendo in resolutione nostræ sententiæ, per ea, quæ respondet Suarez *supra*, quod licet confirmatio *ex certa scientia* habeat vim restituendi privilegia amissa per non usum, vel contrarium usum, nihilominus aliqui Pontifices confirmando aliqua privilegia *ex certa scientia* addiderunt *etiam si in usu esse desierint*, ut fecit *Gregor. XIII.* in Confirmatione pro Cisterciensibus, teste Rodriguez *ubi supr.* Unde sicut hic, illa verba addita, ex eo, quod sunt quasi repetita, seu repetitio priorum, non judicantur otiosa, sed ponuntur majoris explicationis gratia, & majoris roboris, sic in nostro casu,

omnia

omnia alia verba diversa unum finem respiciunt, nempe, quòd quæcunque opponuntur derogatis à Tridentino, intelligantur firma in suis derogatoriis, ut præcludantur effugia omnium interpretationum.

446. 27. Et quòd hæc fuerit mens Pontificum apponentium illas clausulas geminatas, firmari potest ex confirmatione suprà relata ab *Vrbano VIII.* pro Patribus Trinitariis Discalceatis, addendo: *Quatenus tamen sint in usu, & non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa*, nihil dicens de Tridentino, quia judicavit, quòd si adderetur clausula, nec sint contraria decretis Tridentini, relinqueretur locus opinandi probabiliter, quòd solùm in illis clausulis continebantur revocata in Tridentino, & sine illa cum solis, quæ ibi apponit, exprimebantur quæcunque privilegia, quæ non erant in usu, vel sub aliqua revocatione comprehensa, sive in Tridentino, sive extra; unde communicatio & confirmatio hujus Bullæ pro Trinitariis, & similium, minus amplæ sunt quòad hoc, quàm aliæ multæ.

447. 28. Habes ex dictis in tota hac sectione, quibus clausulis restrictivis usi sunt Pontifices in confirmationibus, seu concessionibus privilegiorum, & quomodo per eas nihil intenderint revocare, sed solùm coarctare & restringere quoad ea, quæ expressè in Tridentino fuerunt revocata. At quia circa clausulam: *Dummodo sint in usu*, nihil diximus, audi quid dicit P. Suarez *cap.* 18. Non enim ei placet intelligentia Rodrig. *Tom. 1. quæst. 8. art. 1.* qui accipit eam universaliter, ita ut per restrictionem saltem significetur Pontificem solùm velle confirmare privilegia, quæ sunt in viridi observantia, ac suum valorem retinent, non autem illa, quæ ex quacunque causa invalida sunt, sive per revocationem, sive per aliam causam, quod Suario non placet; sed ait, quòd intelligenda est de sola illa nullitate, quæ per non usum, vel per contrarium usum inducta est, quia in rigore hæc tantùm significant verba: *Quatenus sunt in usu*, quare alia privilegia, quæ suum valorem amiserunt per revocationem, censentur manere confirmata.

448. 29. Addit tamen postea Rodrig. *quæst. 20. art. 28.* quem sequitur Portel. verb. *Privilegium, num. 62.* quòd quando privilegia confirmantur *ex certa scientia* absque dicta clausula, ut fecit *Sixtus V.* in confirmatione pro Minoritis, manent confirmata etiam, quæ non erant in usu, vel erant deperdita per contrarium usum; secus si non apponatur clausula, *ex certa scientia*; sed addit Portel. quòd sui Ordinis privilegia cum clausula, *ex certa scientia*, sunt confirmata à septem Pontificibus, nominatis à se *ibi*. Recolantur quæ diximus de amissione privilegiorum per non usum, vix enim reperiri poterit privilegium, quod ex hac parte inveniatur: deperditum. De aliis autem clausulis, quæ solent apponi in confirmatione, seu concessione privilegiorum, sufficienter constat ex dictis, quomodo intelligendæ sunt.

## SECTIO III.

*An hodie quòad forum conscientiæ habeant valorem privilegia revocata etiam expressè à Concilio Tridentino?*

449. 1. QUæstio æquè gravis, ac utilis est, sed non minus difficilia sunt fundamenta, tam intrinseca, quàm extrinseca, quæ pro utraque parte affirmativa, & negativa inveniuntur in Authoribus.

2. Et quidem loquendo de revocatis extra Tridentinum, sive in jure communi, sive in aliis Conciliis Generalibus, partem affirmativam tenent omnes Authores sentientes per Tridentinum solùm revocari, quæ in eo expressè revocantur, & cætera omnia ab ipso Concilio confirmari; quos retuli *Sect. 2. anteced.* & constat ex *ibi* dictis, & ex diversis privilegiis *ibidem* & *alibi* adductis, quæ quia facilè possunt videri in Bullario, & Authoribus, ideò ab eis abstineo.

450. 3. Tota ergo difficultas sita est in privilegiis expressè revocatis à Tridentino, videlicet, an hodie ex aliquo vivæ vocis oraculo, vel ex alio capite sint in sua vi, saltem pro foro conscientiæ? Negant multi ex revocatione facta à *Gregorio XIII.* in sua Bulla: *In tanta rerum & negotiorum mole*, relata suprà *sect. 1. num. 1. hujus disp.* per quam sentiunt isti Authores, quòd revocavit Bullam *Pij V.* cum omnibus ab eo concessis in favorem Religiosorum, sub quibuscunque formis, etiam vivæ vocis oraculo; ait enim Gregorius: *Quin etiam abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, & quacunque alia ipsis litteris, & constitutionibus oppositа* (intellige à *Pio V.* suo Antecessore) *& aliàs eorum occasione, vel causâ facta, huic nostro statuto, ordinationi, & reductioni contraria.* Non ergo ex tunc valorem potest habere aliquod privilegium, seu oraculum contra revocata in Tridentino. Tenent sic Ludovicus Lopez *part. 1. instit. cap. 8.* Miranda *Tom. 2. quæst. 42. art. 3.* & expressius *Tom. 1. quæst. 39. art. 1. conclus. unic.* Joan. de la Cruz *lib. 8. cap. 3. dub. 3. conclus. 3.* Basseus *verb.* Privilegium, *num. 64.* & Merola *disp. 6. cap. 5. dub. 1. num. 39.* ubi ait: Quidquid sit de his opinionibus, certum est hodie non posse Regulares uti, nec in foro conscientiæ supradictis privilegiis, quia *Gregorius XV.* & *Vrbanus VIII.* omnes concessiones à Summis Pontificibus vivæ vocis oraculo factas revocârunt.

451. 4. Nihilominus alii multi defendunt, posse hodie Regulares uti suis privilegiis etiam expressè revocatis à Tridentino pro foro conscientiæ.

5. Probant primò, quia Constitutio revocatoria *Gregorij XIII.* loquitur solùm de concessis à *Pio V.* contra disposita, & ordinata in Tridentino, non utcunque, sed prout ex illis litigia, & perturbationes inter Episcopos & Regulares poterant oriri in foro externo, ut constat ex verbis proœmii dictæ Constitutionis *Gregorij*, in quibus mens Papæ maximè dignoscitur, ut suo loco probavimus, nempè *disp. 1. sect. 3. num. 2.* ait igitur: *Demum animadvertens, quòd ea omnia multis dubitationibus involuta, magnisq; difficultatibus*

*bus obstructa, multas, magnasq; dissensiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & Fratrum ipsorum Ordines, non sine gravi divini cultûs, & animarum detrimento, ac populorum scandalo concitaverant*, &c. Hæc *Gregorius* in sua revocatoria, mentionem faciens de illa Bulla reformativa, quam posteà voluit publicare *Pius V.* sed nunquam publicavit.

452. 6. Cùm ergo usus prrvilegiorum Mendicantium in foro conscientiæ secreto cum prudentia & circumspectione exercitus, nec magnam, nec parvam litem inter prædictos excitare possit, ut ait P. Donatus *infrà* referendus, & suprà dicta fuerit causa finalis revocatoriæ *Gregory XIII.* ex qua debent interpretari privilegia amplè, vel strictè, ut habetur *Cap.* Cum cessante, *de appellat.* & probavimus *disp. 1. sect. 3. num. 2.* firmum fundamentum præbet dictum proœmiũ intelligendi, seu interpretandi Bullam revocatoriã *Gregorij*, ut loquatur solùm de foro, externo, non verò de foro conscientiæ occultè exercito, ex quo lites, & scandala non oriuntur, sed maxima consolatio animarum, & sic tenent Enriquez *lib. 7. de indulg. cap. 24. num. 8.* & *lib. 13. de excommunicat. cap. 40. num. 2.* Rodrig. *Tom. 3. quæst. 15. art. 6.* Thom. Sanch. *Tom. 2. summ. lib. 5. cap. 4. num. 16.* Vega 4. *p. casu* 38. Comp. Soc. *verb.* Concilium Tridentinum, §. 3. Capuccinus in Compend. 1. *p. fol. mihi* 68. Joan. Præpositus 3. *part. quæst. 83. art. 3. num. 151.* Bartholom. à S. Fausto in Thesauro Relig *lib. 5. quæst. 167. num. 2.* & dicit esse multorum Doctorum, probabilemque reputant Portel. *verb.* Privilegium, *num. 64.* & Diana *de dub. regul. resol. 59.* Et quod mihi magni ponderis est, quòd hanc opinionem est sequutus P. Petrus à Conceptione, nostræ reformatæ familiæ vir doctissimus, & valdè prudens ac timoratæ conscientiæ, in manuscriptis, quæ ego ab ipso accepi, & vidi, qui in nostra Carmelitana reformata Familia per 30. annos & amplius Cathedram sacræ Theologię summa cum laude occupavit Salmanticæ, & Compluti, & plenus dierum & meritorum in ipso exercitio litterario è vita migravit, cum magna sanctitatis opinione.

453. 7. Potest confirmari ex instantia adducta ab his Authoribus ex privilegio Bullæ *Pij V.* die 23. Augusti 1570. quod ad litterã referunt Rodrig. *ubi suprà*, & in Bullario ad *Constitutionem Pij V.* Passarell. citatus à Rodrig. *Ibidem.* Tambur. de jure Abbatiss. *disp. 4. quæst. 6. num. 14.* & alii, ubi concedit Pontifex Monialibus Ordinis Prædicatorum, ut Novitiæ in articulo probabili mortis constitutæ, possint emittere professionem solemnem in manibus Abbatissæ, seu Prioriss æ, etiamsi annum novitiatûs non expleverint, dummodo habeant ætatem requisitam, nempe annos 16. quo privilegio gaudent aliæ Religiones participantes in privilegiis, & non solùm fœminæ, sed etiam viri, ut docet Faustus *ubi suprà num. 1.* cum aliis. Quæ concessio est expressè contra Tridentinum *sess. 25. cap. 15. de Regularibus*, & cum revocatione omnium privilegiorum, & *Cap. 22.* annullat professionem, quæ non fit post annum expletum probationis, & nihilominus præfati Doctores sentiunt esse in sua vi privilegium suprà dictum *Pij V.* contra

Tri-

Tridentinum ; nec revocatum fuisse à *Gregorio XIII.* quia ejus revocatio solùm intelligitur de his, quæ lædunt jurisdictionem Episcoporum, quod non habet professio Novitiorum, quantùm ad integritatem Novitiatûs.

454. 8. Et quàmvis aliqui ex præfatis Authoribus sentiant talem professionem esse irritandam, si Novitius redeat ad pristinam salutem, Sanchez tamen & Bartholomæus à S. Fausto, & alii multi defendunt, quòd talis professio sit absolutè & undequaque valida; supposito dicto privilegio, eodem modo, ac sunt aliæ professiones, ac perinde non indigere aliquâ repetitione, seu renovatione, si Novitius supervivat. Unde hæc sententia non potest negari, quòd sit probabilis, ob authoritatem tantorum Doctorum, & hoc absque recursu ad vivæ vocis oraculum, de quo jam dicam.

455. 9. Alii Doctores probant hanc eandem sententiam ex alio fundamento, nempe ex vivæ vocis oraculo *Pij V.* relato à Rodrig. *Tom. 2. Bullarij* ad fin. Bullæ *Pij V.* & à *Comp. Societatis*, tit. *de Concil. Trid.* §. 3. sub an. 1566. die 13. Martii, & servatur ejus copia authentica (ut refertur) in archivio S. Joannis Regum Toletanæ civitatis, in quo concedit Patribus Minoritis, ut uti possint omnibus suis privilegiis, etiã revocatis à Tridentino pro foro conscientiæ tantùm, quod extenditur ad cæteros Religiosos, propter mutuam privilegiorum communicationem; & cùm in probabilissima sententia Innocentii *Cap.* Constituturus, *num.* 2. Felin. *Cons.* 6. Lezan. *Tom. 1. cap. 3 num. 21.* Peirin. *Tom. 1. privileg. ad constit. 17.* Julii II. & aliorum, sub nomine privilegii, saltem in odiosis, non comprehendantur Oracula, quia in rigorosa significatione verborum, privilegium non significat oraculum, non mansit revocatum dictum *Oraculum Pij V.* per Bullam *Gregorij*, quia de Oraculis non facit expressam mentionem in sua Bulla revocatoria, quod erat necessarium, ut revocata intelligerentur, juxta Doctores allegatos, quos sequitur P. Hinojosa in *directorio decis. regul.* verb. *Confirmatio gratia, decis.* 4. & alii referendi *infrà disp.* 8. de Oraculis, *sect.* 4.

456. 10. Sed objicies, quòd omnia Oracula revocavit primò *Gregorius XV.* sub annum 1622. die 2. Julii, Bullâ incipiente: *Romanus Pontifex in specula*; & postea *Vrbanus VIII.* confirmavit & ampliavit eandem revocatoriam, in sua Constitutione, an. 1631. die 20. Decembris, ubi cùm *Gregorius* reliquisset in sua vi Oracula authentica, manu alicujus Eminentissimi Cardinalis subscripta, vel concessa ad instantiam Regum: omnia ista revocavit *Vrbanus*, licèt postea *Const.* 29. in appendice Cherubini, incipiente: *Aliàs felicis recordationis*, in hoc temperamentum adjecerit, de quo *infrà disp.* 8. *sect.* Ergo hodie nihil valet Oraculum *Pij V.* relatum, & similia, licèt sine his revocationibus valerent, per doctrinam traditam.

457. 11. Diversimodè intendunt aliqui hanc difficultatem evincere. P. Donatus tetigit eam *Tract.* 11. *quæst.* 17. *art.* 20. & postea *Tract.* 16. *quæst.* 1. & 8. & in utroque loco insinuat duplicem solutionem. Primam, quòd Oraculum *Pij V.* fuit tantùm pro foro conscientiæ; at revocatoriæ *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.*

VIII. cùm fuerint generales, non comprehendunt forum conſcientiæ, quia veluti odioſæ debent reſtringi ad ſolùm expreſſa. Unde ſicut multi relati *ſuprà* tenent probabiliter, quòd ſub revocatione generali privilegiorum per Bullam, non veniunt Oracula, niſi exprimantur, ex eo, quòd ſub nomine privilegii rigoroſè ſumpti, non ſignificatur Oraculum, ſicut ſub revocatione Oraculorum non cadunt Oracula, quę ſolùm forum conſcientiæ reſpiciunt, niſi exprimantur. Sed hæc ſolutio pro caſu præſenti aliqualem patitur difficultatem: quia tam *Gregorius XV.* quàm *Vrbanus VIII.* videntur loqui de omnibus Oraculis, tam pro foro interno, quàm pro foro externo, ut ex ipſis videtur conſtare. Nec alia ſolutio, quàm adhibet *ibidem* Donatus ex Portel. videlicet, quòd *Vrbanus VIII.* revalidavit omnia Oracula pro foro conſcientiæ, habet fundamentum, quia non invenitur tale Oraculum *Vrbani VIII.* unde Portel. cui innititur Donatus, poſtquàm hoc dixerat, ex quadam relatione privata, *Tom. 1. reſponſ. in fine.* Poſteà *Tom. 2. reſponſ. etiam in fine*, ſuam retractavit ſententiam, quia re melius inſpectâ, invenit non habere firmum fundamentum, ut videri poteſt in ipſo. Nec potui invenire hucuſque Authorem, neque in Romana Curia ferè per octo annos exiſtens, tale quid audivi, quàmvis ſolerter inquiſiverim, qui hunc modum dicendi ſequatur, & ſic omninò rejiciendus videtur, non enim hoc unquam conceſſit *Vrbanus VIII.*

458. 12. Alii dicunt, quòd Oracula, quæ jam ſortita ſunt ſuum effectum, licèt habeant tractum ſucceſſivum, expreſsè excipiuntur à *Gregor. XV.* in ſua revocatoria, & quàmvis hoc nò exprimat in ſua Bulla *Vrbanus VIII.* videtur talia Oracula excipere, quia juxta mentem *Gregorij XV.* in iis, quæ non expreſſit *Vrbanus*, ſe conformare intendit revocatoriæ Gregorii. Ita Lezana *Tom. 1. ſumm. cap. 2. num. 21.* Peirin. *Tom. 3. privileg. ad Conſtit. 18. Vrbani VIII.* Navar. in Lucerna Regul. *verb.* Privilegiũ, *num. 4.* Donatus *Tract. 16. q. 5. n. 7.* P. Leander Trinitarius reformatus *Tract. 9. de Matrim. diſp. 24.* qui probant ſic fuiſſe declaratum à ſacra Congregatione Regularium ad inſtantiam R. Patris Molinę Ordinis Prædicatorum. Quam declarationem inter alios adducunt Peirinus *Tom. 2. privileg. ad Conſtit. 3. Gregorij XV.* & P. Caſtellinus *de election. Canon. cap. 5. n. 37.* & nos *infrà diſp. 8. ſect. 3.* Quâ doctrinâ ductus P. Leander relatus intendit probare, quòd Religioſi poſſint diſpenſare cum conjuge impedita ad petendum debitum, vel ex voto caſtitatis, vel ex affinitate contracta ex copula cum conſanguinea uxoris, quia etſi privilegia hanc poteſtatem concedentia ſint vivæ vocis oracula, cùm jam fuerint ſortita ſuum effectum, & habeant tractum ſucceſſivum, & reſpiciunt effectum pro tempore futuro, non ſunt revocata, neque à *Gregorio XV.* neque ab *Vrbano VIII.*

Quæ doctrina meo videri fundatur in alia, quam tradit P. Donatus *Tract. 16. q. 4. de Oraculis, n. 2.* ubi ait: *Verùm quia reperiuntur quædam indulta, gratiæ, & facultates, oraculo vivæ vocis conceſſa, quæ etſi ſint adepta actum primum, & primarium effectum, non tamen ſortita ſunt actum ſecundum, & effectus*

*fectus omnes secundarios, successivè futuros, & totales, videlicet, si quis Oraculo vivæ vocis habeat facultatem absolvendi omnes ad se accedentes, vel à reservatis, vel dispensandi in voto, nihilominus hucusque respectu aliquorum prædictâ facultate non est usus: & ipsa gratia concessa, & acceptata, dicitur actus primus, vel primarius effectus; actus verò secundus erit actuale exercitium ejusdem potestatis: & per primum reputatur absolutè gratiam sortitam fuisse suum effectum primarium, nempe per acceptationem, quod sufficit.* Hæc Donatus: & statim subdit, quòd à Religiosis sui Ordinis propositum fuit sacræ Congregationi Regular. hoc dubium: *An vivæ vocu oracula, quæ habent tractum successivum pro tempore futuro, comprehendantur sub revocationibus* Gregorii XV. & Urbani VIII. & respondit, *quòd non, sed manent in sua vi,* ut per extensum refert Castellinus de electionibus canon. *cap. 5. num. 37.* vers. *Pro parte.* Petrin. *Tom. 2. privileg. ad Const. 3. Gregorij XV. num. 2.* Itaque videtur clarè sentire P. Donatus, & cum eo P. Leander citatus, quòd semel gratia facta per vivę vocis oraculum, & acceptata ante præfatas revocationes, sive fuerit reducta ad exercitium, sive non, quòad omnes actus pro futuris temporibus occurrentes, manet in sua vi, etiam post revocationes *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* fatetur enim, quòd præfatæ gratiæ sortitæ sunt jam suum effectum primarium, qui consistit in ipsa acceptatione, & sic poterit exerceri circa omnes actus pro futuris temporibus occurrentes, v. g. absolutiones, & dispensationes, & alia similia, aliàs non benè deduceret ex relato fundamento P. Leander, quòd Regulares possunt dispensare cum uxoratis impeditis in petitione debiti, ex vi oraculorum vivæ vocis, etiam post revocationes dictas.

Quæ doctrina sic latè intellecta, mihi non placet; ex ea enim sequitur, quòd revocationes Oraculorum *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* essent prorsus inutiles, & nullius momenti, quia cùm omnes gratiæ & facultates concessæ Religiosis ante ipsas revocationes per vivæ vocis oracula, sint acceptatæ, & multæ positæ in executione, quòad aliquos actus, si hoc sufficeret, ut dicatur quòd sortitæ sunt suum effectum, cum tractu successivo, pro futuris temporibus, & nullæ istarum sub relatis revocationibus clauduntur, quid est quod revocârunt dicti Pontifices, cùm nullum Oraculum inveniretur tempore revocationum, quod non esset acceptatum vel à Religionibus, vel à Religiosis, & per consequens, quòd tunc non fuisset sortitum suum effectum, saltem primarium, imò & ferè omnia, etiam secundarium, quòad aliquos actus, cum tractu successivo ad omnes futuros? Certè ego non invenio quid revocaverint. Unde sicut P. Leander colligit ex dicta doctrina, quòd Regulares possunt hodie uti potestate sibi concessâ per Oracula dispensandi in impedimento petitionis debiti, poterit ipse, & quilibet alius dicere, quòd possunt similiter uti Oraculis pro dispensationibus & absolutionibus sibi concessis à Summis Pontificibus ante dictas revocationes. Quod difficile videtur, & contra mentem *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.*

13. Non tamen improbo, sed potius 459.

tius approbo doctrinam à multis traditam de exceptione Oraculorum, quæ sortita sunt suum effectum; etiam cum tractu successivo, pro futuris temporibus; si intelligatur solùm de Oraculis, quæ in suo effectu principali unicum tantùm habent actum, licèt successivè transeuntem. Sit exemplum in Religioso, qui à Romano Pontifice obtinuit per vivæ vocis oraculum gradum Magistri, seu Præsentati. Iste talis gaudet gradu recepto, & præeminentiis illi annexis quandiu vivit, etiam post prædictas revocationes, siquidem effectus principalis est constituere graduatum in tali dignitate, & cum præeminentiis, honoribus & exemptionibus illi annexis, quibus per totã vitam gaudet, quia reputatur, & est unicus effectus, licet in exercitio non semper manifestetur ex defectu casuum occurrentium. Alia exempla ad ducam, quæ videnda *disp. ult. de Oraculis.*

460. 14. Præfata autem doctrina minimè currit in recipiente, v.g. potestatem absolvendi, seu dispensandi cum quolibet ad se accedente, sive cum aliquo, vel aliquibus exercuerit suam potestatem, sive non; quia respectu cujuslibet non absoluti, vel non dispensati, res est integra, cùm nullam connexionem habeat dispensatio, seu absolutio unius cum dispensatione, seu absolutione alterius. neque enim illa potestas habet tractum successivum per unicum actum, ut requiritur; unde adveniente revocatione manet revocata illa potestas respectu eorum, qui nõ sunt absoluti, seu dispensati. Quæ doctrina præterquàm quòd eam confirmabimus ex declaratione sacræ Congregationis *disp. ult. de Oraculis*, constare videtur ex verbis revocatoriæ *Gregorij XV.* ibi: *In ijs videlicet, quæ non sunt sortita suum effectum; tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus.* Quando ergo potestas conceditur ad plures actus inter se minimè connexos, seu dependentes, videtur necessariò concedendum, manere facultatem revocatam quoad illos actus, qui in executione, seu in effectu non sunt positi. Hoc enim exprimunt illa verba: *In ijs videlicet, quæ non sunt sortita suum effectum, apposita post omnia & singula indulta, facultates, privilegia, gratias, concessionesque.* Ecce quomodo clarè revocat hæc omnia in iis, quę non sunt sortita suum effectum: Ergo in his, quæ sortita sunt suum effectum, non cadit revocatio. Unde manifestè apparet esse verissimam doctrinam traditam: aliàs inutiles omninò forent revocationes *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* Sic sentiunt Bordon. *Tom. 1. Concilior. seu resolut. Regul. resol. 31. n. 8.* noster Lezan. *Tom. 4. summ. verb.* Oracula, *n. 6. circa finem*, malè intellectus ab aliquibus, & malè citatus pro opposita sententia, ubi meritò conqueritur hos non rectè percepisse id, quod de hoc puncto dixerat *Tom. 1. cap. 3. n. 21.*

461. 15. Aliud fundamentum pro dicta sententia potest desumi ex fine derogatoriarum *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* quo cessante cessat revocatio, ut diximus. Finis ergo *Gregorij* fuit, ut occurreretur abusibus, & variis difficultatibus ex privilegiis à Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpè concessis, ut ait *Vrbanus VIII.* in relatione revocatoria *Gregorij XV. §. 1.* Insuper addit ipse *Vrbanus* se moveri: *Quia sæpè ab his, in quorum*

*favorem vivæ vocis oracula emanârunt, minus Canonicâ interpretatione extendebant, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum, executioni mandabant.* Igitur quando cessant abusus, & difficultates, & cum prudente scientia, & matura deliberatione oracula exercentur, non manent revocata, neque à *Gregorio*, neque ab *Vrbano*, quod cùm ferè semper à viris doctis & prudentibus pro foro conscientiæ fiat, in sua vi remanebunt dicta oracula, præcipuè illud *Pij V.* nuper relatum.

462. 16. Ex quo fundamento colligit P. Donatus *Tract. 16. q. 7.* quòd oracula concessa Prælatis pro bono regimine Religionis, & salute animarum suorum subditorum, non comprehenduntur sub dictis revocationibus, quia Prælati non abutuntur Oraculis sibi concessis, neque sine magna prudentia & circumspectione illa interpretantur. Et sic fuisse declaratum à sacra Congregatione Regularium testatur Castell. *de elect. canon. c. 5. n. 37.* & ipse Donatus. Sed an hæc doctrina sustineri possit, & quomodo, dicemus *disp. 8. de Oraculis, sect. 8 à num. 1. usque ad 3.* inclusivè. Aliam rationem in favorem hujus sententiæ ministrabit doctrina Sectionũ sequentium, præcipuè *sect. 7. à n. 15.* videantur ibi dicenda.

( *Animadvertendum, quòd sententia, quam Author anno 1665. in prima hujus operis editione, cum Doctoribus ab ipso relatis, hac Sectione num. 4. & seqq. ut probabilem docuerat, nunc talis esse desinat, post emanatum die 18. Martij an. 1666.* Alexandri VII. *decretum, juxta propositionem 8. ejusdem decreti, qua hujus est tenoris:* Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum. *Hanc quippe eo decreto cum aliis 16. damnavit, atque inposterum doceri prohibuit.*

## SECTIO IV.

### *De diversitate confirmationum privilegiorum.*

1. PRO intelligentia supponi debet 463.
vulgaris distinctio duplicis confirmationis. Una dicitur, in *forma communi*, ut constat ex Cap. *Diversitatis*, de concess. præbend. Alia dicitur, in *forma speciali*, & communiter appellatur *ex certa scientia*, Cap. 1. *de transact.* ibi: *Plenissima notionis*, ubi id notat *gloss.* & in c. *Veniens*, eodem *tit.* Nec desunt qui sentiant, quòd nisi in confirmatione addatur verbum aliquod, quo declaretur mens Pontificis intendentis confirmare solùm in forma communi, v.g. confirmo privilegium *prout factum est, vel prout est in usu*, vel quid simile, confirmatio absolutè prolata censebitur perfecta, & valebit, sicut si esset ex certa scientia. Sic sentiunt Abbas, Joan. Andreas in Cap. Examinata, *de confirmat. util. vel inutil.* Alexander *cons. 54. n. 9. lib. 1.* & Bartol. *cons. 196. n. 2. lib. 1.* Sed oppositum tenendum est cum cõmuni sententia. Unde nisi in confirmatione inveniantur ea, quæ jam dicam, semper reputanda erit in forma communi, sic Suar. *lib. 8. cap. 18. num. 3.*

2. Supponendum est secundò, confirmationem privilegiorum posse fieri, 464.
uno modo, cum perfecta notitia eorum, quæ confirmantur; alio modo,

cum

cum sola cognitione confusa privilegij, quod proponitur confirmandum, ut antea concessum erat, sine alio examine, vel districtiore notitia illius. Quando igitur confirmatio fit priori modo, dicitur *ex certa scientia*: quando verò fit posteriori modo, dicitur in *forma communi*. Unde quando in ipsa confirmatione adduntur verba aliqua, quibus sufficienter significatur præcessisse examen, seu cognitionem perfectam, erit ex certa scientia: quando verò in confirmatione hoc non invenitur, erit in forma communi.

465. 3. Ut autem agnoscas hanc differentiam, adverte quod si in instrumento confirmationis inseratur totus tenor prioris privilegij confirmandi, tunc proculdubio confirmatio est ex certa scientia, quia agnoscit Pontifex totum negotium, & suam adhibet authoritatem, & voluntatem confirmandi, juxta Cap. *Venerabile*, de confirmat. util. ibi: *Et ad majorem rei evidentiam in litteris confirmationis, tenor compositionis inseritur*, ubi gloss. addit: *Illam confirmationem fuisse ex certa scientia, quia Papa cum omnia ea viderit, confirmavit*, sed tenor verborum non requiritur, cum in confirmatione ponitur clausula *ex certa scientia*, ut latè diximus, quia hæc clausula est sufficiens signum talis cognitionis; nam cum per eam Princeps affirmet se confirmare *ex certa scientia*, illud quod facit, illi credendum est; ita Panormit. & alij communiter, quos refert, & sequitur Felin. *Cap.* cum inter, *de except.* ubi à principio disputat latè hanc, & aliam quæstionem; an videlicet necessaria sint in rescripto formalia verba *ex certa scientia*, & Suar. *lib. 8. cap. 18. num. 6.* ait: Cum ipso Felino, quod non est necessaria clausula expressa; *ex certa scientia*, ut confirmatio dicatur talis; sed sufficere, quod ex aliis verbis ejusdem rescripti; seu ex narratis in illo, constet principem cum plena facti cognitione processisse; & sic sufficit clausula æquipollens illi, *ex certa scientia*, qualis est illa de *plenitudine potestatis*, quia per hanc clausulam significat Pontifex se velle operari, non tantùm secundùm commune jus; sed etiam supra, vel contra illud, quod non præsumitur facere, nisi *ex certa scientia* operetur, sic Suarez *ibidem* cum alijs. Et eâdem ratione ait, censetur sufficere clausula, *non obstante lege disponente in contrarium*, vel si dicat: *Non obstantibus quavis lege, statuto, consuetudine, & privilegio, quorum tenores pro expressis, &c.* quia tunc censetur uti plenitudine potestatis.

Similiter quoties est secunda jussio, seu geminatio rescripti, quia hæc geminatio habet vim certæ scientiæ; sic Decius *cons. 649. in fin.* Tusch. *Tom. 2. lit. C. conclus. 708. n. 41.* & alij, cum Merola *disp. 6. cap. 5. num. 5.* Donat. *Tract. 11. q. 5. num. 6.* Denique addit Suar. communiter hanc certam scientiam, intelligi de scientia facti, nam de scientia juris semper præsumitur in confirmatione, quæ fit *ex certa scientia*, quia Princeps habet jus in pectore, & illud ignorare non præsumitur, *Cap. 1. de constit. in 6.* Quod in privilegijs omnes admittunt, etsi non in omnibus rescriptis idem concedant, ut videri potest in Felin. *Cap.* nonnulli, *in 2. object. contra quartam fallentiam.*

4. Ex quibus facilè colligitur, quod 466.

quando in confirmatione nullum verbum sufficiens additur, ex quo constet, confirmationem processisse, habitâ plenâ notitiâ prioris privilegij, semper erit in forma communi, quæ nihil aliud est, quàm quædam simplex approbatio facti præteriti, neque ampliat, neque supplet defectus, si fortè inveniuntur in privilegio confirmando; neque validum reddit, quod erat nullum, ex qualibet causa: & ratio est, quia licet beneficium Principis sit latè interpretandum, non tamen ultra proprietatem verborum, sed verbum *Confirmo* purè prolatum, non est verbum donandi, nec faciendi aliquid de novo simpliciter: sed tantum approbandi, quod factum est, ut apertè supponitur in *Cap.* inter, *de fid. instrum.* §. *cæterùm*, & §. *cum igitur*; sic Suar. *num.* 7. cum communi.

466. 5. Dices, quid si addatur tali confirmationi clausula *innovamus, vel de novo concedimus*? dixi, *si addatur*, quia vix invenietur posita in confirmatione privilegiorum, nisi quando confirmatio fit ex certa scientia, ut benè notat Suar. *num.* 5. *cap.* 20. Respondet ipse Suarez, quem sequuntur Merola, Castro Palao, & alij moderni, quod si fortè talis clausula inveniatur, posita in confirmatione communi, nihil de novo concedit, neque revalidat, sed est quasi repetitio ejusdem rei, posita ad majorem expressionem, & sic non dat novum jus, nec valorem actui, neque addit aliquid supra confirmationem communem, & ideo rarò, ut dixi, ponitur, nisi quando confirmatio fit ex certa scientia; sic Suarez *num.* 7. & prius *cap.* 18. *num.* 9. dixerat quod in confirmatione in forma communi subintelligitur conditio, si id quod confirmatur subsistit validum. Quare si hæc conditio non purificatur, nihil fit per talem confirmationem, etiamsi addatur verbum *innovamus*, vel *de novo concedimus*.

6. Neque enim proprietas verbi *innovandi*, cogit interpretationem ex vi illius fieri cum nova concessione privilegij. Verum est, quod quando cadit talis confirmatio communis super actum validum, & confirmabilem, seu capacem confirmationis, accipit robur, & authoritatem à Papa confirmante; si quidem illum approbat, & quodammodo facit suum, licet non sicut facit, quod confirmat ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, ut dicemus; sed ait Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 8. *art.* 1. §. *ult.* confirmationem in forma communi, quando additur verbum *Innovamus*, prodesse ad non præscribendum contra privilegium; nam tempus præscriptionis debet computari à tempore talis confirmationis, seu innovationis, & sic si præscriptio erat incepta, & non completa, debet inchoari ab hoc tempore renovationis; quæ doctrina, & si non placeat Patri Suario *cap.* 20. *num.* 7. eam tamen amplectitur novissimè Merola *disp.* 6. *dub.* 4. *num.* 18. 467.

7. Confirmatio autem, *ex certa scientia*, juxta dict. *n.* 3. & dicenda fusius *infra*, habet vim novæ concessionis talis privilegij, & confirmandi actum nullum, reddendo illum de invalido validum. Insuper æquivalet clausulæ derogatoriæ, & restituit privilegia amissa per non usum, aut per usum contrarium, & restaurat revocata, & quomodolibet deperdita; sic tenent Panormitan. 468.

mitan. in *Cap. fin. de decimis.* Rodrig. *Tom.* 1. *qq. quæst.* 8. *art.* 3. Suar. *de leg. lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 1. Donat. *Tract.* 11. *qu.* 7. Ricc. cum multis in *Collectan.* 3099. & alii communiter. Ratio hujus est, quia Pontifex, quando confirmat *ex certa scientia*, confirmat ex certa notitia rei, quam confirmat, & utitur plenitudine potestatis, quam habet. Ergo non fictè & inaniter, sed verè & solidè vult confirmare, & dare valorem rei confirmatæ, etiamsi anteà non haberet valorem.

469. Rursus, quando Princeps ait, procedere *ex plena cognitione negotij*, & *quod operatur ex plenitudine suæ potestatis* illi credendum est absque difficultate; sed quando confirmat *ex certa scientia*, hoc modo procedit, ut fatentur Doctores. Igitur omnia suprà dicta includuntur in confirmatione, seu concessione *ex certa scientia*, & quàmvis aliqui velint hoc solùm tenere, quando clausula, *ex certa scientia*, ponitur expressè in rescripto; nihilominus dicendum est sufficere, quòd æquivalenter ponatur per verba, ex quibus talis scientia colligitur, ut diximus *num.* 3. cum Suarez, & aliis. Verum est, quòd in casu dubii de certa scientia, præsumendum est non adfuisse talem certam scientiã, quia cùm *certa scientia* sit quid facti, non præsumitur, nisi probetur, ut docent Gonzalez ad *regulam* 8. *Cancell. gloss.* 25. §. 1. Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 8. *art.* 2. Ricc. *Collectan.* 1592. Barbos. de claus. *claus.* 25. *n.* 5. Garcia de *benefic. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 225. Suar. & alii.

8. Sed quia non desunt Authores antiqui, & moderni sentientes confirmationem *ex certa scientia*, non causare supradictos effectus, nisi inseratur in ipsa confirmatione tenor privilegii confirmandi, ut constet præcessisse in Principe cognitionem defectûs, & nullitatis prioris privilegii, oportet in sequentibus hoc fusius examinare.

9. P. Diana *part.* 11. *Tract.* 2. Miscell. *resol.* 7. præsens dubium excitat, quod & priùs fecerat P. Pasqualigus in *qq. canon. cent.* 2. *q.* 107. per totam, & cum aliis multis, resolvit, quòd nisi in confirmatione inseratur tenor privilegii confirmandi, vel constet habuisse Principem plenam informationem & notitiam illius, clausulam *ex certa scientia*, non operari effectus à nobis assignatos, etiamsi velit uti supremâ potestate & plenitudine ipsius; quia nec potestas plenissima se extendit ad impossibilia; impossibile autẽ est quòd confirmatio sit in forma specifica, nisi procedat ex cognitione specifica determinata, & explicita rei, quæ confirmatur; non secus ac est impossibile, quòd sit volitum, quod non est cognitum: quia non potest facere quod non concipit, cùm operatio procedat ex scientia; nec potest conficere confirmationem in forma specifica, nisi habeat notitiam specificè & explicitè illius, quod confirmat. Non ergo erit confirmatio in forma specifica ex eo, quòd in confirmatione apponantur clausulæ, *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, motu proprio*, & quælibet aliæ, quantumvis prægnantes; nam quæcunque sint tales clausulæ, non operantur ultra intentionem confirmantis; intentio autem non operatur ultra id, quod mente concipitur, quia impossibile est, 470.

quòd

quod intentio sit eorum, quæ non sunt mente concepta; & nemo vult, quod non potest. In hoc consistit totum fundamentum P. Dianæ, Pasqualigi, & aliorum, qui hanc partem sequuntur.

471. 10. Sed hoc fundamentum, pace tantorum virorum, parum firmum mihi videtur: Tum, quia ut optimè notavit P. Suar. *lib. 8. de leg. cap. 18.* quem alij sequuntur, talis modus sentiendi, nimis scrupulosus est; reddit enim incertas, & inutiles ferè omnes hujusmodi confirmationes; quis enim novit, an eas exactè Princeps examinavit? vel unde constare poterit, quod intellexerit nullitates, quas privilegia confirmanda habebant? Dicere autem, quod tenor verborum privilegiorum, quæ confirmantur, est necessariò inserendus in confirmatione, vel quod constet explicitè de informatione individuali Principis, est nimis onerosum, & ferè impossibile, & contra praxim communem.

Adde, posse Pontificem habere pro expresso ficto, quod expressum formale, seu verum formale non est, quod facere potest ad validitatem actus à se facti, & sic expressè fictum æquivalet expresso vero, & formali; ita in *Clement. 1. de probat.* & Cap. 1. *de translat.* & Cap. *illa, de elect.* Clement. *Pastoris, de re judic.* & Cap. *si motu proprio*, de præbend. *in 6.* & tenet Butrius *cons. 55.* Germonius *Tract. de indult. Cardinal. §. ac veri, num. 5.* Barbos. de clausulis, *claus. 112. num. 6.* & cum invenitur sufficiens fundamentum ad hoc judicandum, prudenter creditur fieri, ut fit in præsenti.

472. 11. Tum etiam, quia sequeretur, quod idem esset necessarium in revocatione, & in communicatione privilegiorum, quæ quotidie *excerta scientia* communicantur, & communicata sunt Religionibus inter se, & nemo petit, neque quod tenor omnium privilegiorum Ordinum inseratur, in communicatione nova alicujus particularis Religionis; neque quod Pontifex habeat notitiam individualem illorum, ut communicatio sit firma, & teneat, sed cum sola notitia confusa, & in communi omnium privilegiorum, quæ habetur sufficienter ex præsumptione, quod omnia privilegia communia, quæ alicui, vel aliquibus Religionibus concessa sunt à Romanis Pontificibus antecessoribus, prudentissimè concessa sunt. Unde præsens Pontifex, etiam prudentissimè judicat fore communicanda alijs Religionibus, in quibus eadem, vel æquivalens ratio militat; ut sic quæ pares sunt in laboribus, pares etiam sint in favoribus. Nec necesse est, ut major notitia, & cognitio habeatur, quàm ipse Pontifex fatetur habere, ut voluntas Principis, efficaciter extendatur ad omnia dicta privilegia communicanda, & idem dic de revocationibus: Ergo proportionaliter philosophandum est in nostro casu.

473. 12. Tum denique, quia quando Pontifex confirmat omnia privilegia, quæ jam derogata erant, dicendo: *Se omnia illa confirmare, de novo concedere, dummodo derogatis in Tridentino non opponantur*, & addit in confimatione; *se omnia illa quæcunque sunt, confirmare ex certa scientia, de plenitudine potestatis, & motu*

*& motu proprio*, quis dubitet confirmationem tenere, cum exceptio firmet regulam in contrarium, quamvis tenor omnium dictorum privilegiorum non inseratur in confirmatione, nec constet de explicita, & individuali notitia concepta à Principe.

474. 13. Si autem instes, quod ista non potest dici specifica, & individualis notitia, & sic nec confirmatio. Respondetur concedendo; in rigore, non esse notitiam formalem, specificam, & individualem privilegiorum confirmandorum; esse tamen æquivalentem, & hoc sufficit, ut ipsa confirmatio æquivalenter sit specifica, & operetur ita efficaciter, ac si esset formalis ac rigorosa. Hoc patet, quia talis confirmatio non potest dici, quod sit solùm in forma communi, nam illa repetita verba, *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, nunquam apponuntur in confirmationibus, solùm in forma communi, ut ex ipsis patet; neque apponuntur de stylo Curiæ, ut vult P. Diana, sed potius stylus est in contrarium, ut multoties expertus sum; nec minus apponuntur cum exceptione, *dum derogatu à Tridentino non opponantur*: Ergo magis operantur, quàm si essent tantùm in forma communi; ac proinde constituent formam specificam, licet non receptam ex notitia individuali formali, benè tamen æquivalenter, quæ ad intentum idem operatur. Ad instantiam autem, quæ adducitur à Diana, & alijs ex *Iulio II.* statim respondebitur.

475. 14. Dicere autem cum ipso Diana, quod clausula *ex certa scientia*, non operatur circa ea, quæ in facto consistunt; de quibus præsumitur, quod Princeps non habet notitiam; sed solùm circa ea, quæ sunt juris, cum ista non præsumantur à Principe ignorari; minus placet, nam ut benè vidit Suarez quando apponitur dicta clausula *ex certa scientia*, præcipuè in privilegijs, *de scientia facti* intelligitur, nam *scientia juris* sèper intelligitur adesse in Principe; aliàs frustra adhiberetur in aliquibus concessionibus, & in alijs omitteretur, ut fit semper in concessionibus in forma communi; nec verba Pontificis in proprietate sermonis verificarentur, neque est inconveniens concedere, quod multæ Bullæ derogatoriæ privilegiorum, expeditæ à Prædecessoribus Pontificibus, corruant, ex confirmatione, & renovatione præsentis; sed hoc est necessarium admittere, imò in aliquibus casibus accidit idem respectu aliquarum Bullarum ejusdem Pontificis, ut patet in *Pio V.* & alijs; nam pro diversitate causarum, rationum, & temporum, prudentissimè variant decreta aliena, & propria, Supremi Principis, & hoc sive revocando, sive confirmando, aut communicando, per quod satisfit scrupulo R. P. Dianæ in principio suæ conclusionis posito.

476. 15. Dicendum est igitur, quod eo ipso quod constet privilegium aliquo ex modis dictis, fuisse ex certa scientia, censetur confirmationem habere efficaciam ad effectus relatos, quia sufficienter præsumitur Principem habere scientiam, quam profitetur in suis verbis, ne mendax reputetur. Addo, dato casu, quod talem scientiam non haberet, censetur habere voluntatem confirmandi actum, sicut indiget: Nam ut

benè notat P. Merola *infra* sufficit resoluta voluntas Principis ac confirmanda, quæ vult & confirmata manent, absque eo quod constet de præscientia Principis, & nota, quod hoc dictum laudat P. Diana; & meritò, licet contra se, nec per hoc dicimus, quod voluntas fertur in incognitum, sed quod voluntas sine cognitione distincta rei, prout in se est, sufficit ad conferendum valorem actui, si in se fuit nullus; etiamsi ignoraretur nullitas à concedente, quia materia privilegiorum talis est, ut ad concessionem illorum sufficiat voluntas Principis, quia ipse est propria causa efficiens privilegij, in his, quæ suam potestatem non excedunt, ut dicemus *infra*. Sic etiam dubitans de valore suæ professionis, illam ratificat per novum consensum, & dicitur ratificare *ex certa scientia*, non quia cognoscat illam esse nullam, sed quia non cognoscit esse validam, & nihilominus absolutè, & efficaciter vult, nunc illam de novo facere, & validare, si necesse sit; & quotidie contingit in absolutionibus censurarum, quando dantur sine certa notitia illarum à Prælatis in suis Capitulis, & extra, sub hac forma; *in quantum possum, & tu indiges*. Et in absolutionibus, & dispensationibus, seu habilitationibus, quæ quotidie apponuntur in Bullis Pontificiis, ad cautelam pro omnimoda securitate, & nullus dubitat, quod sint efficaces, quando revera necessariæ sunt absolutiones, ut docent omnes.

477. 16. Ergo similiter in nostro casu, quamvis quando res ignoratur, vel est dubia, possit dici conditionata ex parte rei, quæ ignoratur, an indigeat validitate, at ex parte voluntatis concedentis est efficacissima, & causat effectum, ac si esset nova, & absoluta concessio, si opus est, & innovat antiquata, & deperdita, & abrogata, absque eo, quod constet de præscientia specifica Principis; sic cum Suarez Sanchez *Tom. 1. summ. lib. 7. cap. 29.* Merola *disp. 6. cap. 2. num. 114.* Donat. *quæst. 4 num. 9.* ubi testatur, sic fuisse decisum à Sacra Rota anno 1614. coram Burato die 27. Januarij, teste Farinac. *decis. 513. num. 6. in 2. part.* Ex quo ruit ædificium structum à R. P. Junipero à Drepano in defensorio juris Pontificij *disp. 2. quæst. 4. cap. 2. & 3.* ubi latè intendit probare, quod sæpè datur clausula expressa *ex certa scientia*, in confirmationibus, & nihilominus confirmationes remanent intra rationem formæ communis, & idem dicit de clausula de *plenitudine potestatis, & motu proprio, & quorum tenores, pro insertis, &c.* non ex fundamento relato à Diana, sed ex alio à se cogitato, destructo jam per nostram doctrinam.

17. Hic autem advertere oportet, 478
quod licet confirmatio fiat *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*; tamen si privilegium fuit invalidum à principio, ex vitio subreptionis, tacendo aliquid necessarium, vel obreptionis occultando, & palliando, quod declarari debebat, non tollitur talis nullitas per confirmationem *ex certa scientia*, nisi expressè dicatur in confirmatione, *non obstante subreptione, vel obreptione*, quia privilegium subreptitium, seu obreptitium, fuit irritum, & falsum, & revera non fuit concessum, ex defectu voluntatis in concedente. Cum igitur confirmatio

matio cadat supra privilegia valida in principio, sed postea revocata, seu deperdita, non revalidat privilegia, quæ nunquam fuerunt valida, sic tenent Decius *cons.*10.*ad fin.* Paris. *cons.* 1. *num.*83. *volum.*1, Suar. *lib.*8.*cap.*19.*num.*3. Barbos. de claus. *claus.* 59. *num.* 50. Tamb. de jur. Abb. *Tom.*1.*disp.*18.*quæst.*6.*num.* 27. Castro Palao *Tom.*1.*tract.*3. *disp.* 4. *part.* 2. §. 10. *num.* 4. Portel, Merola, & alij communiter; si verò defectus, qui invalidarunt privilegium à principio sint juris positivi, & sine dolo commissi, præcipuè cum adest clausula, *supplentes omnes defectus juris*; *& facti*, redditur validum privilegium, quod fuit nullum à principio; dixi *præcipuè*, quia ut constabit ex dicendis *infra num.*15. clausula *ex certa scientia*, vel *de plenitudine potestatis*, sufficiens est ad supplendum omnes defectus juris, ut tenet cum multis Suarez *lib.*8.*de leg.cap.*19. *num.* 4. Castro Palao *Tract.*3.*disp.*4.*punct.*2. §. 10. *num.* 5. Potel. *num.* 32. Megala *Tom.*2.*variar.resolut.resolut.* 199. *num.* 8. Merola *disp.* 6. *cap.* 5. *dub.* 1. *diffic.*2. *num.* 56. sed vide *infra sect.*6.*num.*4.

479. 18. Contra supradicta objiciunt adversarij responsum *Julij* II. ad instantiam Fratrum Minorum exhibitum super concessionem *Sixti IV.* in quo declaravit confirmationem privilegiorum dicti Ordinis, per *Sixtum IV.* amplè factam, non vivificari privilegia semel extincta, seu deperdita, sed solùm, quæ in usu erant, non obstante, quod Bulla confirmativa *Sixti IV.* facta fuerit *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, & cum clausula *de novo concedimus* & cum derogatoria, *non obstantibus revocationibus Apostolicis*, ut constat ex ipsa Bulla aurea, quam Confectius refert in *Collect. privilegiorum* post Bullam Maris magni, & incipit: *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum.* Ergo idem dicendum erit de alijs confirmationibus *ex certa scientia, motu proprio, & plenitudine potestatis.*

480. 19. Hoc tamen non obstante, non est recedendum à jam tradita doctrina, quia illa declaratio *Julij II.* fuit sic generaliter facta ob defectum relationis, & informationis imperfectæ; nunquam enim fuit Papæ relatum, *Sixtum IV.* confirmasse, & concessisse omnia illa *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, & quod usus fuerit illis verbis: *Et de novo concedimus*, & quod adjecerit clausulas derogatorias: *Non obstantibus revocationibus Apostolicis*; nam si de his fuisset plenè informatus *Julius II.* secus, & aliter declarasset; ita Rodrig. *Tom.*1. *qq. quæst.* 8. *art.* 2. Ubi ait hoc fuisse de mente Doctorum Salmanticensium, Cordub. *ad Compend. Privileg.* Panormitan. ad *Cap.* cum super, *de caus. poss. & propriet.* Rosel. *verb.* Absolutio *tom.* 1. *num.* 122. & post multos Suarez *cap.* 18. *num.* 12. Merol. *Tom.*3. *disp.*6. *cap.* 5. *dub.*4. *num.*8. Donat. *quæst.* 7. *num.*6. quidquid in contrarium dicant Barbos. in *Collect.* DD. ad *Cap.* cum dilecta, *de confirmat num.*28. Menoch. *cons.* 1. *num.*432. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 4. *num.*6. Tambur. de jur. Abb. *Tom.*1. *disp.* 18. *q.*5.

481. 20, Tum propter rationes assignatas, tum etiam, quia intentio Papæ, & voluntas, per tot repetita verba, manet expressa, & declarata, aliàs cogeremur fateri, mentiri, vel loqui contra vim, & proprietatem verborum, & præcipuè illo-

illorum *de novo concedimus*. Tum, denique, quia omnino tolleretur differentia communiter recepta, & assignata à DD. inter confirmationem in forma communi, & forma specifica, quod non est admittendum.

482. 21. Neque obstare videtur decretum Sacræ Congregationis approbatum ab *Vrbano VIII.* qui jussit illud inviolabiliter observari die 18. Novembris anno 1628. tenoris sequentis: *Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, &c. censuit per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post. S. Concil. Trid. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio; ac deinde etiam ipsius Congregationis decreto, sublata, atque extincta, si quæ habebant absolvendi à casibus Ordinario loci reservatis, quemadmodum nec indulta absolvendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini legi consueris, utpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisivisse, ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus, ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti, etiam necessariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam ex vi privilegiorum, aut confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerint, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bullæ cœnæ Domini, aut Ordinario loci reservatis. At si secus egerint absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore. Ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis siquidem habeant Regulares à Sede Apostolica facultatem absolvendi, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse.*

22. Non obstare hoc decretum, dicunt aliqui, nam loquitur tantum de privilegijs confirmatis, confirmatione simplici, & in forma communi, non autem de confirmatis, seu concessis *ex certa scientia*; sic docet P. Merola *Tom. 3. de privileg. cap. 5. de confirmat. num.* 61. & hoc posito, quod tale decretum sit authenticum, quod addit, quia dubitat de hoc, cum non reperiatur in Bullario novissimo Romano, ubi in appendice ad Bull. *Vrbani VIII.* alia decreta à se confirmata apponuntur, Quintana advenn. idem dubitat *Tract. 3 singul. 15. num. 5.* ex eo quod Eminentissimus Cardinalis de Lugo de illo nullam faciat mentionem cum anno 1638. egregium opus de pœnitentia Romæ ediderit, decem annos post hoc decretum *Vrbani VIII.* ubi rem hanc ex professo discutit, & alia decreta adducit, quo satis indicatur (ait Quintana advennas) vel quod hanc revocationem vim nullam habere existimaverit, vel quod ad ejus notitiam non pervenerit; ac proinde non sufficienter promulgatam fuisse, & saltem potest dubitari de sufficienti publicatione, de quæ mihi non constat, neque invenio apud Authores modernos, solùm P. Donatus hoc decretum supponit, ut authenticum, & publicatum, ex eo quod vidit in libello impresso intitulato: *Bullæ, & decreta recentiora Vrbani VIII.* sed quod tale decretum sit authenticum, videtur certum, ut multi referunt apud Dian. 1. *p. tract. 5. resol. 6. & 3. part. Tom. 2. resol.* 122. Didac. Frances in suo *pastorali tract. 5. quæst. 1. num.* 14. Ludovic. à Cruce in Bull. Cruciat. *cap. 3. dub. 4. n. 8.* Trullench. *lib. 1. Cruciat. dub. 3.* sed 483.

an

an omnibus in locis sufficienter publicatum sit, ita ut pro omnibus provinciis obliget, non est ita certum quia firmiter hoc negat Quintanadven. *Tract. 3. de pœnit. singul. 15. n. 4.* ubi docet sic testari à relatis doctis, & versatis in hac re.

Sed quidquid sit de hoc, ipse Donatus sequitur Merolam in prima solutione; videlicet, quòd solùm loquitur de confirmationibus, & concessionibus in forma communi, siquidem illud decretum est nimis generale, nullam faciens mentionem formæ specificæ, quod erat necessarium, ut limitatæ & restrictæ intelligerentur confirmationes *ex certa scientia*, amplè factæ, & sine ulla limitatione; ut patet in Bullis revocatoriis Pontificum, in quibus per clausulas solùm generales non derogatur privilegiis qualificatis per specialem clausulam, qualis est *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, præcipuè si concessa sint Religionibus, ut diximus: Ergo multò minus per decreta generaliter loquentia, etiam confirmata generaliter à Romano Pontifice, revocata manebunt, quæ *ex certa scientia* fuerunt priùs concessa: aliàs omnes confirmationes factæ, & faciendæ, ut loquitur præsens decretum, essent solùm in forma communi, ut diximus *n. 11.* quod nullo modo est admittendum.

484. 23. Sed an hæc interpretatio legitima sit, nec approbo, nec reprobo, docti judicent: solùm mihi in præsenti aliqua notatu digna occurrunt, videlicet, quòd ante Tridentinum concessa est Religiosis potestas absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ (saltem extra Bullam Cœnæ) & Episcopis reservatis, ut constat ex privilegiis relatis à Rodriguez *Tom. 1. qq. qu. 61. art. 3.* Miranda *Tom. 1. quæst. 46. art. 3.* videlicet à *Sixto IV. Vrbano IV. Eugenio IV. Iulio II.* & referuntur in *Comp.* verb. *Absolutio quoad sæculares*, & verb. *Casus reservati*, & idem concessit *Paulus III.* Societati Jesu, Bull. incip. *Cùm inter cunctas*, ibi: *Nec non illis ex vobis, qui Presbyteri fuerint quorumcunq; utriusque sexûs Christi fidelium, ad vos undecunque accedentium confessiones audiendi, & confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos, eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcunque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, quæ solita est legi) absolvendi, ac eis pro commissa pœnitentiam salutarem, &c. Nec non vota quæcunq; per eos pro tempore emissa (ultra marinis visitationis liminum D. Petri, & Pauli Apost. de urbe. ac S. Iacobi in Compostella; nec non Religionis, & castitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi, plenariam & liberam facultatem auctoritatis Apostolicæ beneplacito concedimus.* Ubi apertè concedit potestatem absolvendi à reservatis Episcopo, quia omnia concedit præter ibi exclusa, ex eo quòd exceptio firmat regulam in contrarium. Quo privilegio absque dubio fruuntur aliæ Religiones, teste Quintanadvenas, *tract. 3. de pœnitent. sing. 16. num. 3.* ubi benè notat, quòd cùm dicta privilegia concessa sint Regularibus ante Tridentinum, minimè revocantur per præfatum decretũ *Vrbani VIII.* quia in illo tantùm revocantur privilegia, quæ à Tridentino fuerant extincta, & con-

firmationes, quę eorundem privilegiorum post Tridentinum obtentæ sunt; ut patet ex ipso decreto *Vrbani* ibi: *Censuit per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post sacrum Concilium Trid. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia priùs ab eodem Concilio sublata atque extincta, absolvendi à casibus Ordinario reservatis.* Ergo cum supradicta privilegia *Pauli III.* & aliorum per Tridentinum revocata seu extincta non sint, hoc decretum *Vrbani VIII.* nèc circa illa, nec circa illorum declarationes versatur. ac proinde nec derogat, nec contra illa aliquid disponit.

485. 24. Quòd verò per Tridentinum non fuerint dicta privilegia extincta, nec revocata, docent Enriquez *lib. 6. cap. 6. §. 4. litt. Q.* Rodriguez *Tom. 1. quæst. 61. art. 1. & 3.* Suarez *Tom. 4. in 3. part. disp. 30. sect. 2. num 16.* Martinus del Rio *disquis. mag. lib. 6. cap. 6. sect. 3.* Vivaldus in *Candel. 26. de absolut.* Ludovic. à Cruce *disp. 1. in Cruc. cap. 3. dub. 5.* Quintana dvennas ubi *suprà singul. 14.* & alii plures contra Mirandam & Sorbum.

25. Probatur primo, quia si aliquis locus esset assignabilis ex Tridentino, ubi dicta, & similia privilegia annullarentur, maximè ex *Cap. 6. sess. 14.* ubi sic statuitur: *Extra mortis articulum, Sacerdotes cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentes persuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.* Sed hoc decretum nihil obstat, quia clarè loquitur de Sacerdotibus habentibus solam ordinariam jurisdictionem audiendi confessiones, non verò de habentibus etiam delegatam, ut habebant Regulares. Quod constat ex verbis ipsius Tridentini, id paulò antè declarantibus, ibi: *Vt verissimum esse, Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habeat jurisdictionem:* quid clarius? Cùm igitur Regulares habeant jurisdictionem delegatam per dicta privilegia, manifestè apparet, nec de illis verbum loqui Trident.

26. Hanc doctrinam apertè satis tradit Ludovicus de Beia *part. 2. cas. 21. §. Tandem*, ubi ait: Concilium cùm dicit, quòd nihil possint Sacerdotes in casibus reservatis, prohibet jurisdictionem activam respectu casuum reservatorum, ita ut nullus authoritate propriâ ab illis valeat absolvere; sed non prohibet eam, quam per privilegia specialia concedit Papa Religiosis, vel aliis personis. Tandem quia intentio Concilii ibi non est limitare authoritatem Pontificis, nec de his loqui, qui ex commissione Papæ absolvunt, ut apertè constat. Tum, quia privilegia Religiosis in communi, & non in particulari concessa, non videntur revocata, nisi fiat de eis specialis mentio, ut latè probat Enricus Salmanticensis in *Relectione de privileg.* hæc ille, & nos hanc ultimam partem probavimus suprà, & ex dicendis etiam constabit. 486.

27. Sed objicies primò, ex verbis relati decreti *Vrbani VIII. num. 21.* ubi concluditur: *Ac proinde Regulares cujusvis Ordinis in vim privilegiorum, aut confirmationum ejusmodi quas vel hactenus obtinuerunt, vel in futurum obtinebunt;* 487.

*bunt; nec posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reservatis.*

488. 28. Respondetur facilè, quòd cùm de eisdem privilegiis & confirmationibus loquatur, ut constat ex particula *ejusmodi*, seu *hujusmodi*, quæ relativa est præcedentium, cum omnibus suis qualitatibus, ut docent Navarr. *Cons. 51. n. 5. de rescript.* Gonçal. *reg. 8. Cancellgloss. 4. num. 4.* Seraphin. *Rot. Rom. dec. 388.* Farinac. in *decisionib. dec. 373. num. 6. Tom. 1. part. 2.* solùm debent intelligi de illis privilegiis, quæ extincta fuerunt per Tridentinum, & de confirmationibus eorundem, non autem de aliis.

489. 29. Objicies secundò, responsum sacræ Congregationis de mente *Gregorij XIII.* cujus meminit Suarez & Enriquez *suprà*, ubi Episcopo, de hoc dubio interroganti, sic responsum fuit: *Hac de re cùm Congregatio accuratè egisset, ac deinde illam ad S. D. N. retulisset, Sanctitas Sua censuit ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliave privilegia Regularibus concessa, eis non esse factam potestatem absolvendi à reservatis. Romæ 10. Septembris 1577.*

490. 30. Respondent aliqui, & benè, quòd cùm hæc fuerit epistola data pro quodam particulari interrogante, nec fuerit promulgata per modum legis, non obligat, nisi pro incolis illius Diœcesis. Quibus addo, quòd etiamsi hoc decretum esset universale, per illud minimè annullarentur confirmationes privilegiorum, quæ posteà à multis Romanis Pontificibus factæ sunt, & sic pro casu præsenti nihil obstat. Alia, quæ pro reservationibus futuris desiderari possunt, tractabimus *sect. 10. hujus disputationis.*

31. Occasione acceptâ ex revocatione privilegiorum præfati decreti *Urbani VIII.* placuit hîc annectere in peculiari Sectione alias similes, & generalissimas revocationes, sub *Clemente VIII.* & *Paulo V.* ut commodius Lector eas possit cum distinctione percipere, & scire ad quas personas se extendant, & quibus in locis; nam apud aliquos Authores non sine confusione & difficultate inveniuntur expositæ.

## SECTIO V. INCIDENS.

### *Quomodo intelligendæ sint revocationes generales omnium privilegiorum sub* Clemente VIII. *&* Paulo V. *editæ?*

1. SACRA Congregatio Eminentissimorum Cardinalium anno 1601. die 9. Januarii decretum approbatum, & confirmatum à Sanctitate *Clemente VIII.* edidit, & publicari fecit, ubi prohibetur: *Omnibus confessoribus sæcularibus, & Regularibus, ut sub quovis prætextu, seu privilegio non possint absolvere à casibus clarè vel dubiè in Bulla Cœnæ Domini solita legi contentis, vel aliàs quomodocunque Sedi Apostolicæ reservatis, aut in futurùm per Sanctitatem Suam, ejusque Successores, pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reservatis, nec etiam à casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reservârunt, vel in posterum reservabunt, nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi mortis articulo sine novæ & speciali Sanctitatis Suæ, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum, quòad casus* 491.

ab

*ab ipsis tantùm reservatos respectivè, impetratâ licentiâ in scriptis Ordinarijs locorum exhibenda, & absolutionis beneficium suspendit, & revocat omnia privilegia sub quibusvis clausulis, & formis concessa, & annullat confessiones aliter factas.* Ubi est advertendum, quod hoc decretum non loquitur de absolutione circa Religiosos facienda pro foro conscientiæ; sed circa sæculares, ut benè notat Donatus *Tract. 11. de potest. dispens. & absol. q. 17. n. 2. in fin.* cum alijs, & quod sic declaravit in sua *Const. Vrbanus VIII.* testatur ipse. Secundò est advertendum, quod dictum decretum solùm ligat per universam Italiam extra urbem, non verò alibi, ut ex verbis ipsius constat ibi: *Per universam Italiam extra urbem degentibus.* Et sic commorantes in alma urbe, & extra Italiam minimè tangit.

492. Sed propter varia dubia, quæ circa hoc emerserunt, ipse *Clemens VIII.* die 26. Novembris anno 1602. suum primum decretum moderavit, & declaravit, videlicet, illo tantùm deinceps comprehendi casus, qui in *Bulla Cœnæ Domini* continentur: *Et præterea, violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Const. felic. record. Gregorij Papæ XIII. incip. Ad tollendum.* Ubi extendit excommunicationem Tridentini provocantium ad duellum, etiam ad privatum. Tertiò injicientium manus violentas in Clericos, juxta *Canon.* si quis suadent. *cap. 17. quæst. 4.* & juris dispositionem. Quartò, simoniæ realis, scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Quintò, omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reservarunt, vel inposterum reservabunt. In quibus omnibus, jam enumeratis casibus, dumtaxat currit decretum, & solùm intra Italiam, & extra urbem, non verò in alijs locis, nec alibi, sic Bordon. *in resolutionib. resol. 6. quæst. 9. n. 10. in fine,* Lezana *1. p. summ. cap. 19. num. 16.* Trullench. *lib. 1. in Cruc. dub. 3. num. 11.* Villalob. *part. 1. tract. 9. difficul. 67.* Cardin. Lug. *disp. 20. de pœn. sect. 1. num. 5.* Quintanadvenn. *sing. 14. num. 4.* & idem affirmant de alio decreto Sacræ Congregationis approbato, & confirmato à *Paulo V.* die 7. Januarij anno 1617. ubi confirmatur, & innovatur decretum *Clem. VIII.* juxta declarationem ab ipso factam.

3. Et licet in eo circa finem addan- 493.
tur hæc verba: *Hac insuper, ut nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuscunque privilegijs, indultis, & facultatibus suffulti, ab excommunicatione, vel à casibus eisdem Ordinarijs, vel Sedi Apostolicæ reservatis, tam ad forum contentiosum deductis, quam non deductis præterquam in mortis articulo absolvere audeant, vel præsumant.* Ex qua clausula aliqui Doctores affirmant, quod à nullis censuris, & casibus Sedi Apostolicæ reservatis, possint Religiosi absolvere, ex vi suorum privilegiorum, cum hæc omnia ibi revocentur; ex eo quod particula *insuper* designat novam legislatoris dispositionem, à præcedentibus omnino distinctam, ut patet ex *Cap.* statutum, *de rescript. in 6. §. insuper,* & ibi *gloss.* & notat Diana de *dub. reg. resol. 13. §. notat etiam* (quamvis hoc refellat Duard. *lib. 3. Bullæ, §. 2. quæst. 1. num. 31.*) & confirmare intendunt suam opinionem dicti Authores etiam ex decreto relato *sect. præcedenti Vrbani VIII.*

4. No-

494. 4. Nobis tamen dicendum est, quod in decretis relatis *Clem. VIII.* & *Paul. V.* solùm annullantur privilegia Religiosorum intra Italiam, & extra Urbem, & respectu sæcularium tantùm, & in casibus expressis in 2. decreto *Clementis VIII.* declarativo prioris, non verò quòad alios casus Pontifici reservatos ibi non expressos, quia privilegia Religionibus concessa, censentur leges perpetuæ, ut diximus, ac proinde habentur, ac si in corpore juris forent inserta, ut docent Oldradus *cons.* 300. *num.* 4. §. *considerandum*, Enriq. *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 3. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 1. *num.* 13. & alij. Unde perpetuâ firmitate constare debent, cap. 1. 2. & 25. quæst. 2. sed à lege, seu jure non est recedendum, nisi quatenus in novo est expressum, cap. 2. de transl. Episcop. Ergo idem dicendum est de privilegiis Regularium antiquis, à quibus non est recedendum, nisi oppositum exprimatur: sed nullibi invenitur expressum, quod à Confessoribus Regularibus, etiam intra Italiam, sublata sit facultas absolvendi ab alijs reservatis Papæ, ibi, nec alibi. Ergo stare debent privilegia antiqua, quandiu de

495. alio non constat.

5. His addo, quod innovatio *Pauli V.* fuit confirmatio facta solùm in forma communi, quæ non est nova dispositio, sed præcedentium simplex approbatio, prout eruditè advertit Duardus *ubi supr. num* 32. vers. *Nec obstare videtur*, & noster Lezan. 1. *part. summ. cap.* 19. *numer.* 15. verb. *Clausura*, num. 20. *in fine*, & sic non plus se extendit, quàm ipsum decretum, quod declaratur, & confirmatur, sed intra terminos illius debet claudi, teste Sanch. *lib.* 3. *cap.* 12. *summ. num.* 8. cum Navarr. *cons.* 15. *de Simonia, num.* 2. cum aliis, ad decretum *Clementis* prohibet absolutionem solùm à quinque casibus Papalibus ibi expressis, & à casibus quos Ordinarij sibi reservant, & non ab alijs. Ergo, &c. sic sentiunt Bordon. *de Confess. erga sæculares resol.* 6. *num.* 10. Donat. *de potest. dispens. & absolu. tract.* 11. *quæst.* 17. *num.* 3. Quintanaduenn. de *pœn. sing.* 14. *n.* 4. & alij.

6. Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ ex particula *insuper.* 496. Resp. Quod solùm addit novam dispositionem, quando lex non est intelligenda juxta aliam immediatè relatam, cujus est declarativa; at in præsenti refertur ad supra relata, & juxta ea est intelligenda. Ad secundum ex decreto *Vrbani VIII.* præter ea, quæ *sect. præcedenti* diximus. Resp. illa verba nihil contra nos, quia solùm significant facultatem, si quam habent Confessarij Regulares, extra Italiam, absolvendi ab illis casibus exceptis, non esse illis sublatam per decretum *Clem. VIII.* qui derogavit privilegijs Confessariorum existentium tantùm intra Italiam; sic Bordon. *ubi supr. num.* 10.

7. Sed noster Lezana *part.* 1. 497. *summ. cap.* 19. *n.* 16. agendo de dicto decreto *Vrbani*, ait; quod illa verba Urbani: *Ab alijs verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, siquidem habent Regulares à Sede Apostolica privilegia*, debent intelligi, sic: *Ab alijs verò casibus* (scilicet præter casus Bullæ Cœnæ Domini, & reservatos Ordinarijs) *& censuris Sedi Apostolicæ reservatis*, & in fine ita subnectit, comprehenduntur Confessarij tam Romæ, quàm ubilibet ex-

istentes, quàntùm ad ea, quæ in prædicto decreto continentur, quod est dicere; Confessores hodie, nec intra, nec extra Italiam posse absolvere à casibus Bullæ Cœnæ Domini, & loci Ordinario reservatis.

498. 8. Sed quòad alios casus in decreto *Clementis VIII.* expressos, ait: Confessores extra Italiam existentes, posse absolvere, si habeant privilegia absolvendi; secus autem Confessores existentes intra Italiam, & extra urbem, etiamsi habeant facultatem absolvendi, quod videtur amplecti Barbos. *cap. 19. de officio, & potest. Paroch. in fine.* Proinde videtur, ait Donatus, *num.* 10. remanere privilegia in sua vi, quòad alios casus non comprehensos in dicto decreto *Clement. VIII.* & *num.* 11. repetit id, quod *sect. antecedenti* dixit, circa hanc revocationem *Vrbani*, videlicet illa verba: *Privilegia Regularium, semel sublata, & extincta per subsequentes confirmationes, nequaquam reviviscere*; procedere de confirmationibus factis in forma communi, secus autem si fiant ex certa scientia, & constat ex decisis ab ipso *lib. 1. tract. 9. de claus. claus. 3. n. 6.* & *Tract. 11. de confirmat. quæst. 2.* Pro quo vide *supra disp. 7. sect. 2. num.* 8. privilegium *Greg. XV.* pro Patribus Theatinis, & *num.* 9. privilegium *Vrbani VIII.* pro Dominicanis, & nota, quod dicti Pontifices creati sunt post *Clement. VIII.* & *Paul. V.* & hæc de hac incidente difficultate.

*****
****
**

## SECTIO VI.

### *Explicantur alia, quæ de confirmatione ex certa scientia desiderari possunt.*

499. 1. Cum in aliquibus confirmationibus, & concessionibus *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis* addi contingat clausulam, *& de novo concedimus*; meritò dubitatur, quid addat supra certam scientiam, & plenitudinem potestatis; cum quælibet istarum vim habeat restituendi, quæcunque privilegia extincta, & sint innovationes privilegiorum, & derogatoriæ derogatoriarum? Respondetur, quod confert de sejus novum, si opus est; est enim quasi conditio naturalis, ex parte rei concessæ, & tollit omnem vetustatem, & restituit deperdita majori claritate. Insuper ampliat renovationem ad omnem modum possibilem, qui sub propria significatione talis verbi cadere potest; quia talis renovatio, cum sit favor Principis, & ab eo detur, *ex certa scientia*, & consequenter *ex plenitudine potestatis*, amplè interpretanda est; tam ex parte personæ, quàm ex parte modi; ac proinde habet de se vim novæ concessionis, quod magis indubitatum videtur, per eam clausulam, *& de novo concedimus*, quia nulla possunt esse clariora signa voluntatis Pontificis, neque amplius desiderari potest ad dictos effectus præstandos; ita Suar. *Cap. 20. n.* 8 Merol. *cap. 4. num. 78. & 79.* Comp. Min. verb. *Privileg. fratrum*, §. 15. ubi testatur Collector, hanc fuisse sententiam

tiam doctissimorum virorum Salmanticensium, Rodrig *art.* 2. Portel, & alij multi, quidquid in contrarium dicant Barbos. *ubi supr.* & alij Doctores relati ab eo.

500. 2. Rursus inquires, si tanta est vis renovationis privilegiorum, *ex certa scientia*, quid necesse est, post illam addere, ut fieri solet, *supplentes omnes defectus juris, & facti, si qui forsan intervenerint in eisdem*? Nam eo ipso, quod per talem renovationem, privilegia omnino instaurantur, & de novo fiunt, si necesse sit supplentur necessariò omnes juris, & facti defectus?

3. Respondet Suar. *dicto cap.* 2. *num.* 10. has clausulas non semper addi propter novos effectus, sed ad majorem evidentiam, & ad tollenda omnia dubia, & scrupulos, & insuper ad magis præcludendam viam litibus, & controversiis; sic etiam Merol. *num.* 81. & 82. Sed duo advertit Suar. cum alijs. Primum, quod licet aliqui Pontifices, ut fecit *Sixtus V.* confirmando privilegia Minorum, adjecerint: *Supplentes omnes defectus juris, & facti, ac solemnitatem de jure necessitate, aut aliàs quomodolibet requisitam, & forsan omissam, & alios quoscunque defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem.* Quod hæc verba licet specie tenus videantur majorem concessionem continere, revera in substantia non continent.

501. 4. Secundò advertit, per relatas clausulas minimè suppleri defectus ex jure naturæ provenientes, & valori actus repugnantes, ut si privilegiandus est mente captus, vel furiosus, quia tales defectus suppleri non possunt, ut tradit Hostiens. in *Cap.* 1. *de transact. & innovat.* Imò, & si de facto posset supplere Pontifex tales defectus, sed cum non explicet, non est credendum velle supplere, quia Princeps tantùm censetur ea concedere, quæ justè potest concedere, ut *ibidem* Hostiens. & Suarez, neque defectus per subreptionem, aut obreptionem commissi supplentur, ut diximus *supra sect.* 4. *num.* 17. Nec supplentur substantiales defectus per dolum commissi, quia semper præintelligitur conditio sine dolo, falsitate, fraudulentia, & taciturnitate malitiosa; ita Suar. & Sanch. in simili *lib.* 8. *de matrimon. disp.* 24. *n.* 6. & alij. Sed supplentur, per privilegium *Sixti V.* relatum, non solùm defectus juris positivi inventi in privilegiatis, sed etiam defectus partis impetrantis, ita quod si ipsa pars impetrans esset excommunicata, cui non valet rescriptum, ex jure, valeret Minoritis; ita Rodrig. *ubi supr.*

Sed addit Suarez, quod aliquando possunt verba clausulæ esse tam distincta, & ampla, ut etiam defectus prædictos, dolosos, & subreptitios suppleant, sed rarissimè hoc eveniet. Nihilominus de hoc adducit mirabile exemplum Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 8. *art.* 17. ex Leone X. qui anno 1519. in vigilia Visitationis Beatissimæ Virginis MARIÆ vivæ vocis Oraculo facto Reverendissimo P. Francisco Licheto Generali Minorum sequentia concesit. Quod omnibus privilegijs, & indultis, & concessionibus in utroque foro impetratis, per fratrem Joannem de Costa Commissarium, quondam ultramontanum; quæ habentur in supplemento Ordinis, quod liceat Fratribus Minoribus uti securè privilegijs, quamvis fuerint impetrata

petrata indebitè, absque causa legitima, vel quovis alio modo indebito, etiam malitiosè, & mendaciter, dolosè, & hujusmodi, &c. Quæ omnia Dominus Papa habuit pro sufficienter expressis, & supplevit quoscunque defectus in talibus impetrationibus repertos, & tanquam si debitè, & legitimè impetrata fuissent, Fratribus Minoribus, licitè uti concesit, quæ fuit maxima confirmatio, cum sint multa, & varia privilegia in supplemento dicti Ordinis. An verò hoc vivæ vocis Oraculum sit nunc revocatum, dicemus *disputatione de Oraculis*. Tamen est certum, quod respectu privilegiorum antecedentium non fuit revocatum, quia jam fortitum est suum effectum respectu illorum, qui solus fuit confirmatio talium privilegiorum.

## SECTIO VII.

*Ad quæ privilegia revocata, seu deperdita, se extendat confirmatio* ex certa scientia, *&* de plenitudine potestatis.

502. 1. DIfficultas procedit, quando confirmatio seu concesio *ex certa scientia & de plenitudine potestatis* est absoluta, & absque aliqua restrictione, seu limitatione; quia si limitatio aliqua adsit, ultra illam non poterit confirmatio, seu concesio extendi.

2. Dubitatur ergo *Primò*, an privilegia revocata à jure communi restaurentur per confirmationem *ex certa scientia*? Negant Corduba in *Comp.* verb. *Absolutio, quoad sæculares* 2. *ad* §. 16. Portel. *verb.* Privilegiorum confirmatio, *num.* 33. dicentes esse communem Doctorum, sed nullum præter Cordubam citat Portel, nullamque rationem adducit. Sed meo videri, idem sentire tenentur Diana, & Pasqualigus relati *supra sect. 4. hujus disputationis, num.* 14. quia non invenitur disparitas in sua doctrina, ut consideranti patebit, sed potest probari

503. 3. Primò, quia jus commune qualificatum, per specialem clausulam resistentem privilegiis, seu revocantem illa, nisi in confirmatione fiat mentio talis juris communis, non revocatur, sine expressa mentione illius: Ergo idem dicendum erit de confirmatione, etiam *ex certa scientia*. Secundò, ut lex revocet privilegium non satis est, quod contra illud disponat; sed necessarium est, ut addat clausulam revocatoriam illius: Ergo propter eamdem rationem, ut confirmatio restituat privilegium revocatum à jure communi, non sufficit, ut illud confirmet *ex certa scientia*, nisi expresè dicat illud confirmare, non obstante revocatione juris communis; imò nisi hoc dicat, non videtur confirmatio *ex certa scientia*, quòad hunc effectum.

504. 4. Sed oppositum sequuntur communiter DD. Juristæ, & Theologi, quia in Pontifice non præsumitur ignorantia juris communis, & clausula *ex certa scientia* æquivalet novæ concessioni, & clausulis derogatorijs derogatoriarum, ut latè cum multis probavimus *supra disp. 4. sect.* 1. adestque expressa voluntas Pontificis, ut ex ibi dictis constat; Ergo nullum est fundamentum contrarium dicendi, sic Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 13. *num* 5 Riccius *Collect.* 3044. Rodrig. *Tom.* 1. *q.* 8. *art.* 3. Donat.

*Tract.*

*Tract. 11. quæst. 7.* Rosell. *verb.* Absol. *nu. 123.* Merol. *disp. 6. c. 5. n. 53.* & alii.

5. Neque fundamenta in contrarium aliquid probant, ut manifestum est ex 505. nostra doctrina. Nec obstat inconveniens adductum ab aliquibus, videlicet quòd sequeretur, ut etiam confirmatio in forma communi causaret eundem effectum, quod est omnino falsum. Probant, quia etiam in confirmatione cõmuni præsumitur in Pontifice scientia juris communis. Ergo quomodocunque confirmet revocata, in eo reviviscent.

506. 6. Nihil hoc obstat, quia nos non dicimus, quòd sola scientia juris communis in Pontifice sufficit ad revalidãdum privilegium in eo revocatum; sed requiritur etiam clausula, vel derogatoria formaliter, vel æquivalenter, seu quòd includat vim novæ concessionis; & hoc nullo modo invenitur in confirmatione sub forma communi, sicut invenitur quando apponitur clausula *ex certa scientia*, quæ formam specificam declarat. Unde cum illa communis confirmatio sit tantùm simplex quædam approbatio, relinquens rem in statu, quem ante habebat; nec habeat vim novæ concessionis, ut diximus *dict. disp. 4. sect. 1.* nequit dictos effectus causare.

507. 7. Dubitatur *secundo*, an confirmatio *ex certa scientia*, habeat vim restituendi privilegia ab homine revocata? Communissima sententia est affirmativa propter easdem rationes assignatas in præcedenti dubio: & quia quando Pontifices volunt perseverare revocationes antecedentes post confirmationem privilegiorum *ex certa scientia*, illas excludunt, ut cùm dicunt: *Dummodo sub nullis revocationibus sint comprehensa*, vel quòad aliqua confirmationem limitant. Igitur quando nihil excludunt, absque dubio tenendum est quòd revalidant privilegia revocata ab homine.

508. 8. Si verò objicias, quòd Pontifices post confirmationem *ex certa scientia*, solent addere clausulas derogatorias, *v. g. non obstantibus*, &c. quæ frustra adderentur, si clausula *ex certa scientia*, idem contineret: Ergo, &c. Respondetur facilè, quòd Pontifices id faciant aliquando ad tollendam omnem dubitationem, vel ad majorem abundantiam, seu expressionem, ut passim docent Doctores.

509. 9. Dubitatur *tertiò*, an confirmatio *ex certa scientia* confirmet actum, seu privilegium in præjudicium tertii? Respondetur sub distinctione, & dico, quòd loquendo in rigore, omnia confirmat, quia si confirmatio est absoluta, ad omnia se extendit, sicut extenditur potestas Papæ. At loquendo de æquitate, quæ dictat nemini inferendum esse præjudicium, ut dicitur in *Cap.* Super eo, *de offic. deleg.* non operatur in præjudicium tertii in jure acquæsito, circa rem magnam & gravem; ita Cardinal. Tusch. *litt. C. conclus. 340. num. 13.* Menoch. de præsumpt. *lib. 2. præsumpt. 9.* Ludovic. Gomez in *Reg. Cancell. quæst. 1. regul.* de non tollendo jus quæsitum. Riccius in *praxi variar. resolut. resolut. 190. in fin.* Rota in *noviss. decis. diversi. ab anno 1626.* per Coccin. *decis. 166. per totam*, & alii multi apud ipsos. Imò de jure communi idem probatur in *Cap.* Quàmvis, *de rescript. in 6.* &

*Cap.* Super litteris, *de rescript.* ubi Felin. & alii docent, talem præsumi intentionem Principis, qualem legis; & confirmant ex *Cap. ult. de confirmat.* ubi de jure nunquam præsumitur Principem velle juri tertii derogare in re magni momenti, nisi exprimat, & sic debere impropriari verba privilegii, seu confirmationis, ne inferant tale præjudicium tertii, *L. Si quis à Principe, 3. ff. Ne quis in loco publico.* Panormitanus *Cap.* Cùm in nostris, *de conceff. prabend.* Paris. *Cons. 1. num. 82. volum. 1.* Cancer. *Tom. 1. variar. cap. 3. num. 194.* & alii multi.

510. 10. Si verò clausulæ, *ex certa scientia* addatur: *Non obstante jure, & præjudicio tertij*, etiam in magnis rebus jus tertii abrogat, & tollit, quia per hæc adjecta apparet, quod Princeps cum sufficienti motivo voluit præjudicare illi, cui erat jus acquæsitum; sic multi, quos refert, & sequitur Barbos. *clauf. 25. num. 7.* Nald. in *sum.* verb. *Clausula*, §. *ex certa scientia.* Nec de potestate Pontificis potest dubitari, quia omnia beneficia mundi dicuntur manualia, & obedientialia respectu Romani Pontificis, quippe qui & potest etiam Episcopos à sua Cathedrali deponere, absque eo quòd possit ei dicere, cur ita facis? Romani enim Pontifices in tertis Superiorem non habent, omnesque judicant, & à nemine judicantur, sic Bartol. in *l. rescripta, C. de precib. Imper.* & *l. qui se Patris, C. Vnde liber.* & sequitur Soccin. *Cons. 156.* & alii, quos refert Gomez in *dicta Regula Canc.* de non tollendo jus quæsit, *quæst. 1.* ubi latè de jure quæsito disputat; idem tenent Navarr. de *spoliis Clericorum*, §. *3. de sponsalib. num. 15.* Menoch. *remed. 15. recup. num. 33.* Farinac. *de delict. p. 7. fragment. crimin. loc. cit. num. 87.* & *Cons. 1. num. 425.* Garcia de *benefic. part. 5. cap. 4. num. 2.* & alii.

11. Hoc verò maximè locum habet in his, quæ à Pontifice fiunt favore boni publici, cujus ob causam à juris regulis receditur, & jus tertii aufertur, & violatur, Rom. *Cons. 31.* & Angel. *Cons. 351.* incip. *generosus*, in 1. colum. & sic Pontifex ob bonum publicum potest jus quæsitum tollere, & derogare, ut benè probat Gomez *ubi suprà quæst. 19.* 511.

12. Idem præsumitur, quando Pontifex aliquam concedit gratiam, quam scit non posse verificari, nec suum effectum sortiri, nisi cum præjudicio juris tertii, & sic fuisse decisum à sacra Rota, testatur Riccius in *Collect. 1752. in causa Burgens.* quindenior. 5. Decembris 1601. coram Seraphin. & in *Caus. Oscens.* indulti 10. Decembris 1599. coram Merlino, tenet etiam Merola *Tom. 3. de privileg. disp. 6. cap. 5. de confirmat. num. 32.* Ratio est, quia quæcunque verba in privilegiis & Bullis apposita debent aliquid operari, aliàs essent otiosa, & impertinenter apposita, *Cap.* Si Papa, *in fin. de privileg. in 6.* Gonçalez ad *Regulam 8. Cancell. §. 7. proœmial. num. 63.* Tambur. de jur. Abb. *Tom. 1. disp. 18. quæst. 6. num. 63.* Minus enim malum est jus tertii violari, quàm præfata inconvenientia sequi. Hìc nota, quòd idem operatur clausula, *motu proprio*, & similiter alia *de plenitudine potestatis*, ut docent Doctores, quia mutuò se includunt. 512.

13. Dubitabis *quartò*, an per confirmationem *ex certa scientia*, *motu* 513.

*pro-*

*proprio*, vel *de plenitudine potestatis*, renoventur, seu restituantur privilegia revocata in Conciliis generalibus antiquis, etsi nulla mentio fiat Conciliorum etiam in communi?

14. P. Suarez *lib. 8. de leg. cap. 19. num. 5.* sentit, & ut omninò certum putat non restitui, nisi fiat in non obstantia, mentio Conciliorum, saltem in communi, quia non est verisimile per confirmationem generalem privilegiorum, adeò confusam & communem derogari speciali dispositioni Concilii generalis revocantis in particulari aliqua, vel aliquod ex dictis privilegiis. Nam regula est, ut potius species deroget generi, quàm è contrario, etiam si species antecedat: Ergo maximè servãda est, quando authoritas Concilii Generalis intervenit. Unde nisi fiat mentio saltem in communi Conciliorum Generalium in non obstantia, privilegia in ipsis revocata, non restaurantur per clausulam *ex certa scientia*. Siquidem confirmatio est solùm generalis, & generica; revocatio autem est specialis & individua pro illo casu, de quo Concilium loquitur.

514. 15. At multi Doctores partem affirmativam defendunt, aliàs clausula *ex certa scientia*, nihil operaretur, siquidem sine illa quando in revocatione fit mentio Conciliorum Generalium, in communi revocata manent, etiamsi clausula *ex certa scientia*, non apponatur. Rursus, clausula *ex certa scientia*, supponit notitiam Conciliorũ in Pontifice; siquidem sunt jura communia. Insuper includit in se specialem derogationem antecedentis, in his quæ omninò contrariantur, & exprimit voluntatem Pontificis utentis plenitudine potestatis, ut ex supradictis constat.

Non ergo ita certa est opinio P. Suarez, ut ipse judicat, quin potius hæc probabilior videatur, etiam quando nulla alia obstantia additur in confirmatione; ita docent Garcia de *Benefic. part. 4. cap. 5. n. 45.* Mata voto *159. n. 6.* Merola *dis. 7. cap. 1. dub. 7, n. 46. in fine.* Et sic fuisse decisum à sacra Rota Romana, testatur Puteus *decis. 494. lib. 2.* & Mandosius de signatura gratiæ, *tit. de provis. verbo. Derogatio d. Concilij*, quod maximè verum judico, quando additur clausula, *Non obstantibus constitutionibus Apostolicis*, vel quando agitur de meerè gratiosis, & quæ respiciunt bonum animarum, neque jus tertii, in re magni momenti lædunt, vel quando confirmatio esset prorsus inutilis sine derogatione Concilii, cui opponitur, quia hæc ut favorabilia, debent ampliari; videantur dicta *disp. 4. sect. 3. à nu. 12.* notando semper, quòd sicut odiosa debent restringi, ita favorabilia ampliari, juxta proprietatem verborum, dummodo ad multum exorbitantia & inusitata non extendanti r, quia in talibus non præsumitur voluntas Pontificis, nisi exprimatur propter *ibi* dicta. In his enim impropriari debent verba confirmationis, sicut & concessionis.

16. Dubitabis *quintò*, an per confirmationem, *ex certa scientia, motu proprio, & plenitudine potestatis* absolutè, & sine aliqua limitatione factam, restaurentur privilegia expresè revocata in Tridentino, absque aliqua mentione expressa illius? 515.

17. Au-

17. Authores, qui supra *disp. 4. sect. 3. & 4.* affirmant nullam differentiam reperiri inter Concilia Generalia antiqua, & nova, facilè se expediunt ab hac difficultate, & multò facilius, qui defendunt, minus requiri ad derogandum Tridentino, quàm alijs Concilijs antiquioribus, propter specialem facultatem relictam summis Pontificibus, ab ipso Tridentino, disponendi circa ejus statuta.

516. 18. Et quidem P. Merola huic modo dicendi adhærens, pro resolutione hujus difficultatis, sic loquitur *disp. 6. cap. 5. num. 27.* Responderi potest illam exceptionem *dummodo Concilio Tridentino non sint contraria*, non frustra positam esse in concessionibus seu confirmationibus privilegiorum; nam sine illa censerentur confirmata, etiam privilegia per Concilium Tridentinum revocata. Ratio est, quia licet, ut per concessionem, seu confirmationem privilegij, censeatur derogatum juri communi, habenti clausulam derogatoriam privilegiorum, aut in Conciliis Generalibus, necessarium sit, ut in concessione, vel in confirmatione de illis juribus, vel Concilijs fiat saltem generalis mentio per Clausulam *non obstantibus juribus, vel Concilijs contrarijs*; nihilominus hoc non requiritur ad derogandum Tridentino, sed satis est, ut Pontifex aliquid concedat contra decreta illius, ut ostendi *Cap. 1. num. 49.* Et per consequens si Pontifices non adderent illam exceptionem, confirmando privilegia *ex certa scientia*, remanerent confirmata illa, quæ Concilio Tridentino contraria sunt.

Adde quod quamvis ad derogandum Tridentino esset necessaria clausula derogatoria *non obstante Concilio Tridentino*, nihilominus ad hoc satis esset clausula *ex certa scientia* addita in confirmatione privilegij; quia hæc æquivalet clausulæ derogatoriæ *non obstante, &c.* ut dixi *cap. 1. num. 51.* ubi probat cum multis dictam clausulam, *ex certa scientia*, habere vim specialis derogationis; ac per consequens privilegium, seu confirmationem habentem illam, derogare cuicunque clausulæ derogatoriæ privilegiorum, neque ab hac regula excludit revocata, neque à Tridentino, neque ab aliquo alio jure; etiamsi in fine privilegij seu confirmationis non exprimatur clausula, *non obstantibus*, &c. Rationem reddit *eod. cap. dub. 4. numer. 79.* quia Clausula *ex certa scientia* posita in confirmatione, innovat prius privilegium; est enim quasi nova concessio. Sed quando privilegium innovatur, amplianda est renovatio, cum sit favor Principis, & ab eo datur *ex certa scientia*, & consequenter *de plenitudine potestatis*, amplè interpretanda est, tam ex parte personæ, quàm ex parte modi.

19. Sentit ergo præfatus P. Merola 517.
quod posità solâ clausulâ *ex certa scientia*, sine limitatione, in confirmatione privilegiorum, post Tridentinum, ut invenitur in aliquibus relatis *supra disp. 6. sect. 2.*, per totam, quod restituuntur privilegia, etiam expresè revocata in Tridentino, & licet *cap. 5. ejusdem disp. dub. 2. difficul. 1.* dicat, contrariam sententiam esse probabilem, sed hanc probabiliorem affirmat, adducendo, *num. 46.* in terminis casum Tridentini, cui satisfacit *num. 53. in fin.*

ex

ex fundamento relato. Cum Merola debent sentire omnes, qui affirmant, statuta Tridentini, vel non habere majorem resistentiam, quàm alia Concilia vel habere minorem, ut per se patet.

518. 20. At P. Suarez, *ubi supr. num.* 2. renuit hoc concedere; ait enim, quod licet privilegia Societatis JESU confirmata fuerint absolutè, & absque aliqua restrictione à *Gregor. XIII.* Bulla *Quantò fructuosius*, & Bulla *Ascendente*, & *Gregorius XIV.* & *Paulus V.* & alij Pontifices in suis Bullis idem concesserint pro alijs Religionibus, ut vidimus *suprà disp. 6. sect. 2. à num.* 1. *& hoc ex certa scientia, & potestatis plenitudine*; nihilominus ipsa societas ex vi saltem confirmationum, non agnoscit fuisse sibi restituta privilegia expressè revocata in Tridentino; fundamentum est, quod supra pro aliis Conciliis Generalibus adducit; ipse enim nullam differentiam ponit inter alia, & Tridentinum. Sed sentit, *numer.* 4. quod si revocatio particularis facta fuit per aliquod Concilium Generale, non sufficit clausula *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, ut renovetur, sed requiritur in non obstantia, mentio Concilij Generalis, saltem in communi; sed Thomas Sanchez, & alii relati *supra disp.* 4 *sect.* 3. *numer.* 18. 25. *& sequentibus*, & *sect.* 4. *num.* 4. *& deinceps*; non solum requirunt mentionem in communi Conciliorum Generalium, ad derogandum Tridentino, sed expressam, & individualem.

519. 21. Nobis tamen dicendum est per confirmationem *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, &c.* sine alia obstantia, confirmari, maximè pro foro conscientiæ, privilegia revocata expressè in Tridentino, quando exorbitantia non sunt, nec difficillimæ, & inusitatæ concessionis; sed de facili solent dispensari, nec lædunt jus tertij in re gravi, & respiciunt bonum animarum, quia hoc de pia mente Pontificis debet præsumi, & clausulæ *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, idem suadent, ne dicantur esse prorsus inutiles, & nihil de novò concedere, respectu Tridentini. Secus verò in alijs difficillimis rebus, & quæ rarissimè, vel nunquam conceduntur, & sic in hoc casu respectu Tridentini debet impropriari clausula *ex certa scientia*, ut dixit Suarez, propter maximam authoritatem illius, & prudenter satis, potest hoc præsumi de mente Pontificum, juxta varietatem opinionum tantorum virorum. Nam sicut in concessionibus non veniunt exorbitantia, & inusitata, nisi exprimantur; sic nec veniunt in generalibus confirmationibus privilegiorum, juxta ea, quæ latè diximus *disp.* 4. *sect.* 4.

520. 22. Ex quibus facilè convincitur, immeritò aliquos affirmare, posse Regulares, ex vi confirmationis privilegiorum, ordinari in foro conscientiæ, ante legitimam ætatem, quia casus iste est valde exorbitans, & omnino inusitatus à tempore Tridentini, revocataque sunt expressè privilegia antiqua, quæ circa hoc erant concessa, non solùm à Tridentino, sed etiam à diversis Pontificibus, post illud. Unde numquam debent reputari instaurata per subsequentes confirmationes, nisi omnino exprimantur.

23. Ad illa autem, quæ possent ob-

jici ex decreto *Vrbani VIII.* relato *supra sect. 4. num. 21.* & similibus, ex ibi dictis satisfactum manet juxta doctrinam Merolæ, & Donati *ibidem* relati, videatur *tota illa sect. 4.* & notentur *ibi* dicta.

521. 24. Hoc unum adverte, quod si daretur casus, in quo Pontifex *ex certa scientia* confirmaret privilegium revocatum expresse in Tridentino; taliter, quod confirmatio nullum alium effectum posset habere, nisi Tridentino, in illa parte derogando, derogatum maneret, quamvis esset circa rem difficillimam, & inusitatam, & nullam mentionem Tridentini faceret, quia in tali casu confirmatio, & derogatio essent specificæ, cum de nullo alio casu possent intelligi, adesseretque scientia, & præsumeretur voluntas Papæ circa illum determinatum casum. Si verò confirmatio fiat in generali omnium privilegiorum, etiam sine restrictione, & ex certa scientia, cum possit intelligi de rebus parvæ difficultatis, & quæ solùm concernunt forum conscientiæ, & bonum animarum, ad hæc debet coarctari, ut patet in concessionibus absolutis omnium Indulgentiarum, quæ secundùm aliquos, non extenduntur ad plenarias, nisi exprimantur; & similiter in communicatione omnium privilegiorum, quæ non extenditur ad personalia, & localia, nisi exprimatur. Nec per hoc concessiones, & confirmationes possunt dici inutiles, sed intellectæ juxta regulam rationis, & juris, ut constat ex dictis *disp. 2. sect. 3. num. 18.*

## SECTIO VIII.

### *An confirmatis privilegijs unius Religionis censeantur confirmata privilegia aliarum, quæ cum illa communicant in privilegijs?*

522. 1. PRo resolutione notandum est *primò*, quod sub duplici sensu procedit difficultas. Primus est, an confirmatis privilegiis unius Religionis, cui primò fuerunt concessa, eo ipso censeantur illa eadem confirmata pro omnibus Religionibus, quæ cum illa participant in ipsis privilegiis. Alius sensus est, an confirmatis privilegiis unius Religionis, eo ipso confirmata censeantur omnia privilegia aliarum Religionum, etiam si diversa sint: Dummodo gaudeant communicatione in privilegiis, cum prima Religione, pro qua facta fuit confirmatio? Quod est inquirere, an confirmatio facta de privilegijs unius Religionis, intelligatur facta de privilegiis aliarum, ratione generalis communicationis?

523. 2. *Secundò* est notandum, duplicem esse communicationem privilegiorum, vel solùm de privilegiis jam concessis, vel de concessis, & in futurum concedendis, ut in multis communicationibus invenitur. Et quia confirmatio privilegiorum potest fieri, vel in forma specifica, vel in forma communi, de utraque difficultas procedet, & præcipuè in forma specifica.

524. 3. Loquendo igitur de difficultate in priori sensu; *dico primò*: si secunda Religio solùm communicat in privilegijs

legijs concessis anteriori Religioni, cui nunc de novo confirmantur sua privilegia, non gaudet confirmatione privilegiorum de novo facta pro prima Religione, etiamsi communicatio concessa secundæ Religioni facta fuerit ex certa scientia. Nam formaliter, & per se loquendo confirmato privilegio exemplari, idest, primo, non confirmatur privilegium ad instar; quia non fuit exemplar, ut confirmatum, sed solùm, ut concessum. Nam confirmatio post communicationem accessit, ut supponimus. Non enim privilegium ad instar per se respicit futurum statum; sed illum, quem habebat exemplar, quando aliud ad instar illius conceditur, sicut è contrario; licet privilegium ad instar confirmetur, confirmatio non redundabit in exemplar, neque aucto, neque diminuto exemplari; censetur auctum, vel diminutum privilegium ad instar; imò revocato exemplari, non reputatur revocatum concessum ad instar.

525. 4. Confirmatur, & declaratur. Communicatio facta solùm de privilegiis concessis non extenditur ad confirmationem postea factam, siquidem confirmatio est novum privilegium, quia hæc nondum erat, quando communicatio facta est, cum ad futura non extendatur, ut supponimus; sic sentiunt Suar. *lib.* 8. *de leg. c.* 19. *n.* 8. *& 9.* Horatius Mandos. *de privileg. ad instar. q.* 7. Rodrig. *Tom.* 1. *qq. quæst.* 8. *art.* 2. Tambur. de Jur. Abb. *Tom.* 1. *disp.* 18. *quæst.* 4. Portel. *de dub. verb.* privileg. *num.* 34. Miranda in manual. prælat. *Tom.* 2. *quæst.* 42. *art.* 5. *concluf.* 2. Merol. *disp.* 6. *de privileg. cap.* 5. *dub.* 3. *num.* 3. Donat. *Tract.* 11. *quæst.* 9. & alij communiter.

5. *Dico secundò*, si communicatio 526.
privilegiorum facta fuit secundæ Religioni, non solùm de concessis primæ Religioni, sed etiam de concedendis in futurum, si fiat *ex certa scientia*, gaudet privilegio, & confirmatione circa privilegia, quæ participat, & de novo confirmantur pro prima Religione. Ratio est, quia talis confirmatio æquivalet novæ concessioni privilegii, ut ex supra dictis constat, & sic censeri debet novum privilegium, & nova gratia; sed dicta communicatio est de concessis, & in futurum concedendis, ut supponitur; ergo etiam ipsa confirmatio communicatur, siquidem est novum privilegium, & nova gratia. Et hoc totum procedit etiam in confirmatione facta in forma communi: dummodo communicatio facta, sit absoluta de concessis, & concedendis; quia eadem militat ratio. Confirmatio enim in forma communi, etiam est nova gratia, & quasi novum privilegium, ut alibi diximus; sic Suar. & alij relati uno, vel altero dempto.

6. Dices revocato privilegio exem- 527.
plari, non revocatur privilegium ad instar. Igitur pariformiter, confirmato exemplari, non confirmatur ad instar.

7. Respondetur, argumentum solùm habere vim, quando communicatio non se extendit ad futura concedenda, ut in casu primæ conclusionis. Secus verò quando se extendit, ut benè notat Suar. *num.* 10.

8. Major difficultas est circa secundum sensum quæstionis, videlicet; an confirmatio concessa uni Religioni; quoad sua privilegia, censeatur facta alteri,

teri, quoad sua, ratione communicationis generalis privilegiorum cum illa; etiam si privilegia diversa sint, & difficultas solùm procedit, quando communicatio se extendit ad futura concedenda; quia si solùm sit de concessis, non est dubium, confirmationem postea subsecutam non communicari, aliàs esset non de jam concessis solùm, tempore communicationis, sed de postea concedendis, quod supponimus falsum.

528. 9. Affirmat Horatius Mandos. *ubi supr. quæst.* 8. cujus sententiam probabilem judicant Merol. *ubi supr. dub.* 3. *num.* 68. & Suar. *num.* 12. sed oppositam longè probabiliorem esse tenent Portel, *verb.* Privileg. confirmatio, *num.* 34. & Donat. *Tract.* 11. *de confirmat. privileg. quæst.* 10. *n.* 1. & alij, quibus libenter adhæreo.

529. 10. Ratio est, quia confirmatio non se extendit ad non intenta, nec expressa per Principem, sed quando Papa confirmat privilegia propria, v.g. Minorum, non intendit confirmare privilegia propria Prædicatorum, aliàs plura confirmaret, quàm intenderet, ut per se patet: Ergo, &c. Insuper sequeretur, quod bis communicaretur illa confirmatio tali Religioni, semel circa privilegia prius communicata, ut constat ex 2. *dicto* primæ difficultatis, & iterum circa propria. Quæ omnia aliena videntur à ratione, & ab intentione Pontificis confirmantis, quæ magis urgent in confirmatione ex certa scientia, quia Pontifex non habet, vel præsumitur habere scientiam particularem privilegiorum aliarum Religionum; sed tantùm eorum, quæ directè, & expressè ex tali scientia confirmat: Ergo illa confirmatio, non potest per communicationem transire ad alia privilegia ignota, & per se valde dissimilia, sic Authores citati.

11. Neque fundamenta pro prima sententia obstant; videlicet, quod mens 530.
Pontificis in communicatione privilegiorum est, ut Religiones æquales maneant in privilegiis; sicut æquales judicat in laboribus: igitur se extendit ad communicandum confirmationes factas pro una Religione, cæteris alijs communicantibus cum ea in privilegiis; cum ipsa confirmatio rationem habeat novi privilegii, & hoc satis confirmant declarationes Pontificiæ factæ à *Iulio II.* & *Pio V.* pro Dominicanis, & Minoribus, quando dicunt, quod concessa uni Religioni, & communicata alteri, cum proportione, sed non cum identitate debent alteri applicari, v.g. si privilegium concedit favorem pro tali festivitate, vel Sancto Religionis prioris, ad aliam Religionem debet applicari, pro alio Festo, vel Sancto proprio, & sic de alijs. Ergo similiter si uni Religioni conceditur confirmatio privilegiorum suorum ex certa scientia, & hæc communicantur alteri, cum proportione, debent illi adaptari, etiam ipsæ confirmationes ex *Iulio II.* & *Pio V.*

12. Sed hæc non obstant. Respondetur enim, quod ad servandam æqua 531.
litatem intentam à Pontificibus, in communicatione privilegiorum, sufficit, quod sicut privilegia, v.g. Prædicatorum non manent confirmata, ex vi confirmationis concessæ Minoribus, ita non manent confirmata privilegia

Mino-

Minorum, ex confirmatione facta Prædicatoribus, & sic licet communicent in ipsis privilegijs confirmatis; non tamen, ut cadunt sub confirmatione, sed sub concessione. Exemplum autem adductum de festivitatibus Sanctorum, non facit ad rem, ut notant Suarez, & Merola, *ubi supra*, quia proportio in eo consideratur ex parte materiæ, in usu privilegiorum, neque ibi intervenit extensio communicationis; sed tantùm interpretatio circa modum, quo debet applicari ad materiam, & usum ejusdem privilegij, quæ interpretatio sumi potest ex materia ipsa, & circumstantiis; quia idem privilegium ad diversos applicatum, debet unicuique aptari juxta modum suum, alioquin esset inutile, & improportionatum utrique, vel alteri eorum. At verò in nostro casu non solùm fieret interpretatio, sed extensio confirmationis Pontificiæ ad plura privilegia, quæ non cadunt sub intentionem, aut mentem confirmantis.

532. 13. Verum est, quod secunda Religio participat confirmationem, prout respicit privilegia, quæ communicat cum prima. Unde si aliqua erant revocata, & renovantur per confirmationem, participat illa secunda Religio, non verò ut respicit alia, sive propria, sive aliena; quia de illis non curat Pontifex in illa peculiari confirmatione; maximè cum de illis minimè præsumatur scientiam habere, ac proinde nec formaliter, nec virtualiter intendit confirmare.

533. 14. Sed præfatam doctrinam limitant, & benè Suar. *num.* 14. Merola *num.* 70. Donat, *num.* 4, quando Pontifex confirmat privilegia, non solum sub clausula generali; sed addit se confirmare omnia privilegia, v.g. primæ Religionis, sive propria, sive communia, ideſt, quæ participat cum aliis. Nam in tali casu consequenter confirmantur etiam privilegia alterius Religionis, cum qua communicat; non tamen ut istius, sed ut per communicationem facta sunt alterius; quia talis Religio secunda, etiam habet communicationem cum prima, quòad privilegia, & futuras gratias, ut supponimus: Ergo per talem communicationem habebit sua privilegia confirmata, ex redundantia, ut sic dicam, generalis confirmationis concessæ primæ Religioni, ut consideranti facilè patebit, & hoc asserere cogimur ex ratione convincente, & ne verba Pontificis otiosa videantur, sed aliquid operari, ut sæpè diximus.

15. Hanc doctrinam amplectitur 534.
Pelizarius *Tom. 2. tract. 8. cap. 1. sect. 5. num.* 231. Unde infert, & benè, quod cum *Gregor. XV.* die 16. Octobris an. 1621. Bull. à nobis relata *supr. disp. 7. sect. 2 num.* 8 confirmaverit *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis* omnia privilegia tam propria, quàm participata, Patribus Theatinis, & hi participent omnia privilegia Mendicantium, & non Mendicantium, eisque omnia de novo concesserit, privilegia omnium Religionum confirmata, & innovata remanserunt; illaque participant aliæ Religiones juxta modum suæ participationis.

16. Videat igitur quælibet Religio 535.
formam communicationis, quam cum aliis habet in privilegiis; ex illa enim, & & ex dictis agnoscet, ad quæ se exten-

dere potest. Hoc unum affirmo, quod quòd quatuor Religiones Mendicantes antiquæ habent communicationem omnium privilegiorum inter se, & cum aliis non Mendicantibus, non solùm circa privilegia concessa, verùm in futurum concedenda, & hoc absque ullo discrimine, ut videre est apud Mirand. *Tom. 2. manual. Prelat. quæst. 42. art 2. conclus.* 1. nostrum Lezanam in explicatione Marismagni Prædicatorum, §. *52. num. 167. & 168.* & Minorum, §. *51. num. 152. & deinceps*, & Carmelitarum §. *105. num. 522.* & *523.* & apud alios. Et pro nostra reformata Carmelitana familia, quæ ut constat ex dictis *disp. 2. sect. 1. num. 1.* est una ex quatuor Mendicantibus antiquis, videlicet ipsa Camelitana primitiva: Extant diversæ communicationes privilegiorum cum omnibus aliis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, nedum de concessis, sed & de omnibus concedendis, pro futuris temporibus, ut optimè probat noster Lezana *ubi suprà*, adducens privilegium de concessis, & concedendis aliis Religionibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, tam per extensionem, quàm per communicationem nobis Carmelitis factam à *Clemente VII.* pridie idus Augusti an. 1530. Bullâ incip. *Ex clementi*, & refertur *Tom. 1. Bull. Rom.* & est 31. hujus Pontificis, habeturque authentica in nostro *comp. fol 297. post fin. n 9.* & ad intentum est tenoris sequentis in §. 4. *Bullarij*, & in *nostro compendio*, num. 2. *Nos igitur dicti Ordinis (quem præcæteris in visceribus gerimus charitatis) prosperum & tranquillum statum, ac salutem animarum paterno zelantes affectu, hujusmodi supplicationibus inclinati.* Joannis & Alexandri, *ac aliorum Prædecessorum nostrorum litteras, ac per eosdem Prædecessores omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, etiam non solvendi quartam funeralem Presbyteris sæcularibus, quoad Fratres Domorum in possessione quartam ipsam non solvendi existentes, duntaxat, ac indulta, indulgentias (citra plenarias) peccatorum remissiones, & gratias Ordini, & illius Fratribus, Monialibus, Sororibus, & utriusque sexûs Confratribus, & personis Domibus, Monasteriis, Ecclesiis, & locis quibuscunque, etiam per modum extensionis, seu communicationis, & aliàs quomodolibet, etiam per nos, & Sedem Apostolicam concessa. Quorum omnium volumus authoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus, & innovamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter observari debere, ipsosque Fratres, Moniales, Sorores, personas, Monasteria, Domos, Ecclesias, & alia loca hujusmdi, omnibm, & singulis privilegijs, immunitatibus, exemptionibus, indultis, indulgentijs (citra tamen plenarias) peccatorum remissionibus, & gratijs quibusvis, Congregationibus dicti, & aliorũ Ordinum, etiam Mendicantiũ, Fratribus, & personis, ac Confraternitatibus suæ professionis non contrarijs, aliisque Ordinibus quibuscunque, etiam non Mendicantibus, quomodolibet concessis, & concedendis in genere uti, frui, & gaudere posse, atque debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si eis concessa fuissent, decernimus. Nec non potiori pro cautela ea omnia etiam de novo concedimus*, &c. Ubi, ut vides, duo tantùm excipiuntur, videlicet indulgentiæ plenariæ, & quæ nostræ profes-

sessioni contrariantur, sed extendit ad omnia alia privilegia concessa, & concedenda, quæ aliæ Religiones, sive per concessionem, sive per extensionem, vel communicationem participant.

536. 17. Post hæc autem *Clemens VIII.* anno 1602. die 13. Junii, Bull. incip. *Cùm dudum*, & habetur authentica in nostro *Compend. fol.* 184. postque §. 1. declarat nostram reformatam Familiam gaudere omnibus privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis, quibus fruuntur & gaudent nostri Patres Carmelitæ de Observantia, tam principaliter, quàm per communicationem concessis à Romanis Pontificibus, siquidem est ipsa Religio, statim §. 2. subnectit: *Necnon prædicta, & omnia videlicet privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, indulgentias, & gratias, ac alia quæcunque dicti, & aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, Fratribus, personis, & bonis, Confraternitatibus, & aliis pijs locis, vel aliàs quomodolibet prædictis Ordinibus, Domibus, & eorum bonis concessa, & concedenda (dummodo sacrosancto Concilio Tridentino, Regulæ primitivæ, & eorum Constitutionibus non adversentur) prædictis Fratribus Discalceatis Ordinis beatæ* MARIÆ *Virginis de Monte Carmelo, Domibus, & eorum bonis, eodem omninò, similique modo competere verè & propriè, ac si eisdem specialiter concessa essent, præsentibus pro expressis, ac si de verbo ad verbum insererentur, haberi volentes decernimus, & statuimus, & si opus est, eadem nunc concedimus, & impertimur, etiam quòad quartam funeralium, sicut alij præfati Ordines gaudent, & potiuntur*, &c. ubi non limitantur indulgentiæ ad non plenarias, sed absolutè omnes nobis communicat, & de novo concedit, sicut & alia omnia, dummodo sacrosancto Concilio Tridentino non adversentur, neque Regulæ primitivæ, & nostris Constitutionibus, in quo videtur minus ampla hæc confirmatio, seu communicatio, quàm relata *Clementis VII.* siquidem illa solùm excipit, quæ nostræ professioni contrariantur, & ista excipit etiam, quæ Tridentino adversantur.

537. 18. Hinc facilè colligitur, quòd privilegia nostræ Carmelitanæ Familiæ semper manent confirmata per confirmationes factas specialiter aliis Religionibus, quæ nostra privilegia participant, si confirmatio extendatur ad propria, & ad communicata; ut extenditur concessa Patribus Dominicanis à *Julio III.* die 10. Julii anno 1551. & aliis Mendicantibus, & non Mendicantibus ab aliis Pontificibus, quia ut notavit Suarez *suprà*, quàmvis non maneant confirmata, ut propria nostra; manent confirmata, prout illius Religionis, pro qua fit confirmatio, cum qua semper nos participamus in privilegiis, sive propriis, sive alienis, hoc est, quæ participat ab aliis Religionibus, & de novo ei confirmantur, siquidem confirmantur directè & principaliter pro prima Religione, & indirectè, & quasi per reflexionem pro secunda.

538. 19. Hîc placet repetere quæ *suprà* diximus, nempe quod omnia antiqua privilegia Regularium, quæ decretis sacri Concilii Tridentini non contrariantur, juxta doctrinam suo loco traditam, ab ipso Concilio fuerunt approbata, & confirmata, *sess. 25. de reform. cap.*

cap.20.ubi sic ait: *In cæteris, præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illæsa.* Quod est notatu dignum, & mente tenendum, ut benè advertit Donat. *Tract.* 11. *quæst.* 8. *num.*7. si autem aliqua ex his privilegiis confirmatis à Tridentino, revocata inveniantur à subsequentibus Pontificibus privatis revocationibus, illis standum erit.

539. 20. An confirmatio privilegii aliquid operetur, si privilegium, quod confirmatur, non appareat? De authoritate necessaria ad usum privilegiorum fusè diximus *disp.* 2. *sect.* 3. *per totam.* Pro nunc autem dico breviter; si Princeps confirmans privilegium generaliter dicat, *Confirmo tibi privilegium concessum à tali Pontifice*, nihil valet confirmatio, si privilegium non appareat, vel de illo non constet; quia scriptura aliam referens, non probat, nisi relata producatur; idcircò Doctores affirmant, quòd non solùm tenetur quis instrumentum, quo se juvat, exhibere; sed etiam alia instrumenta in eo relata, aliàs non juvatur, & cùm Bulla confirmans cum solis præfatis verbis pristinum instrumentum non probet; sed solam confirmationem superaddat argumento, *Cap.* Si scripturam, *de fid. instrum.* nisi appareat relatum privilegium, confirmatio nihil operatur; est enim quasi conditionalis hæc confirmatio. Ludov. Rom. *Cons.* 305. *n.* 3. Marant. in *specul. part.* 6. *tit. actorum editio fieri solet.* Craver. *Cons.* 112. *n.* 15. Merol. *disp.* 6. *de privileg. cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 88. Donat. *Tract.* 11. *q.* 12. *n.* 1. *& 2.*

540. 21. Dicò secundò, si Pontifex confirmans privilegium, in confirmatione mentionem faciat in particulari de eo, quod confirmat, referendo se ad aliud privilegium, dicens: *Sicut, vel prout, aut secundùm quod, jam tibi per aliud privilegium concessum fuit à tali Pontifice*, valet privilegium & confirmatio, licèt privilegium, quod refert Pontifex, non appareat, quia illa verba relativa: *sicut, prout*, & similia, nõ sunt conditionalia, sed demonstrativa, & ideò etiam non existente privilegio, quod confirmatur, ad quod fit relatio, valet privilegium seu confirmatio; est enim absolutè nova concessio, siquidem voluntas concedentis confirmationem non est conditionata, sed absoluta & dispositiva, & sic nõ pendet ab eo privilegio, ad quod fit relatio; tenent Jason in *Authent.* si quis in aliquo documento, *n.* 8. *C. de ædend.* Bos. *tit.* de Princip. & ejus privileg. *nu.* 360. Aretin. *Cons.* 76. *n.* 5. *circa tertium.* Cervant. in *ll. Taur. l.* 1. *n.* 32. Decius *Cons.* 152. *in fin.* Ripa *lib.* 2. *tit. de rescriptis, rescript.* 6. *num.* 5. *& 6.* & alii multi, quos referunt, & sequuntur Merola & Donat. *suprà.* Et novissimè hanc quæstionem in terminis decidit Rota Rom. in *novissim. decis.* 36. *p.* 2. *n.* 3. ubi ampliat, sive substantia, sive tenor privilegii confirmati, narretur à Principe, sive à parte.

22 Dicta communia sunt, sed mihi 541.
videtur dicendum circa primam conclusionem, quòd si Pontifex dicat, se confirmare *ex certa scientia*, privilegiũ concessum à tali Papa, confirmatio erit valida, & illi credendum est, etiamsi privilegium non compareat, ne mendax judicetur in scientia, quam testatur se habere de tali privilegio.

SECTIO

## SECTIO IX.

### *De causa necessaria ex parte Pontificis ad valorem, sive concessionis, sive confirmationis privilegiorum.*

542. 1. PRæsens difficultas æqualiter procedit, tam de confirmationibus, quàm de concessionibus, & communicationibus privilegiorum, & quia versatur circa causam motivam, seu finalem, ideò in hunc locũ eam examinandam reservabimus, quod fiet sub titulo concessionis, ut clariùs procedatur.

2. Et suppono posse concessionem privilegii fieri *validè*, sed *illicitè*, vel *validè & licitè*, vel denique *licitè*, sed *invalidè*. Insuper, posse concedi cum læsione juris communis, seu legis universalis, vel sine tali læsione, ut contingit in privilegiis meè gratiosis, & quæ sunt pura beneficia Principis.

543. 3. Et loquendo de his secundis, certum est apud omnes, quòd ut *validè* concedantur, non requiritur causa extrinseca movens Pontificem ad suî concessionem, quia hæc omninò pendet ex sua voluntate; erit enim necessaria aliqua causa prudens, & honesta, ut *licitè* fiat, non semper ex parte materiæ, seu actûs concessi; sed ex parte concedentis, quatenus moderatè & prudenter suâ liberalitate debet uti; aliàs, ut benè notat Suarez *lib. 8. de leg. cap. 21. num. 2.* & 5. privilegia nimis multiplicarẽtur, & contemnerentur, & in aliis generarent invidiam, & pacem perturbarent, quia non fierent sine aliqua personarum acceptione; quod nunquam præsumi debet de gratiis à Romano Pontifice concessis; ac proinde quando clarè & evidenter non constat concessionem esse iniquam, securè potest quis uti privilegio sibi concesso; quia semper pro Superiori præsumi debet. Unde ex parte subditi bona fides sufficit, si cum illa procedat, & veram & sufficientem narrationem in petitione exhibeat. Et idem dicendum est, si Pontifex suo *motu proprio* privilegium concedat, absque petitione subditi; tunc enim non oportet subditum esse solicitum de causa, & an Superior sufficientem diligentiam fecerit; nam ubi de opposito non constat, supponere debet, rem esse legitimè factam. Ex parte autem Superioris non oportet, ut causa semper immediatè pertineat ad bonum commune; quia privilegium ex sua primaria intentione est lex privata, & ideò satis est, quòd respiciat commodum ejus, cui conceditur; mediatè autem redundare debet in commune bonum; quia debet semper fovere religionem, pietatem, aut justitiam, aut dari in remunerationem virtutis, vel laborum, sic Suarez *ubi suprà num. 8.*

4. Respectu autem privilegii, quod jus commune lædit, seu ab illo eximit, illi qui affirmant dispensationem legis communis humanæ, sine causa datam à Superiore, non solùm esse iniquam, verùm & nullam, ut sunt multi apud Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 1.* & apud Suar. *lib. 6. cap. 19.* idem dicent de tali privilegio, quia est veluti permanens, & continuata dispensatio in jure. Confirmant ex eo, quòd indulgentia sine causa data, est nulla: Ergo & privilegium; siquidem est quædam indulgentia. 544.

545. 5. Nihilominus communior,& verior sententia docet, quod privilegium cum læsione juris communis, quando tale jus pendet à voluntate concedentis,privilegium est validum ; etiam sine justa causa concessum,quia Papa respectu juris communis Canonici est superior, & licet nullus inferior possit dispensare validè in eo, nisi in casibus concessis, vel omnino necessariis; in quibus, vel præsumitur tacita licentia, vel quod non sunt comprehensi in prohibitione: At superior qualis est Papa, optimè potest; siquidem Author legis potest illam ex parte tollere, quod facit privilegium : & quamvis iniquè id faceret sine causa;quia tamen cum effectu mutaret voluntatem,à qua essentialiter pendet obligatio legis, ideo etiam cum effectu validè concedit privilegium; & idem dicendum est de dispensatione in jure communi,ut tenet Suarez *ubi supr. num.*14.& fusè satis de hoc agit,solvendo omnia argumenta in contrarium *lib.6.c.*19.*per totam*;ubi probat, quod nec venialiter peccat subditus utendo dispensatione sibi, sine causa concessa; videatur Sanch.*lib.* 8. *de matrim. disp.* 28. *per totam*, quia hic non oportet hanc difficultatem latius examinare, cum ibi propriam habeat sedem.

546. 6. Itaque ferè absque discrimine philosophatur Suarez *d. ct. disp* 21. *num.* 5. in dispensatione, & concessione privilegij sine causa concessi; sentit enim in utroque casu validè fieri, quamvis iniquè. Quid autem dicendum sit, quando dispensatio,seu privilegium datur in damnum grave tertij, sine causa; resolvit benè idem Suar.*citata disp.* 19. *lib.* 8. videatur. Per quod patet ad primum fundamentum oppositæ sententiæ. Ad illud quod additur de indulgentia, quod invalidè conceditur sine causa, est dispar ratio,nam indulgentia attingit jus divinum, & ideo necessariò petit ad sui valorem justam causam. Est enim respectu illarum Pontifex merus dispensator Thesauri Ecclesiæ,ex potestate sibi à Christo Domino concessa; respectu verò juris Canonici est Author,& supremus legislator illius;& sic mirum non est, quod validè operetur circa hoc sine causa, in distributione autem, seu concessione indulgentiarum secus dicendum.

547. 7. Denique privilegium potest concedi *licitè*,sed *invalidè*,& contingit quando falsa causa proponitur Pontifici;quia deceptio impedit voluntarium. Sed est notandum duplicem posse intervenire causam, unam per se & est, quæ movet absolutè voluntatem Pontificis ad concedendum privilegium; aliam per accidens, videlicet, quæ non movet, sed removet prohibens; videlicet circumstantiam aliquam, quæ si aperiretur, impediret fortè cognita,privilegium ne concederetur, vel saltem non ita facilè.

548. 8. Ad priorem causam pertinet falsa narratio, per quam aliquid proponitur, ut moveat Papam, quæ falsitatem includit,& hæc per se loquendo irritum reddit privilegium, ut constat ex *Cap.* super litteris, & *Cap.* Ad aures, *de rescript.*& *Cap.* non potest, *de præbend.in* 6. & tenent *ibidem* Panormitanus, & Felinus cum aliis. Ratio est manifesta, quia causa motiva falsa tollit voluntarium à concedente. Oportet autem, ut illa causa falsa moveat Pontificem principa-

cipaliter; nam si absque illa sunt aliæ causæ veræ, propter quas concederet Pontifex privilegium, etiam si una non existat vera, poterit aliquando reddi validum privilegium, non obstante tali falsitate alterius, præsertim si ex ignorantia, & absque dolo misceatur falsum; ut communiter docent DD. loquentes de dispensatione.

549. 9. Secundæ autem causæ correspondet diminuta narratio, videlicet, quando aliquid occultatur, quod debebat exprimi, vel ex aliquo jure, vel ex consuetudine, & stylo Cutiæ; & tunc etiam redditur nullum privilegium; quamvis quod occultatur non sit causa motiva; quia saltem est conditio pertinens ad formam, & conditionem sine qua non. Et sic censetur Princeps involuntarius, ut patet in postulante beneficium, qui aperire debet, an aliud habeat, quod si non servet, invalida est collatio, & in indulgentiis, & simil. bus; sic Panormitanus, & alii supra, & colligunt ex eisdem juribus relatis, & ex *Cap.* 2. de filiis Presb. *in 6.*

550. 10. Si autem diminuta narratio, seu occultatio alicujus rei, nec pertineat ad causam motivam, seu finalem, neque de jure, seu de stylo Curiæ desideretur aperiri, validum erit privilegium, quamvis occultetur. Sed ut benè notat Suarez *lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 7. semper prudenti arbitrio utendum est, ut de voluntate concedentis constet, cum totum negotium in hac re sicut in dispensationibus ab agnitione voluntatis Papæ pendeat. Quapropter videndi sunt Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 24. & Suar. *lib.* 6. *de leg. cap.* 19. & alii diffusè tractantes de requisitis in dispensationibus, ut validæ sint. Quæ adaptari facilè possunt præsenti instituto. Nota tamen, quod cum idem sint dubitare de voluntate Pontificis, ac de valore privilegii, quando dubium est formale, pro valore privilegii standum est valere, juxta doctrinam traditam *disp.* 1. *s.* §§. 2. *num.* 15. & 16.

## SECTIO X.

### *Resolvuntur aliqua dubiola valde utilia circa extensionem Privilegiorum pro temporibus, & casibus futuris, etiam post mortem Papæ concedentis.*

501. 1. DUb. 1. an potestas absolvendi à reservatis Papæ, concessa ab uno Pontifice, extendatur post ejus mortem ad noviter reservata per ejus successores? Et difficultas procedit, quando dictam facultatem non revocant successores. Negativè respondent aliqui, & ideo negant posse Episcopos virtute Tridentini, *sess* 24. *cap.* 6. absolvere à censuris; & casibus occultis contentis in Bulla Cœnæ, ex eo, quod post Tridentinum, quolibet anno reservantur de novo à subsequentibus Pontificibus, casus Bullæ Cœnæ. Probant primò, quia privilegium quantumvis favorabile, est intelligendum, salvâ verborum proprietate, ut sæpè diximus: Ergo privilegium includens facultatem absolvendi à reservatis, non potest extendi ad postea reservanda, patet à simili: nam privilegium, in quo concedit Pontifex communicationem privilegiorum concessorum alicui Religioni, non extenditur ad privilegia in

fururum concedenda, nisi id exprimat, ut omnes fatentur; igitur idem dicendum est in casu nostro: nam sicut in proprietate sermonis, sub verbo, *Concessu*, non comprehenduntur concedenda, sed solùm concessa, sic sub verbo, *Reservatis*, non veniunt reservanda, sed solùm reservata.

552. 2. Secundò, quia aliquæ declarationes Eminentissimorum Cardinalium circunferuntur, in quibus declaratur non posse Episcopum, virtute relatæ facultatis Tridentini, absolvere à casibus, quos post publicationem Tridentini, Pontifices sibi reservant, & sic interrogatus *Gregorius XIII.* respondisse testantur Lelius Zechius de casibus reservatis, *cas.* 14. *quæst.* 3. *diff.* 2. Aloisius Riccius in *præx. resol.* 44 *n.* 5. & alij.

553. 3. Sed oppositum sicut magis commune, ita & probabilius videtur. Probatur primò, quia sensus talium privilegiorum non est concedere facultatem absolvendi ab illis casibus, seu peccatis, quæ tunc reservata erant, quando tale privilegium fuit concessum, sed ab illis, quæ sunt reservata, quando confessio fit, & absolutio est danda; unde quamvis reservatio sit posterior concessione privilegij, nihil obstare potest, ut validè uti possit tali privilegio. Et quod ita sentiendum sit, constat: tum, quia Pontifex potest, hoc modo, suam potestatem delegare, ut certissimum est, teste Suar. *ubi supr.* & potest in his, & similibus rebus delegationem, seu concessionem facere perpetuam, usque dum revocata sit à suis successoribus: Igitur valebit pro futuris temporibus; & quod hoc modo se gerant Pontifices in concessionibus absolutis privilegiorum, patet ex eo, quod illam facultatem concedunt sine aliqua limitatione temporis, & ad omnes casus; ac proinde ad instar legis, de cujus ratione est, quod sit perpetua, & semper loquatur; etiam post mortem concedentis. Ergo, &c. Tum etiam, quia quando Pontifices successores volunt, ut talia privilegia non extendantur pro absolutione à casibus de novo reservandis, expresè revocant privilegia antecedentia; non aliâ ratione, nisi quia supponunt illa de se extendi ad subsequentes reservationes, & ideo illa revocant.

554. 4. Tum denique probatur à simili. Si Pontifex Regi concederet jus præsentandi idoneos ad beneficia talis Provinciæ, vel Ecclesiæ, quantuncunque postea multiplicentur, & crescant beneficia illius Provinciæ, seu Ecclesiæ, gratia facta extenditur ad talia beneficia de novo erecta, juxta *Cap.* quia circa, *de privileg.* Ubi ratio adducitur, quia in beneficiis Principum plenissima debet esse interpretatio; ergo multò magis in nostro casu; sunt etenim frequentissimæ novæ reservationes, ideoque piè creditur de eis cogitasse Pontificem privilegium concedens; & maximè cum datum sit propter magnam, & spiritualem utilitatem Fidelium, & bonum animarum, ergo ampliari debet, non restringi; ita Suar. *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 3. Portel. *verb.* Prælati potestas, *n.* 28. Merol. *disp.* 6. *de privileg. cap.* 6. *diff.* 5. *corol.* 1. *n.* 169. in respons. mor. *lib.* 1. *dub.* 22. & omnes sentientes posse hodie Episcopos absolvere ab omnibus casibus occultis; etiamsi post Trident. sint reservati, adhuc in Bulla Cœnæ.

Imò

Imò Authores, qui hoc negant Episcopis, respectu Bullæ Cœnæ, non ideo negant (ut benè notavit Sanch. *lib. 6. summæ cap. 15. num. 76.*) quia post dictam facultatem à Tridentino concessam, reservata sint in Bulla Cœnæ, sed quia sentiunt, quod in quolibet anno in dicta Bulla Cœnæ revocatur illa facultas, concessa Episcopis à Tridentino. Alias minimè negarent posse Episcopos uti illa, etiam respectu casuum Bullæ Cœnæ, quandiu occulti fuerint; Sed tu semper excipè casum hæresis quantumvis occultum.

555. 5. Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ satis patet ex declaratione primæ nostræ rationis, siquidem juxta proprietatem verborum, optimè cadit explicatio ibi data, supra dictionem à *reservatis*, minimè verò supra dictionem *concessa*, in communicatione privilegiorum; quod firmatur ex eo, quod quando Pontifices intendunt communicare privilegia etiam concedenda, id exprimunt, dicendo *concessa, & concedenda*, non aliâ ratione, nisi quia particula *concessa*, non potest referri in proprietate vocis, nisi ad tempus pro quo fit communicatio, at particula à *reservatis*, optimè referri potest, & refertur ad tempus pro quo fit confessio, vel conceditur absolutio, quod satis suadent fundamenta adducta, & praxis communis.

556. 6. Ad secundum respondetur, quod licet declarationes Eminentissimorum Cardinalium essent certæ, & authenticæ, & sufficienter publicatæ (quod non credit Sanch. ubi *supr.* sicut neque quod dicitur de responsione facta à *Greg. XIII.*) nostræ conclusioni minimè obstarent; siquidem Authores, qui illas referunt, loquuntur solùm de casibus contentis in Bulla Cœnæ, à quibus negant posse Episcopos absolvere, virtute Tridentini, non quia illa potestas prius illis concessa, non extenderetur ad futura, sed quia sentiunt esse illis revocatam per Bullam Cœnæ, affirmantes de hoc extare aliquas declarationes Eminentissimorum Cardinalium, & respons. *Gregor. XIII.* quod licet verum esset, quod est sub dubio non levi, nihil nobis noceret, ut manifestè liquet.

557. 7. Dub. 2. an quando privilegium conceditur ad aliquid determinatè faciendum, v. g. ad constituendam in Ecclesia aliquam determinatam Capellam in determinato loco, vel ad designandum aliquod altare privilegiatum, intelligatur de prima constructione, seu designatione, ita ut destructâ tali Capellâ, vel semel designatum tale altare, non possit construi, seu designari aliud de novo, loco primi intra eandem Ecclesiam? Sed pro clariori luce notare oportet, quod vel privilegium conceditur absolutè, vel cum dictione *semel*, ut his temporibus conceduntur altaria privilegiata.

558. 8. Nonnulli Juristæ, & Canonistæ docent, quod sive concessio sit cum dictione *semel*, quæ est taxativa, sive sine illa, non potest extendi ad secundam ædificationem, seu designationem. Probant ex *l. Bobes, §. hoc sermone, de verborum significatione*, ubi statuitur, quod sermo simpliciter prolatus, intelligitur de primo actu, seu prima vice tantùm, & Afflict. *decis. 392.* testatur sic fuisse resolutum in Regali Consilio Neapolitano, & consequenter ad hæc,

addunt dicti Authores, quod licentia disponendi de feudis, seu testandi, intelligitur tantùm de prima dispositione; quod magis urget, quando privilegium datur cum dictione, *ad semel ædificandum, vel designandum*, quia cum sit taxativa, in unico actu debet finiri.

559. 9. Sed oppositum, videtur mihi longe probabilius, quòad utramque partem, & quidem loquendo, quando dictio *semel* non adest, tenent Felinus in *Cap.* 2. de tregua, & pace, *limit.* 7. Alciat. in *dict. l. Bobes*, § *hoc sermone*, *n.* 6. Tiraquel. *ibidem limit.* 8. Alexand. *cons.* 15. *volum.* 4. *in princip.* Afflict. *ubi supr. num.* 393. & alij, qui docent dictam regulam ex *l. Bobes*, non habere locum in favorabilibus, in quibus facultas concessa ad aliquid determinatè agendum, non expirat per usum ipsius, in primo actu; sed privilegiatus uti ea potest, & repetere toties quoties sibi benè visum fuerit. Unde resolvunt, quod licentia concessa Episcopo testandi, non cessat ex usu primi actus, & sic virtute ejus poterit revocare primum testamentum, & aliud conficere, toties quoties sibi placuerit, & sic resolutum fuisse à Sac. Rota in una Piacen facultatis testandi, 14. Januarij 1587. testatur Gonçal. de *mensib. & alternat. Gloss.* 11. *num.* 49. habeturque in decision. diversorum *p.* 1. *decis.* 47. fundamentum est, quia cum tale privilegium sit gratia Principis, & concessa sine restrictione non ad unicum actum, sed absoluta debet reputari.

560. 10. Confirmatur, quia præfati Authores sentiunt, dictam regulam ex *l. Bobes*, non habere vim in privilegiis, quia si dispositio privilegij realis, de primo actu tantum intelligeretur, esset, & non esset privilegium: esset, quia supponitur; non esset, quia non esset perpetuum, sed finiretur primo actu, quod est contra rationem privilegii realis, sicut, & legis. Non ergo potestas privilegij extinguitur, sed debet durare, & permanere, quandiu non revocatur.

561. 11. Nec minus efficaciter probatur ex dictis secunda pars nostræ conclusionis, videlicet, quando apponitur dictio *semel*, alias non esset privilegium, si solùm de unico actu intelligeretur; nam ut benè probat Merol. *ubi supr.* cum aliis, si Princeps expressè concederet facultatem ad primum actum tantùm, non esset privilegium; sed quædam particularis licentia ad illum actum faciendum, quare dicendum est, quod dictio *semel*, præcipuè quando in privilegiis apponitur, non semper est taxativa, & definitiva, sed solùm designativa, id est, quod semel designatum, v. g. altare privilegiatum à superiore, non possit ab alio inferiore mutari; vel dic quod adverbium *semel*, significat in his privilegiis, idem quod *prius*, & facit hunc sensum: altare, v. g. debet prius designari à superiore, & semel designatum, non potest in aliud mutari indulgentia, nisi ab ipso superiore, vel ab alio cum simili potestate. Unde non ad formam sed ad meram conditionem, reducitur; sic mihi consulenti responderunt viri docti, & timorati.

Vel potest dici, quod talis repetita designatio in alio altari, in rigore non est alia designatio absolutè, sed mutatio primæ in aliud altare; in quo nullum inconveniens reperitur. Neque voluntati Pontificis contrariatur, siquidem solùm

solùm prætendit, quod ibi non dentur duo altaria privilegiata, neque unum indeterminatum, quod verò sit hoc, vel illud, tanquam quid accidentale, nec pertinens ad formam, remittit superiori.

562. 12. Hic placuit notare, quod licet hodie in concessione altaris privilegiati, frequenter apponantur verba, *Semel à signandum à superiore*; at in concessione nobis facta de aliquibus altaribus privilegiatis, non invenitur dictio *semel*, sed absolutè concessum fuit altare designandum à superiore, & cum non determinet Pontifex, qualis debeat esse superior, intelligendum est de quolibet etiam locali, & sic quilibet Prior, si causa adsit, poterit altare privilegiatum, jam designatum, relinquere, & aliud loco illius in eadem Ecclesia designare; quia non datur ratio, cur ad aliquem superiorem limitetur gratia cum Pontifex non limiter; unde tam Generalis, quam Provincialis, & etiam Prior localis veniunt intelligendi. Ad fundamenta oppositæ sententiæ patet ex dictis, neque indigent alia solutione, quàm negatione præcipuè in materia privilegiorum, de qua agimus.

563. 13. Dub. 3. an qui post concessionem illimitatam ad reservata vel propter oblivionem, vel propter scrupulos, petivit aliam, sed ei magis limitata concessa est, an possit uti priori facultate, certus de suo valore: Hanc difficultatem tangit Eminentissimus de Lugo in *Resp. moral. lib. 1. dub. 24.* & simili casu Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 22. num. 16.* & respondet affirmativè, nisi ex verbis, seu circunstantiis, secundæ facultatis aliud constet de mente Episcopi, seu Pontificis. Ratio est, quia ex taciturnitate, & limitatione secundæ licentiæ, non arguitur revocatio prioris concessionis. Aliud enim est superiorem mente non concedere quantum antea concesserat, aliud revocare positivè concessionem primò factam, neque enim superior semper est æque dispositus ad concedendum; neque ex hac inæquali dispositione sequitur, ut eo ipso, quod si nunc rogaretur, non concederet, censeatur revocare antea concessum; nam durius est auferre, quod concessum fuerat, quàm non concedere, quod petitur; hinc sæpè sequentes Pontifices limitatè concedunt, quod magis amplè alij concesserant, & dum antecedentia non revocant, valida manent, ex vi prioris concessionis.

564. 14. Sic Sanchez *ubi supra* loquens de eo, qui impetravit dispensationem, & ob aliquos scrupulos sibi objectos, impetravit aliam, quæ concessa est ei cum aliquibus moderationibus; postea verò cum certior factus fuit de valore prioris, dubitat de ejus valore. Respondet Sanchez, posse adhuc illa uti, quia petendo secundam, non videtur priori renuntiare. Ergo similiter dicendum erit in nostro casu, ait Lugo, & ego.

DISPU-

# DISPVTATIO OCTAVA.

## De privilegijs vivæ vocis Oraculo conceßis.

IN ſupradictis non pauca diximus de vivæ vocis oraculis, præcipuè *diſput. 7. de confirmat. privileg. ſect 3. à num.* 8. quæ omnino videnda ſunt; at, quia multa alia pro notitia oraculorum, eorumque revocationibus deſiderari poſſent, meritò in hunc locum fuſius remiſimus diſcutienda.

## SECTIO I.

### In quo conveniant, & differant privilegia Bullata ab his, quæ oretenus concedunturs & vivæ vocis oracula nuncupantur?

565. 1. DIco primò, ſi iſta privilegia conſiderentur quantùm ad efficaciam valoris convenient inter ſe; nam vivæ vocis Oracula æqualem valorem habent, ſaltem, quòad forum conſcientiæ, ac ſi eſſent conceſſa per Bullam, aut Breve ad perpetuam rei memoriam. Pontifex enim ſive ſcripto, ſive ſine ſcripto, gratiam concedens, nihil de gratia tollit, cum adſit poteſtas, nec deficiat voluntas. Unde merito *Leo X.* idipſum conceſſit, ſeu declaravit, in gratiam Fratrum Minorum, videlicet: *Quod non ſunt minoris efficaciæ conceſſa illis per oracula, quàm ſi per Bullam, ſeu Breve conceſſa forent.* Habetur in *ſupplem. conceſſ.* 361. teſte Rodrig. *Tom.* 1. *qq. quæſt.* 7. *art.* 7. *in fine*; idemque docet *Tom.* 3. *quæſt.* 22. *art.* 1. quem ſequuntur Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 29. *num.* 4. noſter Lezana 3. *part. ſumm.* verb. Gratiæ, *num.* 13. Donat. *Tract.* 15. *q.* 3. *n.* 1.

2. Dixi, *ſaltem quoad forum conſcientiæ*; nam ſi oracula omnia requiſita, quæ ſtatim dicemus contineant; etiam pro utroque foro eandem vim retinent, ac aliæ Conſtitutiones Papales ſcriptæ. Colligitur apertè ex *Cap.* inſtitutionis 25. *quæſt.* 2. & ex *Clement.* dudum, § *Nos etenim de ſepult.* & ibi *Gloſſ.* ſic P. Donat. *ubi ſupra*, Imò ad reſiſtendum revocationibus, oracula ſuperant privilegia Bullata, quia per revocationem privilegiorum non intelliguntur revocata oracula, niſi in ſpecie de eis mentio fiat, ut docet Hieronym. Rodr. in *Comp. reſol* 117. *num.* 1. ſequutus Felician. de *Cenſib. cap.* 15. Innocent. in *Cap.* conſtitutus, *num.* 2. *de reſcript.* Felin. *Conſt.* 6. *num.* 1. Enriq. *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 24. *num.* 8 & eſſe de praxi Curiæ Roman. docet Peirin *Tom.* 1. *privileg. ad Conſtit.* 4. *Iulij* 11. § 3. *num.* 26. *in fine*, & ad *Conſtit.* 17. *ejuſdem Pontif. num.* 1. & 3. Bordon. *de oracul. reſolut.* 31. *quæſt.* 1. *num.* 1 Joan. Maria Novarius in *Lucerna Regul.* verb. *Privileg. Regularibus conceſſa num.* 1. Portel. verb. *Viva vocis oracul.* Donatus *quæſt.* 3 *ubi ſupr.* 566.

*supr.* noster Lezan. *Tom. 1. summ. cap. 3. num. 21.* & alij communiter. In odiosis enim restrictione utendum est, sicut & in favorabilibus extensione. Et revera licet gratiæ oretenus factæ sint privilegia; tamen in communi, & propriâ significatione hujus vocis ***Privilegia*** non veniunt intelligenda oracula, nisi addatur ***oretenus concessa***, siquidem in rigore sermonis, & in acceptione communi, sub nomine privilegij, solùm significantur privilegia scripta, ut notavit Pelizarius *Tract. 8. cap. 1. sect. 1. q. 9.* & alij. Suppositis requisitis ad valorem privilegij, de quibus fusè diximus *disp. 2. sect. 3.*

567. 3. Dico secundo, Privilegia Bullata differunt ab oraculis in hoc, quod illa necessariò requirunt scripturam, manu Papæ subscriptam, vel juxta stylum Curiæ Romanæ, in signatura solent notari; oracula verò id non requirunt, sed solùm ut constet, quod oretenus fuerunt concessa. Unde si duo testes concessioni adfuerunt; etiam pro foro exteriori valebunt; sin minus pro foro tantum interno. Insuper *Leo X.* concessit, seu declaravit pro Fratribus Minoribus, ut possint secura conscientia uti, & frui omnibus concessis sibi à Sede Apostolica, prout in libris Ordinis reperiuntur; sic Rodrig. *Tom. 1. q. 7. art. 5.* & *Tom. 3. quæst. 22. art. 1. & 3.* Hieronym. Rodr. *resp. 117.* Bordon. de *Oracul. resol. 31. q. 1. n. 1.* Donat. *Tract. 15. de Oracul. q. 2. n. 6.*

568. 4. Est, & alia differentia inter vivæ vocis oracula, & privilegia Bullata, ex qua facilè cognoscetur, qualis sit gratia concessa; nempè, quod in privilegio Bullato ipsemet Papa loquitur: In Oraculo autem loquitur tertia persona, referens, & attestans, quid Papa concesserit, ut constat ex Oraculis, quæ adducuntur ab Authoribus, præcipuè à Rodrig. in suo *Bullario.*

## SECTIO II.

### *De revocatione Oraculorum.*

569. 1. PRo complemento hujus materiæ repetere licet nonnulla, quæ diximus de Oraculis *disp. 2. sect. 3. à num. 8.* sit primum *Gregor. XV.* sub anno 1622. revocasse omnes concessiones usque tunc, oretenus factas per suos Antecessores, *Const. 17.* incipit: *Romanus Pontifex*, habeturque in 4. *Tom. Bullarij* Cherubini. Rursus, eandem revocationem iterum produxit *Vrbanus VIII. Constitut. 9. in appendice* die 11. Aprilis anno 1631. ut in Bullario magno. Sed hoc fuit discrimen inter has revocatorias, quod in revocatoria *Gregorij* excepta sunt vivæ vocis Oracula, quæ manu propriâ alicujus Cardinalis subscripta invenirentur: Et quæ ad instantiam Regum erant concessa: At *Vrbanus VIII.* hæc etiam revocavit; sed postea idem *Vrbanus* in alia *Constitutione 29.* in appendice, incipiente: *Alias felic. recordat.* hunc temperavit rigorem, declarans, prædictam suam revocationem, non comprehendere oracula expedita, per illos Officiales, quibus ratione munerum suorum antea de summi Pontificis Oraculo, fides haberi solebat; ut videre est apud Peirinum, Lezanam, Donatum, & alios.

570 2. Hujusmodi Officiales sunt multi, & varij, prout adnotatur in Extravagant.

gant. *Ad regimen*, de Præbend. & Dignitatib. *in 6.* ubi relatio fit Officialium Sedis Apostolicæ, videlicet, Camerarij, Vicecancellarij, Notariorum, Auditorum litterarum contradictarum, & Apostolici Palatij causarum Auditorum, Correctorum, & scriptorum literarum Apostolicarum, ac Pœnitentiarij præfatæ Sedis, ac Abreviatorum, necnon commensalium, & aliorum, quorumlibet Capellanorum Sedis ejusdem, & etiam quorumcunque legatorum, sive Nunciorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ Rectorum, & Thesauriorum, &c. vide *ibi*; de quibus singulis agit Cardinalis Tusch. *verb.* Officialis, *Conclus.* 82. *num.* 6. & 16.

571. 3. Similiter sub nomine horum Officialium, seu Ministrorum Papæ, veniunt intelligendi Eminentissimi Cardinales Protectores Ordinum, illorumque assertis, sine dubio, credendum est. Nam licet in dicto Capite *Ad regimen* non numerentur ut Officiales Papæ, tamen in Religionem sibi commissam, jurisdictionem exercent tanquam Ministri Papæ, ac nomine, & authoritate ipsius Papæ, qui est omnium Religionum generalissimus Superior; & licet administrando justitiam, teneantur servare Regulas, & statuta Ordinum, quos dicti Eminentissimi gubernant, habent tamen super illos superintendentiam, & authoritatem à Domino Papa, sive scripto, sive voce, aut consuetudine, quod ad intentum parum refert. Secus autem dicendum est in his, quæ non concernunt Religiones, quas protegunt; sic Peirinus in Formulario Prælatorum Regular. *litt. Z. cap.* 3. in *appendic.* 4. ad *Vrban. VIII.* Donat. *Tract.* 16. *de Oracul. q.* 12. & satis ad mentem *Vrban. VIII.*

## SECTIO III.

### *De aliquibus exceptionibus.*

CIrca præfatas revocationes *Gregor. XV.* & *Vrbani VIII.* admittunt Authores aliquas exceptiones, & licet de illis non pauca dicta sint, citata *disput.* 7. *sect.* 3. per totam, præcipuè à *num.* 10. attamen ne manca hæc disputatio appareat, placuit aliqua ex *ibi* dictis repetere, & hic addere *ibidem* omissa.

1. Igitur dicendum est *primò*, cum 572.
communi sententia non comprehendi sub dictis revocationibus Oracula, quæ sunt meræ declarationes, sive Decretorum Concilii Tridentini, sive Constitutionum Apostolicarum, aut Mendicantium privilegiorum: Nam solùm revocantur gratiæ, quæ aliquam facultatem concedebant, ut constat ex ipsis revocatoriis, & ex fine potissimo illarum, qui fuit annullare Oracula, quæ siniſtrâ interpretatione ad non extendenda, extendebantur, in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ, prout videre est in proœmio dictarum revocatoriarum. Declarationes autem per vivæ vocis Oracula factæ à Summis Pontificibus, ut à *Pio V.* circa Tridentinum, & similes, non sunt, nec fuerunt in detrimentum Ecclesiæ, sed in ædificationem, & instructionem illius, & ad conservandos Fratres in regulari observantia; sic sentiunt Novarius in sua *Lucerna Regul. verb.* Privileg *num.* 4. Bordon. *Resolut.* 31. *quæst.* 7. *num.* 7. Peirin. *Tom.*

2. *ad*

2. *ad Constit.* 8. *Paul. V.* Alfonſ. de Leon. *Tract. de Iubil. p.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 247. noſter Lezana *Tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 21. Pelizar. *Tract.* 8. *cap.* 1. *ſect.* 5. *n.* 130. & alii communiter.

573. 2. Dico *ſecundò*, neque comprehenduntur ſub dictis revocationibus Indulgentiæ, vivæ vocis oraculo conceſſæ, quia, ut notavit Navarr. *Conſ.* 2. *de pœnit. num.* 3. & in *Comment. de Iubilæo, & Indulgent. notab.* 28. *num.* 27. *& notab.* 33. *in princip. & medio*, indulgentiæ nõ veniunt nomine privilegiorum, indultorum, ſeu gratiarum; quia indulgentiæ ſunt ſpecialiſſimi favores, ſolùm bonum animarum reſpicientes, ſine læſione neque juris communis, neque tertii. Unde niſi expreſsè revocentur, non comprehenduntur ſub aliqua revocatione; ſic Rodrig. *Tom.* 2. *quæſt.* 98. *art.* 4. Fauſt. *lib.* 3. *de Iubil.* & *Ann. Sancto, quæſt.* 79 Peir. in *Tom.* 3. *ad Conſtit. Vrban. VIII. cap.* 12. & alii ſequentes Navarrum. Idem tenet, & benè declarat P. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 4. circa finem, per ſequentia verba: *Indulgentia verò habet ſpecimen quoddam privilegij, communi tamen uſu non ita vocatur, nec ſolet comprehendi ſub nomine privilegiorum & gratiarum in generalibus reſcriptis Pontificum, niſi mentio proprio nomine fiat. Et ratio eſt, quia indulgentia eſt quædam abſolutio, ſolutio ſeu relaxatio pœnæ debitæ, & non eſt facultas aliquid agendi, vel non agendi; quam privilegium, ſeu gratia ſpecialiter ſignificant; vel certè* (addit Suarez) *eſt quædam ſpiritualis eleemoſyna de theſauro Chriſti, per diſpenſationem ejus facta, medio Pontifice; eleemoſyna autem non eſt privilegium, ſed purum beneficium alterius rationis.*

3. Hinc fit, quòd licèt quilibet Romanus Pontifex in initio ſuæ creatio- 574.
nis revocat omnes gratias & indulta, per ſuos Prædeceſſores conceſſa, non ideò revocat Indulgentias; quia gratiæ ibidem revocatæ referuntur ſolùm ad gratias ſpectativas, & ad indulta beneficiaria conceſſa, ad acquirenda beneficia Eccleſiaſtica, vel ad nominandum ad ea, vel conferendum illa, ut latè oſtendit Navarr. *lib.* 5. *conſil. de pœnit. & remiſſ. conſ.* 2. quem ſequuntur Joannes Viger in ſuis *inſtit. ad Chriſtianam Theolog. de Sacram. Ord. cap.* 16. §. 6. *verſ.* 22. *de Indulg.* & alii communiter. & nota, quòd quando indulgentiæ plenariæ revocantur expreſsè, ut fit in anno Jubilæi, illæ, quæ non ſunt plenariæ, non revocantur, ut docet ipſe Navarr. *notab.* 28. *num.* 27. quem alii ſequuntur, quia revocatio non extenditur, etiam de majori ad minus, tanquam odioſa.

4. Cùm ergò in præfatis revocatio- 575.
nibus oraculorum, non exprimantur proprio nomine indulgentiæ, minimè ſub eis comprehenduntur; & quàmvis ita ſentiat noſter Lezana in *Summ. verb.* Oracula. *num.* 5. (oppoſitum tamen judicat probabile) ex eo quòd verba *Gregorij XV.* videntur comprehendere etiam indulgentias; quia revocat omnes gratias & conceſſiones quaſcunq; ſpirituales & Eccleſiaſticas, tam ad forum internum, quàm externum ſpectantes, ſed nullum Authorem adducit pro hac parte, nec ſolidum fundamentum, & ſic dictis firmiter adhærendum eſt.

5. Dico *tertiò*, in dictis revocatoriis 576.

non clauduntur Oracula conceſſa univerſaliter pro omnibus fidelibus, vel pro omnibus Eccleſiaſticis, ſiquidem in revocatoria *Gregor. XV.* ſolùm fit mentio Oraculorum, quæ hactenus quandocunque & qualitercunque, ex quavis etiam de neceſſitate, exprimenda cauſa, conceſſorum, quibuſvis Collegijs, Capitulis, Ordinibus tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Societatibus, etiam Societati JESU, ac Congregationibus quibuslibet, ſive eorum, & earum reſpectivè Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus quocunque nomine nuncupatis, Superioribus, quomodolibet exemptis, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectis cujuſcunque Dignitatis, præeminentiæ, aut quovis alio privilegio munitis. Revocatoria autem *Vrban. VIII.* ferè idem continet, ſolùm enim exprimit Communitates, etiam ſæculares, & perſonas illarum omnium Communitatum prædictarum, & quaslibet alias conceſſiones factas particularibus perſonis, pro ſe ipſis, non verò pro omnibus Fidelibus, vel pro omnibus Eccleſiaſticis; ſic docent Reverendiſſimus noſter Stratius in *Inſtr. pro Carmelitis*, Romæ impreſſa, & approbata à viris valde doctis, *Cap. 20. n. 8. & 9.* noſter Doctiſſimus Lezana in *ſumm. verb.* Oracula, *num. 5. & verb.* Offic: Divin. *n. 12. & 13.* ubi probat, quod gratia facta à *Leon. X.* pro recitantibus Officium Divinum, videlicet, ut quicunque dixerit poſt quamlibet Horam, vel poſt omnes ſimul orationem *Sacro ſanctæ, & individuæ Trinitati*, &c. & *unum Pater noſter, & Ave MARIA* conſequatur remiſſionem omnium defectuum humana fragilitate commiſſorum, quæ gratia licet oretenus tantùm fuerit conceſſa: & admiſſo, quod hæc conceſſio eſſet indulgentia, ſicut & infra referendæ, tamen quia fuit facta pro omnibus recitantibus Officium Divinum, non intelligitur revocata: ideoque ſine nova confirmatione lex ponitur impreſſa in novioribus Breviarijs pro omnibus Fidelibus recitantibus Horas canonicas; & idem eſt dicendum de aliis ſimilibus, quæ ſive ſint conceſſæ, ſolùm oretenus, ut creditur, ſive per Bullas, & ſint indulgentiæ; indubitanter in vi ſua permanent.

Quia dato quod eſſent revocatæ indulgentiæ, quod negavimus numeris antecedentibus, revocatio extendi non debet ad univerſaliter conceſſa pro Fidelibus omnibus, ut ſunt mox relatæ; & idem dic dè oratione S. Auguſtini, quæ habetur in tabula magna Sancti Joannis Lateranenſis, ubi omnibus genibus flexis, illam dicentibus, ſingulis diebus octo millia ann. indulg. & dicentibus per 40. dies continuos, & refectis ſacra Confeſſione, & Communione, indulgentia plenaria conceditur. Dixi *indubitanter* propter nuper dicta, & quia præfatæ indulgentiæ paſſim Romæ, authoritate Superiorum typis mandantur, & in multis Eccleſiis, & locis Sactis Almæ urbis pro omnibus publicè exponuntur, ubi devotè recitantur à Fidelibus, etiam magnæ authoritatis, ut ſæpè vidi, quod minimè permitteretur, ſi ſupra dicta non eſſent vera.

6. Nota tamen, quod hæc doctrina 577
debet intelligi de gratiis factis primò,
& per

& per se ipsis Fidelibus, non verò de factis alicui Communitati, vel particulari, licet in utilitatem Fidelium sint concessæ; aliàs facultas concessa, v.g. aliquibus Regularibus absolvendi, seu dispensandi cum omnibus Fidelibus, per vivæ vocis oraculum, in reservatis, non intelligeretur revocata; siquidem in favorem omnium Fidelium esset concessa; & hoc esse alienum à veritate, etiam præfati Authores tenentur fateri.

Hinc fit, quod si daretur aliquod oraculum concedens omnibus visitantibus Domum Lauretanam, v.g. vel aliquem alium locum pium, vel recitantibus tales vel tales orationes, ut possent absolvi à reservatis, vel dispensari in reservatis, non esset comprehensum in dictis revocatoriis, propter fundamentum Stratii, & Lezanæ: nam facultas in hoc casu, si daretur oretenus, quod prorsus ignoro, esset primò, & per se concessa omnibus Fidelibus, & Confessoribus talis loci, seu Communitatis esset concessa secundariò, & indirectè; at si esset concessa gratia, seu facultas absolvendi, seu dispensandi Confessoribus Communitatis, vel loci; tunc ipsis esset concessa primò, & per se; pœnitentibus verò quasi secundariò, & sic revocata maneret, aliàs nulla vivæ vocis oracula data pro Religiosis, vel personis alterius Communitatis concedentia facultatem absolvendi, seu dispensandi in reservatis, essent revocata; quod est contra mentem Pontificum, & ipsorum Patrum Stratij, & Lezanæ.

Do casum præfatæ doctrinæ, si Privilegium Cruciatæ esset concessum solùm oretenus pro omnibus Fidelibus ante revocationem Oraculorum, non intelligeretur revocatum per dictas revocatorias, quia conceditur primò, & per se non Confessoribus, sed Fidelibus accipientibus Bullam. Unde etiamsi nulla alia adesset ratio, tale Privilegium maneret in sua vi post revocatorias *Gregorij XV. & Vrbani VIII.* Hic nota, quæ diximus *supra disp. 6. sect. 2. num. 37.*

## SECTIO IV.

### *De Oraculis, quæ jam sortita sunt suum effectum ante revocatorias.*

1. ORacula, quæ sortita erant jam suum effectum tempore revocatoriarum, non intelliguntur revocata in iis, quæ talem effectum erant sortita, constat ex revocatoria *Gregorij XV.* nec contradicit *Vrban. VIII.* ibi: *In his videlicet, quæ non sunt sortita suum effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, & abrogamus, & annullamus:* Ergo in his, quæ sortita sunt effectum, relinquit in sua vi; nam exceptio firmat regulam in contrarium; sic docent communiter Doctores. 578.

2. At quia ex vi dictæ clausulæ, ortæ fuerunt non leves difficultates, circa earum intelligentiam, Rever. P. Dominicus de Molina Ordinis Prædicatorum, tam nomine suæ Religionis; quàm aliarum Mendicantium, & non Mendicantium Provinciæ Bethicæ, quarum munus Procuratoris Generalis gerebat in Curia Romana stante præfatâ revocatoriâ *Gregorij XV.* à sacra Congregatione Episcop. & Regular. petivit declarari, an gratiæ, & privilegia vivæ vo- 579.

cis oraculo concessa Generalibus, Vicariis Generalibus, & Procuratoribus Generalibus,& eorum Ordinibus, quæ sortita erant effectum ante revocationem ; licet effectus haberent tractum successivum, vel alias respicerent particulares personas, ut sunt præsentaturæ,vel magisteria, non obstante prædicta revocatione, maneant in suo robore,& valida censeantur, uti in dicta revocatoria Constitutione non comprehensa, vel aliqua indigeant revalidatione tam in temporalibus, quàm spiritualibus.

580. 3. *Sacra Congregatio Cardinal.negotijs Regularium præposita, Illustrissimo de Carmona deferente,prædictas gratias, & privilegia, in dicta revocatoria constitutione non comprehendi, nullâque revalidatione indigere, proindeque validas, & validas fore,& esse,eisdemque securè uti posse censuit, prout aliàs fuit responsum Romæ die 2. Aprilis anno 1625.*sic referunt Castellinus de *elect. cap. 5. n. 37. vers.Pro parte,*Peirin.*Tom. 2.ad Constit. 3.Gregor.15. num.1.* & alij communiter.

581. 4. Hæc licet certissima sint in omnium opinione; tamen in modo intelligendi,& explicandi dictam constitutionem,& responsum sacræ Congregationis,toto cælo distant Authores. Sed pro intelligentia veritatis videre oportet, quæ diximus *supr. disp. 7. sect. 3. à num.11.* ubi refutatâ quadam nimis latâ interpretatione, explicuimus *num.* 12 .qualiter juxta mentem Pontificum, & sacræ congregationis debeat intelligi dicta Constitutio, cum relata declaratione sacræ Congregationis;videlicet quod Oracula, quæ in suo effectu principali unicum tantùm habebant actum, licet successivè transeuntem, non fuerunt revocata ; secus alia quæ plures effectus independentes habent; ista enim in his, quæ sortita non erant effectum,cassata remanserunt.

Adduximus ibidem optimum exemplum,ex consulto, & responso sacræ Congregationis deprompto. Nunc do alia duo:Primum, si per vivæ vocis Oraculum essent ante revocatorias confirmata aliqua privilegia Religiosorum, seu revalidata, non intelligeretur revocatum,quia sortitum fuit suum effectum, nempè confirmationem. Similiter, si quis per vivæ vocis oraculum haberet facultatem comedendi lacticinia per totam quadragesimam, si postquam cæpit uti privilegio, v. g. transactâ dimidiâ quadragesimâ adveniret præfata revocatio oraculorum, non ideo intelligeretur revocatum tale oraculum, sed posset uti illo per totam illam quadragesimam, quia cum tale oraculum haberet unicum actum successivè perficiendum per totam quadragesimam *semel* jam ante revocationem sortito effectu, licet non omnino perfecto , non manet revocatum , quòad perfectionem ipsius effectus successivè recipiendam, faciunt enim postremi dies cum primis quasi unicum indivisibile tempus , & comestio lacticiniorum ,per totum illud tempus, est quasi unicus effectus successivè perfectus, cum per gratiam sublatum sit impedimentum obligationis non comedendi lacticinia pro tota illa quadragesima : Quod minimè verificatur in facultatibus absolvendi, aut dispensandi, & similibus plures effectus haben-

bentibus, siquidem quælibet absolutio in se ipsa est perfecta, & independens omnino ab aliis, unde ad absolutiones non factas jam oracula, non se potuerunt extendere dictis revocationibus advenientibus, videantur *ibi* dicta.

## SECTIO V.

### *An privilegium concessum per Bullam uni Religioni, & alteri communicatum solùm per Oraculum, revocatum sit per dictas revocatorias?*

582. 1. NOn extra intentum dubitat hic Peirin. *Tom. 3. privileg. c. 12. ad Constitut. 18. Vrban. VIII. in addit.* An privilegium per Bullam concessum uni Religioni, sed communicatum alteri solùm per vivæ vocis oraculum, intelligatur revocatum, respectu secundæ Religionis, ex vi dictarum revocatoriarum; & respondet negativè: & meritò; quia gratia concessa oretenus hoc modo, intelligitur omnino, sicut Apostolicum diploma, nam communicare uni Religioni privilegia alterius, idem est, ac illi ea concedere, sicut concessa fuerant priori Religioni, ut docet Confect. *tit. 1. cap. 5.* Rodrig. *Tom. 1. quæst. 8. art. 4. & quæst. 55. art. 21.* unde in dicto casu privilegium communicatum non sapit naturam Oraculi, sed remanet ut concessum per Bullam, licet quòad modum concedendi, seu applicandi sit sine scriptura, quod ut quid accidentale, non habet tantam vim, ut immutet stabilitatem privilegij Bullati; sic tenent etiam Turrianus *part. 2. select. disp. 16. dub. 5.* & Bordon. *Resol. 31. num. 6.* Noster Lezana *verb.* Oracula, *num. 8.* & alij.

583. 2. Ex alio capite videtur mihi, quod dictum Oraculum non intelligitur revocatum, puta, quia jam sortitum erat suum effectum tempore revocationis, quod fuit facere proprium privilegium Bullatum alienum, & semel hoc effectu sequuto, non jam virtute oraculi, sed privilegii communicati per illud potest uti tali privilegio, siquidem neque privilegium in se est revocatum, neque oraculum prout illud communicavit, quia jam erat sortitum suum proprium effectum, nempè communicationem, antequam revocatoriæ accederent, & sic nequit esse revocatum, ut ex dictis constat.

584. 3. Nec dissimiliter videtur philosophandum casu, quo per Oraculum confirmarentur aliqua privilegia Bullata invalida, ex quavis causa, ante revocatorias, quia effectus proprius, & unicus, imò & indivisibilis talis Oraculi fuit revalidare privilegia cassata: Igitur cum tale oraculum sortitum sit jam suum effectum ante revocationes, sub illis minimè comprehendetur: Nec deinceps privilegiatus utitur aliqua facultate absolvendi, vel dispensandi, in posterum ab ipso oraculo recepta, sed à privilegio Bullato, quod per Oraculum revixit.

585. 4. Declaratur magis. Per oraculum restitutum fuit privilegium Bullatum ad suum pristinum statum, non tamen conservatur talis valor privilegii per Oraculum, quia non est causa valoris, nisi tantùm in fieri, seu in restitui: Ergo semel restituto valore, qui fuit proprius effectus oraculi; imò & unicus, & hunc habue-

habuerit ante revocationem, non eſt unde tale privilegium revocatum maneat, ſi oracula in his, quæ ſortita ſunt ſuum effectum non ſunt revocata, ut conſtat.

5. Quæ doctrina notari debet pro privilegiis nullis, aut revocatis, ſed per oracula ante dictas revocationes confirmatis. Alia exceptio ſe offert hic examinanda, ſed quia longiorem diſcuſſionem petit, in ſequentem ſectionem remittimus.

## SECTIO VI.

*An privilegia viva vocis Oraculo conceſſa, & poſtea confirmata per Bullas, tranſierint in privilegia Bullata, taliter, quod adveniente revocatione Oraculorum non ſint revocata?*

586. 1. Difficultas non procedit quando Pontifex nullâ mentione factâ, neque in ſpecie, neque in genere de conceſſis per vivæ vocis oracula, eadem concedit per Bullam; nam in tali eventu gratia conceſſa prius per oraculum, & poſtea per Bullam, ſine mentione, quod prius fuerit oraculum, eſt valida, non quatenus per oraculum fuit conceſſa, ſed quatenus per Bullam independenter ab oraculo conceditur: Habes exemplum in recitatione divini officii, in quo per vivæ vocis oraculum habebant ſuperiores regulares privilegia diſpenſandi cum ſuis ſubditis ratione infirmitatis, prædicationis, lectionis, &c. ſed poſtea *Clemens VII.* & *Paulus III.* idem conceſſerunt per Bullas nulla facta mentione, quod antea eſſent oracula; teſte Bordono *Reſolut. 31. num. 5. in fine.* In quo caſu oraculum præcedens circa eandem materiam, ſe habet tanquam ſi non eſſet, quia nec juvat, nec nocet. & hujus generis ſunt multa alia privilegia. Procedit igitur difficultas in caſu, quo Pontifex confirmavit per Bullam non ſolùm privilegia Bullata antecedentia, verùm & conceſſa oretenus ſive in genere, ſive in ſpecie, de oraculis faciendo expreſſam mentionem, ut aliqui Pontifices fecerunt in ſuis confirmationibus, ante revocatorias *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* de quibus dicemus *infra.* His ſuppoſitis:

587. 2. Nec levis, nec facilis reſolutionis eſt præſens difficultas, ſunt enim quamplurimi Doctores ſentientes talia Oracula in caſu propoſito deſinere eſſe oracula, & tranſire in privilegia Bullata, ac per conſequens minimè comprehendi ſub revocatoriis *Gregor. XV.* & *Vrbani VIII.* ſic tenent Petrin. *Tom. 3. privilegior. cap. 12. ad Conſtitut. Vrban. VIII. num. 1.* Pelizar. *Tract. 8. cap. 1. ſect. 5. num. 131. & 132.* P. Philippus à *S.* Ant. *Tract. de privileg. viv. voc. orac. conceſſu, ac confirmatis, dub. 1. num. 15.* Hanc partem ut magis probabilem videtur ſequi noſter Lezana in *Summ. verb.* Oracula, *num. 7.* & alij multi moderni.

588. 3. Probatur primò: Purè oraculum eſt gratia oretenus conceſſa, ſine aliqua ſcriptura: At quando per Bullam confirmatur oraculum, jam non verificatur, quod ſit purè oraculum, ſiquidem per ſcriptum confirmationis habet plus, quam ante habebat; videlicet ſcriptum, cujus naturam jam ſapit, & participat; ſiquidem confirmatur *ex*

*cer-*

*certa scientia*, quod est idem, ac de novo concedere; ut suo loco diximus; ac proinde sufficit, ut dicatur, quod ad naturam Bullæ trahitur, & muratur. Confirmatur, talis confirmatio non solùm addit confirmationem, sed & confirmationem Bullatam: Igitur oraculum sub confirmatione Bullatum reputatur, & erit ejusdem qualitatis cum illo.

589. 4. Probatur secundò: sicut se habent privilegia ad jus commune, ita se habent vivæ vocis oracula ad Bullas Pontificias; sed privilegia inserta in corpore juris participant naturam juris communis; & potius jus commune dicuntur, quàm privilegia: Igitur idem, proportione servatâ, dicendum erit in nostro casu. Non ergo oracula per Bullam confirmata continentur sub revocationibus relatis, ibi enim tantùm pura oracula revocantur; quia ex una parte sunt revocationes generales, & ex alia sunt odiosæ; debent ergo strictè interpretari, ita ut minus noceant privilegiatis.

590. 5. Probatur tertiò; si Pontifex, quando confirmat oracula *ex certa scientia*, tenorem oraculi insereret de verbo ad verbum in Bulla confirmativa, in tali casu oraculum jam non oraculum, sed gratia Bullata, absque dubio diceretur, & esset: Ergo idem dicendum est, quando talis tenor verborum ponitur in Bulla virtualiter, & æquivalenter, ut fit per verba: *Quorum tenores, vel ex certa scientia, & plenitudine potestatis*; quia dictæ clausulæ sufficiunt, ut Princeps intelligatur voluisse oraculorum tenores in Bullas quasi fictè, quod est æquivalenter transferre.

6. Confirmatur, quando Pontifex in revocatione, vel in confirmatione privilegiorum scriptorum, utitur clausulis *ex certa scientia, & quorum tenores, &c.* revocat, aut confirmat omnia antecedentia privilegia scripta; licet expressè, & de verbo ad verbum tenor illorum non inseratur in revocatoria, seu confirmatoria, quia virtualiter, seu æquivalenter præsumitur insertus talis tenor, & idem operatur ac si de verbo ad verbum insertus esset, ut suo loco diximus; quia omnia illa privilegia quasi reponit, & claudit in ipsa Bulla confirmatoria, seu revocatoria. Igitur eodem modo si Papa confirmat sub eisdem clausulis oracula antecedentia, non solùm dat illis valorem utcunque, sed valorem Bullarum, & trahit, & reponit illa sub ipsa Bulla confirmatoria, ac si in ipsa de verbo ad verbum essent inserta: Ergo jam non oracula sicut antea, sed Bulla ex tunc debent reputari. 591.

7. Constat autem, quod multi Pontifices ante dictas revocatorias confirmarunt, & innovarunt per Bullas *Ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, & cum clausula *quorum tenores*, quæcunque privilegia concessa Religionibus, etiam oretenus tantùm; quod fecerunt *Paulus* III. Constitut. *Ex Clement. Pius V.* Constitut. 7. ut videre est apud Peirin. *Tom. 2. in Bull. Gregor. XIII.* die 10. Octobris, ann. 1575. Constit. sua *Ex benigna, Sixtus V.* Constitut. *Ersi Mendicantium, Clemens VIII.* Constit. *Ratio Pastoralis officij*, ann. 1597. & idem fecit pro Dominicanis *Paulus V.* die 23. Maij ann 1605. Appono verba horum posteriorum Pontificum, ut in promptu veritas constet. 592.

593. 8. Clemens VIII. in præfata Bulla sic loquitur: *Nos igitur, qui omnium votis, præsertimque illorum, qui sub suavi Religionis jugo divinis laudibus, &c. hujusmodi supplicationibus inclinati quæcunque præmissa, ac omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum alijs Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus ejusdem Fratrum Minorum Regularis Observantiæ, & Sanctæ Claræ, & de pœnitentia tertij Ordinis etiam in Congregatione sub trium votorum substantialium professione, & eorundem superiorum Ordinis Minorum Regularis Observantiæ hujusmodi obedientia degentibus, ipsorumque superiorum Fratribus, Monialibus, sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis, nec non Monasterijs, domibus, Ecclesijs, & locis quibuscunque in genere, & in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivæ vocis oraculo, ut præfertur, aut alias per eosdem Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam sub quacunque forma, & expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec non omnibus, & singulis in eis forsan contentis clausulis, decretis, & declarationibus quibuscunque, ac singulas desuper etiam pluribus vicibus confectas litteras, & in eis contenta, & inde secuta quæcunque illorum omnium tenores, & formas, data, effectus, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, & in eis essent inserta præsentibus prout sufficienter expressis habentes dicta authoritate Apostolicâ tenore præsentium ex certa scientia, In his omnibus, in quibus Decretis Concilij Tridentini non adversantur salvis etiam decretis à nobis in favorem Fratrum Reformatorum concessis approbamus, & confirmamus, ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmiter observare, &c.* Hæc Clemens VIII. pro Minoribus, ad instantiam Reverendi Patris Joannis Baptistæ Moles, Commissarij Generalis in Romana Curia ultramontanæ familiæ, Ordinis Minorum de observantia.

594 9. Nec minus ampl è se habuit cum Dominicanis *Paulus V.* die 23. Maij anno 1605. confirmavit enim, & innovavit quæcumque per Romanos Pontifices antecessores, per Sedem Apostolicam, & per se ipsum, sub quacunque verborum forma, expressione, in genere, & in specie, & per solam signaturam, & vivæ vocis oraculo; aut aliàs quomodolibet concessa, ac semel, seu pluries confirmata, cum omnibus, & singulis in eis contentis, clausulis, decretis, & declarationibus Apostolicâ authoritate perpetuò confirmavit, & approbavit; illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjecit, singulas litteras tam plumbo, quàm sub forma Brevis, aut aliàs desuper confectas, quarum tenores, & formas, data, effectus, decreta, & alia in illis contenta, ac si de verbo ad verbum inserta essent; huic suæ Bullæ pro sufficienter expressis, haberi volens: Dum tamen S. Concilij Tridentini Decretis, nec non Regularis Ordinis Dominicani institutis non adversentur, nec revocata sint, nec sub aliquibus revocationibus

sint

sint comprehensa, &c. Hæc *Paulus V.* pro Dominicanis in Bulla relata, sed in alia nobis Carmelitis Discalceatis concessa ab ipso *Paulo V.* die 3. Aprilis anno 1610. idem prorsus, & sub eiisdem clausulis absque variatione concessit, habeturque in nostro Compendio, *Bulla 4. Pauli V. num. 13.*

595. 10. Hinc colligunt Authores hujus sententiæ, quod nulla Oracula concessa Religionibus, usque ad diem 23. Maij anno 1605. juxta Bullam *Pauli V.* pro Dominicanis concessa, & usque ad diem 3. Aprilis ann. 1610. pro nobis Carmelitis Discalceatis, fuerunt comprehensa sub revocationibus *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* excipe nostrum Lezanam, qui postquam relatam sententiam, ut probabiliorem amplexus fuerat, tamen circa illationem dubius manet, ait enim, *An hæc practicari possint, aut conformia sint menti Pontificum docti videbunt*; quasi diceret, aliud est asserere quod oracula transeunt; per confirmationem Bullatam in privilegia Bullata; aliud quod non sint comprehensa in dictis revocatoriis: Primum approbo, secundum non audeo concedere, & meritò, ut ex *infra* dicendis constabit.

596. 11. Mihi autem opposita sententia semper visa fuit de mente *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* revocantium omnia vivæ vocis oracula; ac proinde, ut verissimam amplector, quod oracula, quæ præcesserunt dictas revocatorias ex eo præcisè, quod ante illas essent confirmata *ex certa scientia*; & cum clausula, *quorum tenores pro expressu, &c.* non remanserunt in sua vi; sed prorsus cassata, & abrogata; sic docent Bordon. *Resolut.* 31. *num.* 5. Donat. *Tract.* 16. *quæst.* 3. *per totam*, Juniper. Drepanensis *disp.* 3. *de jure Pontific. quæst.* 1. *& deinceps*, tenet etiam novissimè eam Doctissimus Magister Joannes Martinez del Prado *Tom.* 1. *quæst.* 6. §. 3. *per totum*, affirmans esse certissimum, & sequuntur alii multi.

12. Probatur *primò*, ex fundamento præcipuo, quo utuntur Doctores re- 597.
lati; nam per confirmationem, etiam *ex certa scientia, motu proprio, & plenitudine potestatis, & quorum tenores pro inserti, ac si de verbo ad verbum, &c.* non mutatur natura, & conditio ejus, quod confirmatur: nam ut diximus *disput. de confirmatione* ex Suario, & aliis, confirmatio est acquisiti juris roboratio; & sic privilegia infirma consolidat, invalidis dat valorem, & supplet defectum solemnitatis omissæ, habetque vim novæ concessionis, sed hoc intra eandem naturam, & qualitatem: Unde sicut prædictæ clausulæ dant novum jus novumque valorem privilegiis Bullatis extinctis, & deperditis, per non usum, per abusum, usum contrarium, & per præscriptionem; aut defectum alicujus solemnitatis requisitæ; itaut reviviscant, sicut prius, & cum eisdem qualitatibus, idem prorsus facit confirmatio Bullata respectu oraculorum, non tamen reddit illa Bullata, & sicut in primo casu privilegia Bullata, quæ erant, vel meræ gratiosa, vel remuneratoria, seu onerosa, non transeunt per confirmationem, ex uno genere in aliud, sic nec Oracula transeunt ad privilegium Bullatum. Confirmationes enim Apostolicæ, quamvis strictius operentur, non extendunt materiam confirmatam, sed

convalidant eam in ea ſpecie, in qua illam reperiunt, ſic Rota *part. 2. recent. deciſ. 429.*

598. 13. Confirmatur ex dictis *ſect. antecedenti*, ubi probavimus cum Peirino, & aliis, quod quando per oraculum communicantur alicui Religioni privilegia jam conceſſa per Bullam alteri Religioni, non manent extincta per revocatorias *Gregorij*, & *Vrbani*, quia ut dicunt ipſe Peirinus, Lezana, & alij talia privilegia Bullata non ſapiunt naturam oraculi, medio quo communicantur, ſed remanent in ratione privilegij Bullati, ſicut ante communicationem per oraculum ſe habebant: & idem dicimus de privilegiis Bullatis confirmatis per oraculum, quod non trahuntur ad eſſe oraculorum, quamvis confirmata ſint per oraculum: Ergo ſimiliter dicti Authores, & alii debent aſſerere, quod quando oraculum confirmatur per Bullam, non manet in ratione privilegii Bullati, ſed cum aliis effectibus reſpondentibus confirmationi, neque diſparitas ſufficiens facilè aſſignabitur.

599. 14. Probatur *ſecundò*, ex Bullis confirmatoriis, in quibus nullum verbum invenitur ſuadens oppoſitum noſtræ aſſertioni; nam quod Pontifices dicant ſe confirmare oracula, *ex certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine poteſtatu*, ſolùm cogit nos aſſerere ex tunc remanere oracula de novo in ſuo integro valore; non verò, quod amittant naturam oraculorum, & idem eſt de clauſula, *innovamus*, quæ ſecundùm ſuam proprietatem reſpicit rem præexiſtentem, vel minus firmam, vel deperditam, ut ad priſtinum ſtatum, imò, & melioratam reſtituat, non autem facit, quod ſi res in ſua primordiali inſtitutione ſit hujus generis, tranſeat per innovationem ad aliud diverſum, ut patet in moralibus, ut in feudo, promiſſione, & voto; & in artefactis, ut in domo, & ſimilibus, & ideo res innovata, ſive renovata, non æſtimatur altera ab antiqua, ſed eſt eadem in priſtinum ſtatum reducta, ut probat Panormitanus *lib. 2. conſ. 67.* & conſtat ex *Cap.* longinquitate *22. quæſt. 2.* & ex *Cap. 1. de præcarijs*, juxta *Gloſſ. ibi*

600. 15. Neque clauſula: *Quorum tenores de verbo ad verbum pro expreſſu, &c.* aliud ſuadet: Quia talis clauſula ſolùm relativè profertur; non ut muret naturam privilegii ex oraculo in Bullam, ſed ut magis firmum, & ſtabile reddat, & ex nullo capite ejus valor poſſit inficiari: Quibus addo, quod etiamſi totus tenor verborum oraculi inſereretur in Bulla confirmatoria (quod rariſſimè, vel nunquam invenitur) non ideo oraculum verteretur in privilegium Bullatum, niſi Pontifex aliquo modo id explicaret, quia tunc inſertio tenoris oraculi, non per ſe, & quaſi ſubſtantialiter, ſed ſolùm relativè, ſeu narrativè ſe haberet, ad oraculum prius conceſſum, ut in dubio conſtaret de veritate conceſſionis illius, & nihil aliud adderet; ſicut nec addit clauſula, *quorum tenores pro expreſſu*, &c. ut diximus; nam explicitum, & implicitum non variant rem. & idem mihi videtur dicendum, quamvis adeſſet clauſula, *& de novo concedimus*: nam factâ relatione ad oracula antecedentia, ſenſus eſt de novo concedimus valorem, firmitatem, & ſtabilitatem oraculo; unde hæc, & ſimiles clauſulæ

sulæ sunt, quasi conditionales, & ponuntur ad majorem abundantiam, & expressionem: & ideo, apponi solet, *& si opus est de novo concedimus*, quæ nullo modo mutant naturam oraculi.

601. 16. Probatur *tertiò* ex Bullis revocatoriis *Gregor. XV.* & *Vrban. VIII.* ubi revocantur omnia oracula, quomodocunque concessa, & confirmata, nisi sub aliqua ex exceptionibus à nobis assignatis, contineantur; ut patet ex illis verbis Bullæ *Gregor. XV. Non obstantibus, &c. sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritatorijs & alijs decretis in genere, & in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficiente derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & specifica expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, & c. specialiter, & expresse derogamus, & c.* Eisdem verbis quòad intentum, utitur *Vrban. VIII.* in sua revocatoria. Ubi nota, quod verba: *Omnia oracula, quomodocunque concessa, confirmata, & innovata, sub quibuscunque tenoribus, & formis*, extenduntur ad concessa, sive motu proprio, sive ad instantiam partis, sive alterius personæ, etiam Imperatoris, & Regis; & ad oracula confirmata, non tantum per aliud oraculum (ut volunt adversarii) sed ad quodlibet indultum, seu gratiam etiam Bullarum, cum hæc omnia significent in proprietate sermonis verba, *quomodocunque confirmata, & innovata, & sub quibuscunque tenoribus, & formis.*

602. 17. Confirmatur, & declaratur; ex modo loquendi dictorum Pontificum constat, quod omnia supradicta oracula intenderunt revocare; procedunt enim *ex certa scientia, motu proprio, & plenitudine potestatis*; apponuntque clausulam *quorum tenores pro expressis*, &c. exprimunt ea omnia, quæ obstare possunt suis dispositionibus revocatoriis, & omnino cassant, & invalidant, etiam Constitutiones, & litteras Apostolicas, indulta, & privilegia etiam inserta in corpore juris, quibusvis Ordinibus, Congregationibus, & Societatibus, quomodolibet concessa, & confirmata, ac si omnium tenores de verbo ad verbum essent inserta, cum quibusvis clausulis, etiam insolitis, ac derogatoriarum derogatoriis, &c. Igitur sicut oracula in casu, quod non essent confirmata per Bullas indubitanter manerent revocata, idem dicendum est, etiamsi sint confirmata, quia etiam quomodocunque confirmata comprehenduntur in revocatoriis.

603. 18. Denique probatur, meo videri efficacissimè à maximo inconvenienti, quod manifestè sequitur, ex opposita sententia; videlicet, quod frustraneæ, & nugatoriæ prorsus redderentur revocatoriæ tam *Gregor. XV.* quam *Vrban. VIII.* quia nihil revocarent per eas. Sequela fit patens *primò* in *Gregor. XV.* qui die 2. Julij anno 1622. suam revocatoriam publicavit; at *Paul. V.* immediatus antecessor *Gregorij* confirmavit omnia vivæ vocis oracula, tam sua, quam omnium suorum prædecessorum Pontificum pro Dominicanis die 23 Maij anno 1605. & pro nobis Carmelitis Discalceatis die 3. Aprilis anno 1610. & *Clemens VIII.* idem fecerat pro

Minoritis anno 1597. in Bulla incipiente: *Ratio paſtoralis Officij*, quæ ſolùm per octo annos anteceſſit confirmationem *Pauli V.* factam pro Dominicanis. Itaque omnia oracula conceſſa uſque ad annum 1610. converſa ſunt in Privilegia Bullata, juxta primam ſententiam.

Rurſus, idem *Gregor. XV* anno 1621. confirmavit pro Patribus Theatinis in Bulla, quæ incipit *in Apoſt. ſupra relata, diſp. 7. ſect. 2 n. 8.* omnia privilegia per quoſcunque Romanos Pontifices illis conceſſa, ſive principaliter, ſive per communicationem aliarum Religionum, etiam vivæ vocis oracula, & hoc *ex certa ſcientia, plenitudine poteſtatis*, & aliis requiſitis, & abſque limitationibus, & clauſulis reſtrictionis, *quatenus ſunt in uſu, & non ſunt revocata, ſeu ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, ac Sacris Canonibus, & Concilij Trident. decretis non adverſentur*, ſed abſolutè, & ſi ne limitatione aliqua, ex quibus ſequentem formo diſcurſum.

604. 19. Omnia vivæ vocis oracula fuerunt confirmata à *Paulo V.* prius die 23. Maii anno 1605. & poſtea die 3. Aprilis, anno 1610. igitur ex tunc jam non remanſerunt in eſſe oraculorum, ſed tranſierunt in privilegia Bullata, ac proinde ex tunc, nulla oracula remanſerunt revocabilia, ex omnibus conceſſis à Pontificibus prædeceſſoribus: rurſus *Paulus V.* confirmavit nobis omnia oracula, ann. 1610.

605. 20. Statim poſt *Paulum V.* creatus eſt *Gregor. XV.* die 8. Februarij anno 1621. & in eodem anno, poſt 8. menſes, die 2. Octobris confirmavit privilegia Patrum Theatinorum, modo ſupra dicto *diſputat. 7. ſect. 2. n. 8.* exprimendo etiam vivæ vocis oracula, uſque tunc conceſſa ab omnibus Pontificibus, communicando eis omnia conceſſa omnibus Religionibus, & anno ſequenti 1622. die . Julii, videlicet poſt 8. menſes, & 19. dies, revocavit omnia oracula omnium ſuorum anteceſſorum, & propria ſi aliqua conceſſerat.

21 Nunc in juro quæ oracula revocavit iſte Pontifex? Certè juxta primam ſententiam ſolùm revocavit oracula conceſſa ab ipſo *Greg. XV.* in illis 8 menſibus, qui anteceſſerunt ſuam revocatoriam. Sed de nullo conſtat, aliàs oſtendatur. In ſecundo verò anno poſt illos 8. menſes, & 19. dies revocavit omnia oracula tam propria, ſi adeſſent, quam omnium ſuorum anteceſſorum Pontificum. Si ergo in ſententia oppoſita, omnia vivæ vocis oracula, uſque tunc conceſſa, erant jam Bullata per *Paulum V.* ſuum immediatum anteceſſorem, & per ſe ipſum ante 8. menſes, & decem & novem dies: quomodo verificari poſſunt verba Bullæ revocatoriæ, quæ tangunt omnia oracula, tam propria, quàm aliorum Pontificum præcedentium; ſi nullum oraculum antea conceſſum, erat jam revocabile, quia Bullatum? Et cum inter confirmationem, & revocationem ipſius *Gregorij* de nullo oraculo à ſe conceſſo conſtet: Neceſſariò dicendum erit, quod nullum oraculum revocavit iſte Pontifex per ſuam univerſaliſſimam revocatoriam; quod abſurdiſſimum eſt cogitare, ut conſtat ex graviſſimis verbis, ponderationibus, & clauſulis ſuæ Bullæ. 606.

22. Similis diſcurſus fieri poteſt circa revocationem *Vrbani VIII.* ſui ſucceſſo- 607.

cessoris : Siquidem *Gregor. XV.* post suam revocatoriam anni 1622. non vixit, per unum annum integrum, in quo certum est nullum oraculum novum concessisse, cum paulo ante omnia revocaverit.

608. 23. Oracula ergo, quæ restabant revocanda ab *Vrbano VIII.* vel erant eadem, quæ revocavit *Greg. XV.* & hæc ut vidimus erant nulla, vel solùm erant oracula, quæ ipse *Vrb.* concesserat in primis 8. annis sui Pontificatus, ante suam revocatoriam, quam publicavit die 20. Decembris, anno 1631. cum fuerit coronatus die 19. Septembris, anno 1623. solùm ergo revocavit *Vrbanus* Oracula à se ipso concessa, & quæ hæc fuerint, minimè constat, nisi circa aliquas indulgentias, vel res levissimas, & si alia concessit ostendant illa adversarii: sed quidquid sit de hoc. Ex oraculis omnium suorum antecessorum nullum revocavit, quia in sententia contraria jam non erant oracula, sed privilegia Bullata, ut ipsi adversarij fatentur: at hoc asserere plusquam falsum videtur; nam ipsi Pontifices in proœmiis suarum revocatoriarum, & in parte dispositiva, & præservativa declarant se intendere revocare omnia, & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quascunque, per summos Pontifices prædecessores suos, & per Sedem Apostolicam concessa, per vivæ vocis oracula; insuper declarant se hoc facere, post maturam discussionem propriam, & consultationem Eminentissimorum Cardinalium; ut obviarent maximis inconvenientibus; quæ ex ipsis oraculis, vel malè intellectis, vel minus Canonicè interpretatis, vel denique falsis, seu minus authenticis; ideoque illa invalidant, & cassant quascumque Constitutiones, & litteras Apostolicas, quæ suis derogatoriis, quomodocunque opponuntur; quæ omnia nisi revocatoria extendantur ad oracula concessa, & etiam confirmata per Bullas, ab omnibus suis antecessoribus frustra adhiberentur, quia verificari non possunt, nisi modo à nobis assignato, ut attentè inspicienti patebit.

## SECTIO VII.

### *Objectis in sectione antecedenti sit satis.*

609. 1. Quamvis ex adductis pro nostra sententia sufficienter maneat responsum argumentis adductis contra eam *sectione antecedenti*, nihilominus pro majori claritate, negamus inprimis, quod confirmatio Bullata, *ex certa scientiæ, motu proprio, plenitudine potestatis*, & cum clausula, *quorum tenores pro insertis habentes*, imò etiam si tenor oraculi de verbo ad verbum inseratur; si expressè constet concessa fuisse per oracula, quod transeant ad naturam privilegii Bullati, neque possunt habere alios effectus præter supra à nobis assignatos.

610. 2. Ad illud quod tangitur in secundo fundamento, ex paritate privilegiorum, quæ inserta sunt in corpore juris communis. Resp. primo negando paritatem, nam privilegia inserta in jure communi, se habent in illo, quasi per se, & substantialiter; oracula verò in Bulla confirmatoria, solùm se habent relativè, & accidentaliter; illa enim speciali-

cialiſſima privilegii, in jure communi inſertio, expreſsè declarat intentionem Conditoris juris communis, diſponentis ex aliqua rationabili cauſa totius Eccleſiæ gubernium reſpiciente, volentis, ut illud privilegium habeatur, & æſtimetur, ut lex publica, & ius commune, quod minimè invenitur in oraculis confirmatis per Bullam, ubi tantùm relativè commemorantur, ſolùm ut intelligantur reſtituta, ſeu revalidata aut confirmata, non verò, ut intelligantur mutata in ſua natura.

611. 3. *Secundò* reſponderi poteſt, falſum eſſe, quod privilegium per incorporationem, & inſertionem in jure communi, amittat propriam naturam privilegij, & quod in aliam naturam tranſierit: Sed conſervando propriam naturam privilegij, ex voluntate Conditoris juris communis, participat, quod æſtimetur, & reputetur, ut lex communis, taliter, ut non poſſit revocari, niſi eo modo, quo revocatur jus commune. Oracula autem ſolùm acquirunt per confirmationem priſtinam validitatem, & firmitatem, vel deperditam, vel de novo roboratam: Nam ad hoc ſolùm tendit natura confirmationis, non verò ad convertendum oraculum in alteram naturam. Neque hoc eſt reſtringere confirmationem, ſed eam explicare juxta ſuum eſſe, & proprietatem ſermonis.

612. 4. Ad tertium conſtat ex dictis; negando, quod etiamſi in Bulla confirmatoria inſeratur de verbo ad verbum tenor oraculi confirmati (ſi mentio fiat, quod ſit oraculum) tranſeat in privilegium Bullatum; quia licet confirmatio ſit Bullata, tamen res confirmata, ſemper remanet Oraculum; nam ejus tenor ſolum relativè inſeritur, per quod etiam patet ad confirmationem; negando quod confirmatio det valorem Bullatum oraculo, ſed ſolùm per Bullam reſtituitur valor oraculi, ſi eſt deperditus, vel ſi non, illud roborat de novo, non tamen facit Bullatum.

5. Dices valor eſt Bullatus; ergo 613.
oraculum, ſub tali valore revalidatum, eſt Bullatum. Reſpondetur negando, quod valor ſit Bullatus, licet enim verum ſit; quod Pontifex reſtituat, vel confirmet valorem oraculi, quando confirmat illud, ſed quod facit, eſt manifeſtare in Bulla confirmatoria illius valorem, ſeu validitatem, ut clarius conſtet de illa: non tamen ob hoc oraculum, adhuc ſub tali valore manet Bullatum, quia Bulla ſolùm obiter, & relativè facit mentionem oraculi, & valoris illius, nihil immutans de ſua ſpecie, ſeu natura; ſiquidem Pontifex ſolùm intendit, vel reſtituere oraculo valorem, ſi illum perdiderat, vel ſi erat validum, dare majorem firmitatem, hoc enim eſt proprium confirmationis; quod verò exprimat ſuam intentionem in Bulla per accidens ſe habet ad naturam oraculi: aliàs privilegium Bullatum, jam extinctum, confirmatum poſtea per oraculum traheretur ad rationem oraculi, & deſineret eſſe Bullatum, quod omnino falſum eſſe oſtendimus in confirmatione noſtræ primæ rationis, & *ſectione 5. num. 3.*

6. *Secundò* dico cum P. Junipero de 614.
Drepano in *defenſorio Iuris Pontificij diſp. 3. quæſt. 1. cap. 2. n. 22.* quod licet oracula confirmata per Bullam participarent naturam privilegii Bullati ratione

tione valoris communicati non ideo talia oracula exempta essent à revocationibus *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* quia mens horum Pontificum fuit revocare, quæcunque concessa per oraculum, etiamsi postea essent confirmata per Bullas: dum tamen in confirmatione facta fuerit mentio oraculorum, sive in genere, sive in specie, ut constat ex revocationibus omnium eorum, quæ suis revocationibus obstare poterant, aliàs, ut diximus, nihil, aut ferè nihil intenderent revocare dicti Pontifices, quod suspicari non licet; quapropter mihi consulenti de hoc, respondit doctissimus Pater noster Lezana, se invenire convictum ex dictis rationibus, pro nostra sententia, & manere satis scrupulosum ex eo, quod dixerat in sua *Summa*, videlicet, esse probabilem sententiam contrariam, non quia sentiret, quod dicta oracula, etiam confirmata, & participantia naturam privilegii, non comprehenderentur sub dictis revocatoriis, ut constabit *infra*, sed quia à nonnullis malè intelligeretur; & idem mihi respondit Eminentissimus Cardinalis de Lugo consultus etiam de hoc in Romana Curia, & P. Diana; quare ab hac sententia non est recedendum.

## SECTIO VIII.

### *An Oracula concessa Prælatis Religionum pro bono regimine suorum subditorum, comprehensa sint in dictis revocatorijs?*

615. 1 IN hac difficultate P. Donatus, ut vidimus *supra, d. sput. 7. sect. 3. n.* 14 & 15. defendit non esse revocata, quia in dictis oraculis cessat ratio finalis revocatoriarum *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* quod si intelligatur de cessatione saltem negativè causæ finalis adæquatæ, seu totalis, respectu omnium Religionum, pro quibus talia oracula concessa sunt, verissimum judico, cum communi sententia, quia in tali casu jam redduntur inutiles revocatoriæ; non solùm respectu alicujus particularis, sed respectu boni communis Religionum. Ratio est manifesta, nam cessante adæquato fine legis universaliter, cessat absolutè ratio condendi legem, seu illam conservandi; quia lex in tali casu inutilis redditur, & sic materia ejus fit incapax obligationis, unde necesse est, ut etiam voluntas Principis volentis obligare, cesset, quia solùm justè voluit obligare in quantum licitè, & utiliter potuit, nec aliud præsumendum est, maximè de Romano Pontifice.

2. Si verò conclusio intelligatur de 616.
cessatione finis dictarum revocatoriarum solùm negativè respectu alicujus Religionis, seu personæ particularis, non ideo cessant dictæ revocatoriæ, seu effectus illarum, quia ut in materia de legibus sentiunt Doctores, finis legis justæ, in sua generalitate, in nullo particulari usu censetur deficere, quia universalis ratio legis ad sui conservationem, quasi à principio intrinseco petit in singulis personis conservari, sicut species in suis individuis: & licet ratio particularis legis cesset in hac persona, quòad particularem utilitatem prætensam per legem; non tamen cessat, quòad rationem universaliorem utilissimam bono communi, nec privato nocet; semper enim est valde utile cuilibet particulari

obedire legi, & ſe conformare cum aliis; nec incipi debet ab illis, aliàs maxima incommoda ſequerentur in legibus Eccleſiaſticis, & civilibus; imò & in naturalibus, quia facilè quilibet ductus paſſione, ſeu amore proprio perſuaderet (ut latè probant Doctores in materia de legibus) ſe eſſe exemptũ ab obligatione legis, ob ceſſationẽ in ſe ipſo finis intenti per eam: ut in jejuniis Eccleſiæ, in abſtinentia carnium diebus prohibitis: imò, & in ſimplici concubitu, & in materia obedientiæ, & aliarum legum, in quibus etiamſi particularis non ſentiret eſſe ſibi neceſſariam legem, ob fines expreſsè intentos per eam, in hoc, vel illo caſu, non ceſſaret obligatio, ut in fornicatione patet etiam in caſu, quod evidenter ceſſaret periculum malæ educationis prolis, propter quam vitandum, concubitus vagus prohibitus eſt: quæ abſurdiſſima ſunt; quia ut diximus, quamvis ceſſet ratio legis in particulari negativè, ſemper manet aliqua univerſalior ratio, ob quam expedit tunc ſervare legem. Tum ob vitandum maximum periculum in ſe, & in aliis, ſi quidem facilè unuſquiſque exemplo aliorum, judicaret, in ſe ceſſare finem legis, quod in maximum detrimentum boni communis, & obſervationis legum cederet. Tum, quia per ſe uniformitas partium cum ſuo toto, in ſervandis legibus, eſt honeſta, & valde utilis bono communi, ubi ſine damno gravi ſervari poteſt: Ergo etiam tunc obligat quemlibet particularem, unde in fine adæquato legis intrat], integra obſervatio legis in omnibus ſubditis, ſed de hoc latè agitur à Doctoribus in dicta materia de legibus.

3. Credo igitur P. Donatum in primo ſenſu locutum fuiſſe; ſiquidem agit de omnibus Prælatis Religionum, in quibus currit eadem ratio ceſſationis finis, ſaltem negativè, dictarum derogatoriarum; videlicet, ut è medio tollerentur oracula, minus canonicâ interpretatione intellectâ, & in detrimentum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſeu monaſticæ interpretata: quæ omnia in conceſſis pro bono regimine ſubditorum ceſſant in Prælatis omnium Religionum, ut conſtat ex dictis *ſupra diſput. 7. ſect. 3. n. 16.* non verò ſi ceſſaret ſolùm in aliquo particulari prælato quantumvis docto, & prudenti. 617.

4. Inſurgit tamen contra hunc modum dicendi P. Juniperus à Drepano, *diſput. 5. quæſt. 1. cap. 3. num. 7. & 8.* ex verbis revocatoriæ *Urbani VIII.* ubi ait: *His, & aliis malis occurrere volentes*, ex quibus colligit, nunquam poſſe dari caſum, in quo cauſa adæquata, & totalis dictæ revocatoriæ poſſit ceſſare, adhuc negativè, reſpectu omnium ſuperiorum Religionum, quia ex dicta clauſula conſtat, multas eſſe cauſas partiales finales motivas dictæ Conſtitutionis, quarum, etſi aliquæ aſſignentur expreſsè à Pontifice, aliæ reſtant implicitè: ergo licet ceſſent cauſæ explicitæ, in aliquo caſu, cum reſtent aliæ multæ implicitæ, quarum notitia nequit facile haberi, prudens intellectus ſemper anceps manebit in tali judicio, & in favorem legis debet judicare, non ceſſare totalem cauſam adæquatam movent[em] voluntatem Pontificis ad revocandum omnia oracula, ut videtur ſentire Suarez *lib. 6. de leg. cap. 9. n. 3.* Cajetanus *2. 2. quæſt. 120. art. 1.* Salas *de legib. diſput.* 618.

617. 11. sect. 3. num. 34. & 56. Bonacin. *de leg. disp. 1. quæst. 1. punct. ultim. propos. 1. § 2. n. 30.* Sed respondetur, quod ex prædicta clausula: *His, & aliis malis occurrere volentes*, nihil infertur contra nostram assertionem, quia expresè loquitur de malis, quæ ex usu oraculorum sequebantur. At in oraculis concessis Superioribus Religionum, pro bono regimine subditorum, nulla vera mala sequuntur, sed multa utilia, ut per se patet; & sic totalis finis explicitus, & implicitus cessat adæquatè.

619. 5. Quibus addendum puto, quod in hoc casu, non est necesse recurrere ad cessationem finis legis, ut intelligantur permanere in sua vi hujusmodi oracula, sed ad defectum voluntatis horum Pontificum, quando oracula revocaverunt; aliud enim est cessare finem legis, & ob hoc cessare obligationem observantiæ illius; aliud noluisse Principem talem casum comprehendere in sua lege; primum enim reducitur ad defectum potestatis legislatoris justè, & prudenter operantis, ut in cessatione finis contrariè respectu cujuslibet particularis, & in cessatione finis adæquati negativè respectu totius Communitatis, quia neque malum, neque summè difficile, & arduum neque prorsus inutile cadit sub potestatem legislatoris justè, & prudenter operantis. Secundum verò reducitur ad defectum voluntatis Principis nolentis in sua lege comprehendere talia, vel talia, quod ex sufficientibus conjecturis sæpè colligitur, non enim legislatores humani volunt semper obligare per suas leges, cum toto rigore, & in omni eventu, in quo possunt obligare, ut patet in lege jejunii, à qua non solùm censetur quis excusatus propter gravem ægritudinem, ob quam non posset justè Superior obligare, sed etiam propter mediocrem, seu minorem debilitatem, qua non obstante potuisset Ecclesia obligare, sed non creditur id voluisse ex ejus benignitate, & sic de aliis similibus, & in nostro casu.

## SECTIO IX.

*An prædictæ revocatoriæ* Gregor. XV. *&* Urbani VIII. *extendantur etiam ad vivæ vocis Oracula, post ipsas revocatorias concessa & concedenda?*

620. 1. PAr. Joan. Martinez de Prado *Tom. 1. quæst. 6. §. 6. n. 31.* partem affirmativam defendit, aliàs inquit, insufficienter occurrerent dicti Pontifices per suas Bullas inconvenientibus ab ipsis assignatis. Nec ulla esset utilitas revocare oracula jam concessa, permittendo inposterum concedenda.

2. Sed oppositum tenendum est, videlicet, præfatas revocatorias non se extendere ad oracula futura, sed solùm ad præterita, ut constat ex verbis *Gregor. XV.* ibi: *Concessiones, & gratias obtentas.* Et postea, *omnia, & singula privilegia quomodolibet concessa, tenore præsentium, &c.* nullam mentionem faciens de futuris. Et cum simus in odiosis, non est cur extendendæ sint ad non expressa, sed potius debent coarctari intra proprietatem ver-

borum, quando ex illis (ut in præsenti) nullum inconveniens sequitur, nec de contraria mente Pontificum potest quis suspicari. Sic docent noster Lezana *Tom 3. verb.* Gratia, *num. 13.* Hieronym. Garcia in sua *Politica Regul. tract. 8. diff. ult. dub. 2. num. 3.* Quintanad. *Tract. 5. fing. 3. concluf. 3.* & alii communiter.

621. 3. Ad fundamenta in oppositum respondetur, sufficienter provisum fuisse per dictas revocatorias præcedentium Oraculorum, etiam pro inconvenientibus futuris: Siquidem sequentes Pontifices, ex damnis sequutis, ex frequentia Oraculorum concessorum temporibus præteritis, vigilanter, & cautè se gerent, in novis concedendis, & cum vim non habeant sine fide Officialium ipsorum Pontificum, saltem pro foro externo, sufficienter cautum est pro futuris concedendis, absque eo quod revocata maneant, quæ de novo conceduntur.

622. 4. Insuper reputari non debet parva utilitas ex eo præcisè, quod innumera ferè oracula fuerint revocata confusionem, & incertitudinem illorum auferendo. Dicere autem, quod sequentes Pontifices per 22. annos, nullum oraculum de novo concesserunt; incertum est, cum intra tale tempus Romæ existens viderim oraculum noviter concessum, cum attestatione authentica officialis Papæ; sed quidquid sit de hoc. Restabat probandum, quod talia oracula non concesserint sequentes Pontifices, eò quod essent nulla, virtute antecedentium revocationum, quod firmiter probari nequit; sed potius probatur efficaciter, quod successores Pontifices, lento pede, incedunt, in oraculis de novo concedendis, ex notitia finis dictarum revocatoriarum.

Addo, dato, & non concesso, quod dictæ revocatoriæ extenderentur ad futura oracula: Si præsens Pontifex aliquod de novo concederet, cum dictas revocatorias ignorare non possit, quamvis de illis nullam faciat mentionem, debet præsumi illas tacitè revocare, quòad tale oraculum, cum nullum alium effectum possit habere: ne cogamur dicere frustraneam esse talem concessionem, utendo plenitudine suæ potestatis, quæ ab Antecessoribus coarctari non potuit. Videatur doctrina *supra* tradita *disp. 4. sect. 2. num. 4. & 26.*

623. 5. Alia non aliena à nostro instituto possent hic agitari, v. g. de clausulis, & dictionibus, & de indulgentiis, sed quia de præcipuis clausulis pro intelligentia privilegiorum, in discursu operis satis dictum est, ut notabimus in *indice generali rerum*: alia prolixiora, & ad intentum non ita necessaria remittimus videnda in *Barbosa*, qui integrum Tractatum de eis fecit; similiter in *Lezana*, verb. *Clausula*, in *Donato de privilegijs*, & alijs multis. Nec minus prolixiora, & frequentiora sunt, quæ de indulgentiis in particulari possent hic desiderari; ideoque ab eis pro nunc abstineo, sufficiant pro instituto præsenti, quæ diximus *disp. 6. sect. 2. de revocatione indulgentiarum*. Et hæc sufficient pro materia intenta. Utinam cedant ad majorem Dei, Beatissimæ Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum gloriam legentiumque profectum.

IN-

# INDEX ALPHABETICUS

## BREVITER REPRÆSENTANS, QVAE LATE VIDENDA IN SPECVLO.

*Omnes numeri sunt marginales.*


A.

*Ablatio reservationis retrotrahitur ad excommunicationem incursam* num. 285

*Absolutio virtute Privilegij facta à casibus reservatis valida est post revocationem privilegij invincibiliter ignoratam* 283

*Absolutio à casibus Pontifici reservatis data per Religiosum habentem facultatem absolvendi ab eis, virtute privilegij suæ Religionis, valida est ipso privilegium ignorante.* 303

*Absolutio à reservatis, virtute privilegij non solùm est valida, quando absolvens ignorat casum, & privilegium, sed etiam quando scit reservationem, & nullam scientiam habet facultatis absolvendi; dummodo absolvens intendat quantum est ex se absolvere eodem modo, ac si potestatem haberet vel secundum id quod potest.* 307

*Acceptatione tacitâ validè & licitè utitur privilegio* 298

*Authoritas Principis semper intelligitur servata ad meliora operandum* 143

B.

*Baptizans, quem falsò putat fuisse antè baptizatum, validè baptizat, si dum abluit, intendit, quantùm est ex se, baptizare, ac si ille baptizatus non esset* 307

*Baptismus validè confertur ab haretico credente ipsum esse irrisorium, & nihil valere, si intendit facere quod potest & facit Ecclesia* 307

*Beneficia obtenta à Papa ante expeditionem Bullarum sine jure possidentur* 102

*Beneficium desiderans, aperire debet an aliud habeat, ut valida sit collatio* 549

*Bulla* Clementis VIII. de largitione munerum, *non ligat contra eam operantes ob dubium receptionis* num. 42. *ubi*

*etiam de extravagant.* Ambitiosa.

*Bulla aliquorum Pontificum communicationem privilegiorū concedentes, referuntur* 48. usque ad 50.

*Bullatio seu scriptura non est necessaria ad valorem privilegij pro foro conscientiæ* 101

*Bullatio seu scriptura requiritur ad valorem privilegij pro foro externo* 102

*Bulla Cruciatæ privilegium non potest revocari à Pontifice utcunque* 143

*Bulla Cruciatæ privilegium non revocatur per Iubilæum, nec per Bullam Cœnæ* 143

*Bulla* Clementis VIII. *confirmantis oracula refertur* 593

C.

C*Anones & Decreta quid significent, quando Pontifices utuntur hu verbu in suis diplomatibus* 436. & 437

*Capitulum generale renuntiare potest privilegijs Religionis* 111

*Capucini Patres non possunt uti privilegijs Confessoribus aliorum Ordinum concessis, etiam si nunc gratiam excipiendi confessiones sæcularium obtinerēt, sed necessaria eis est specialis concessio, ut possint communicare in privilegijs aliorum Ordinum quantùm ad hoc* 70

*Cardinales Protectores Ordinum inter Officiales Apostolicos numerantur* 571

*Carmelitæ Excalceati gaudent omnibus privilegijs, indultis, exemptionibus, indulgentijs, & gratijs, quibus fruuntur Patres Carmelitæ de Observantia* 536

*Casus, in quo Pontifex confirmando privilegium* ex certa scientia, *nullâ factâ mentione Trident. illi derogaret* 521

*Causa finalis quando dicatur cessare contrariè, & quando partialiter?* 138

*Causa, quæ & quando requirantur ad concedendum privilegium tam validè, quàm licite* 542. usque ad 550

*Causa ex parte Superioris ad concedendum privilegium, non semper requiritur, ut immediatè pertineat ad bonum commune* 542

*Causa invalidam reddens concessionem privilegij, aliàs licitam, duplex* 548

*Clandestinè contrahens cum ignorantia invincibili Decreti Tridentini invalidè contrahit* 286

*Clausula,* quatenus sunt in usu, *apposita in communicationibus privilegiorum explicatur* 96

*Clausula privilegiorum ex originalibus transumpta, & typis mandata, seu authorizata à Notario publico, & sigillata & subscripta à persona in dignitate constituta, vel Generali Ordinis fidem faciunt* 103

*Clausula Pontificum in confirmatione privilegiorum* (modò sint in usu, *vel,* modò non sint revocata) *quando non tollat usum privilegij, quod præsumitur amissum per non usum, vel abusum?* 135

*Clausulæ generales revocatoriæ in duplici classe constituuntur, assignantur, quæ sint* 160

*Clausulæ primæ & secundæ classis, quando, & quæ revocent privilegia?* 170

*Clausulæ generales non revocant privilegia concessa per modum contractûs, nisi saltem in genere addatur:* Etiamsi per modum contractûs fuerint concessa 189

*Clausula*, Motu proprio, certâ scientiâ, & de plenitudine potestatis, *revocant privilegia quomodocunque qualificata, exceptis privilegijs, quæ in contractu onoroso fundantur, & jus tertij lædunt in re gravi, acquisita, & possessa, tempore à lege præscripto* 190

*Clausulæ generales*, Non obstantibus quibuscunque privilegiis in contrarium, & penitus exclusis, seu derogatis, & aliis similibus (*quæ primæ classis dicuntur*) *reperta in privilegio novo, quando derogent dispositioni Concilij Generalis?* 205

*Clausula derogatoria specifica, expressa, & formalis Conciliorum Generalium requiritur in privilegijs, quæ sunt difficillimæ concessionis* 207

*Clausula secundæ classis revocant quæcunque privilegia inserta in jure cõmuni, & in qualibet Bulla seu concessione tam respectu Communitatis, quàm respectu personæ privatæ in omnibus, in quibus contrariantur, neque secundùm proprietatem verborum possunt conciliari* 229

*Clausulæ*: Non obstantibus quibuscunque constitutionibus Apostolicis, *quem habeat effectum? problematicè*, 229.

*Clausulæ secundæ classis licèt sufficiant ad derogandum Concilijs Provincialibus, seu nationalibus, non verò Generalibus, nisi saltem fiat eorum mentio, exceptis aliquibus casibus, & quid de Tridentino?* 231

*Clausulæ Tridentini, quæ revocationem continent privilegiorum Regularium, adnotantur* 346. usque 347.

*Clausulæ, quas post Tridentinum apponere solent Pontifices in concessionibus, confirmationibus, & innovationibus privilegiorum Regularium, quomodo intelligendæ sunt* 423. usque 448.

*Clausula*: Et de novo concedimus; *quid addat super illas*: Ex certa scientia, & de plenitudine potestatis? 499

*Clausula*: Supplentes omnes defectus juris & facti, si qui forsitan intervenerint in eisdem, *ad quid addatur in privilegiorum revocationibus?* 500. & 501.

*Clausulæ*: Quorum tenores de verbo ad verbum pro expressis, *reperta in confirmationibus Oraculorum per Bullas, non mutant naturam privilegij ex Oraculo in Bullam, sed solùm relativè proferuntur* 600

*Clausulæ Bullarum* Gregorii XV. & Urbani VIII. *revocantium Oracula numerantur* 601

*Clerici, & Religiosi nec licitè, nec validè possunt renunciare privilegio Canonis*: Si quis suadente 108

*Clerici tenentur uti privilegio Canonis & fori* 310

*Communicatio privilegiorum non extenditur ad gratias, quæ per Brevia particularia Summi Pontificis, seu in quibus præcedit examen, & decretum alicujus sacræ Congregationis alicui peculiari Conventui, vel Religioni conceduntur* 74

*Communicatio privilegiorum concedit jus utendi privilegiato* 95

*Communicatio privilegiorum duplex* 523

*Communicatio privilegiorum idem ac concessio est* 582

*Concessio communicationis privilegiorum sub hac clausula*: Ut participent non solùm omnia privilegia concessa, sed etiam concedenda pro aliis Religio-

gionibus, extenditur ad concedenda Religionibus postea fundatis 64. & 65

Concessiones factæ Generali, & Provinciali Minorum, insuper & Generali Societatis circa declarationem, limitationem, aut usum alicujus privilegij, recensentur 111

Concessio Pii V. circa validitatem professionis Monialis in articulo mortis constitutæ non adimpleto anno Novitiatûs, quomodo sit valida, licèt contra Tridentinum 231

Concessio activa & admissio passiva est necessaria ad effectum privilegij 294

Concessione privilegij securè utitur subditus, quando clarè illi non constat de ejus invaliditate 543

Concessione illimitata validè & licitè utitur, qui propter oblivionem, vel scrupulos petivit aliam, quæ eis magis limitata concessa fuit 563

Confessarius qui tædio affectus, facultatem audiendi confessiones porrigit Superiori, vel eam coram ipso lacerat, protestando nolle se amplius illud munus exercere, qualiter ad illud redire potest 115

Confessio ex privilegio habita coram Presbytero, factâ revocatione privilegij, valida est, ipso privilegiato ignaro de tali revocatione 283

Confessor habens privilegium ad absolvendum à casibus reservatis, vel censuris, probabilius est, teneri illo uti regulariter 317

Confirmatio Decretorum, seu Declarationum Cardinalium, quomodo fieri debet à Pontifice, ut vim habeat obligandi 43. & 44

Confirmationis privilegiorum modus quotuplex? 463. usque ad 477

Confirmatio, ex certa scientia, quos causet effectus? 468

Confirmatio, ex certa scientia, sub distinctione confirmat actum, seu privilegium in præjudicium tertij 509. usque ad 512

Confirmatio privilegij quid operetur, quando privilegium, quod confirmatur, non apparet 539. usque ad 541

Confirmatio privilegij alias per oraculum concessi, nullam faciens oraculi mentionem, non transit in privilegium Bullatum 586

Confirmationis privilegiorum definitio 597

Conjux contrahens cum voto castitatis, licèt possit reddere absolutè, non tamen tenetur; imò potius tenetur non reddere, quando alter adulteravit 311

Consuetudo habet vim conferendi privilegia 85

Copiæ privilegiorum typis excusæ in folio, vel in aliquo Bullario, & etiam in libris impressis probatorum Authorum, qui eas excerpserunt ex originalibus, ut præsumi debet, fidem faciunt etiam in judicio 103

## D.

Declarationes Cardinalium etiam authenticæ, si non publicantur more legis, solùm pro casu singulari, pro quo sunt editæ, deserviunt; & circa hæc aliqua scitu digna 41

Declarationes Cardinalium juxta formam præscriptam ab Urbano VIII. quomodo habeant vim legis, & sic obligent? 37. usque ad 39.

Declaratio Cardinalium etiam si sit authentica, quomodo non nocet privilegia-

*giatis* 46

*Decretum* Urbani VIII. *de fide danda declarationibus Eminentissimorum Cardinalium refertur,* 35

*Decretum Sacræ Congregationis approbatum ab* Urbano VIII. *circa confirmationes Privilegiorum, quomodo intelligendum?* 482. & 483

*Defectus substantiales Privilegia reddunt inutilia,* n. 180

*Defectus naturales privilegiandi nullatenus suppleri intelliguntur per clausulam,* Supplentes omnes defectus, *inventam in confirmatione Privilegiorum Fratrum Minorũ, facta à* Sixto V. *n.* 501

*Defectus, qui suppleantur à* Sixto V *in confirmatione Privilegiorum Fratrum Minorum* 501

*Dictio,* Semel, *quid significet in Privilegijs* 562

*Dictio,* Semel, *non semper est taxativa* 561

*Differentia inter cessationem finis legis, & voluntatem Principis nolentis casum comprehendi in sua lege* 619

*Discrimen, quod invenitur inter revocationem Oraculorum factam à* Gregor. XV. *&* Urbano VIII. 569

*Disparitas habitudinis Privilegiorum, quæ inseruntur in jure communi, & differentia Oraculorum confirmatorum per Bullas explicatur* 611

*Dissuetudo in quo differat à consuetudine legi contraria* 325

*Dissuetudo intra decennium quid operetur?* 328

*Dissuetudo cum ignorantia legis non abrogat legem, sed suspendit ejus obligationem* 332

*Dubia Privilegiorum Regularium in favorem ipsorum interpretanda sunt* 21

*Dubitans de promulgatione legũ judicare potest in favorem suæ libertatis* 42

*Dubitans de renuntiatione non præsumitur renuntiásse juri suo* 114

*Dubius de acceptatione legũ (sufficienter promulgatæ) & à majori parte populi receptæ, tenetur ad ejus observantiam* 338

*Dubius, an confirmatio Privilegij sit ex certa scientia, quid præsumere possit?* 468

*Dubius de validitate Professionis rectè dicitur illam revalidare ex certa scientia, quando ratificat* 476

## E:

*Ecclesiæ nomine quid intelligatur, ut quis lucretur Indulgentiam visitando Ecclesiam assignatam* 396

*Episcopus per solam pronuntiationem à Papa licèt statim sit Episcopus, non debet pro Prælato recipi, nisi suam gratiam probet* 102

*Episcopus dubius de validitate Privilegij concessi Regularibus, non potest eos impedire ne interim illo utantur* 107

*Episcopus virtute concessionis conficiendi testamentum illud mutare potest toties quoties* 559

*Exemplum refertur* Leonis X. *supplentis quosdam defectus per Oraculum concessum Reverendissimo Patri Francisco Licheto Generali Minorum* 501

*Excommunicatio reservata Pontificis invalide tollitur ab eo, qui ante reservationem poterat, etiamsi invincibiliter ignoret reservationem post tempus sufficiẽs à promulgatione* 285

*Exemptus per Privilegium personale, si absque protestatione, & rationabili causa voluntariè se subdat jurisdictioni,*

*etiam per unum actum contrarium, amittit privilegium, saltem pro foro exteriore* 129

*Expressio jurium Conciliorum quàm necessaria impetranti privilegium revocatorium?* 208

*Explicitum, & implicitum non variant rem* 600

*Extensio quare admittatur in concessione privilegii absolvendi à reservatis, & non communicationis privilegiorum futurorum* 555

F.

*Facultas absolvendi à casibus occultis concessa Episcopis in Tridentino, nō revocatur per clausulam revocatoriā Bullæ Cœnæ* 221

*Facultas absolvendi à reservatis non refertur ad reservata tempore concessionis, sed confessionis* 553

*Facultate absolvendi à reservatis, quâ fruuntur Regulares post Decreta* Clementis VIII. *&* Pauli V. 493. usque ad 498

*Familiares Religiosorum, quæ ipsorum participent privilegia? & quibus uti possint contra illos?* 95

*Filiusfamilias non potest renuntiare privilegio, quo liberatur ab obligatione solvendi mutuò accepta absque licentia patris* 310

G.

*Gratia facta Regi circa jus præsentandi idoneos ad Beneficia talis Provinciæ, vel Ecclesiæ, extenditur ad Beneficia de novo creata* 554

I.

*Inadvertentia non admittitur in Pontifice de rebus facilioribus, & aliquibus gravioribus, quando frequenter, & de stylo sine magna difficultate conceduntur,* 209

*Ignorans invincibiliter leges revocatorias privilegiorum, etiam transacto tempore sufficienti à die publicationis, quomodo licite & validè operetur* 290

*Incarceratus habens privilegium, ut in diebus festis possit liberè exire de carceribus, an teneatur uti hoc privilegio pro audienda Missa, problematicè determinatur* 314

*Indulgentiæ non prohibentur in jure* 1.

*Indulgentia (quæcunque illa sit) concessa Ecclesiæ Regularium, quando cessare intelligatur?* 84

*Indulgentias, quas concessit, & quas revocavit* Paulus V. *pro Regularibus,* 377

*Indulgentia pro articulo mortis non suspenduntur anno Iubilæi* 394

*Indulgentias concessas a* Paulo V. *pro Regularibus qualiter eas lucrari possint infirmi, decrepiti, & qui non possunt Ecclesiam adire?* 398

*Indulgentia concessa in Bulla* Pauli V. *nominatim pro laborantibus, & extra Claustra degentibus de licentia suorum Superiorum non limitat alias Indulgentias, sed est nova gratia* 399

*Indulgentiæ, quas lucrantur visitantes Ecclesias urbis, & extra eam, diebus stationum, concessæ à* Paulo V. *pro Regularibus, lucrari possunt ab ipsis omnibus diebus?* 402

In-

*Indulgentiæ invalidè conceduntur absque causa* 546

*Indulgentiæ vivæ vocis Oraculo concessæ non sunt revocatæ per Oraculorum revocatorias à* Gregorio XV. *&* Urbano VIII. 573

*Indulgentiæ aliquæ numerantur, quæ non sunt revocatæ* 576

*Intentio qualis requiratur ad lucrandas Indulgentias* 396

*Interpretatio duplex : doctrinalis, & authentica* 15. usque ad 18.

*Interpretatio authentica juris divini, & Canonici solùm penes Pontificem invenitur* 18

*Interpretatio authentica ut obliget, debet publicari* 19

*Interpretatio authentica privilegiorum Regularium quibus interdicatur ?* n. 20

*Intrusus censetur Beneficiarius, qui ante expeditionem litterarum possessionem accipit* 102

Julius II. *qualiter declaraverit per confirmationem privilegiorum Fratrum Minorum factam à* Sixto IV. *non vivificari privilegia semel extincta, seu deperdita ; sed solùm quæ in usu erant, non obstantibus clausulis,* de certa scientia, *&c.* 479. usque ad 481

*Iura Episcoporum, & Parochorum,* n. 13

*Iura Episcopis, & Parochis concessa non in favorem ipsorum, sed subditorum conceduntur, ex* D. Thom. 13

*Ius Concilij Generalis includit virtualiter, seu æquivalenter clausulam generalem resistentem pro futuris privilegiis, etiam si illam non exprimat* 201

## L.

*Leges Pontificiæ irritant contractum, absolutionem Sacramentalem, auferendo jurisdictionem, professionem, collationem Beneficij, aliosque actus, & similiter leges pœnales, an obligent post publicationem factam solùm Romæ, absque ulla mora tam in casu, in quo additur in illis,* ex nunc, *vel* à die publicationis, *quàm absque similibus particulis* 259. *usque* 269 inclusivè.

*Leges irritantes actum etiam promulgationem requirunt* 234

*Legislator non præsumitur scire jus privatum, seu leges speciales, nec particularia facta* 174

*Pro legis obligatione duplex intelligentia, & differentiæ assignatur* 237. *&* 238

*Legis promulgatio, & divulgatio, in quo differant ?* 239

*Legis particula,* Ex nunc, *quomodo intelligenda in legibus præcipientibus, ut aliquid fiat, vel non fiat ?* 255

*Legislator intendens statim obligare legem in omnibus locis suæ latitudinis, quomodo excederet ejus potestatem ?* 252

*Lex Ecclesiastica tripliciter potest dici generalis* 161. usque ad 165. *ubi etiam aliqua de legibus in communi.*

*Quid, quando lex nova potest habere effectum sine læsione juris communis antiqui ?* 170

*Lex semper loquitur, & est perpetua, & præservativa futuri eventûs* 221

*Lex pluries confirmata redditur plus stabilita, & firma* 220

*Lex humana cã civilis, quàm Ecclesiastica sive generalis sit sive privata, võ ha-*

bet rationem legis formaliter sine sufficienti publicatione 233

Lex, de cujus conditione constat ante illius promulgationem, non obstat, quin operari possit, praeter id, quod in illa stabilitur 235

Lex lata pro aliqua limitata Provincia, Regno, seu Diœcesi non indiget nisi unâ solemni publicatione factâ in Metropoli, seu Civitate, quæ est velut caput Provinciæ, Regni, vel Diœcesis 236

Lex non obligat etiam legislatores quomodocunque sit definita, & subscripta, ac typis mandata, donec publicata sit, ita quòd communitatem obligare possit 239

Lex Imperialis ex dispositione juris non obligat antequàm publicetur in singulis Provinciis, & post duos menses à publicatione 240

Lex Ecclesiastica generalis sufficienter publicatur Romæ cum alijs requisitis 247

Lex Ecclesiastica, & generalis post debitam publicationem, quando obliget præsentes, & quando absentes 252

Lex privatim, seu submissâ voce promulgata in aula Regis, non habet vim obligandi Communitatem totius populi 254

Lex in platea voce præconis promulgata, non obligat in instanti omnes habitantes in urbe, sed post aliquot tempus, in quo notitia pervenire possit moraliter ad omnes 254

Lex dicens post duos, vel tres menses à publicatione obligare, non comprehendit simul omnes subditos, si tempus designatum insufficiens est, ut notitia ejus per totum territorium diffundatur 256

Lex obligare incipit post elapsum tempus à publicatione, ut ejus notitia per totum Territorium moraliter possit diffundi, etiamsi per accidens talis notitia, quoad plures subditos, vel aliquam partem Territorij non pervenerit 257

Lex, de cujus latione, & promulgatione constat medio aliquo extraordinario, ut arte dæmonis, &c. ante tempus moraliter, & humano modo sufficiens ad ejus notitiam nullatenus obligat 258

Lex, quando notitia ejus per se, & morali modo potuit pervenire, & casu non pervenit, sufficienter obligat, licèt per accidens excuset ignorantes ab incursione culpæ 258

Lex revocans Privilegia, seu Indulgentias, non sortitur suum effectum, nisi post tempus necessarium, ut notitia perveniat, vel morali, aut humano modo possit pervenire ad omnes privilegiatos 278

Lex, sive Canonica sit, sive Imperialis, sine acceptatione non ligat subditos, sed diversimodè attenditur acceptatio in lege Pontificia, & Imperiali, seu Regali 320

Lex non dicitur perijsse per dissuetudinem, quando casus observationis non se obtulit 324

## M.

Memoriali cum verbo, fuit, hodie non creditur sine alijs requisitis 120

Mendicantium Ordines tam per jus, quàm per Privilegia numerantur 47

Merita debent exprimi specialiter in Privilegio remuneratorio, & debent probari saltem quoad forum exterius 146

Modus publicationis legis multiplex 233

Modus publicationis legis non est de substantia illius 233

Moniales Ordinum Mendicantium, in quibus sunt capaces, participant omnia Privilegia Fratrum etiam illis non subjecta 52. & 53

*Moniales non Mendicantes juxta capacitatem sexûs participant omnia privilegia Ordinum Mendicantium, sive jubeantur Prælatis Religionis, sive Episcopis* 57

*Moniales cujuscunque Ordinis gaudent omnibus Indulgentijs à* Paulo V. *concessis pro Regularibus, proportione servatâ* 400

N.

*NArratio falsa est causa per se invalidam reddens concessionem licitam Privilegij* 548

*Narratio diminuta, quæ, & qualis invalidet Privilegium?* 549. *&* 550

*Notificatio revocationis Privilegij concessi alicui alicui determinatæ personæ, ratione suî, vel peculiari loco, necesse est, ut fiat per litteras derogantis, aut per nuntium ad hoc destinatum ab ipso, & ad privilegiatum directum* 289

*Notitia concessionis Privilegij qualis debeat esse* 298

O.

*OBsequia præstita à Religiosis excedentia limites suæ obligationis, fundamenta præbent, ut quando Privilegia pro ipsis concessa revocantur, revocatio intelligatur cum minori restrictione possibili* 151

*Officiales Sedis Apostolicæ numerantur* 570

*Oracula qualiter revocata fuêre per* Gregorium XV. *&* Urbanum VIII. *remissivè* 458 usque ad 462

*Oraculorum & Bullarum conveniensia* 565

*Oracula fortiora ad resistendum revocationibus* 566

*Oracula propriè, & in rigore non includuntur sub nomine Privilegij*, ibidem.

*Oracula, quæ revocata sint per revocationes Oraculorum factas à* Gregorio XV. *&* Urbano VIII. *n.* 572. usque ad 577. *&* n. 578. usque ad 581.

*Oraculum, per quod confirmatum est Privilegium ex quavis causa invalidum, non comprehenditur inter revocata per* Gregorium XV. *&* Urbanum VIII. 584

*Oracula concessa Prælatis Religionum pro bono regimine suorum subditorum, qualiter comprehensa sint in revocatorijs Oraculorum* Gregorii, *&* Urbani 615. usque ad 618

*Oraculorũ revocatoria à* Gregorio, *&* Urbano *non se extendunt ad viva vocis Oracula, postea concessa, & concedenda* 620

*Oracula aliqua concessêre Pontifices post revocatorias* Gregorii, *&* Urbani 622

P.

*PActa sive explicita, sive implicita tenentur Principes, & eorum successores omnino servare* 144

*Papa in Privilegiorum concessione nullius justitiam ladit, & jure suo utitur* 13

*Papa de sua potestate potest restringere, & limitare jura Episcoporum, & Parochorum* 13

*Papa concedens privilegia remuneratoria sine interventione tituli justitiæ, nõ obligatur ad talia privilegia conservanda, nec posteros Pontifices privare valet potestate revocandi* 148.

Papa apponens in suis privilegijs clausulas impeditivas derogationum, quid operetur 196

Peccatum, qui committant, & quando non acceptando legem 333

Pœnitens per accidens, & in favorem sui obligatur aliquando ad confitendum bis peccata, quando Confessarius rationabiliter nouutitur privilegio absolvendi à reservatis 317

Pius V. concedens ampliss mam communicationem privilegiorum absque limitatione aliqua aliquibus Religionibus non Mendicantibus, quomodo declaraverit suam mentem 211

Pontifices numerantur, qui Superioribus Regularium concessêre, ut ipsorum privilegia interpretentur in favorem Religiosorum lato modo 14

Pontifices concedentes privilegia Regularibus attendunt ad servitia præstita, vel præstanda, quàmvis aliàs ad illa ratione sui status teneantur 149

Pontifex semper præsumitur habere notitiam juris communis & eorum, quæ in ipso continentur 177

Pontifex non obligatur, ut de verbo ad verbum referat privilegia, quæ revocare intendit; sed sufficit scientia illorum & voluntas ipsius sufficienter expressa 187

Pontifex potest Episcopus à sua Cathedra deponere, absque eo quòd ei dicatur cur ita facis? 510

Pontifex respectu Indulgentiarum, nō dominus sed dispensator est 546

Pontifices initio sue creationis revocant gratias, & indulta per suos prædecessores concessa, non ideò censentur revocare Indulgentias 574

Potentia physica, & politica requiritur ad notitiam legis 252

Potestas absolvendi à reservatis Papæ, ab uno Pontifice concessa, extenditur post ejus mortem ad noviter reservata per successores 553

Præjudicium nullum patiuntur Ordinarij, vel Parochi in privilegijs, quæ concernunt favorem animarum, & in privilegijs comedendi carnes, seu lacticinia tempore prohibito 11

Prælati gaudent privilegijs concessis pro Religiosis sibi subditis 99

Prælati Ecclesiarum, & Religionum tacendo, & patiendo ut præscriptio currat contra eorum Ecclesias, seu immunitates, illis præjudicant, & non absque culpa 109

Prælati validè absolvunt in Capitulis a censuris sine certa scientia incursionis 476

Prælatus localis (si causa adsit) potest virtute novorum privilegiorum Altare privilegiatum jam designatum relinquere, & aliud loco illius in eadem Ecclesia designare 562

Prælati omnes regulares tam superiores, quàm inferiores, insuper & eorum Vicarij, quàmvis parvarum domorum, quæ in Prioratus non sunt erecta, ex variis privilegijs Summorum Pontificum possunt pro suis subditis privilegia Regularium authenticè, & judicialiter interpretari 22. usque ad 26

Præsumptio probabilis de concessione dispensationis petitæ facit ut non solùm validè, sed etiam licitè possimus illâ uti 297

Princeps concedendo privilegium liberè cedit juri suo 12

Princeps non potest tertium privare juri suo absque eo, quòd illi faciat debitam

*tam compensationem* 143

*Princeps seu legulator per decennium, habet potestatem adigendi pœnis (etiam Constitutis in lege) populum ad servandam legem sufficienter promulgatam* 328

*Prior localis quo casu possit cum suo Capitulo renuntiationem privilegiorum facere* 111

*Privilegii definitio* 1.

*Privilegium non est lex absolutè, sed secundùm quid* 1. & 166. & 167

*Privilegij nomen ad quæ se extendat* 1

*Privilegium non est necesse quòd operetur contra, sufficit quòd præter jus commune operetur* 1.

*Privilegia, quæ realia, quæ personalia dicantur* 3.

*Privilegium locale aliquando reale, aliquando verò est personale* 3.

*Privilegium reale de persona in personas sequitur rem, & est perpetuum: personale verò cum ipsa persona finitur* 4.

*Privilegium reale bonum cōmune respicit: personale aut ēparticulare bonum* 4

*Privilegij qualitas, quando est dubia, quomodo determinanda remissivè* 5.

*Privilegii favorabilis, & odiosi explicatio* 6.

*Privilegia Regularibus concessa omnia sunt realia* 7.

*Privilegia, quæ latè sunt interpretanda, adnotantur* 8. & 9. & 10

*Privilegia Regularibus concessa, quæ sunt favorabilia respectu ipsorum, licèt aliquando sint odiosa respectu aliorum, nō tollit quin latè sint interpretanda* 11

*Privilegia concessa Ecclesiis Domibus, & Religiosis unius Ordinis, participant & aliæ similiter* 48

*Privilegia concessa pro festivitatibus unius Ordinis, respectivè intelliguntur festivitatibus alterius convenire, sive sint Indulgentia, sive quid simile* 48

*Privilegia habentia clausulam incommunicabilitatis respectu aliarum Religionum, qualiter fiant communicabilia per communicationem omnium privilegiorum, concessorum, & concedendorum omnibus Religionibus, etiam sine expressione specifica dicta clausulæ,* 66

*Privilegia unius Religionis, Provinciæ, Conventûs, & personarum, quando adversantur Statutis aliarum, seu alicujus Religionis, non communicantur illi Religioni, cujus Statutis opponuntur* 70

*Privilegia concessa Provinciæ, Ecclesiæ, Conventui, loco sacro, quomodo cōmunicentur omnibus Provincijs, Ecclesijs, & locis Sacris, non solùm ejusdem Religionis, verùm & aliarum, quando in eis militat eadem ratio, vel saltem similis, vel æquivalens, propter quam Pontifex talia privilegia concessit* 71

*Privilegia concessa Provincijs Religiosorum laborantium apud infideles, non intelliguntur concessa Provincijs, & Conventibus existentibus inter Fideles* 71

*Privilegium concessum uni Religioni, vel Monasterio ratione paupertatis peculiaris, numerositatis Religiosorum, maximè populi devotionis, muneris docendi, minimè competit alijs Religionibus, nec ab illis tale privilegium participatur,* n. 72

*Privilegium ex his, quæ rarò, & non sine magna difficultate conceduntur, concessum primùm quibusdam Conventibus alicujus peculiaris Religionis, & postea extensum ad omnes Conventus ipsius Religionis usq; in illum diem fundatos, concessum censetur illis illius Religionis, qui post illum*

illum diem fundati fuerint 75

Privilegia concessa alicui personæ ratione dignitatis officij, vel ministerij (puta Generali, Priori, &c.) communicantur cæteris Religiosis cujusvis Ordinis in eisdem dignitatibus, & officijs constitutis 78

Privilegia personalia nullo modo communicantur 79. usque ad 82

Privilegium de Altari privilegiato nõ est communicabile 82

Privilegia, quæ sunt consuetudine acquisita, veniunt etiam in generali concessione communicationis privilegiorum 85

Privilegia, seu Indulgentiæ ad tempus determinatum concessæ, non communicantur alijs 83

Privilegia per communicationem ita sunt propria Religionis communicantis, sicut ipsius, cui primò concessa sunt; taliter, ut possit Religio communicans apponere nomina suæ Religionis juxta ipsum privilegium, seu transumptum, loco illius, cui concessa fuêre, absque eo quòd in hoc inveniatur vitium falsitatis 86. & 87

Privilegium si pereat primò recipienti, non ideò perit respectu communicantis, si tempore communicationis erat validum 87

Privilegium per communicationem, ut fiat proprium taliter quòd possint Religiosi communicantes apponere nomina suæ Religionis, debet cum ipsa nominis mutatione præsentari in Camera Apostolica 87

Privilegia in his, quæ sunt odiosa, & pœnalia, non communicantur ex vi generalis communicationis omnium privilegiorum 88

Privilegia, quæ videntur pœnalia, & odiosa respectu alicujus particularis Religiosi, sunt tamen favorabilia respectu Religionis, absque dubio communicantur 89

Privilegia ferè omnia (si non repugnant Regulæ, seu Constitutionibus proprij status) sunt favorabilia, & communicabilia respectu cujuslibet Religionis 90

Privilegiorum generalis communicatio comprehendit viva vocis oracula, & privilegia, quæ sunt clausa in corpore juris communis 91

Privilegiatus ex communicatione privilegij potest retorquere suum privilegiũ contra primum privilegiatum, quando ipsius privilegium est fortius, & potentius; secus verò quando privilegia sunt paria 94

Privilegium, quod aliqua Religio amisit, vel de quo limitationem accepit, non amittitur, nec limitatur pro Religione communicante 96

Privilegium auctum, seu extensum quoad primam Religionem cui concessum, non augetur, nec extenditur quoad Religionem communicantem, nisi ejus communicatio extendatur etiam ad privilegia concedenda 96

Privilegium statim, ac conceditur primæ Religioni, potest alia Religio communicans illo uti liberè, sine eo quòd acceptetur à prima Religione, sive rejiciatur, sive adsit statutum regulare, ut prius acceptentur privilegia a Religione in Capitulis, modò secunda Religio non habeat simile Statutum acceptandi privilegia 97

Privilegia concessa Superioribus, ut Superiores sunt, non communicantur subditis 99

Privilegium concessum minori Superiori, intelligitur concessum majori, ratione officij 100

Pri-

*Privilegium sufficienter probatur, etiam pro foro exteriore per transumpta, vel copias manu publici Notarij subscriptas, & sigillatas* 103

*Privilegia antiqua in corpore juris impressa; data non indigent ad sui valorem, sicuti nec leges, nec statuta universitatum; secus verò privilegia nova* 104. & 105

*Privilegium, cujus originale, & transumptum authenticum fuit deperditum, neque est in libris impressum, sufficienter probatur per testes idoneos, ut fidem faciat in foro fori* 106

*Privilegia concedentia Capitulo Generali potestatem renuntiandi, seu moderandi numerantur* 111

*Privilegia personalia, & quæ jus tertij non tangunt, renuntiari possunt à privilegiato* 112

*Privilegium deperdi potest per non usum, vel per usum contrarium* 115. & 117

*Privilegia merè gratiosa, quæ nulli nocent, neque juri alterius opponuntur, nunquam per non usum, sive privativum, deperduntur* 124

*Privilegia per non usum solùm possunt amitti ex duplici capite: vel ratione præscriptionis, vel ratione tacitæ renuntiationis* 125

*Privilegia Regularium, ut non censeantur amissa per non usum, sufficit quòd illa sint in usu apud aliquam, seu aliquas Provincias, vel Conventus ipsius Ordinis, vel aliorum Ordinum (si participent in privilegiis* 126

*Privilegia merè negativa nunquam per non usum deperduntur* 127

*Privilegia merè negativa, sive positiva, nunquam onerosa sint, id est, quæ alicui juri nocent, vel vergunt in damnum tertij) amitti possunt, vel per non usum privativum, vel per usum contrarium. Cæteris concurrentibus, videlicet legimâ præscriptione, vel tacitâ renuntiatione, scientiâ Privilegij, & libertate* 128

*Privilegiatus licèt sponte exerceat unum, vel plures actus contrarios, non habens simpliciter animum renuntiandi privilegio, sed solùm quoad illum, vel illos actus, non amittit privilegium in foro conscientiæ; imò neque quoad forum externum, si constet, aut ex indicijs colligatur defuisse animum simpliciter renuntiandi, & tempus legitimæ præscriptionis non transijt unà cum taciturnitate Privilegiati* 129

*Privilegium habens partes, non laditur quoad alias, si in aliqua fiat actus contrarius, neque si in reliquis utatur, deperditur quoad illam, qua non utitur, etiamsi adsit longissimum tempus ad præscriptionem requisitum* 131

*Privilegia merè gratiosa, id est, quæ non derogant juri communi, nec juri tertij, etiam si cesset causa finalis totalis, non cessant* 136

*Privilegium non cessat per cessationem causæ impulsivæ* 137

*Privilegium non cessat absolutè per cessationē ad tempus causæ finalis totalis* 137

*Privilegia, quæ juri communi opponuntur, vel juri alicui tertij, cessante causâ finali contrariè, cessant totaliter, si causa finalis totaliter cessat. Si verò cesset partialiter, seu quoad aliquam partem, solùm quoad illam cessabunt* 138

*Privilegiatus ad vescendas carnes ob talem infirmitatem tempore Quadragesimæ, cessante necessitate illicitè utitur privilegio* 138

*Privilegium non cessat per causæ finalis totalis cessationem solùm negativè* 140

*Privilegia Principum sæcularium Ecclesiasticis concessa nequeunt ab ipsis Principibus revocari* 141

*Privilegia merè gratuita, quæ procedunt ex sola benignitate, & liberalitate Pontificis, tam ab ipso, quàm ab ejus Successore revocari possunt, etiam sine aliqua compensatione* 142

*Privilegia collata per modum contractûs oneroſi, & si cum urgente causa, & ob bonum publicum possint revocari, non verò sine debita compensatione* 143

*Privilegia remuneratoria, quæ dant Privilegiato jus agendi, & actionem implorandi officium Iudicis, non possunt revocari, nisi cum certis circumstantijs,* 144

*Privilegia concessa ob obsequia, & servitia, quæ fuerunt liberaliter exhibita, sed ex alijs titulis debita; etiamsi illorum causâ Princeps illa concesserit, nec ex rigore remuneratoria sunt, & ab illo revocari possunt absque compensatione, dummodo adsit justa causa respiciens bonum publicum* 145

*Privilegia Regularium (uno, alterove excepto) quando contractûs expressè intercessit, sunt solùm remuneratoria titulo gratitudinis, non verò justitiæ, & revocari possunt à Pontifice* 147

*Privilegium, ut lex privata est, continet perpetuitatem, & ad plures se extendit* 155

*Privilegium, & gratia non convertuntur* 156

*Privilegia specialia, id est, quæ sunt extra corpus juris communis, non derogantur per leges Concilij Generalis, nisi in Concilio fiat Clausula expressè derogatoria, quæ primæ classis vocantur* 174

*Privilegium extra corpus juris cõmunis continet speciale & privatum jus* 174

*Privilegium speciale, quando potest habere effectum, aut utilitatem petitam ex proprietate verborum sine derogatione juris communis, & nec in privilegio quod conceditur, neque in jure communi sunt Clausulæ derogatoriæ, adhuc generales, non revocat jus commune, neque privilegium in eo contentum* 176

*Privilegium non derogat juri communi, quando in eo sunt Clausulæ generales derogatoriæ, seu resistentes privilegijs pro futuris temporibus, & in privilegio noviter concesso, solùm sunt Clausulæ generales derogatoriæ* 176

*Privilegium, quod uni juri derogat, non est extendendum ad alterum* 176

*Privilegium ad commutanda vota debet intelligi de commutatione in re æquali, nec potest extendi ad inæqualem, nec ad dispensandum* 176

*Privilegium quotiescunque salvatur ejus utilitas in proprietate sermonis, sine derogatione alicujus juris communis, non est ad illa extendendum* 176

*Privilegium quando esset inutile, nec haberet effectum, quem petit juxta proprietatem verborum, nisi derogando juri communi, illi derogat in eo, quod illi contrariatur; & hoc non solùm cum Clausulis derogatorijs generalibus, verùm etiam sine illis, & absque alia obstantia, quando in jure communi nulla est specialis resistentia* 177

*Privilegij est operari contra jus commune, quando aliter effectum habere non potest* 177

*Privilegium ad celebrandum in Altari portatili, est intelligendum sine licentia*

tia Episcopi, licèt hoc non contineatur expressè in privilegio, & sit contra jus commune 178

Privilegium ministrandi Sacramentum pœnitentiæ simplici Sacerdoti concessum debet intelligi de peccatis mortalibus 178

Privilegium novum, in quo nulla fit mentio juris communis illi derogando expressè, & formaliter, vel aquivalenter, non derogat juri communi, quando in eo, seu privilegijs in illo insertis sunt clausulæ repugnantes privilegiis pro futuris temporibus concedendis, quod est habere clausulas derogatoriarum derogatorias 179

Privilegia absque inconvenienti possunt esse inutilia ob aliquem defectum substantialem 180

Privilegium potest esse nullum ex defectu voluntatis concedentis 181

Privilegia, quæ absque defectu concessa, nihilominus videntur prorsus inutilia, ex eo quòd nihil concedunt, quod sine illis non possit fieri, sunt verè privilegia 184

Privilegia inserta in corpore juris, quæ in suo tenore continent, ut revocari non possint, nisi fiat de eis expressa mentio de verbo ad verbum, vel quid simile, non revocantur per clausulas generales sequentis privilegii, sed requiritur ut addantur in revocatorijs alia verba reflexiva, ut revocari possint 187

Privilegium qualiter inutile fiat 188

Privilegia, quæ sunt extra corpus juris, & priora fuêre, non revocantur per posteriora, etiamsi posterius concessa habeant clausulas generales revocatorias, & sive priora sint generalia, sive particularia, vel è contrà, nisi de prioribus fiat specialis mentio in secundis 191

Privilegium manet extinctum, quando privilegiatus in pœnam delicti privilegio privatur 192

Privilegium, seu Statutum, in quo est duplex clausula, resistens revocationibus futuris, requirit ut in novo privilegio, quod illi opponitur, fiat specifica mentio illius duplicis, seu repetitæ resistentiæ, ut revocatum intelligatur 193

Privilegia circa liberationem à solutione decimarum, non revocant Constitutionem Concilij Lateranensis, nisi in revocatorijs fiat expressa mentio, Cap. nuper, de decim. 210. Nec tale privilegium fit communicabile, nisi exprimatur.

Privilegium, in quo derogatur alicui Concilio generali in specie, & additur clausula, & aliis Conciliis, censetur derogare Concilio Lateranensi, ubi agitur de solutione decimarum 210

Privilegia, quæ notabiliter nocent alijs, seu bono communi, ac illa, quæ nulli nocent, & sunt in favorem animarum, diversimodè sunt explicanda 212

Privilegium non impeditur cum dubio solùm novæ revocationis 287

Privilegium Patrum Societatis per Greg. XIII. ut revocentur, requirit, quòd denuntiatio revocationis fiat vel per Nuntium, vel per literas ad eos destinatas 290

Privilegiatus gaudet privilegio statim ac conceditur ex petitione per seipsum, vel per procuratorem, absque alia notitia; secus verò quando cõceditur motu proprio, vel ad petitionem alterius 292

Privilegium est donatio requirens voluntatem donantis, & recipientis 295

Privilegio illicitè utitur absque sufficiente notitia ipsius concessionis 296

Referuntur aliqua privilegia, quæ licèt concessa sint solùm motu proprio, prosunt privilegiatis à die concessionis, etiam si

*eorum nullam notitiam habeant* 299

*Privilegium concessum ante acceptationem Procuratoru, seu Nuntij, habet suum effectum per solam petitionem, quia acceptationem includit* 301

*Privilegium cum clausula*, motu proprio, *non semper excludit diligentiam petentis* 301

*Privilegium datum alicui ratione officij, vel dignitatis, suum effectum sortitur à die acceptationis dignitatis, vel offi. ij, licèt in eu constitutus illud ignoret* 304

*Privilegiatus aliquando tenetur uti privilegio, quando illi renuntiare non potest* 310

*Privilegio renuntiare non potest privata persona, cui concessum fuit, si etiam per se respiciat commodum alterius, & unum ab altero non sit separabile* 310

*Privilegio renuntiare non potest quãdo fit actus licitus, qui ante non erat, vel tollitur obligatio, quæ antè erat* 311

*Privilegio renuntiari non potest, quando usus privilegij est necessarius ad evitandam mortem, vitandum grave scandalum, aut notabile damnum proprium, vel proximi* 313

*Privilegiatus ad audiendam Missam tempore Interdicti, non tenetur uti privilegio* 314

*Privilegia expressè revocantur per Tridentinum qualem vim hodie habeant virtute confirmationis* Pii V.? 412. usque ad 422

*Privilegium concessum Monialibus Ordinis Prædicatorum circa Professionem Novitiarum existentium in articulo probabilis mortis, nondum expleto anno approbationis, non fuit revocatum à* Gregorio XIII. 453

*Privilegium, quod à principio fuit nullum, causâ subreptionis, non revalidatur per confirmationem* ex certa scientia, *nisi expressè dicatur in confirmatione*, non obstante, 478

*Privilegium invalidum à principio ob defectum juris positivi, validum reddit confirmatio*, ex certa scientia 478

*Privilegium concessum Patribus Societatis per* Paulum III. *Bullâ incipiente*, Cùm inter cunctas, *nec extinctum fuit per Triden. nec revocatum per decretum* Urbani VIII. 484. usque ad 490

*Privilegia revocata à jure communi restaurantur per confirmationem cum clausula*, ex certa scientia 504

*Privilegia ab homine revocata restituũtur per confirmationem* ex certa scientia 507

*Privilegia revocata in Conciliis Generalibus antiquo renovantur per confirmationem*, ex certa scientia, motu proprio, *vel*, de plenitudine potestatis 514

*Privilegia revocata in Tridentino, quando censeri debeant renovata per confirmationem cum clausula*, ex certa scientia, *&* de plenitudine potestatis 519

*Privilegia unius Religionis, quæ confirmantur per confirmationem privilegiorũ alterius, cum qua communicat in privilegijs* 522. usque ad 541

*Qualiter privilegia Carmelitarum Discalceatorum confirmentur, dum privilegia aliarum Religionum confirmantur:* 537

*Privilegium quot modis potest concedi valide & licitè?* 542

*Privilegium si concedatur à Pontifice* motu proprio, *absque petitione subditi: Subditus non debet esse solicitus de causa concessionis* 543

*Privilegium cum lesione juris communis*

*nis pendentis à voluntate concedentis, validè conceditur sine causa cognita* 546

*Privilegium aliquando valide conceditur cum aliquibus veris causis existentibus cum aliqua falsa* 548

*Privilegium ad aliquam determinatam rem, etiam cum dictione,* semel, *non semper expirat per usum illius in primo actu* 559. & 561

*Privilegia Bullata in quo ab Oraculis differant?* 567. & 568

*Privilegium per Bullam uni Religioni concessum, sed alteri communicatum, solùm per vivæ vocis oraculum, non intelligitur revocatum per oraculorum revocatorias* Gregorii XV. & Urbani VIII. 569

*Privilegia vivæ vocis oraculo concessa & postea confirmata per Bullas, non transeunt in privilegia Bullata* 586. usque ad 608. *ubi latè de revocationibus Oraculorum per Bullas* Greg. XV. & Urb. VIII.

*Privilegia per incorporationem, & insertionem in jure communi probabiliter, non amittunt propriam naturam privilegij* 611

*Protestatio prudenter adhibetur ad lites tollendas circa admissionem, seu renuntiationem privilegiorum* 130

*Provinciales Ordinum possunt creare Notarios Religiosos, qui privilegia Ordinum transcribant, & illorum fides adhiberi debet, quam a Notario publico* 103

*Publicatio est necessaria in declarationibus authenticis, ut obligent, quia leges reputantur* 40. & 41

*Publicatio authentica, vel legis Pontificiæ, vel declarationum Cardinalium, fit in Roma ad Valvas sancti Petri, & Campum Floræ* 41

R.

*Regulæ servandæ in privilegiorum interpretatione assignantur* 27. usque ad 34

*Regula ad dignoscendum quando unum privilegium est fortius respectu unius privilegiati, quàm respectu alterius exprimitur* 94

*Regula juris*, quando quis ignorat jurisdictionem, non valet quod agit, *explicatur* 304

*Regulares non impediuntur à consecutione Indulgentiarum, quibus gaudent generaliter Fideles, etiam in suis Ecclesiis* 395

*Regulares quas lucrentur Indulgentias visitando suas Ecclesias?* 405

*Regulares an possint hodie uti suis privilegijs etiam expressè revocatis à Tridentino, pro foro conscientiæ* 451

*Regulares ex vi confirmationis privilegiorum nequeunt ordinari ante legitimam ætatem, nisi in confirmatione fiat expressa mentio revocationis Tridentinæ* 520

*Religio communicans in privilegijs quomodo se certiorare debet, an privilegium quo uti vult, fuerit in usu tempore communicationis sibi factæ* 97. & 98

*Religiones Mendicantes communicant in privilegijs etiam cum non Mendicantibus Congregationibus, Confraternitatibus, & pijs locis* 51

*Religiones non Mendicantes, & etiam Monachales participant omnia privilegia Mendicantium, & non Mendicantium, & piorum locorum, ac si essent Mendicantes* 54

*Religiones Mendicantes antiquæ habent communicationem omnium privilegiorum inter se, & cum alijs non Mendicantibus, non solùm circa privilegia concessa, verùm in futurum concedenda* 535

*Religiosi communicantes in privilegijs cum PP. Societatis, uti possunt privilegijs ejusdem Societatis absque licentia proprij Generalis, vel Provincialis* 60

*Religiosi Societatis IESV uti non possunt nec licitè, nec validè aliquo privilegio, nisi de licentia sui Generalis* 58

*Religiosorum nomine in favorabilibus veniunt etiam Prælati* 99

*Religiosi irregulariter viventes per abusum suæ Regulæ amittunt privilegia saltem in foro conscientiæ* 135

*Religiosi sunt Episcoporum coadjutores* 149

*Religiosi obligatione Regulæ, & Statûs Religiosi præstant obsequia, & servitia in utilitatem Ecclesiæ, & animarum salutem* 149

*Religiosi de obsequijs, quæ limites suæ obligationis excedunt, à Deo expectent retributionem* 151

*Religiosi visitantes proprias Ecclesias, quas lucrentur Indulgentias* 410

*Renuntiationem privilegiorum concessorum in favorem totius Religionis, Ecclesiæ, Conventûs, Collegij, vel alicujus Communitatis, nullus particularis facere potest* 108

*Renuntiatio privilegiorum à particularibus etiam ab omnibus Communitatis divisim facta, nulla est: secus verò collectivè in Capitulo habente potestatem* 108

*Renuntiatio privilegiorum facta per Generalem, Provincialem, vel Priorem regularem invalida est, nisi aliud constet ex alijus privilegio* 110

*Renuntiatio privilegij facta ab habente potestatem, nec valida, nec firma est, nisi a Superiore concedente acceptetur* 113

*Renuntiatio strictè accipienda* 114

*Renuntians privilegijs, si ante acceptationem ab habente potestatem, voluntatem mutet, gaudet suo privilegio* 115

*Renuntiatio tacita nunquam reperitur in non usu privilegiorum regularium, quæ merè gratiosa sunt* 126

*Repugnantia secundæ legis est abrogatio prioris in his, quæ opponuntur* 170

*Rescriptum quid, & quotuplex* 154. & 155

*Rescriptum nomen est generale ad omnia se extendens, sive privilegia, sive gratias, quæ proprie privilegia non sunt, dummodo in scriptis concedantur* 154

*Rescriptum, aliud justitiæ, aliud gratiæ* 155

*Revisores librorum quibus periculis se exponant, si remissè se gerant, & absque solerti excussione illos approbent* 103

*Revocatio privilegij duplex: expressa, seu formalis; & implicita, seu æquivalens* 157

*Revocatio expressa alia generica, seu universalis; alia specifica, seu individualis* 158

*Revocatio specifica, seu individualis, quæ ex se est firma & valida, ex quibus defectibus possit esse nulla?* 158

*Revocatio implicitè fieri potest à Pontifice quatuor modis, & numerantur* 159

*Revocatio specifica formalis, & specifica æquivalenter eundem habent effectum* 190

*Revocata non intelliguntur, quæ si exprimerentur, non revocarentur, vel non ita facilè* 207

*Revocatoriæ repertæ in Bullis, seu decre-*

*cretiu quando debeant extendi, & quando restringi* 230

*Revocatio privilegiorum duplex, alia publica, seu universalis; alia ab hominibus & privata* 270

*Revocationi privilegiorum adaptatur doctrina de legibus irritantibus quoad vim obligandi, factâ publicatione Romæ,* 270. usque ad 276. ubi hoc explicatur.

*Revocatio ab homine, sive privata, nullum habet effectum priusquàm ad notitiã privilegiati perveniat authenticè* 287

*Revocatio privilegij concessi Communitati, sufficienter fit per publicationem, seu intimationem revocationis factam corpori Communitatis, vel ejus Capiti* 290

*Revocatio privilegij concessi alicui determinatæ personæ ratione sui, vel particulari loco, necesse est, ut ipsi privilegiato notificetur* 289

*Revocatio Indulgentiarum facta pro omnibus Regularibus à* Paulo V. 376. usque ad 389. exponitur.

*Revocationes generales omnium privilegiorum sub* Clemente VIII. *&* Paulo V. *edita quomodo intelligendæ?* 491. usque ad 498. ubi etiam de facultate absolvendi à reservatis.

*Revocatio in odiosis non extenditur de majori ad minus* 574

S.

*Scriptura facta coram tribus testibus à persona privata, quomodo authentica est, & fidem facit* 103

*Sententia contraria privilegio, in qua reus condemnatur non obstante privilegio, non revocat privilegium* 192

*Series Religionum, & concessionum, in quibus participant Mendicantes, & non Mendicantes expenditur* 54

*Statuta Tridentini, in quibus est clausula derogatoria, seu resistens privilegijs, nisi in specie revocentur, non manent revocata per subsequentia privilegia, nisi in casibus ibidem expressis* 179

*Subditus non tenetur cedere gratis juri suo* 143

*Subditi, si causa rationabilis non adest, tenentur acceptare legem, nec possunt ad libitum respuere* 323

*Subreptio tunc apparet quando impetrans non satis declaravit jura communis resistentiam* 180

*Subscriptio Notarij Publici, & sigillum alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate constitutæ authorizant privilegia* 103

*Supplicatio de lege licita est cum rationabili causa* 323

T.

*Tempus ad præscribendum contra privilegia requisitum* 120. usque ad 123

*Tempus minus requisitum ad præscribendum contra legem per dissuetudinem, quàm per consuetudinem contrariam* 325

*Tempus, quod requiritur ad præscribendum contra legem per dissuetudinem, & per consuetudinem contrariam* 327

*Testamentum deperditum probari potest per duos testes, licèt ad testamenti validitatem plures requirantur* 106

*Testamentum habens verba repetita, & duplicata non revocatur, nisi in posteriore testamento talium verborum fiat mentio* 193

*Transumptum sigillo Ordinis munitum,*

*tum, sufficienter probat privilegium* 103

*Tridentini statuta, seu privilegia ut revocentur, non sufficiunt in novo privilegio clausula communes & generales revocatoriæ, sed omninò desiderantur specificæ, & individuales* 219

*Tridentinum majorem habet resistentiam pro futuris dispositionibus, quàm alia Concilia Generalia antiqua* 219

*Tridentini statuta sufficienter revocantur per verbum* fiat, *vel,* conceditur ut petitur, *& quando in memoriali, seu petitione fit instantia, ut concedatur hoc vel illud, non obstante quòd sit contra aliquod statutum Tridentini* 222

*Tridentini decretum, ne aliquis Secularis eligat in Confessarium Sacerdotem non approbatum ab Ordinario, obligat etiam invincibiliter ignorantes* 284

V:

*VAlor privilegij non extenditur ultra mentem concedentis* 138

*Verba privilegij contra jus commune extendi debent, ut aliquid de novo concedant, sed quomodo extendi debeant, explicatur* 186

*Voluntas posterior Principis, quæ non potest consistere cum priore, mutat illam,* 170

*Voluntas posterior Principis cum scientia prioris semper valet* 170

*Voluntas non declarata, per communem usum loquendi, nihil facit ad valorem privilegij* 181

*Voluntas virtualis Principis sufficit ad valorem privilegij, per modum legis concessi alicui Communitati, licèt particularis aliquis eam ignoret* 302

*Vsus contrarius privilegij per aliquem Religiosum, vel peculiare Monasterium, vel etiam Provinciam, non tollit privilegium concessum toti Ordini* 133

*Non usus privilegij tripliciter sumitur, negativè, privativè, & contrariè,* 118

Aliqua ex his, quæ demonstrantur in Speculo, forsan in litteris Lector desiderabit, sed in littera P. verb. *Privilegium*, inveniet.

*Adm. R. P.*

# ANDREÆ

*à*

# MATRE DEI,

SALMANTICENSIS SVI ORDINIS Collegii Rectoris, & quondam Sacræ Theologiæ in eo Professoris, ac denique Definitoris Generalis Congregationis Hispanicæ Carmelitarum Discalceatorum,

# TRACTATUS

## DE PRIVILEGIIS REGVLARIVM IN

communi,& in particulari; concessis tàm pro Prælatis, quàm pro subditis; tàm per comparationem ad ipsos Religiosos, quàm per comparationem ad sæculares.

*Prodit nunc primùm in Germania.*




COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM WILHELMUM FRIESSEM juniorem.
ANNO M. DC. LXXXI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# INDEX CAPITUM ET PARAGRAPHORVM.


CAP. I. De Privilegiis in communi, eorum natura, conditionibus & proprietatibus.

Punct. I. *De quidditate & natura privilegii, à quo & quibus concedi potest.*

Punct. II. *An privilegiatus teneatur uti privilegio sibi à jure, vel Principe concesso?*

Punct. III. *De multiplicitate Privilegiorum in communi.*

Punct. IV. *Diversa clausulæ, quæ solent in privilegiis Pontificum reperiri, vel in eorum confirmationibus, aut revocationibus explanantur.*

Punct. V. *De conditionibus requisitis, ut privilegium sit validum & licitum.*

Punct. VI. *De interpretatione privilegiorum, à quibus fieri possit, & quomodo debeat adhiberi?*

Punct. VII. *De communicatione generali privilegiorum, quæ in omnibus ferè Ordinibus reperitur.*

§. I. *Qualiter omnes Religiones mendicantes & non mendicantes sibimet ipsis in privilegiis communicent?*

§. II. *Aliqua difficultates circa illam generalem communicationem deciduntur.*

§. III. *An privilegia concessa uni provinciæ, uni Conventui, vel Ecclesiæ particulari, vel etiam singularibus personis, censeantur concessa ceteris provinciis, Conventibus, Ecclesiis, nec non singularibus personis, ex vi generalis Communicationis?*

Punct. VIII. *De usu Privilegiorum, tam pro foro conscientiæ, quàm pro foro externo.*

§. I. *Quando, quo loco, & quomodo possunt uti Regulares privilegiis ipsis concessis?*

§. II. *An Regulares uti possint privilegiis per Tridentinum revocatis?*

Punct. IX. *An duret privilegium post mortem concedentis, vel privilegiati?*

CAP. II. De Cessatione, seu amissione Privilegii.

Punct. I. *Qualiter lapsu temporis, cessatione causæ finalis, & renuntiatione cesset privilegium?*

Punct. II. *Qualiter per non usum, vel per contrarium usum, vel per abusum deperdatur privilegium?*

§. I. *Certa apud Auctores circa præsentem materiam proponuntur.*

§. II. *Triplex conclusio pro resolutione puncti proponitur.*

§. III. *Ex dictis corollaria quædam inferuntur.*

Punct. III. *Qualiter per revocationem prè-*

*privilegia cessare possint, & quis ea revocare valeat?*

Punct. IV. *Qualiter revocanda sint Privilegia, ut debitum effectum sortiatur revocatio?*

Punct. V. *Quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur?*

Punct. VI. *Qualiter viva vocis Oracula revocata fuerint à Gregorio XV. & Urbano VIII.*

§. I. *In quo differat Oraculum à bullato privilegio? Et quæ sint oracula, quæ certò non sunt à dictis Pontificibus revocata?*

§. II. *An privilegia vivæ vocis Oraculo concessa, & postea confirmata per Bullam, transierint in Privilegia bullata, taliter quod per revocationes dictas Oraculorum non sint revocata?*

§. III. *Qualiter Oracula, quæ sortita sunt suum effectum ante revocatorias, non sint per illas abrogata?*

Punct. VII. *De Confirmatione Privilegiorum, sub qua forma, & modo fieri soleat?*

Punct. VIII. *An per confirmationem privilegiorum unius Ordinis, aliorum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in Privilegiis?*

CAP. III. De Privilegiis Regularium circa pertinentia ad Religionem in communi.

Punct. I. *De privilegio exemptionis competenti Regularibus à jurisdictione Episcoporum.*

§. I. *Quid nomine exemptionis intelligatur in præsenti? A quibus sit? Et qui gaudeant hoc exemptionis privilegio?*

§. II. *Qualiter Regulares exempti ab Ordinariis locorum, dependent ab eis quoad aliqua civilia?*

§. III. *An Ordinarii possint per censuras Regulares exemptos compellere quod ad ea, in quibus ex jure sunt illis subjecti?*

§. IV. *An Regulares exempti teneantur legibus Diœcesanis ab Episcopis impositis.*

§. V. *Possintne Ordinarii locorum visitare personas, Ecclesias, Monasteria, Parochias, Confraternitates Regularium exemptorum?*

§. VI. *Qualiter in causis criminalibus dependeant Religiosi exempti ab Ordinariis?*

Punct. II. *De Privilegio Regularium exemptionis à solutione decimarum.*

§. I. *Quotuplex sit decima, quæ jure debeatur, ex quibus rebus, quibus, in quo loco, & à quibus sit solvenda?*

§. II. *Qualiter jure communi Religiosi communiter viventes exempti sint à solutione decimarum?*

§. III. *De privilegiis concessis Religionibus extra corpus juris circa exemptionem solutionis decimarum.*

Punct. III. *De privilegio immunitatis concesso Regularium monasteriis, Ecclesiis, ac domibus eorum.*

§. I. *Quibus locis sacris hoc privilegium immunitatis conveniat?*

§. II. *Quæ personæ hoc gaudeant immunitatis privilegio?*

§. III. *De criminosis, qui ab hac Ecclesiæ immunitate excluduntur.*

§. IV. *Quos effectus habeat immunitas Ecclesiæ hactenus stabilita?*

§. V. *Quam pœnam & culpam incurrant indebitè extrahentes delinquentem à loco sacro?*

§. VI. *Quomodo confugientes ad Ecclesiam tradi, vel non, possint judici sæculari puniendi?*

Punct. IV. *De privilegiis novæ Monasteria fundandi, concessis Regularibus, ea mutandi, transferendi, deserendi, vel etiam reuniendi.*

§. I. *Quid requiratur ad erectionem novi Monasterii ex Concilio Tridentino, Clem. VIII. Gregorio XV. nec non Urbano VIII.*

§. II. *Qualiter in erigendis novis monasteriis servanda sit certa distantia, inter unum monasterium & aliud?*

§. III. *Qualiter, & quo jure possint Regulares sua monasteria mutare, seu de uno in alium locum transferre?*

§. IV. *An & quomodo Regulares deserere possint monasteria ædificata?*

§. V. *Qualiter Regulares unire possint duo aut plura monasteria, & unum alteri incorporare?*

Punct. V. *De privilegiis eligendi judicem conservatorem Regularibus concessis.*

§. I. *Diversa proponuntur privilegia pro Conservatoribus eligendis, qualiter designati teneantur electionem acceptare, & modus quo eligendi sunt explicatur.*

§. II. *Quas qualitates debeant habere, qui secundùm prædicta privilegia & sanctiones Apostolicas institui possunt judices Conservatores?*

§. III. *Ad quid se extendat potestas & jurisdictio judicum conservatorum?*

Punct. VI. *De privilegiis Regularium, ut possint in suis Ecclesiis sepeliri, qui eligunt in eis sepulturam.*

§. I. *Quid sepultura Ecclesiastica? à quibus eligi possit? & quando non eligitur, quo in loco fieri debeat?*

§. II. *Quibus ex jure neganda est sepultura Ecclesiastica?*

§. III. *Qualiter eligentes in Ecclesiis Regularium sepulturam possint ab eis sepeliri?*

§. IV. *De portione canonica Episcopis debita, & quarta funerali solvenda Parochiæ.*

§. V. *Privilegia quibus Carmelitæ Discalceati à solutione quartæ funeralis eximuntur.*

§. VI. *Quæ Religiones sint à solutione quartæ funeralis exemptæ? & quid teneantur solvere, quæ illam reddere tenentur?*

CAP. IV. De particularibus Regularium privilegiis in ordine ad seipsos, & ad sæculares.

Punct. I. *De potestate quam habent Prælati Regulares ad absolvendum & dispensandum ex jure ordinario, & privilegiis.*

§. I. *De facultate absolvendi à casibus reservatis, Prælatis Religionum conveniente remissivè.*

§. II. *An ignorantia excuset à reservatione incurrenda?*

§. III. *Qualiter dubium circa reservationem peccati, vel censuræ excuset à reservatione?*

§. IV. *De facultate Prælatorum ad dispensandum in irregularitatibus remissivè.*

§. V. *Qualiter Prælati cum suis subditis in legibus, & præceptis Ecclesiasticis valeant dispensare? remissivè.*

Punct. II. *De privilegiis Regularium in*

*in ordine ad audiendas confessiones suorum Religiosorum, aliorum & secularium.*

§. I. *Quod Regulares suis non obstantibus privilegiis, tenentur ab Episcopi approbationem habere, ut validè & licitè possint audire confessiones secularium.*

§. II. *De illis, qui possunt sibi Confessarium eligere ab Episcopo non approbatum.*

§. III. *Possitne Episcopus cum limitatione Regulares approbare? vel illis idoneis repertis approbationem non impertiri?*

§. IV. *An Regularis pro una Diœcesi approbatus, ad audiendas in aliis secularium confessiones nova indigeat approbatione?*

§. V. *An Regulares semel ab Episcopo approbati, possint iterum ad examen vocari, vel ab eo eorum licentia suspendi, donec iterum præsententur & approbentur?*

§. VI. *Qualiter unius Ordinis Religiosi possint cum extraneis, sive Religiosi sint, sive seculares, confiteri?*

§. VII. *An possint Regulares uti privilegio Bullæ Cruciatæ ad eligendum Confessorem extra suam Religionem?*

§. VIII. *De privilegiis Confessorum Regularium in ordine ad absolvendos proprios Religiosos à casibus reservatis.*

§. IX. *De facultate quam habent Confessarii Regulares dispensandi vota, & irregularitates suorum Religiosorum.*

§. X. *A quibus casibus & censuris reservatis possint regulares Confessarii seculares absolvere?*

§. XI. *Possintne modo regulares Confessarii à casibus & censuris Bullæ Cœnæ occultis seculares absolvere?*

§. XII. *In quibus irregularitatibus, & aliis pœnis possint Religiosi cum secularibus dispensare?*

Punct. III. *De privilegiis Regularium circa receptionem, & administrationem aliorum Sacramentorum, & Missæ celebrationem remissivè.*

Punct. IV. *De Privilegiis & obligationibus Concionatorum Regularium.*

# TRACTATUS DE PRIVILEGIIS.

## *PROOEMIVM.*

REM aggredimur difficillimam, vastissimumque navigare Oceanum, cùm de privilegiis agere suscipimus, eo, quod sit res adeo ampla, plurimisque nexibus implicata, tum ob multitudinem privilegiorum, quæ ab initio ferè nascentis Ecclesiæ in beneficium, & favorem Religionum, tam à Summis Pontificibus, quàm à Conciliis Generalibus, & Provincialibus emanarunt; tum propter diversas revocationes, & novas illorum confirmationes, quas postea Sedes Apostolica adhibuit: tum denique propter materiæ latitudinem, & intrinsecam difficultatem, & obscuritatem. Nec nos omnia in brevi isto tractatu exhaurire præsumimus, quod ferè nullus consequutus est, etiam integris, & latissimis voluminibus, sed nonnulla prælibare, quæ magis necessaria, & proficua judicavimus. Alia videnda erunt apud Authores, quorum selectiores vidimus, & hoc in loco adducimus. Et quàmvis pro Regularibus præcipuè totus hic Tractatus, imo totum volumen istud elaboratum sit; in eo, ut alibi nos dixisse meminimus, plura intexemus,

quæ

quæ etiam pro aliis viris doctis, & pro diversis statibus utilia fore non dubitamus. Privilegia namque,& nobilibus à Principe conferuntur,& militibus à Rege, & minoribus, viduis,& aliis à jure, ac denique Ecclesiasticis plura à Pontificibus sunt concessa. Ideoque dicenda in præsentiarum pro Regularibus,maximè circa privilegia in communi,cæteris omnibus applicanda sunt proportione servata. Quare in hoc tractatu, hoc ordine procedemus: ut prius agamus de privilegiis in communi, eorum naturam, conditiones,& proprietates explicantes. Deinde de illorum cessatione, vel per renunciationem, revocationem, non usum, &c. Postmodum de illorum confirmationibus,quæ omnia ad privilegia in communi pertinent: ac denique de particularibus privilegiis, circa diversas materias Religionibus concessis, tam pro Prælatis, quàm pro subditis, tam per comparationem ad ipsos Religiosos, quàm per comparationem ad sæculares.

CAPVT

# CAPVT I.

## De Privilegiis in communi, eorum natura, conditionibus, & proprietatibus.

Caput hoc novem continet Puncta.

PUNCT. I. De quidditate, & natura privilegii, à quo & quibus concedi potest. n. 1.
PUNCT. II. An privilegiatus teneatur uti privilegio sibi à jure, vel principe concesso, n. 11
PUNCT. III. De multiplicitate privilegiorum in communi, n. 16
PUNCT. IV. Diversæ Clausulæ explanantur, quæ solent in privilegiis Pontificum reperiri, vel in eorum confirmationibus & revocationibus, n. 38
PUNCT. V. De conditionibus requisitis, ut privilegium sit validum, & licitum, n. 57.
PUNCT. VI. De interpretatione privilegiorum, à quibus fieri possit, & quomodo debeat adhiberi, n. 70
PUNCT. VII. De communicatione generali privilegiorum, quæ in omnibus fere Ordinibus reperitur, n. 87
§. I. Qualiter omnes Religiones Mendicantes, & non mendicantes sibimetipsis in privilegiis communicent? n. 88
§. II. Aliquæ difficultates circa istam generalem communicationem deciduntur, n. 100.
§. III. An privilegia concessa uni Provinciæ, uni Conventui, vel Ecclesiæ particulari, vel etiam singularibus personis, censeantur concessa cæteris Provinciis, Conventibus, Ecclesiis, necnon singularibus Personis, ex vi generalis communicationis, n. 108
PUNCT. VIII. De usu privilegiorum tam pro foro conscientiæ, quàm pro foro externo, n. 119
§. I. Quando, quo loco, & quomodo possunt uti Regulares privilegiis ipsis concessis, n. 120
§. II. An Regulares uti possint privilegiis per Tridentinum revocatis? n. 130
PUNCT. IX. An duret privilegium post mortem concedentis, vel privilegiati? n. 139

## PUNCTUM I.

### De quidditate, & natura privilegii, à quo, & quibus concedi potest?

1. Missis variis definitionibus, quæ solent hìc adhiberi, brevior & communior illa est, qua privilegium definitur, quod est: *Lex privata aliquod speciale beneficium concedens.*

Definitio privilegii ponitur, & declaratur.

dens. Dicitur Lex lato modo, & secundum quid; neque enim privilegium est propriè lex, quæ ex natura sua debet ad bonum commune ordinari, ut diximus *tract.* 11. *de legib. cap.* 1. *n.* 10. quæque ex se obligationem inducere valet in eis pro quibus imponitur, ut ibidem *num.* 51. declaravimus. Privilegium autem neutrum ex natura sua petit: nam licèt aliquando in bonum commune ordinetur, multoties etiam conceditur ob bonum, & commodum alicujus particularis, nec etiam ex se habet obligare privilegiatum, ut eo utatur, ut dicemus *puncto sequenti*; sed suo modo est lex respectu aliorum, quibus necessitatem imponit, ne impediant privilegiatum ab usu privilegii, vel illum in tali usu perturbent, quod etiam ex jure naturali habetur, dictante privilegiatum non esse privandum jure, & facultate sibi à Superiore concessa. Dicitur *privata*, non quia plures non respiciat; multoties enim ad plures Congregationes extenditur, ut privilegia Religionum, Ecclesiasticorum, minorũ, pupillorum, &c. sed quia non ad omnes extenditur, sicut lex, quæ ex natura sua omnes tangit. Dicitur *aliquod beneficium speciale continere*, id est, favorem, indulgentiam, vel aliud quidpiam, aliàs ex jure non concessum; & sic præter jus semper debet aliquid operari privilegium, quamvis necessarium non sit, ut semper contra jus operetur aliquid, ut cernitur in indulgentiis, quæ per modum privilegii conceduntur, & tamen contra jus nihil operantur, sed solum præter jus aliquid concedunt.

In quo differat privilegium à dispensatione.

2. Ex quo patet discrimen inter privilegium, & dispensationem. Tum quia privilegium latius patet, quàm dispensatio; potest enim privilegium & esse contra jus, ut privilegium Bullæ Cruciatæ edẽdi lacticinia in Quadragesima; & præter jus, ut dicebamus de indulgentiis, & in privilegiis decimas, aliave subsidia accipiendi facultatem concedentibus: at dispensatio semper est contra jus; ob idque vulnus legis dicitur, & est semper odiosa, strictèque interpretanda. Et hinc oritur, ad dispensationem semper causam requiri, ut licitè tantùm impertiatur; ut quando à Legislatore ipso, vel ejus Successore, aut Superiori impenditur, vel ut licitè & validè possit concedi, ut cùm ab inferiore in lege Superioris conceditur, ut diximus *tract.* 11. *de legib. cap.* 5. *num.* 70. Sed ad concedendum privilegium validè causa non requiritur, ut infra *num.* 6. dicemus. Insuper differunt, quia privilegium datur per modum legis, & sic ex natura sua per multum tempus, & ad plures actus extenditur: at dispensatio, potius datur per modum præcepti, & ad breve tempus, vel ad unum, vel ad paucos actus, ut dispensatio in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus, &c.

Materia & forma privilegii declaratur.

3. Sed rogabis primo, quæ sit materia, & forma privilegii? §. Respondetur materiam privilegii debere esse honestam, & rationabilem, & sic nullo modo juri Naturali, aut Divino adversam; est enim lex quædam privata privilegium, & de ratione legis est, ut sit de materia honesta, & rationabili, ut diximus *in hoc tracta-*

*tu cap. 1. num. 17.* Debet insuper esse favorabilis; quia hoc est de ratione propria privilegii, ut in ejus definitione dicebamus, & consistens in aliqua facultate, ad aliquid agendum, vel non agendum, recipiendum, vel non recipiendum, quod non habebatur ex jure communi; cùm sit lex aliquid speciale concedens. §. Forma illius, alia est intrinseca; nimirum voluntas concedentis, ex qua tota vis, & vita privilegii dependet. Alia est extrinseca, seu externa; nimirum, id per quod talis voluntas principis explicatur, sive sit scriptura, verba, seu signa, quæ sint sufficienter declarativa voluntatis concedentis. Unde in privilegiis maximè attendendum est ad verborum significationem, tam communem, quàm juridicam, ut dicemus *hoc capite punct. 6.* cum forma externa privilegii præcipuè consistat in verbis externis significantibus concessionem alicujus gratiæ.

A quo, & quibus privilegium concedi valet.

4. Rogabis secundò, quæ sit causa sufficiens, & materialis privilegii, seu à quo, & quibus concedi possit? §. Respondetur, quòd nullus præter Legislatorem, potest privilegia concedere, & hoc circa materiam sibi subjectam, & circa quam subditos cogere potest. Et ratio est: Nam vel privilegium concessum est contra jus, vel præter jus: si primum: ergò solum potest concedi ab eo, qui jus condere potest: nam privilegium contra jus dispensationem permanentem includit, quam nemo præter Legislatorem, aut Successorem in Sede, vel Superiorem concedere valet. Si sit præter jus, concedens illud cogit vel cogere potest per modum legis alios ne usum impediant privilegii: ergò à solo potente condere legem, potest privilegium expediri: ergò omnes illi, & soli qui potestatem habent legislativam possunt privilegia concedere, & hoc circa materiam sibi subjectam; aliàs non posset alios modo dicto cogere, ne privilegiatum in usu privilegii impediant. Tambur. *de jure Abbat. tomo primo, disputatione 16 quæstione 1. numero secundo,* Layman. *libro primo, tractatu 4. cap. 23. num. 14.* Pellizzar. *tomo secundo, tractatu 8. capite primo, numer. 14.* Bonacin. *de privileg. disputatione 1. quæstione 5. punct. 2. numero 1.* Suarez *de legib. lib. 8. cap. 8. numer. 2.* Salas *de legib. disputat. 17. sect. 3. à numer. 17.* Bassæus *in florib. Theologiæ, verbo privilegium, capite primo, num. 6. & 7.* Castro Palao *tomo primo, tractatu 3. de legibus, disputatione 4. punct. 4. num. 1.* Ex quo patet Summum Pontificem, Regem, posse privilegia concedere, circa materiam latissimam, & juri communi contrariam. Pontifex in spiritualibus ubique terrarum, & circa materiam, cuicumque juri Ecclesiastico subjectam: in temporalibus autem, solum quoad terras dominio temporali Ecclesiæ subjectas: & similiter Rex in temporalibus, quoad provincias in sua ditione contentas: Episcopi autem, & Magistratus, vel alii Prælati solum quoad territorium sibi competens, & circa materiam, circa quam leges sanxerunt, vel condere possunt.

Non subditis con-

5. Ex quo sequitur, quòd privilegia dispensativa legis, seu quæ sint

potest Princeps aliqua concedere privilegia.

contractus, solùm conferri possunt à Principe propriis subditis; quia illos dumtaxat leges illius obligant, à quibus eximuntur per privilegia. Si autem privilegium sit alicujus facultatis concessivum; etiam non subditis impendi potest, dummodo sit de materia Principi subjecta: potest enim Rex tam subditis quàm Exteris aliquos contractus permittere, aliis prohibitos, & facultatem concedere arma, cibus, & alia extrahendi, quæ aliis non sunt permissa, & sic plura privilegia sunt concessa Religiosis, & clericis à Principibus sæcularibus, tametsi eorum non sint subditi; non enim privilegium obligat, aut ligat privilegiatum ad utendum illo, sed alios, ne illum ab usu impediant. Unde sicut non subditus, capax est donationis à Principe factæ; sic etiam privilegii, quod est quædam donatio gratiæ, & favoris. Sed quia respectu aliorum, vim legis habet privilegium obligantis, ne illius usum perturbent; ob id diximus, debere esse de materia principi subjecta, circa quam subditos cogere potest. Sic authores citati *numero præced.*

Pro validâ privilegii cõcessione, non requiritur aliqua causa, bene tamen pro licita.

6. Rogabis tertiò, an ad licitam & validam privilegii concessionem, aliqua causa requiratur? §. Respondetur quòd, ut licitè privilegium concedatur, aliqua causa justa, & honesta requiritur; at si absque illa concedatur, valida erit talis concessio, licèt non licita. Prima pars probatur: quia vel privilegium est derogativum legis, vel juris tertii; & sic requiritur aliqua justa causa ut licitè impendatur; quia est quædam dispensatio legis, quæ absque justa causa illicitè confertur: & tunc est contra justitiam distributivam, aliquos eximere, ex quo plus alii graventur, absque rationabili causa, & multò magis si privilegium juri alterius tertii deroget, in quo alteri damnum infertur. Vel est purum beneficium Principis, & etiam hoc justam exigit causam, pro sui concessione: quia licèt non sit contra legem aut jus tertii, argueretur Princeps de vitio prodigalitatis, & acceptationis personarum, aliisque invidiæ, & perturbationis fomitem ministraret. §. Quæ autem sint causæ sufficientes, pro tali concessione? vide quæ diximus *tract. 11. de legib. cap. 5. num. 73.* Pro dispensationibus, quæ applicari possunt privilegiis, illud certum judicamus sufficere pro causa, bonum privatum, cùm privilegium sit lex privata: & etiam remunerationem scientiæ, virtutis, &c. quia hoc etiam cedit immediatè in bonum commune, & aliquando, quòd Princeps se mitem, & liberalem ostendat, ut diximus de dispensatione *ibid.* & semper, ac Princeps privilegium concedit, præsumendum est, ex justa causa procedere; cùm in eo non debeat præsumi delictum, præcipuè si ex proprio motu, & certa scientia procedat. Et quando bona fide subditus illud petit, tutus in conscientia potest esse utendo illo, hoc ipso, quòd Princeps concedat; cùm præsumere debeat, ex justa causa illud concessisse. Sic Authores citandi *num. seq.*

Valet privilegium

7. Secunda verò pars, quoad validam privilegii concessionem, non requiritur causa, sive sit purum beneficium,

absque causa expeditum.

ficium, sive contrà jus, sic probatur. Quia semper est de re, quæ ex sola voluntate Principis, legem ferentis dependet: unde sicut ipse poterit, vel legem tollere, vel coarctare; etiam absque ulla causa, sic potest per privilegium, aliquos ab obligatione legis eximere; uti de dispensatione à Legislatore, vel Superiore concessa, *diximus locis citatis num. 63.* Quod etiam tenuimus, *tom. 2. tract. 9. de matrimonio, cap. 14. à num. 20.* & docent Suarez *lib. 8. de legib. disput. 17, sect. 4. nu, 29.* Palaus *de legib, tract. 3. disputat. 4. punct. 5. num. 1. & 2.* Nost. Antonius à Spiritu sancto *in Direct. Regular. tractat. 1. disputat. 1. num. 24.* Noster Petrus ab Angelis *in speculo privileg. disputat. 7. sect 9. num. 3.* An verò cessante causâ, ob quam privilegium est concessum, cesset ipsum privilegium? diximus *loco citato de matrimonio, nu. 27.* & *de legib. nu. 88. & cap. seq. etiam dicemus.* Quæ autem occultatio causæ, vel falsâ illius narratio vitiet rescriptum, faciatque privilegium invalidum, diximus loco citato de matrimonio, agentes de dispensationibus, pro impedimentis illius *c. 14. nu. 31.* quæ modò non oportet repetere.

Non requiritur clausula derogatoria juris, ut privilegium contra jus concedatur.

8. Rogabis quartò, An sit de ratione privilegii, quod est contra jus, seu quod ab observatione legis eximit, ut in ejus concessione, per formalia verba derogetur juri communi? §. Respondetur negativè: si privilegium non potest habere effectum, nisi derogando juri communi, vel nisi jus commune resistat privilegio, cum clausula, *non obstantibus quibuscumque privilegiis in contrarium.* Vel denique nisi privilegium sit contra consuetudinem aliquam: aut legem municipalem, cui non censetur Princeps derogare, nisi de illa expressam mentionem faciat, cum clausula derogativa illius. Plures partes habet assertio, singulas probabimus. Probatur in primis, privilegium contra jus commune, non qualificatum per clausulam resistentem privilegiis, non indigere ad sui valorem, clausulâ derogativâ juris communis; nimirum, *non obstante quacumque lege in contrarium.* Quia Princeps nō præsumitur ignorare jus commune, *c. 1. de constitutionibus in 6.* ergò dans contra illud privilegium, in actu exercito vult illi derogare: aliàs præsumeretur nihil efficere velle, sed tantùm cōcessionem inutilem facere, & constat *ex c. in his, de privilegiis.* Vbi rejicitur quædam interpretatio privilegii, per quā inutile reddebatur. quare sive ex certa scientia, sive ex motu proprio, privilegium sit concessum, sive nō, absque clausula derogatoria *non obstantibus*, suum habebit effectum. Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 16. quæst. 7. n. 1. & 3.* Portel. *in dubiis Regular. ver. privilegium, n. 13.* Palaus *supr. punct. 10 n. 9.* Pellizzar. *tract. 8. c. 1 n. 13.* Suarez *l. 8. c. 14. n. 4. & 5.* Anton à Spiritu S. *loc. cit. n. 26.* Sed hoc ut diximus, nisi privilegium non possit aliquem effectum sortiri absque tali derogatione. Si verò potest esse utile absque illa, non habet vim derogandi juri communi, nisi cum clausula expressa illud extendente, etiam contra jus cōmune, ut docent prædicti Authores. §. Ex quo infertur privilegium, quod uni juri derogat, non esse extendendum

dum contra alterum, si contra læsionem alterius utile esse potest.

Quando clausula revocatoria juris communis requiratur in privilegio.

9. Secunda verò pars resolutionis, nimirum quòd si jus commune sit qualificatum & munitum per clausulam resistentem privilegiis, ut sunt plura decreta Tridentini, in quibus clausula, *non obstantibus quibuscumque privilegiis, &c.* reperitur; debeat per clausulam derogatoriam juris communis esse qualificatum (nisi ex certa scientia, & motu proprio expeditum sit, ut infra hoc *cap. n.* 40. dicemus) ut vim habeat. Probatur: quia quando jus resistit privilegiis derogando, seu revocando illa, nisi privilegium huic juri deroget, cum clausula dicta fortificato nullum robur habebit: quia clausulâ illâ juris communis, omnis efficacia privilegiis tollitur: & sic quamdiu illi clausulæ per oppositam non derogatur, nullius erit efficaciæ; aliàs frustranea esset talis clausula in jure, si per privilegium nudum ejus non revocatorium tolleretur. Et hoc verum est etiamsi privilegium redderetur inutile: quia præsumendum est Principem nolle juri communi derogare, hoc ipso, quod absque derogatoria, derogatoriæ, illud expediat; sed tantum satisfacere importunitati petentium. Suarez *c.* 14. *n.* 16. Palaus *n.* 10. Pellizzar. *n.* 13. Antonius à Spiritu S. *n.* 28. Tambur. *n.* 4. Portel. *loco citat.* §. Sed improbabile non erit, adhuc privilegium habere robur, etiam contra jus, illa clausula, *non obstantibus*, qualificatum; quia per istâ clausulam juris, solum revocantur privilegia ad illud antecedentia, non verò, quæ post illud feruntur: & sic non redditur frustratoria, cùm deroget antecedentibus privilegiis, contra talem legem, licèt adversus privilegia postea concedenda vim non haberet, quod amplius ex infra dicendis constabit.

10. Tertia denique pars, nimirum, quòd per privilegiũ nudũ non derogatur cõsuetudinib⁹, vel legibus particularibus, nisi per clausulam, *nõ obstante quacumque consuetudine, vel statuto contrario*, fuerit munitũ, probatur. Quia Princeps non præsumitur leges particulares, aut consuetudines scire, ut constat ex *eod. c.* 1. *de constit. in 6. ob idque diximus tr.* 11. *de leg. c.* 4. *nu.* 14. per legem generalẽ, non abrogari consuetudinem, aut legem particularem, nisi de eis fiat expressa mentio. Quare, licèt ex certa scientia, & motu proprio tale privilegiũ concedat; nõ præsumitur, per illud velle principem juribus, aut consuetudinibus particularibus derogare, nisi cũ clausula derogativa illorum. Sic præcitati Authores. Sed hoc intelligẽdum est, dũmodo statutum, vel consuetudo particularis non contrarietur juri communi; si enim illi contrarietur, cũ privilegium sit juri communi conforme est latè interpretandũ; siquidẽ est favorabile, & sic intelligendum est cõtra illud jus municipale, maxime si ex motu proprio, & certa scientia procedat; quia lata explicatio ejus favet juri communi, & sic non est rejicienda. Palaus *punct.* 10. *n.* 4. Suar. *l.* 8. *c.* 28. *n.* 16. Bonacina *de privileg. disput.* 1. *q.* 3. *punct.* 7. §. 1. *n.* 8. Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 10. *n* 90. Pellizzar. *tract.* 8. *c.* 1. *num.* 146. Tamburin. *tom.* 1. *disp.* 16. *quæst.* 5. *n.* 10.

## PUNCTUM II.

*An privilegiatus teneatur uti privilegio sibi à jure, vel à principe concesso?*

Privilegio particulari per se nemo tenetur uti.

11. AD hoc breviter respondemus: quod si privilegium est in commodum particularis, illo non tenetur uti; sed illi renuntiare valet, quia nemo tenetur uti privilegio sibi concesso, eo quod, *quæ in gratiam alicujus concessa sunt, non debent in ejus damnum retorqueri regul. 61. juris in 6.* nisi cedat in grave damnum suum illo privilegio non uti; ut si non ostenderet privilegium exemptionis, morte plecteretur: vel nisi cederet in damnum alterius, ut si haberet privilegium non solvendi decimas, eo uti teneretur, si per talem solutionem redderetur impotens ad solvendum creditoribus. Diana *part. 9. tract. 1. resolut 19.* Bassæus *in floribus, verbo privilegium cap. 2. num. 5.* Et idem est si privilegium ita sit in commodum illius, ut ejus non usus cedat per se in incommodum alterius; & sic uxor non potest fideijussione obligari, absque consensu viri, & filiusfamilias non potest debita solvere, sine licentia patris. Salas *disp. 27. sect. 2. n. 25.* Diana & Bassæus *loco citat.* Pellizzar. *tractat. 8. capite 1. numero 84.* Diximus *per se*: si enim ex consequenti dumtaxat, alterius incommodum sequatur, non tenetur ob id privilegiatus uti privilegio; ut quando privilegium per se Religioni, vel Monasterio concessum, ex consequenti famulis, & servis illius: conceditur & privilegium concessum domino, ex consequenti ipsum communicantibus est concessum non tenetur eo uti privilegiatus, etiamsi ex consequenti, ex non usu illius, alijs sequatur incommodum, per amissionem commodi, quod ex usu illius consequi poterant, ut tenent authores citati. Privilegio autem in bonum commune concesso, ut privilegio immunitatis Ecclesiasticis & alijs Religioni in communi impensæ, quilibet in particulari tenetur uti, nec illi valet renuntiare: quia non potest particularis renuntiare, quod sibi directe concessum non est, esto illo fruatur *Cap. si diligenti. de foro competenti. Cap. si contingat, de sententia excommunicationis, ut omnes Doctores tenent.*

quid in hac quæstione habeatur certum.

12. Sed inquires primo. An quando actus, qui alias erat illicitus, efficitur licitus per privilegium, si ille actus legi subjiciatur, privilegiatus teneatur uti privilegio? v. g. tempore interdicti illicita est auditio Sacri, habes privilegium, vel bullam, qua talis auditio tibi licet; venit dies festus, quo auditio sacri cadit sub præcepto: teneberisne uti privilegio, & audire Sacrum? vel poteris privilegio renuntiando, ab auditione abstinere? Et idem est de aliis exemplis infra assignandis. § Circa quam quæstionem, ut certum supponimus, quod si impedimentum allatum, sit mere personale, quo ablato urget lex, & præceptum, tenetur privilegiatus eo uti, & legi se conformare. Es in carcere detentus, & tibi conceditur, ut eas ad Ecclesiam die festo; teneris audire

dire Sacrum, quia impedimentum illud est personale. Avila *de censuris part. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 6. num. 54.* Noster Petrus ab Angelis *in speculo privilegiorum disp. 5. sect. 8. numero 8,* habet mulier nupta votum castitatis, quod ante matrimonium, vel post illud emisit, vir ejus in adulterium incidit, posset alias non recedere ab eo, vel si recessit, cum eo reconciliari; sed quia solum personaliter ex conjugio erat impedita, ab observatione voti ablato illo impedimento, & adquisito jure ad recedendum ob adulterium viri, non potest cedere privilegio recedendi, sed debet non remittere conjugi adulterium, & votum servare. Palaus *tract. 3. disputat. 4. punct. 7. num. 3.* Sylvest. *matrimonium 7. quæst. 5. dict. 6.* Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 6. num. 14.* Suarez. *de legibus lib. 8. cap. 23. num. 8.*

Quando impedimentum ex jure communi aufertur, debet privilegiatus uti privilegio, ut legem observet

13. Loquimur ergo, quando impedimentum obstans observationi legis est commune, ut interdictum quod impedit missam dicere, vel audire, nisi hoc habeatur ex privilegio; vel si quis esset infirmus, incarceratus, aliove modo detentus, & non posset ad Ecclesiam accedere pro dicenda, vel audienda missa, haberet tamen privilegium, ut eam in oratorio privato dicere, vel audire posset; an iste in utroque casu posset renuntiare tali privilegio, & ab auditione Sacri desistere? Et quidem, si privilegium sit ex jure communi concessum, per quod in communi fuit impedimentum sublatum, haud dubium est teneri privilegiatum eo uti, ut præceptum observet, ut in festivitatibus, in quibus suspenditur interdictum ex jure communi *in capite Alma Mater de sententia excommunicationis.* Et in omnibus diebus, pro Ecclesiasticis Personis, pro quibus in prædicto jure conceditur, ut possint dicere, & audire Sacrum, cum conditionibus ibi positis, & à nobis *tract. 10. de censuris* explicatis, ut ibidem *cap. 6. num. 64.* probavimus, quia jam respectu illorum, ex jure communi est ablatum impedimentum illud interdicti, & sic est privilegium commune, cui singuli renuntiare non possunt.

14. Sed quando privatim per privilegium aufertur impedimentum, ut in duplici casu *numero præcedenti* allegato, per privilegium personale, licet plures authores satis probabiliter dicant teneri privilegiatum uti in eo casu privilegio & Sacrum audire, ut præcepto illo die urgente satisfaciat; probabilius oppositum diximus loco citato, adductis pro hac sententia Cornejo, Avila, Victoria, Llamas, Conincho, & Diana. Quod etiam modo asserimus: quia melius erit se juri communi conformare cedendo privilegio & observando interdictum, & quia tam istud, quod concedit, ut audire Sacrum possit tempore interdicti; quam illud ut possit illud audire, vel dicere in oratorio privato, est privilegium mere personale, cui ipse renuntiare valet; alias in onus cederet, quod in favorem erat concessum, & sic in utroque casu, non teneri missam audire docent Peilizzar. *tom. 2. tract. 8. c. 2. sect. 2. num. 154.* Diana 9. *part, tract, 1. resolut. 19.* Escobar. *in*

Tho-

*Theolog. Moral, tract. 1. exam. 11. c. 11. n. 97.* Merola *tom. 3. disp. 6. cap. 6. dub. 22. n. 132.* Ledesma *tom. 1. de Sacram. Euchar. cap. 27. conclus. 16.* Homobon. *in respons. casuum conscientiæ, volum. 1. resp. 41.*

Quando teneatur confessarius uti privilegio absolvendi à censuris vel reservatis.

15. Inquires secundo. An habens privilegium absolvendi à casibus vel censuris reservatis, teneatur uti privilegio, & ita absolvere à casu, vel censura reservata pœnitentem, cujus confessionem audivit, vel illum remittere possit ad Superiorem, cui casus reservatus est? §. Aliqui probabiliter docent non teneri pœnitentem nec à censura, nec à casu reservato absolvere, Henriquez vero *lib. 7. de indulgentiis cap 28. num. 2. & in commentario littera I.* distinguit inter censuram, & casum reservatum; & ab hoc dicit teneri eum absolvere, ne cogat pœnitentem iterum confiteri: secus vero à censura, à qua, à Superiore extra confessionem absolvi potest. Cæterum quis non videat nullum esse hoc discrimen, cum Superior, nisi cœco modo procedat, à censura non absolveret, nisi cognito delicto, ob quod in eam cecidit, & sic cogeretur pœnitens extra confessionem, iterum culpam coram Superiore dicere, quod est quid durius, & magis absurdum. Quare dicendum est, regulariter teneri confessarium uti privilegio, & tam à censura, quam à peccato reservato pœnitentem absolvere; quia aliàs cogeret eum bis peccatum manifestare, quod est gravissimum onus, & incommodum, & ut diximus *n.* 11. tenetur privilegiatus uti privilegio, quando ex ejus non usu alteri sequitur damnum, vel detrimentum. Diximus *regulariter*; quia ob justam, & rationabilem causam potest confessarius privilegio in dicto casu non uti, ut si pœnitens sæpe in eadem peccata reservata incidere soleat, vel ex alia simili causa. Quia tunc propriè non dicitur renuntiare privilegio in præjudicium pœnitentis; sed potius in favorem animæ ipsius, ut in futurum cautior sit in committendis talibus peccatis. Angelus *verbo Confess. n. 28. fine.* Merola *disput. 6. cap. 6. dist. 2. num. 69.* Rodriguez *in explicat. Bullæ cruciatæ, §. 9. n. 142.* Petrus ab Angelis *in Specul. privileg. disp. 5. sect. 8. n. 10.*

## PUNCTUM III.

### *De multiplicitate privilegiorum in communi.*

Diversi species privilegiorum recensentur.

16. NOn agimus in præsenti, de diversis privilegijs, quæ circa diversas materias sunt concessa pluribus, & diversis personis. Hæc enim minimè possent ad numerum reduci; sed in communi, de diversis speciebus privilegiorum, quorum naturam scire necessarium est, pro dicendis toto hoc tractatu. Dividitur ergo primo privilegium in reale, & personale. Secundo in gratiosum, & remuneratorium. Tertio in affirmativum, & negativum. Quarto in generale, & singulare. Quinto in favorabile, & odiosum. Sexto in scriptum, & non scriptum. Septimo in concessum

sum pro foro externo, vel solum pro foro conscientiæ. Octavo in absolutum, & conditionatum. Nono in personale, & locale. Decimo in temporale, & perpetuum. Quas species, modò suo ordine declarabimus.

Personale privilegium explicatur.

17. Igitur ad primam divisionem deveniendo, sciendum est, quod licet omnia privilegia conveniant præcisè personis, quia illæ dumtaxat capaces sunt illa recipiendi; aliqua tamen sunt privilegia, quæ privatis personis, ut talibus sunt concessa: & ista dicuntur *personalia*. Alia conceduntur ratione qualitatis inventæ in persona, seu illi adjunctæ; & talia dicuntur *realia*, quia ratione rei conveniunt personæ, ut quæ loco, officio, dignitati, aliisque similibus annectuntur, quæ non personæ ratione sui, sed ratione illius rei, quæ est in illa conveniunt. Inter quæ plura dantur discrimina: unum est, quod personale privilegium, respicit commodum privatum personæ, cui proinde ipse renuntiare potest. Reale vero respicit bonum commune, & sicà particularibus nequit renuntiari. Aliud, quod personale sequitur pe sonam, & cum ea spirat, non vero transit ad alios, *cap. privilegium, de regulis jur. in 6.* Sed reale sequitur rem, duratque toto tempore, quo res durat, & transit ad omnes, in quibus res invenitur, *l. Imperatores, ff. de publicanis.*

Res, cui annectitur privilegium explicatur.

18. Res autem cui annectitur privilegium, aliæ dicuntur corporeæ, ut Ecclesia, Monasterium, &c. Aliæ incorporeæ, ut Episcopatus, Doctoratus, Clericatus, Monachatus, &c. unde omnia privilegia concessa Universitati, Civitati, Collegio, Monasterio, &c. sunt realia; quia licet conveniant singularibus personis; non vero quatenus singulares sunt, seu ratione ipsarum personarum; sed ut partes sunt illius communitatis. Unde hoc ipso, quod desinant esse partes illius, tale privilegium amittunt. Similiter concessa minoribus, pupillis, viduis, militibus, &c. quia respiciunt illas personas singulares, non quatenus tales sunt, sed ratione illius qualitatis communis adhærentis. Salas *de legibus, disp. 17. sect. 2. n. 9.* Suarez *de legibus, lib. 8. c. 3. à n. 3,* Basil. *de matrim. lib. 8. cap. 18. n. 4. & 6.* Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 2. §. 1. num. 2.* § Unde fit, quod cum ferè omnia privilegia concessa Regularibus, sint in bonum commune, & per se concessa, vel toti Religioni, vel alicui Provinciæ, conventui, Ecclesiæ, dignitati, vel particularibus non ut talibus; sed ut unum in communi faciunt, ut quæ conceduntur pro novitiis, confessoribus, prædicatoribus, &c. absque dubio sunt realia, & perpetua, transeuntque de persona in personam, quamvis singulares in ea varientur; quia faciunt unum morale, sicut aquæ fluvij, quarum aliæ decurrunt, aliæ succedunt, unum tamen fluvium constituunt. Bordon. *tom. 2. resol. 52. art. 4. n 13.* Portel. *in dub. Regul. verbo privilegium, num. 4.* Rodrig. *qq. Regul. tom. 1. q. 16. art. 14.* Petrus ab Angelis *in specul. privileg. disp. 1. sect. 1. n. 7.*

Omnia privilegia Regularium, sunt realia.

19. §. Sed rogabis primo, quo- Quomodo sit

cognoscendum privilegium esse reale, vel personale?

modo cognoscendum sit, quod privilegium concessum est personæ, vel rei illi adhærenti? § Respondetur, quod ex ipsis verbis privilegij id erit accipiendum. Si namque per se primo dirigantur ad munus, dignitatem, vel officium personæ, *ut concedo hoc privilegium Episcopo Salmantino, Duci de Alva*, &c. censendum est regulariter reale, & transmitti ad successores. Si vero dirigatur ad personam, eam nominando, ut si dicat, *concedo tibi Petro vel Francisco*, &c. personale. Diximus *regulariter*, eo, quod accidere potest, ut materia ipsius privilegii incapax sit, ut transeat ad hæredes, vel successores; & tunc erit personale, quantumcumque verba sonent: quia verba debent rebus accommodari. Layman. *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 2.* Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 27. n. 3.* Basil. *lib 8, c. 8. §. 1. n. 6.* Similiter si officium nominetur, sed constat ex verbis, & materia privilegii, concedi ob specialem scientiam, & prudentiam, vel sanctitatem, etiamsi persona non nominetur, privilegium erit personale, ut si dicat, *Concedo tibi Episcopo Oxomensi ob prudentiam, scientiam, virtutem, nobis notam.* Sanch. *num. 3.* Palaus *punct. 2. §. 1. n. 3.* Et idem est, si expressâ personâ, aliquid addatur, quo perpetuitas, vel successio ad hæredes denotetur: ut si dicat: *Tibi Petro Episcopo Salmantino, & successoribus tuis*, nam tunc erit reale, non personale: & idem est si dicat, *tibi in perpetuum concedo hanc facultatem*, talis concessio est realis, & transit ad hæredes, quia licet tibi concessio facta sit sub expresso nomine, successoribus tamen nomine implicito, & virtuali. Et ratio est: quia si ad successores non transiret illa potestas: particula illa *in perpetuum* esset inutilis, & frustranea, quia hoc ipso quod sibi absolutè concessum est privilegium sine ulla restrictione, intelligitur pro toto tempore vitæ: ergo ut illa particula *in perpetuum* aliquid operetur, debet successoribus illa facultas transmitti. Basil. *lib. 8. c. 18. n. 5.* Palaus *supra n. 4.* Suar. *de legibus, lib. 8. c. 3. num. 12.* Antonius à Spiritu sancto *in direct. tract. 1. disp. 1. n. 5.*

Si privilegium sit favorabile, in dubio judicandum est reale, si odiosum personale.

20. Rogabis secundo, an in dubio, utrum privilegium sit reale, vel personale, judicandum sit esse reale, vel personale? ut si verba tam ad personam, quam ad dignitatem referantur, dicendo: *Concedo tibi Episcopo Salmanticensi*, ubi concessio ad personam, & dignitatem dirigitur, & ambiguum est, an ad personam tantum ratione ipsius, vel ratione dignitatis dirigatur? §. Respondetur, quod si privilegium sit favorabile, & nec juri communi, nec alterius tertij adversum, *reale* judicandum est: & sic extendendum ad successores. Tum, quia beneficium Principis latè est interpretandum. Tum etiam, quia beneficium à Principe concessum, debet esse mansurum, *regul. decet 13. juris in 6.* si verò sit odiosum, quia videlicet, vel est contra jus alterius, vel contra jus commune, strictè est interpretandum, judicandumque *personale*, transiens

fiens cum persona: quia quæ à jure communi exorbitant, & sic odiosa sunt, strictè debent interpretari. Hieronym. Garcia *in polit. regul. tom. 1. tract. 8. ff. 1. dub. 2.* Diana *4. parte, tract. 3. resolut. 51.* Portel. *verbo privilegium, n. 4.* Salas *disp. 7. sect. 6.* Sanchez *lib 8 disp. 1. num. 1. fine. & num. 4.* Suarez *lib. 8. cap. 3. num. 18,* Antonius à Spiritu sanctò *tract. 1. disp. 1. num. 6.* Petrus ab Angelis *disp. 1. sect. 1. num. 5.* Bonac. *disp. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 7.* Advertunt tamen hi authores, quod, qui habet majorem probabilitatem esse privilegium *reale*, non *personale*, vel econtra, pro parte majoris probabilitatis stare deberet; quia illa major probabilitas est quædam moralis certitudo, & majus jus confert: addit verò Palaus, *tract. 3. disputat. 4. punct. 2. § 1. num. 7.* Quod etiam, qui haberet pro una parte majorem probabilitatem, si pro alia habeat probabilem sententiam, potest quam maluerit sequi: quia id, quod est probabile, in ea ratione, qua est probabile tale est, ut quis prudenter possit illi conformari.

Aliqua addun tur doctrinæ præcedenti.

21. §. Addunt tamen Suarez, Bonacina, Salas, Palaus, Bassæus, Portel. Lezana, & Garcia, *locis citatis*, quod si possidenti privilegium, ut *reale*, oriatur dubium, an sit personale, & diligenter re examinata, adhuc dubium persistit, poterit illud *reale* reputare: quia in dubiis melior est conditio possidentis. §. Adverte tamen, quod si privilegium sit in favorem Religionis, & causæ piæ expeditum, tametsi juri communi deroget, latè est interpretandum, & sic in casu dubii reale præsumendum: *Quia summum jus est, quod pro Religione facit, l. si personæ, ff. de Relig. & sumptib.* tenet Suarez *cap. 27. num. 7.* Garcia *loc. cit.* Palaus *num. 5.* Laurentius Peyrinis *tom. 1. privil. ad constit. 10. Clement. VIII. num. 12.* & hujus generis sunt privilegia omnia Regularibus concessa, quæ late interpretanda sunt, ut dicemus infra. Ob idque judicanda sunt realia in casu dubij, ut tenent Hieronymus Garcia *loco citato dub. 2.* Henriquez *lib. 7. de Indulgentiis cap. 30 §. 1.* Rodriguez *qq. Regular. tom. 1. quæst. 11. art. 5.* Sanchez *consil. tom. 2. lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 40.* Hynolosa *in director. decis. Regul. verbo privilegium, §. & sexto.*

Explicatur privilegium remuneratorium, & gratiosum.

22. Secundo dividitur privilegium, in *gratiosum*, & *remuneratorium*. Illud est in quo non habetur respectus ad aliqua merita ut remunetalia, hoc quod in præmium, & satisfactionem ejus, parentum, vel consanguineorum est concessum. Nam dupliciter se potest Princeps habere in expeditione privilegii: vel purè gratiosè, quod non tollit respicere ad merita privilegiati, tanquam ad causam impellentem, seu moventem ad concessionem; benè tamen attendere ad merita ut merita, in quorum satisfactionem, & præmium intenditur privilegium concedi, vel ob talia merita, & in eorum quasi solutionem, & præmium; quia hoc dicitur *remuneratorium*,

illud *gratiosum*. Palaus *tract. 3. disp. 4. punct. 2. §. 3. num. 1.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. num. 2.* Anton. à Spir. sancto *tract. 1. disp. 1. num. 7.* & ad hoc cognoscendum non sufficit mentio generalis meritorum; sed requiritur specialis, ita ut expresè dicatur, *ob hæc, & illa merita, concedimus tibi præsens privilegium*, ut inquiunt Pellizzar. *loc. cit. num. 2.* Petrus ab Angelis *disp. 4. sect. 1. n. 6.* Palaus *punct. 21. §. 1. n. 6.*

Omnia privilegia Regularium sunt remuneratoria.

23. §. Hinc colliges omnia privilegia Regularium esse remuneratoria, siquidem concessa sunt intuitu meritorum ipsorum, & eorum fundatorum, & in remunerationem obsequiorum, & laborum, quos in utilitatem, splendorem, ac defensionem Ecclesiæ sunt perpessi; ut constat ex bulla Sixti IV. emanata 7. Kalend. August. 1479. in favorem Prædicatorum, ubi inter alia dicitur: *Quos pro eorum amplissimis meritis, & uberrimis fructibus, quos in Dei Eccl siam continuo operantur, pra cæteris paterna charitate diligimus, nostræ considerationis intuitum dirigentes illa eis liberaliter concedimus, &c.* & ex bulla Pii V. sub dat. 27. Kalend. Julij 1567. pro omnibus Mendicantibus, ibi: *ac exinde pro suis sanctis studiis, honestissimisque laboribus proque salute animarum, ab Apostolica Sede, cujus continue pacem Ordines ipsi fortiter tutati sunt, tam spiritualia, quam temporalia subsidia, ornamentaque susceperunt, & accipiunt, &c.* Idem habet Paulus III. in Bulla quæ incipit, *Licet debitum*, in concessione privilegiorum Societatis Jesu. Et Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit, *Cum dudum*, pro Carmelitis Discalceatis. Et alia Alexandri IV. cujus initium est, *Patris aterni benignitas*, pro Prædicatoribus, & Minoribus: Idecque privilegia Regularibus in communi concessa esse *remuneratoria*, tenent Rodriguez *qq. regul. tom. 1. q. 6. art. 6.* Mandosus *in 13. regul. Cancellar. q. 8. n. 6.* Bruno Cassaing. *tom. 1. privileg. regul. c. 4. propos. 1.* Peyrinis *tom. 3. cap. 4. num. 24.* Bordon. *tom. 2. resol. 52. num. 26.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 1. disputat. 1. num. 6.* Petrus ab Angelis *in specul. priv. disp. 4. sect. 1. n. 6.* & est commune, de quo amplius *cap. seq.* erit sermo.

Privilegium affirmativum non semper est contra jus, bene tamen privativum.

24. Tertio dividitur privilegium in *affirmativum*, & *negativum*, ratione materiæ privilegii. Illud est, quod facultatem concedit ad aliquid faciendum, hoc ad omittendum: ex quo apparet discrimen inter utrumque: quod cum actio, de qua est privilegium, & possit esse contra jus; quia illi contraria, vel non concessa, ut ingrediendi Monaste ria Monialium, comedendi carnes, &c. Et possit esse præter jus, ut privilegium lucrandi indulgentias, eligendi Confessorem, &c. Privilegium *affirmativum*, & potest esse præter jus, & contra jus; at *negativum* semper est contra jus certum, vel saltem dubium; aliàs nihil concederet, cùm quilibet possit omittere, quæ agere non

non tenetur. Unde colligunt, Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 23. q. 3.* Suarez *de legibus, lib. 8. c. 1.* Salas *disp. 17. sect. 1. n. 5.* Palaus *disp. 4. punct. 1. n. 3.* Peyrin. *tomo 1. privileg. constitut.* Pyrrhi §. 2. *n. 7.* Joannes à Cruce *de statu Relig lib. 2. cap. 1. dub. 1.* Bassæus *in florib. verbo privilegium*, §. 1. *& 2.* Hieronymus Garcias *in Politic. regul. tractat. 8. diff. 1. dub. 1. num. 2.* Quòd quando privilegium concedit absolutè facultatem ad aliquid, ad quod jam ex se habebat illam, intelligendum est, ultra id ad quod habebat facultatem in eodem genere, v.g. dat Pontifex Episcopo facultatem ad testandum, intelligendum est de bonis Ecclesiasticis; nam de patrimonialibus jam ipse habebat illam. Concedit Generalis facultatem Priori subditum puniendi, vel aliqua bona alienandi, intelligendum est, ultra id, ad quod ipsius facultas erat jam extensa, quia aliàs nihil concederet tale privilegium. §. Verũ est dari etiam privilegia declarativa juris, vel facultatis jam cõcessæ, ut quando jus dubium est, & non obligat, nisi vel ex ignorantia, vel ex scrupulo alicujus; & tunc privilegium illi concessum, non est propriè tale, cùm non sit concessio alicujus facultatis, quam antea non haberet; sed est declaratio facultatis incognitæ, quam habebat: operaturque ut securè, & absque scrupulo, aut trepidatione operari possit. Sic citati.

Privilegium commune, & singulare explicatur.

25. Quartò dividitur privilegium in *commune*, *& singulare*. Illud est, quod immediatè in bonum commune conceditur, quàmvis ex consequenti cedat in commodum particularium; ut quod primo & per se, pro communitate expeditur, & inde ad singulas personas illius communitatis derivatur; non quia singulæ, & privatæ personæ sunt; sed quia sunt partes illius communitatis, ut privilegia clericis concessa ne ad tribunalia sæcularia trahantur, & omnia, quæ Religionibus in communi conceduntur, vel alicui conventui, aut Provinciæ in particulari. Et huic privilegio communi nemo particularis potest renuntiare, *cap. si diligenti de foro competenti, cap. contingat, de sententia excommunicationis.* Quia nemo renuntiare potest, quod sibi directè concessum non est, esto illo fruatur. §. *Singulare* est, quod ob commodum personæ singularis cõceditur, etiamsi pluribus concedatur, non ut constituunt communitatem, sed ut sunt singulares personæ, ut privilegia Bullæ cruciatæ. Huic autem privilegio quilibet cedere potest, *cap. ad Apostolicam. de regular. l. si quis in conscribendo, C. de pactis.* Quia si in commodum ipsius privilegium est expeditum, ipse Dominus illius constituitur, illique proinde potest renuntiare, nisi privilegium in gratiam unius, cedat etiam alterius in favorem, & unum ab alio non possit separari: quia nõ potest alterius gratiæ cedere, ut privilegium uxoris, ut non possit obligari fidejussione, nisi de consensu mariti: & privilegium filiifamilias, ut non possit debita solvere, nisi de consensu patris, sub cujus est patria potestate, ut *num. 11.* dicebamus, & tenent Bona-

cin. *disput. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 10.* Suarez *lib. 8. cap. 6. num. 1.* Salas *disp. 17. sect 2. n. 24.* Palaus *disp. 4. punct. 2. §. 4. n. 2.*

Odiosum, & favorabile privilegium explicatur.

26. Quintò dividitur *in favorabile, & odiosum.* Illud est, quod absolutè concedit aliquam gratiam vel facultatem, sive ultra jus, sive contra jus, sed in nullius gravamen redundantem, ut faciendi testamentum sine juris solemnitate, audiendi Missam tempore interdicti, vescendi carnibus diebus prohibitis, &c. odiosum est, quod etsi privilegiato commodum afferat, aliis cedit in præjudicium: ut privilegium non solvendi decimas, exemptionis à jurisdictione, habendi plura beneficia, privilegium concessum ad lites, maximè si fit ut *semota appellatione procedat:* quia talia favent privilegiato, & respectu illius sunt favorabilia, & secundùm hanc rationem, inspectoque dumtaxat favore, possunt latè interpretari: aliis verò præjudicium afferunt, & sic sunt absolutè odiosa: ideoque qua parte cedunt in damnum tertii, sunt strictè interpretanda. Layman. *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 13.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. nu. 7.* Lezana *tom. 4. verbo privilegium, n. 2* Antonius à Spiritu sancto *tract. 1. disputat. 1. num. 10.* Suarez *lib. 8. cap. 6. num. 5.* Palaus *tract. 3. disput. 4. punct. 2. §. 4. n. 3.*

Privilegia Regularibus concessa esse favorabilia

27. Etsi fortè quæras, an omnia privilegia Regularibus concessa in communi sint favorabilia? §. Respondetur affirmativè, loquendo de illis, quæ vel Religioni in communi, vel Communitati alicui, vel Conventui in perpetuum conferuntur, etiamsi sint contra jus commune, vel etiam contra jus Parochiale, vel Episcopale. Et probatur primò §. Quia omnia ob piam causam Religionis, & in remunerationem obsequiorum sunt concessa, ut *num. 23.* dicebamus, *& summa ratio est, quæ pro Religione facit, l. sicut persona, ff. de Relig. & sumptibus funer.* Secundò, quia sunt Constitutiones perpetuæ, quæ non conceduntur uni, aut alteri personæ, sed Religioni, quæ perpetua est, & nunquam moritur, & sic habent vim legis, ac si essent in jure expressæ; æquivalentque legibus in jure communi insertis, quæ favorabiles sunt. Ob idque licet ante concessionem dicantur odiosa, & contra jus commune; concessa tamen jam sunt de jure Cõmuni. Tertiò, quia nulli præjudiciũ afferunt, ut latius infrà *num. 85.* dicemus; non quidem Pontifici, quia ipse potest, & ampliare jura, & limitare, & censetur juri suo cedere, hoc ipso, quod privilegia, quæ videntur in ejus præjudicium cedere, concedat. Non juri Episcoporum, aut Parochorum, nam læsio supponit actum justitiæ, & Papa nullius justitiam lædit: nam cùm omnis potestas spiritualis ab eo dimanet in alios, vel saltem eam habeant dependentem ab illo; eam ampliare, vel restringere potest, per privilegia. Non denique Juri Communi, nam ipsa sunt Jus Commune, ut jam diximus.

probatur.

Idipsum alia ratione, & authoritibus probatur,

28. Quartò, quia Papa concedendo hæc privilegia, quod intendit per se, & principaliter, est favorem concedere, licèt ex consequenti, & quasi per accidens sequatur damnum alterius,

rius,& sit odiosum illi, ut in privilegio canonis concesso Ecclesiasticis in communi , quod dicitur absolutè favorabile , in gratiam, & favorem clericorum, licèt percutientibus sit odiosum:& quia in eo principaliter, quod attenditur,est favor à Principe, & per accidens sequitur odium aliorum, de hoc non est curandum, & sic est absolutè favorabile: similiter ergo dicendum est in præsenti. Ita Sanchez *de matrim.lib.* 8. *disput.*1. *nu.* 16.Henriquez *lib.*7.*cap.*22 *num.*3.*&* *cap.*24.*num.*4. Bonacin.*de privilegiis*, *disp.*1.*quæst.*3.*punct.*7. §.1. *num.* 5.6. *&* 7.Tambur.*de jure Abbat. tom.*1.*disput.*16.*quæsit.*5.*n.*14. Azor.*part.*1.*l.* 5.*cap.*23.*quæst.*3. Petrus ab Angelis *disput.*1.*sect.*2.*num.*4. Moronus *consil.*99 *à n.*119. Palaus *tom.*1.*tract.*3. *disp.*4.*punct.*10.*num.* 5 *&* 6.Layman. *lib,*1.*tract.*4.*c.*23.*num.*5. §. *dixi autem.*Pellizzar.*tract.*8.*cap.*1.*num.*142 Suarez*lib,*8.*cap:*27. *num.*7 Bordon. *tom.*2.*resolut.*32.*num.*26. *&resolut.* 52.*num.* 18. Quæ doctrina maximè valet in privilegiis , quæ in favorem animarum conceduntur, ut in privilegiis comedendi carnes , seu lacticinia tempore prohibito,recitandi ante horam debitam, confitendi, audiendi confessiones,vel absolvendi à casibus reservatis, vel eligendi confessorem, prædicandi,&c. quia etsi prima facie videantur in præjudicium Episcopi,vel Parochi;hoc præjudicium non est considerabile ; imò non est præjudicium, sed potius Episcoporum adjutorium, & levamen. Ut inquit D.Thom.*in* 4.*dist.*17 *q.*3. *art.*3.*q.*5. & Pater Suar.*lib.*2.*de leg.* 6.34.*n.*15.& nòs latius infrà *nu.* 85. *&* 86.*hujus capitis* dicemus.

29. Sextò dividitur privilegium *in scriptum,& non scriptum.* Illud est quod per scripturam conceditur; & licet pro foro conscientiæ non requiratur scriptura , ut jam dicemus, nec aliqua exhibitio privilegii, in forma authentica; sed sufficit sibi constare, vel probabiliter de illo judicare,sive quia ipse oretenus accepit, sive quia in aliquo libro impressam vidit, vel ab aliquo viro docto audivit:& ideo Leo X. concessit (prout refert Bassæus *verbo privilegium* 1. *nu.* 8.) Minoribus, *ut possint in foro conscientiæ uti omnibus privilegiis concessis à sede Apostolica , sive per Bullas,aut Brevia,aut vivæ vocis Oracula , prout in libris Ordinis reperiuntur , ac si omnia specificè fuissent tunc expressa. Quæ omnia,pro majori conscientiæ securitate , de novo concessit.* Attamen ut fidem faciat privilegium pro foro externo, debet exhiberi per scripturam authenticam, & sigillatam Principis sigillo: Cujus si transumptum deducere velis , debes citare partem cujus interest; alioquin nullam fidem faciet transumptum, sic deductum ex originali. Verumtamen post Clementem V. in omnibus privilegiis specialiter concessis Religionibus, apponunt Pontifices clausulam , ut transumptis eorum , etiam expressis habeatur integra fides; si subscripta sunt manu Notarii publici, & munita sigillo personæ in dignitate constitutæ. At Julius II.unum ex his duobus sufficere concessit , in Bulla,quæ incipit:*Nihil est,quod sapius,* prout refer-

Non requiritur scriptura pro foro conscientiæ, bene tamen pro foro externo,& qualis pro isto sufficiat.

fertur *in compendio privilegiorum*, §. 18. ubi sic dicit: *Præterea, ut omnia quam firmissima sint, quæ vobis Apostolica sedes elargita est proprio motu, & scientia, atque de plenitudine potestatis, volumus, statuimus, decernimus, ut hæc nostra concessio, & quæcumque alia, vel tibi, vel tuo Ordini facta, sive per se, sive per communicationem, quam fecimus cum aliis Ordinibus, eandem omnino vim, ac efficaciam perpetuo habeant, tam in judicio, quàm extra judicium, ac si plumbeo sigillo obsignata essent. Quod intelligi volumus tam de his, quæ in forma Brevis, quàm de aliis, quæ per supplicationem expedita sunt: in quibus placuit, ut sola signatura sufficeret.* Nec hoc privilegium Julii II. censetur revocatum, per hoc quòd Pontifices sequentes utrumque expostulent, & subscriptionem Notarii, & sigillum personæ in Dignitate constituræ; quia hoc intelligitur, nisi aliud sit specialiter concessum. Rodriguez *quæst. regul tom. 1. quæst. 8. art. 6.* Bruno Cassaing. *tract. 1. cap. 3. propos. 3.* Palaus *tract. 3. disp 4. punct. 2. §. 5. num. 1.* Imò addimus sufficere, ut exhibeatur privilegium pro foro extetno, in forma probante, quod vel sic subscriptum Notarii, vel alicujus Prælati manu, vel in libris Ordinis instrumenta reperiantur confecta, vel privilegium reperiatur in aliquo libro impressum, uti fuit decisum per sacram Rotam, & latè probat cum Naldo, & aliis Bordonus *tom. 2. resolut. 52. num. 54.* & Nos infrà *n. 59.* latius dicemus.

Potest acquiri

30. Privilegium *non scriptum*, est quod absque scriptura confertur; neque enim scriptura pro privilegio requiritur; ut *num. 58.* dicemus, & constat *ex cap. institutionis 25. quæst 2 Glossa Clement. dudum; de sepulturis.* Sufficit ergo, quod oretenus concessum sit à Superiori, quod dicitur *vivæ vocis oraculum*, sive quod per consuetudinem sit introductum; & dicitur *privilegium ex consuetudine.* Sicut enim per consuetudinem, potest jus acquiri ad tributa, vel jurisdictio comparari, *cap. contingat, de foro competenti*; sic etiam exemptio, & privilegium: ut constat *ex cap. super quibusdam, de verborum significatione.* Consuetudo namque, sicut vim habet, vel in totum, vel in partem legem abrogandi, ut diximus *tract. 11. de legibus, cap. 6. num. 37.* ita etiam jus novum acquirendi, & talis abrogatio, vel juris acquisitio privilegium est: & ideo in aliquibus privilegiis Bullatis, solent hæc verba reperiri: *Concedimus, & indulgemus, ut possit potiri omnibus, & singulis privilegiis, quibus alii fruuntur, quomodolibet sive de jure, aut consuetudine.* In quo supponunt Pontifices, posse per consuetudinem acquiri privilegium. Ita Suarez *lib. 8. cap. 7. à num. 5.* Palaus §. 5. *num. 2.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. num. 23.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 1. disput. 1. num. 3.* Petrus ab Angelis *in specul. privileg. disput. 2. sect. 2. num. 28.* Bonacin. *disput. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 3.* Bruno Cassaing *tract. 1. cap. 2 propos. 3.* Sala; *disput. 17. sect. 2. num. 22.* Navarr. *lib. 3. consil. consil. 15. de Regul. num. 4.* ubi sic inquit: *Possessio, & consuetudo immemorialis vim habet privilegii; ita ut si quis allegaret, aliqua sibi*

privile-gium p consue-tudine

*sibi competere ex privilegio Papæ, ad quod probandum litteras Apostolicas non haberet, probando consuetudinem immemorialem, probaret privilegium à se allatum, secundum omnes.* Quod tempus debeat intercedere, quot actus, ut tale privilegium per consuetudinem acquiratur? diximus *tract. 11. de legibus, cap. 6. num. 15. & 18.* ubi etiam *num. 31.* diximus, quod ut consuetudo, vel abroget legem præcedentem, vel novam inducat (& idem est de privilegio per consuetudinem acquisito, vel contra jus, vel præter jus concedente facultatem) non requiritur alius consensus Principis, præter jam expressum in *cap. ultim. de consuetudine, & in l. de quibus, ff. de legibus,* quod etiam *tract. 9. de matrim. c. 11. num. 28.* latè probavimus.

Revocatis privilegiis, non censentur revocata per consuetudinem acquisita.

31. Sed hic notandum est, quod quamvis privilegium ex consuetudine introductum verè tale sit; non ob id, quoties revocantur privilegia circa aliquam materiam, censentur revocari quæ sunt alicui ex consuetudine comparata: quia nomen privilegii, pro privilegio specialiter à Principe concesso, communiter accipitur. Et ob id in materia odiosa, qualis est revocatio, aut restrictio, non debent venire privilegia à Principe non concessa specialiter, qualia sunt ex consuetudine acquisita Bonacin. *numero tertio,* Salas *numero vigesimo secundo.* Suarez *numero decimo quinto.* Palaus *numero quinto.* Cæterum si fiat extensio, vel augmentum favorabile, possunt consuetudines, sub nomine privilegii comprehendi, quia verè privilegia sunt: & sic talis favor potest illis applicari. Quare per generalem communicationem privilegiorum, de qua agemus *puncto septimo*, non solum communicari aliis Religionibus omnia privilegia uni specialiter concessa; sed etiam per consuetudinem acquisita, deducitur ex Authoribus citatis, & expresiè docent Noster Petrus ab Angelis *in specul. privileg. disputatione secunda, sectione secunda, numero vigesimo octavo,* & Pater Donatus *tractatu septimo, quæstione 16.* ab illo citatus.

Explicatur privilegium pro foro conscientiæ, & externo.

32. Septimo dividitur privilegium in illud, quod datur *pro foro conscientiæ* tantum, *& pro foro externo.* Primum solum deservit, ut tuta conscientia, uti illo possit privilegiatus: at nihil in foro externo prodest; sed ita se debet gerere exterius, ac si nullo privilegio gauderet. Privilegium autem *pro foro externo* (quod semper præsumitur si absolute concedatur, nisi aliud constet ex verbis, vel materiæ qualitate) tam pro illo, quam pro conscientiæ foro deservit, & sic securus erit in utroque foro, qui per illud operatur. Illa enim particula *pro foro externo* non apponitur ut excludatur forum internum, sed ut ostendatur suffragari etiam pro externo. Sed hoc intelligendum est, si privilegium sit verè tale, & non subreptitiè quæsitum: istud namque licet pro foro externo proficiat, quia in illo judicatur verum, quamdiù non constat de oppositio; nititur tamen falsæ præsumptioni, & sic in foro conscientiæ, quod veritati nititur prodesse non valet. Pellizzarius *tractat. 8. capite 1. numero 2.* Palaus *loco*

citat. numero 4. Quare omnia privilegia Regularium, pro utroque foro suffragantur, ut constat ex Bullis Pauli IV. Gregorij XIII. Sixti V. & Clementis VIII. concedentium, ut possint illis uti, tam in judicio, quam extra, tam in foro conscientiæ, quam externo. Antonius à Spiritu sancto *tract. 1, disp. 1. num. 18.* Bordon. *tom. 2. resolut. 52. num. 18.*

Forum pœnitentiale non est solum intra sacramentum pœnitentiæ.

33. Sed est difficultas in præsenti, an quando privilegium conceditur, pro foro pœnitentiali, uti eo possit privilegiatus, extra Sacramentum pœnitentiæ? Supponendum est triplex forum distingui ab authoribus, *contentiosum*, quod dicitur externum: *pœnitentiale*, & *quasi pœnitentiale*, quod est forum conscientiæ, & hoc non requirere forum Sacramentale, omnes dicunt; cum multa extra illud exerceri possint, quæ favorabilia sunt conscientiæ, nisi materia privilegii aliud expostulet; ut si sit ad tollenda peccata, quæ solum auferri possunt in foro pœnitentiæ. Hoc supposito dicimus privilegium *pro foro pœnitentiæ* concessum, etsi aliqui probabiliter dicant non prodesse extra confessionem Sacramentalem; verius est etiam extra Sacramentum prodesse, nisi materia aliud expostulet: ut quando malum, quod tollendum est, non possit aliter tolli, nisi per Sacramentalem pœnitentiam, quod solum est malum culpæ. At si sit malum pœnæ, ut pœnitentia, censura &c. quæ tolli possunt extra confessionem, privilegium pro foro pœnitentiæ concessum, prodest extra confessionem, pro illis malis pœnæ auferendis: quia pœnitentia Ecclesiastica sæpe extra confessionem Sacramentalem imponitur, & aufertur; ut cum aliquis ab excommunicatione solemniter absolvitur; talis absolutio pœnitentialis est, & in foro pœnitentiæ datur, & tamen non datur in foro Sacramentali. Sic Sylvest. Rosella, & Antonin. Tabien. Quos refert, & sequitur Suarez *lib. 8. de legibus capite 6. numero 15.* Palaus *tractat. 3. disputatione 4. punct. 2. §. 5. numero 6.* Quod adeo verum judicant, ut etiamsi indultum committatur Sacerdoti confessario; non debet ob id intelligi exercendum necessario in Sacramento pœnitentiæ, quia illis verbis solum innuitur qualitas personæ eligendæ, non vero quod actualiter debeat eo uti in confessione.

Quando omissio operis assignati in privilegio illud vitiet.

34. Octavo dividitur privilegium *in absolutum*, & *conditionatum*. Illud dicitur, quod absque ulla conditione, aut onere conceditur, & impertitur. Hoc vero, quod vel sub conditione, aut sub onere alicujus operis faciendi conceditur. Et solum est difficultas, quando omissio operis, sub cujus onere conceditur privilegium, irritet illud. Ad quod dicimus, quod vel opus imponitur per modum *conditionis* rigorosæ, & tunc fit, quando opus injunctum antecedere debet ad usum privilegij; ut pro usu privilegij Bullæ Cruciatæ requiritur antecedere eleemosynam pro lucrandâ Cruciatâ præscriptam: & tunc nullum est privilegium, non præstito opere, sub cujus onere datur; quia privilegium non operatur ultra intentionem concedentis: sed hoc ipso, quod concedatur sub tali conditio-

ne,

ne, Princeps illi conditioni suam mentem alligavit: ergo, &c. Vel impositum fuit per modum *modi* & oneris annexi? Et tunc valet privilegium, etiamsi opus injunctum non apponitur, uti de matrimonio sub modo, & onere celebrato diximus in ejus *tractat. capite 7. numero* 5. & tunc per modum *modi* aut *oneris* censetur, quando opus injunctum exercendum est post usum ipsius privilegii, ut absolutus à reservatis, cum obligatione postea comparendi, aut hoc vel illud efficiendi, manet vere absolutus, etiam si postea non compareat, licet in hoc mortaliter peccet. Virtute privilegij dispensatus fuisti in votis, vel remissionem peccatorum obtinuisti; sed sub onere postea efficiendi aliqua opera; vel lucratus es indulgentiam plenariam impositis aliquibus oneribus, etiamsi postea hæc non efficias, dispensatus, & absolutus, & lucratus es indulgentiam; quia jam privilegiã sortitum fuit suum effectum, & fuit absolutè datum, & onus subsequens imperatur ut onus, non ut conditio: sicut si Bertha contrahat cum Petro, ut doceat, ut patrem defendat, manet matrimonium validum, etiamsi Petrus hæc postea non exhibeat, ut ibidem diximus. Sic Suarez *lib. 3. capite* 13. *à numero* 4. Bonacina *disputatione 1. quæst. 3, punct. 4. numero* 2. Azor. *1. part. lib. 12. capite 5. quæst.* 3. Salas *disputatione 16. sect.* 10. Pellizzar. *tractat. 5. capite 1. num. 56.* Palaus *disputatione 4. punct. 2. §. 7. numero* 2. Antonius à Spiritu sancto *tract. 1. disputatione 1. numero* 31. Ex quo sequitur, quod si in privilegio dicatur, ut possit hoc vel illud facere, petito consilio alterius, si non petat, non valet privilegium; valebit tamen, si petito consilio illud non sequatur, nisi in privilegio nedum consilium, sed exigatur consensus: quia aliud est consilium ab altero petere, aliud verò ejus sequi consiliũ. Suarez *num 6.* Palaus *num. 3. & 4.* Pellizzar. *n. 22.* Salas, & Azor, *loco citato.*

Mandans implere conditionem privilegii non vitiat ipsum.

35. Sed excipitur à supradicta doctrina (nimirum non valere privilegium nisi conditione impleta, sub qua fuit expeditum) quando conditio apposita in privilegio est de illis quæ juri communi insunt ut forma; si enim talis conditio, de jure non requiratur, ut forma, etiamsi non apponatur, valet privilegium: at non valebit, si ut forma à jure communi talis conditio exigitur, nisi ea apposita: Quare omissio talis conditionis solum operabitur, ut valeat, vel non privilegium; si ex jure communi talis conditio exigitur vel non substantialiter ad actum: quia tunc non intendit Princeps novam formam inducere; sed certiorem facere de eo, quod secundum jus commune, seu æquitatem faciendum est. Cujus duplex exemplum reperies: unum *in tract. 10. de censuris, c. 2. n. 24.* ubi diximus valere absolutionem à censuris virtute Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi, quamvis illicitè fiat, etiamsi impendatur non satisfacta parte; tametsi in Jubilæo aut Bulla dicatur posse absolvi *satisfacta parte*, & non aliter: quia cum talis conditio habeatur ex jure communi, ad absolutionem censurarum, & non ut forma, & ut validè fiat, sed ut licitè; non aliter requiritur in privilegio. Secundum habes *tract. 9.*

*de matrim c.3.n.101.* ubi diximus valere matrimonium celebratum à procuratore, non præmissis denuntiationibus, quamvis mandans, seu dans illi potestatem, non aliter dederit, nisi ut celebret præmissis denuntiationibus. Quia cum talis conditio habeatur ex jure communi, ad licitè, non ad validè contrahendum; sic esse appositam in mandato, nisi aliud constet, esse judicandum.

Privilegium locale, & personale exponitur.

36. Nono dividitur privilegium *in personale, & locale*, De personali jam diximus *numero decimo septimo. Locale* est, quod Ecclesiæ, Collegio, hospitali est concessum, & est reale, & sic transit de persona in personam: illoque gaudere possunt omnes, qui temporis successu monasterium vel Ecclesiam possident, donec omnino destructa sint, sine spe refectionis; nam si spes subsistat reparationis, adhuc post destructionem perdurat privilegium, & censetur adhærere solo argumento ex *l. ade sacra, ff. de contrahend. emptionibus*, & Glossa *in cap. pastoralis 7. quæstione secunda*, Layman. *libro primo, tractatu quarto, cap. 23. numero secundo.* Lezana *tomo quarto, verb. privileg. numero quarto.* Garcia *in polit. regul. tomo primo, tractatu octavo, ff. 1. dub. 2. num. 1.*

Perpetuum, & temporale privilegium explicatur.

37. Decimo dividitur privilegium, *in temporale & perpetuum. Perpetuum est*, quod absolutè, & absque ulla determinatione temporis conceditur alicui Dignitati, Religioni Ecclesiæ, Monasterio, &c. & sic omne privilegium reale, absque ulla determinatione temporis datum, *perpetuum* est: & ideo, quando Princeps vult ad tempus durare, illud determinat; proindéque si absolutè expediatur, in perpetuum expediri censetur. *Temporale* est, quod vel pro temporis duratione datur, vel particularibus personis, ut talibus conceditur; quia ut diximus *numero decimo octavo*, privilegium personale, solum sequitur personam, & cum ea extinguitur: Durat tamen pro vita illius, (nisi aliud exprimatur) hoc ipso, quod absolutè concedatur; ob idque dicitur *vitale.* Sic communiter Doctores.

## PUNCTUM IV.

*Diversæ clausulæ explanantur, quæ solent in privilegiis Pontificum reperiri, vel in eorum confirmationibus, & revocationibus.*

Clausulæ frequentes recensentur.

38. PRÆTER diversas species privilegiorum, quas *puncto præsedenti* explicuimus, dantur aliæ quasi species eorum, quæ proveniunt ex diversis verborum formulis, quibus conferuntur, revocantur vel confirmantur, quas oportet scire. Quia cum tota vis privilegii ex verbis, quibus expeditur dependeat; necessarium est scire quid hæc vel illa verba significent, sub quorum tenore solent frequenter concedi. Frequentiores formulæ, seu clausulæ sunt istæ: *ad instar, ex motu proprio, ac certa scientia, de plenitudine potestatis, appellatione semota, non obstantibus, dummodo non ex confidentia, vel non censeantur revocata, nisi de ijsdem de verbo ad verbum mentio*

*tio fiat, quorum tenores, quatenus sunt in usu, quatenus sacris canonibus ac decretis Tridentini non adversantur, supplentes omnes & singulos defectus, prorsus eximimus ac totaliter liberamus, decernimus irritum, &c. ex tunc prout ex nunc: non sint commissa in contemptum clavium, per quas omnes breviter per transibimus.*

### *De privilegio* ad instar.

Explicatur privilegium *ad instar*, & variæ ejus conditiones.

39. Illud dicitur privilegium *ad instar*, quod ad similitudinem, & exemplum alterius concessum est, ut si concesso alteri privilegio, tibi dicatur, *concedo tibi privilegium idem, quod Petro concessi*, hoc ad instar illius est expeditum; ita ut omnem limitationem, & extensionem, quam habuerit Petri privilegium habeat tuum. Pellizzar. *tract.* 8. *capite primo, num.* 23. Garcia *tractatu* 8. *diff.* 1. *dub.* 3. *numero primo.* Bonacin. *disputatione prima, quæstione tertia, punct.* 7. §. 1. *num:* 20. Quare ad valorem privilegii *ad instar*, requiritur necessario, ut privilegiũ illud, ad cujus similitudinem est concessum, habeat ab initio effectum, & valorem, & sit verè privilegium; aliàs nulla erit concessio. Suarez *de legibus, lib.* 8. *cap.* 15. *num.* 2. Palaus *tractatu* 3. *disputatione* 4. *punct.* 2. §. 8. *numero primo.* Bonacin. & Garcia *loco citato.* Qui hoc bene limitant, quando Princeps in hoc privilegio *ad instar* expressit quid concedat, dicendo; *Concedo tibi hanc facultatem dispensandi in votis, carnes comedendi, &c. sicut habet Petrus.* Tunc licet Petri privilegium sit nullum, tibi concessum valet: quia concessio facta, satisque explicata, per illam particulam ad similitudinem, non irritatur; non enim apponitur ut conditio, sed exempli gratia. §. Similiter si Petri privilegium aliquando fuit validum, & firmum, & amissum fuit, & diminutum, aut renuntiatione, aut alio modo, privilegium *ad instar*, etiam generaliter concessum, absque explicatione materiæ, firmum perseverat; quia concessio facta videtur ad instar illius facta, quod Petro concessum fuit, & existimabatur haberi. Pellizzar. *num.* 25. Palaus *numero quarto.* Ex quo inferes, quod si aliqua Religio extinguatur, cui concessum fuit aliquod privilegium; aliæ, quæ cum illa communicabant, quibus proinde ad instar fuit concessum, illo profruantur, ut *puncto septimo*, dicemus. §. Ac denique si auferatur, diminuatur, aut omnino tollatur privilegium exemplare, post concessum *ad instar*; non ob id istud diminuitur aut tollitur: quia solum dependet ab exemplari in fieri, non in conservari, eo quod voluntas concedendi privilegium *ad instar* solum attendit privilegium Petri in exemplum, secundum statum, quem habebat tempore concessionis: & sic ex variatione postea subsequenti in exemplari, non variatur privilegium *ad instar*. Lezana *tom.* 4. *verbo privilegium, num.* 24. Garcia *n.* 1. Peyrin. *tom.* 1. *privileg. constit.* Pyrrhi §. 11. *num.* 52. Portel. *in dub. regular. verbo privilegium, num.* 17. Rodriguez *quæst. regul. tom.* 1. *quæst* 9. *art.* 9. Antonius à Spiritu sancto *tract.* 1. *disputatione prima, num.* 34.

Ex motu proprio.

Diversitas inter privilegium ex motu proprio concessum, & ad instantiam partis.

40. Privilegium *ex motu proprio* concessum, differt ab eo, quod conceditur *ad instantiam partis*; quia istud conceditur, quando propter instantiam privilegiati, vel alterius ejus partes gerentis conceditur à Principe, alias non concessuro: illud est quod Princeps à se motus independenter à qualibet intercessione, concedit. Nec ob id à tali gratia, vel privilegii concessione excluditur petitio privilegiati; potest namque ab eo peti, & tamen privilegium non expediri ob ejus petitionem, tanquam per causam formalem, sed ex mera voluntate Principis, quia conceditur ex ejus voluntate sicut est petitum; non quia petitum est. Sanchez *de matrimon. lib. 8. disput. 1. num. 6.* Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 12. num. 6. & 7.* Cæterum, quia talis motio, & voluntas Principis, non potest constare nisi ex ejus expressione; quia continet universalem negativam, nimirum, ex nullo alio motum esse, cujus probatio est moraliter impossibilis, nunquam gratia censenda est *motu proprio* concessa, nisi hoc in ipsa concessione exprimatur, ut constat ex *cap. si motu proprio. de præbendis in 6.* & tenent Laymann. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 8.* Palaus *tract. 3. disp. 4. punct. 2. §. 6. num. 2.* §. Triplex datur discrimen inter privilegium *ex motu proprio*, & *ad instantiam partis*. Primum, quod cæteris paribus, illud semper est favorabilius: hoc vero magis odiosum, præsertim si gratia insolita sit, & extraordinaria. Secundum, quod quando privilegium motu proprio conceditur, ordinariè suum effectum non ante consequitur, quam privilegiato innotescat *cap. si tibi absenti de præbendis in 6.* Privilegium autem, quod in gratiam petentis, per litteras, vel procuratorem conceditur; statim suum effectum sortitur, cum conferens annuit, vel voluntatem suam significavit, etiam hoc ignorante eo, qui postulavit. Sylvester *verbo privilegium, quæst. ultim.* Bassæus *eodem verbo, §. 1. num. 5. & 9.* Pellizar. *tract. 8. c. 1. n. 8.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disput 36. n. 6.* & Nos infrà *n. 69.* dicemus.

Quando privilegium ex motu proprio expeditum excludat subreptionem.

Tertium discrimen, ab aliquibus absolutè assignatur; nimirum, quod privilegium *motu proprio* expeditum excludit omnem subreptionem, vel saltem præsumptionem illius: secus si ad instantiam partis concedatur, ut colligitur, ex *cap. si motu, de præbendis in 6.* Sed hoc cum grano salis est accipiendum. Vitium namque subreptionis potest provenire, vel ex taciturnitate veritatis alioqui explicandæ, ut si petens privilegium non exprimat ea, sine quibus non solet juxta stylum curiæ concedi; quibus cognitis, fortè non concederetur. Et hoc vitium subreptionis, per clausulam ex motu proprio, tollitur: quia tunc censetur Principem à se ipso motum concessisse, & velle supplere defectum ex parte informationis defectuosæ. Vel potest provenire ex falsæ causæ expressione, qua non stante, non solet concedi; ut si in petitione dispensationis dicatur puellam pati jacturam honoris, vel esse pauperem, vel man-

suram innuptam; quod re ipsa falsum erat : tunc clausula motus proprii non tollit hanc subreptionem : quia quando falsa causa exprimitur, satis constat principem, illa informatum esse, & ex falsa informatione processisse, & non censetur concedere privilegium, nisi quatenus judicat rem sic se habere. Cum ergo aliter sit, ac ipse existimat, efficitur non habere intentionem concedendi, & sic esse nullum privilegium. Menochius *libro secundo, de arbitrar. centur. 3. casu 201. num. 80.* Sanchez *lib. 8, de matrimon. disput. 21. num. 47. & 52.* Barbos. *de clausul. clausul. 79. num. 19.* Pellizzar. *num. 18.* Palaus §. *6. num. 5. & 7.* Layman. *suprà num. 8.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 1. disputat. 1. num. 81.* §. Et similiter non validatur gratia, etiam ex motu proprio concessa, si ex aliis capitibus sit subreptitia, vel nulla, vel ratione personæ; ut si alioqui inhabili concedatur, nimirum si beneficium impendatur excommunicato, illegitimo, puero, &c. non obtenta prius dispensatione : quia hæc clausula *motu propriò* significat concedentem moveri à se, non ab alio, in concessione; non vero se dispensare in impedimentis, vel in inhabilitatibus, si quæ existunt. Sic citati Authores, cum Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 12. num. 14. in fine.* Vel ex parte materiæ; ut si in præjudicium tertii expediatur : quia non est censendum concedentem velle juri acquisito derogare, nisi illius faciat mentionem. Et idem est, ob eandem rationem, si privilegium sit adversus consuetudinem, vel legem particularem. Sic omnes citati Authores.

Ex certa scientia, & de plenitudine potestatis.

42. Hæc duo ferè coincidunt, & eandem vim habere, omnes uno ore proclamant; de quibus infra plura dicemus. Igitur privilegium expediri potest, *vel in forma communi*; vel *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis.* In forma communi expeditur, quando Pontifex de negotio non bene instructus confirmat contractum, vel privilegium in eo statu, & prout antea erat, *cap. quia diversitatem. de concessione præbendæ.* Et sic nec confirmat contractum nullum, aut privilegium, neque ei novum robur adjicit. *Ex certa scientia* concedens præsumitur procedere cum plena notitia illius negotii, & omnium circunstantiarum : ideo confirmat actum, aliàs ex defectu alicujus circunstantiæ nullum, eique addit novum robur, tribuitque validitatem, *cap. 1. de transact.* & sic *ex certa scientia*, quæ valuerunt, approbantur; quæ valida non sunt, recipiunt robur ex confirmatione. Tamburin. *tomo primo, de jure Abbatum, disputatione 18. quæstione prima, numero septimo,* Barbos. *in collect. ad caput cum dilecta, numero decimo octavo, de confirmationibus.* Et stante hac clausula, contraria omnia censentur sublata, absque alia derogatione, vel clausula non obstante. Barbos. *de clausulis usu frequentibus, clausula 59. numero duodecimo,* Tambur. *suprà quæst. 6. numero decimo quinto.* Qui addunt, quod pariter operatur, ut id, quod confirmatur, si non fuit solemne, reddatur solem-

Clausula ex certa scientia declaratur, & ejus effectus.

solemne; itaut det robur quoad solemnitatem, sicut quoad validitatem: & ideo supplet omnes defectus solemnitatis, non provenientes à natura; quia Papa potest juris solemnitates supplere, sententiamque sine ordine judiciali prolatam, confirmare; supplendo juris positivi defectus, non tamen juris naturalis. *Abbas cap. ex litteris, de fide instrum. cap. ea quæ desunt. de re judicata.* In tertii vero præjudicium nihil operatur, maxime si sit in re alicujus momenti: neque etiam in his, quæ in facto consistunt, de quibus Princeps non præsumitur habuisse notitiam. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 4. num. 6.* Barbos. *clauſ. 59. n. 34.* Ant. à Spir. S. *tract. 1. disp. 1. num. 82.*

Quando ponitur clausula *de plenitudine potestatis.*

43. Idem ut diximus operatur clausula *de plenitudine potestatis*, & addit, ut ea posita nihil operari possit contra privilegium. Barbos. *clausul. 41. num. 21.* Tambur. *quæst. 6. num. 29.* & sic de potestate absoluta rem minus validam, reddit validam, & efficit quod nullus inferior Ordinarius possit de validitate illius rei amplius cognoscere; & quod si quis juste non possideat, incipiat juste possidere, & habet vim novæ concessionis, ut ex Glossa, & Felino probat Archangel. *lib. 1. cap. 4.* sed istæ clausulæ solum habent vim novæ concessionis; quando privilegium fuit validum à principio, & postea revocatum, vel abrogatum fuit. Nam si privilegium fuit nullum à principio, & subreptitium; per sequentem confirmationem his clausulis munitam non confirmatur, nisi expresse dicatur, *Non obstante falsitate, & subreptione.* Circa quæ plura dicemus infra *cap. 3.* cum de confirmatione privilegiorum agemus.

## Appellatione semota.

Quando ponitur clausula, *appellatione semota.*

44 Ista clausula non excludit appellationem, à sententia interlocutoria; sed definitiva, ut diximus *hoc volum. tract. 15. cap. 7. punct. 1.* & tenet Tambur. *tom. 1. disp. 28. quæst. 6. num. 60.* licet aliqui, etiam ad interlocutoriam, extendi asserant. Hieronym. Garcia *in Politic. regul. tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 6. num. 18.* Sanchez *consil. tom. 2. lib. 6. c. 3. dub. 2. num. 24.* Lezana *tom. 3. verbo clausul. num. 10.* & non intelligitur ut solum frivolam appellationem excludat, sed etiam legitimam. Frivola enim, ex jure ipso est rejecta, ut ibidem diximus; & ideo ut clausula aliquid operetur utramque excludere, est judicandum. Tambur. *num. 57.* Peyrin. *in expositione 7. const. Julij II. num. 3. titul. 1.* Rodriguez. *qq. regul. tom. 1. quæst. 8. art. 13.* & hoc intelligendum est, nisi sit clara & manifesta injustitia, in re gravi, & multum onerose gravans, ut ibidem *num. 17.* probavimus, & tenent citati Authores. Eodem modo, quo tollitur appellatio per istam clausulam, etiam recusationem tolli censendum est: quia recusatio, & appellatio eodem modo in jure excluduntur, vel admittuntur, juxta dicta *loco citato num. 21.* ubi plura diximus de appellationibus, quæ per privilegia Regularium, sunt Religiosis prohibitæ

Non

Non obstantibus, &c.

Quando ponitur clausula non obstantibus

45. Hujus clausulæ effectus est tollere omnia, quæ dispositioni, in qua est posita, obstare possunt: sed quando dicitur in decretis *non obstantibus privilegiis in contrarium*, non censentur revocata privilegia inserta in corpore juris, nisi dicatur, *non obstantibus omnibus, & singulis privilegiis*. Nam istæ dictiones, *omnes & singulæ*, adeo efficaces sunt, ut etiam privilegia juris communis contineant, & quæ aliàs comprehensa non erant. Bordon. *tom. 2. resol. 52. num. 13.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 1. disp. 2. num. 85.* Nec etiam extenditur ad privilegia, quæ habent clausulam, ut revocari non possint, nisi de eis fiat expressa mentio; nisi addantur alia verba, quibus voluntas derogantis amplius explicetur; nimirum dicendo, *Non obstantibus quibuscumque privilegiis, sub quacumque forma concessis, vel etiam si de verbo ad verbum debeat de illis mensio fieri.* vel si dicat, *non obstantibus quibuscumque derogatoriarum derogatoriis.* Quia sensus hujus clausulæ est, ut per eam revocentur quæcumque privilegia, etiamsi habeant clausulam, ut non censeantur revocata, nisi de illis expressa mentio fiat. Lezana *tom. 3. verbo clausula num. 42.* Tambur. *quæst. 6. nu. 37. §.* Neque extenditur ad privilegia per modum contractus concessa, nisi in ipsa revocatione dicatur, *etiam si per modum contractus:* nec derogat privilegiis ad pias causas, neque ea, quæ commiserationis causa, ob publicam utilitatem concessa sunt. Barbos. *de clausulis, clausul. 83. num. 18.* Tambur. *num. 40.* Lezana *num. 44.* Neque ad vivæ vocis oracula, quæ in odiosis non veniunt nomine privilegiorum; bene tamen in favorabilibus, nisi de eis fiat expressa mentio. Barbos. Tambur. *citat.* Antonius à Spiritu sancto *num. 84.* & idem est de privilegiis per consuetudinem acquisitis, ob eandem rationem, juxta dicta *num. 31.* Nec concessa à Conciliis generalibus, nisi de eis expressa mentio fiat, sub hac forma: *non obstante quacumque constitutione, sive lege à Concilio generali condita.* Pellizz. *tract. 8. cap. 1. num. 98.* Archangelus *de privilegiis lib. 1. cap. 3.* Peyrin. *ad constit. 1. Sixti IV. num. 12.* Imo addunt Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 27. num. 3.* Sanchez *de matrimon. lib. 3. disp. 26.* quòd si privilegium contineatur in Tridentino, nō sufficit privilegiorum revocatio, nisi fiat expressa mentio Trid. Circa quæ vide quæ latè diximus *tom. 2. tract. 10. de censuris c. 2. n. 52.*

Ex confidentia hujus indulti.

46. Hæc clausula, quando ponitur, ut nemo ex confidentia privilegii delinquat, excludit ea, quæ fiunt ex causa motiva illius, seu quando quis movetur ad delinquendum, ob cōfidentiam, quod per indultum liberabitur, ut de bulla compositionis, quæ non valet cùm ex confidentia, v. g. omittitur officium divinum, diximus *tractatu præcedenti, cap. 2. n. 67* Cæterum quando talis clausula, in privilegio non apponitur, licèt aliqui dicant subintelligendam esse, quia

Clausula ex confidentia declaratur.

Pontifex in ſuis privilegiis non intendit viam ſternere pro peccatis, verius eſt oppoſitum, & quòd poſſunt abſolvi utique privilegiis, in quibus talis clauſula non invenitur, qui ex eorum confidentia peccant. Quia cùm Pontifex vult non valere ſuum privilegium, pro his, qui ex confidentia delinquunt; id exprimit: ergò quando non exprimit, adhuc in eo caſu valere intendit: aliàs clauſula illa ſuperflua eſſet, ſi etiam abſque illa eundem effectum haberet. Lezana *tom.* 1. *c.* 18. *n.* 42. Lugo *de pœnit. diſp.* 20. *ſect.* 8. *n.* 130. Sanch. *Summ lib.* 4. *de voto, c.* 54. *n.* 18. Suar. *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 21. *n.* 10. *&* 11. *& lib.* 6. *de voto c.* 13. *n.* 6.

## Ut non cenſeantur revocata, niſi de eiſdem de verbo ad verbum mentio fiat.

Duæ aliæ clauſulæ explicantur.

47. Ut privilegium, ſimili clauſula munitum, per ſubſequens revocari poſſit, requiritur & ſufficit, ut in eo, clauſula hæc revocatoria revocatoriæ ponatur: *Non obſtantibus quibuscumque privilegiis, etiamſi de eis de verbo ad verbum mentio fieri debeat.* Quia Summus Pontifex hoc modo loquēdi, ſatis indicat velle privilegium revocare, quod ſemper ab ejus voluntate dependet. Secus verò de revocatione facta per clauſulam generalem, *Non obſtantibus*: quia per eam non explicat ſufficienter Pontifex, velle privilegium ſic roboratum, infirmare: aliàs fruſtra illa clauſula in privilegiis apponeretur. Sylveſt. verbo *Privileg. n.* 10. & verb. *Exemptio, §.* 11. Bonacin. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 8. §. 3. *num.* 11. Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 16. *q.* 8. *num.* 1. *&* 2. Cæterum ſufficienter derogatur hujuſmodi privilegio, per clauſulam, *quorum tenores*, per quam ex curiæ obſervantia derogatur quibuſcumque privilegiis, habentibus derogatoriarum derogatorias, quæ inventa fuit, ut Papa poſſet derogare gratiis, quarum notitiam non haberet. Tambur. *num.* 3. Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellaria.* Gloſſa 36. *n.* 3. Rota *deciſ.* 213. *num.* 1. *part.* 1.

## Quatenus ſunt in uſu.

Clauſula *quatenus ſunt in uſu*, explicatur.

48. Hæc clauſula, quæ ſolet poni in confirmationibus tantùm, ea confirmat privilegia, quæ ſunt in obſervantia, & retinent ſuum vigorem; non verò, quæ reddita ſunt invalida, vel amiſſa per non uſum, vel renunciationem: ſecus verò ſi ſunt in uſu, quàmvis reddita invalida, ex quocumque alio capite hoc proveniat. Suar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 18. *num.* 16. Joannes à Cruce *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. *concl.* 6. Tambur. *tom.* 2. *diſp.* 17. *q.* 6. *num.* 1. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 1. *diſp.* 1. *num.* 71. §. At verò ſi per modum communicationis, vel ad *inſtar* aliquod privilegium prius conceſſum Mendicantibus, alicui ordini, vel Eccleſiæ conferatur, cum hac clauſula: *quatenus eſt conceſſum*, non tenetur diſquirere talis Ordo, num hujuſmodi privilegium, tempore conceſſionis ſibi factæ, eſſet in uſu apud Mendicantes, necne? ſive conſtet privilegium hoc tempore, quo dictus Ordo, vel Eccleſia vult eo uti,

eſſe

esse in usu penes Mendicantes; cùm sic supponatur fuisse in usu, etiam eo tempore, in quo facta fuit concessio: sive etiam non constet esse in usu, hoc ipso tempore; modo constet ante talem concessionem, fuisse aliquando in usu. (Sic enim præsumitur fuisse in usu tempore concessionis) secus si constet tale privilegium nunquam fuisse in usu; sic namque præsumitur non fuisse tempore concessionis. Rodriguez *qq. regul. tom. 3. quæst. 52. art. 4.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 1. num. 88.*

## Quatenus sacris Canonibus, & decretis Concilii Tridentini non adversantur.

Clausula frequentissima declaratur.

49. Hæc clausula frequentissima est in bullis, quæ modo expediuntur, sed non sic intelligenda est, ut per sacros Canones intelligantur omnes, qui in corpore juris sunt inserti, plura enim privilegia, & frequentiora dantur contra jus commune Canonicum, & sic confirmatio vel concessio cum tali clausula, nihil operaretur. Sed neque intelligenda est de Canonibus in Tridentino insertis, prout distinctis à Decretis, prout aliqui dicunt, arbitrantes dictionem illam *&*, quæ conjunctiva est, conjungere canones Concilii, cum ipsius Decretis, & de Canonibus, & Decretis Tridentini esse intelligendam: ut docent Tambur. *supra quæst. 6. numer. 2* Lezana *tom. 3. verbo clausul. num. 27.* Leander à Murtia *quæst. select. super regul. num. 34.* Antonius à Spiritu S. *supra num. 71.* sed hoc minime est tenendum, siquidem contra Canones Concilii, qui res de fide continent, nullum datur privilegium, nec potest esse: significat ergò in præsenti *Canon* idem quod Decretum Concilii; nam verbum *Canon* late sumptum significat idem quod regula, statutum, dispositio seu decretum. Nec est inconveniens, ut diversa verba, idem significantia, gementur; sed frequenter in Bullis dicitur: *Fruantur, potiantur, gaudeant*, quæ idem prorsus significant: & ob id aliqui Pontifices verbum *Canonis* omittunt: Sic Bordonus *resol. 52. num. 313.* Diana 3. *part. tract. 2. resolut. 59.* Petrus ab Angelis *disp. 7. sect. 2. num. 18.* Donatus *tract. 11. q. 14. num. 5.* Hieronymus Rodriguez *in Compend. resol. 116. numer. 16.*

De quibus Concilii Decretis, clausula dicta intelligatur.

50. Sed quando talis clausula apponitur, non de omnibus Decretis Concilii intelligitur; sed tantùm de illis, quæ resistunt privilegiis contra ipsa, seu in quibus est clausula: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis*, & sic de illis, quæ à Concilio revocata sunt per dictam clausulam: hæc enim sunt, quæ simpliciter sunt contraria Tridentino, quæ ab eo revocata fuerunt. Et sic quando aliqua privilegia antiqua confirmantur, vel nova cum dicta clausula conferuntur; non habent vim contra Decreta Concilii, per clausulam *non obstantibus* munita; bene tamen contra alia, in quibus privilegia revocata non sunt, & sic tacitè admissa. Joannes à Cruce *lib. 2. c. 3. dub. 6.* Pellizz. *tract. 8. c. 2. n. 81.* Petrus ab Angelis *n. 19.* Diana *p. 11. tr. 2 resol. 6.* Suar. *lib. 8. c. 18. num. 18.*

Bordon. *tom. 2. resol. 51. n. 130.* Lezana *tom. 2. c. 1. n. 58.* Tamb. *supra n. 3.* Hieronym. Garcia *tract. 8. diff. 1. dub. 5. n. 5.* Navar. *in Manual. cap. 27. nu. 190.* Thomas à Jesu *de procuranda omnium salut. lib. 12. cap. 8. vers. sequitur.* Qui idem dicunt de illa clausula: *Dummodo constitutionibus Apostolicis non sint contraria*, id est, per illa revocata: atque idem sentiendum judicant de Bulla Pii IV. incipiente: *In Principis Apostolorum Sede*, qua revocat omnia privilegia, & indulta, quæ Tridentini Decretis contrariantur: quia cùm sit edita talis constitutio, ad majorem observantiam, & robur Concilii; intelligenda, & explananda est, prout idem Concilium intelligitur & explicatur.

## Supplentes omnes, & singulos defectus.

Triplex defectus qui suppleri, vel non suppleri potest, exponitur.

51. Triplex defectus potest reperiri: vel naturalis, qui sequitur ex rei natura, uti est citatio partis in causis damnum tertii concernentibus: isti nunquam suppleri possunt à Pontificibus. Alii substantiales; ut quod rescriptum impetrans, non sit excommunicatus; quòd non impetret per subreptionem, vel per fraudem; & neque isti supplentur per dictam clausulam, etiam si ex motu proprio expediatur, ut diximus *num. 41.* Alii dicuntur in præsenti defectus accidentales, illi nimirum, qui solùm ex jure positivo exiguntur, quosque supplere potest Pontifex, & per istam clausulam intendit supplere. Barbos. *de clausul. clausul. 177. nu. 158.* Tambur. *tom. 1. disput. 16. quæst. 6. num. 4. & 5.* Rodriguez *tom. 1. quæst. regular. quæst. 8. art. 15.* Moneta, *de commut. ultim. volunt. cap. 7. n. 158.* Nec supplet defectus, qui concernunt personam supplicantis, vel contrahentis, prout nec supplet defectum causæ. Barbos. *n. 19.* Tambur. *n. 5.*

## Prorsus eximimus, ac totaliter liberamus.

Clausula prorsus eximimus declaratur.

52. Clausula ista ob suam generalitatem, & derogat privilegiis privatæ personæ concessis, & etiam Communitati in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, etiam motu proprio, & ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, aut per viam generalis legis, aut statuti perpetui, & excludit omnem interpretationem in contrarium, vel omnia, & singula, quæ in contrarium excogitari possunt. Henriquez *lib. 7. de indulgentiis cap. 27. num. 4.* Tambur. *num. 6. & 7.* Peyr. in *ad const. 2.* Sixti IV. *numero 10.*

## Sine Parochiæ præjudicio.

Alia clausula explicatur.

53. Quando Pontifex in privilegiis dicit, vitandum esse parochiæ præjudicium ab exemptis, & privilegiatis, intelligēdum est tantùm circa decimas, & primitias Clericis, à laicis exhiberi solitas, prout declaravit Sixtus IV. sicuti refert Joannes à Cruce, *l. 2. c. 5. dub. 7. concluſ. 2.* Tambur. *sup. n. 18* Antonius à Spiritu sancto *tract. 1. disp. 1. num. 77.* Peyrin. *de Privileg. ad const.* Pyrrhi. *n. 32.*

De-

Decernentes irritum, &c.

Quando per clausulam actus irritatur.

54. Per istam clausulam irritantur omnia, quæ in contrarium fieri possunt, per eamq; forma inducitur: qua non servata, actus ipso jure corruit, & sic est nullus ipso jure, etiam parte non opponente; nisi actus ante illius Decreti interpositionem planè perfectus sit, & ligat etiá ignorantes, non solùm si in eo Decreto dicatur: *scienter, vel ignoranter*: sed etiáſi non adsint hæc verba, quoad effectum nullitatis, non quoad pœnas in eo Decreto impositas quod procedit, sive constitutio facta sit motu proprio sive in forma communi, sive causa cognita, sive non cognita; tollitq; præscriptionem & consuetudinem in præteritum inductam; & secundum aliquos, etiam in futurum. Barbos. *clausul.* 40. *à n.* 2. Tambur. *à n.* 47. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancellar. Glossa* 67. *à n.* 12.

Ex tunc prout ex nunc.

Alia clausula aperitur.

55. Habet hunc effectum ista clausula, ut actus postea factus, censeatur à principio factus; non tamen est retroactiva à die dati in præjudicium juris alteri quæsito, medio tempore. Barbos. *Clausul.* 61. *n.* 8. *&* 26. Antonius à Spiritu sancto *n.* 90. Tambur. *à n.* 51.

Dummodo peccata non sint in contemptum clavium.

Quando in contemptũ peccata committuntur.

56. Non intelligitur quis peccare in contemptum clavium, & Ecclesiæ, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3. quando ex odio, iracundia, aliove affectu delinquit; sed quãdo non vult subjici clavib⁹, etiamsi credat ad hoc teneri (aliàs esset hæreticus) & tunc non poterit uti privilegio, qui sic peccavit, nisi postea idem privilegium fuerit concessum sine ulla clausula, sed absolutè. Nam generalitas posterioris sufficit ad revocandam limitationem anterioris, ut in privilegio concesso Religionibus ab Eugenio IV. & Bonifacio VIII. Quod postea Clemens IV. absolutè concessit. Rodriguez. *tom.* 1. *quæst.* 20. *art.* 5 Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 10 Hieron. Garcia *in Pclitic. regul. tom.* 1. *tract.* 8. *diff.* 1. *dub.* 5. *num.* 1.

## PUNCTUM V.

*De conditionibus requisitis, ut privilegium sit licitum, & validum.*

Scriptura pro privilegii valore non requiritur: est tamen conveniens.

57. PRæter hucusque numeratas conditiones, pro privilegiis valide aut licite accipiendis, tres aliæ restant explicandæ: nimirum, *scriptura*: quando necessaria sit *promulgatio & notitia* illius. Et loquimur de privilegio à Principe concesso: nam de eo, quòd consuetudine comparatur, nullam scripturam, promulgationẽ, aut notitiam ejus, ad valorem requiri compertum est; sed solum actuum repetitionem, quibus consuetudo introducatur. Igitur scriptura, seu bulla, vel breve, per se necessaria non est ad privilegii, & gratiæ valorem, ut constat *tum ex Clementina dudum, de*

*sepult. extravag. Etsi domini de Pœnitentiis, & remissionibus, cap. constitutionis, 25. quæst. 2.* Tum etiam, quia totus illius valor, ex voluntate concedentis dependet, quæ verbis explicari valet, etiam litteris non expeditis. Lezana *tom. 4. verb. privileg. num. 6.* Tambur. *tomo 1. disputat. 17. quæst. 2. numer 1.* Rodriguez *quæst. Regular. tom. 1. quæst. 7. artic. 1.* Pellizzar. *tomo 2. tract. 8. cap. 1. num. 6.* Salas *disput. 17. sect. 2. numer. 20.* Bruno Cassaing. *tract. 1. cap. 2. propos. 3.* Sanchez *lib. 3. de matrimonio disput. 35. num. 10.* Necessaria tamen erit scriptura, tum ad probationem privilegii, cùm alioquin sine ipsa difficulter probari in judicio possit; quàmvis gratiæ concessæ ab aliis, præterquam à Pontifice, suffragari possint, etiam in externo foro, si per testes sufficienter probentur, quia nullo jure oppositum invenitur sancitum: Mascard. *de probationibus conclusione 845. num. 11.* Azevedo *lib. 2. titulo 25. novæ recopilat. num. 2.* Palaus *tract. 3. disput. 4. punct. 3. §. 1. numero 2.* Tum etiam ad ejus stabilitatem, & durationem. Tum denique ad ejus intelligentiam; quippe quæ pendet ex tenore verborum, quæ si scripta sint, magis ad id deservient, cùm ex eorum proprietate, consecutione, aut collatione antecedentium cum consequentibus, vera mens concedentis conjiciatur.

Pontificum privilegia imperfecta sunt sine scriptura.

58. Diximus privilegia ab aliis, quam à Pontificibus concessa valere, si probentur pro foro externo, etiamsi scriptura careant: nam privilegium Papæ oretenus concessum, in ordine ad judicium in foro externo, ante scripturam, censetur informe, & imperfectum; quia non habet necessariam perfectionem, ut ex eo judicetur: ut habetur *ex regul. 28. Cancellariæ*, & ex Gregorio XIII. *regul. 50. Cancell.* ubi dicitur: *Nulla talis dispensatio cuiquam in judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea littera Apostolica sint confecta*, hoc est, nec in judicio contentioso, nec extra judicium, in foro tamen externo publico non suffragari. At gratia oretenus impetrata, in se formalis, & perfecta est, & in foro conscientiæ omnino valida est. *Cap. si probe, de rescriptis in 6. cap. finali, de concessione Prabendæ in 6.* Pro foro igitur externo, necessarium erit in scriptis, & in forma probante, exhibere privilegium; quia in hoc foro nulli creditur sine probatione, *cap. tua nos, de sponsalib. cap. accepimus 4. de privilegiis.* Unde beneficia à Papa obtenta, ante expeditionem litterarum, jure non possidentur: & qui sine tali expeditione possidet, censetur intrusus, & violentus possessor, nec illi prodest regula Cancellariæ de annuali, & biennali, seu triennali possessione. Suarez *lib. 8. de legib. cap. 11.* Bonac. *de legib. tom. 2. disp. 1. punct. 4 num. 49.* Petrus ab Angelis *in spec. disp. 2 sect. 3. num. 2.* Ex quo colligitur, quòd si Papa solo verbo aliquem pronuntiet Episcopum, licet statim sit Episcopus per pronuntiationem; verum non debet pro Prælato recipi, nec tractari, quin suam gratiam probet. Navarrus *in cap. accepta, de restitut. expoliator. opposit. 8. n. 30.* quem sequitur Rodriguez *tom. 1. quæst. 7. art. 1.*

59. Quo-

In foro externo qualiter probetur privilegium.

59. Quomodo autem probandum sit in foro externo privilegium, diximus supra *num.* 29. addimus Leonem X. Dominicanis concessisse die 22. Novembris cum Generalis esset Eminentissimus Cajetanus, ut sufficienter probetur in foro externo, per transumpta, vel copias, manu publici Notarii subscriptas, & sigillatas: quod postea idem Pontifex ampliavit anno 1518. die 21. Junii; ita ut crederetur transumpto sigillo Ordinis munito, ut habetur *in privilegiis Dominicanis fol.* 187. & constat ex alio privilegio Julii II. Augustinianis concesso, ut fides in foro externo adhibeatur transumptis, munitis signo, & sigillo Generalis Ordinis, ac si essent plumbo signata. Hieronymus Rodriguez *resolut.* 116. *num.* 5. Joannes à Cruce *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 2. *concl.* 3. Bordonus *tom.* 2. *resolut.* 52. *num.* 34. Navarrus, Donatus, & Portel. quos refert, & sequitur Petrus ab Angelis *supra numer.* 3. Ex quo sequitur, quod cum ex Pio V. possint Provinciales creare Notarios Religiosos, qui privilegia Ordinis transcribant; illorum scriptis tanta fides adhibenda est, quanta scriptis à Notario publico obsignatis, ut docet Portel. *verbo Notarius, num.* 1. *& verbo privilegium, numer.* 79. & latè probat Petrus ab Angelis *in compend. ordin. judicial part.* 1. *cap.* 3. Etiam fidem faciunt in judicio copiæ privilegiorum, typis excusæ in folio, vel in aliquo Bullario, vel in libris impressis probatorum Authorum, qui eas excerpserunt ex originalibus, vel ex transumptis Authenticis, ut fecit Confectius, Rodriguez, Laertius, Cherubinus. Sic Suarez *lib.* 8. *de legibus cap.* 24. *num.* 7. Pellizzar. *tract.* 8 *c.* 1 *sect.* 5. *q.* 19. Naldus *verbo Privilegium, num.* 3. Bordon. *sup. n.* 53 & 54. Portel. *privil.* 3. & 79. Et idem dicendum est, sive integrum adducatur privilegium, vel aliqua ejus portiuncula, modò sit authentica aliquo ex modò dictis. Pater Donatus *tract.* 2. *q.* 14. *n.* 3. & *q.* 13. *à n.* 8. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 6. *art.* 18.

Si in lege scriptura petitur ut prosit, non prodest privilegium absque illa acceptum.

60. Quod diximus *num.* 47, nimirum, privilegium etiam Pontificium, in foro conscientiæ prodesse, litteris non expeditis; limitandum est, quando in lege expresè non habetur gratiam, privilegium, aut licentiam nulla esse, nisi in scriptis concessa sint; tunc enim oretenus habita, nulla erunt, & peccabit quis contra legem agendo: quia actus lege, vel consensu contrahentium, scripturam exigens est nullus, si scriptura careat, *l. contractus, C. de fide instrument.* juncta Glossa ibi: quia tunc videtur scriptura de forma actus, & actus sine forma non subsistit. Lezana *tomo* 3. *verbo clausul. numero* 25. Bonac. *de clausura quæst.* 4. *punct.* 3. *numer.* 2. & hic *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. *numer.* 50. Suarez *de Religione tom.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10 *num.* 15. Delbene *tom.* 2. *cap.* 19. *dub.* 37. *num.* 6. Palaus *disp.* 4. *punct.* 3. §. 1. *à num.* 3. Azor *tom* 1 *lib* 5. *cap* 2. *quæst.* 9 *circa finem*. Antonius à Spiritu sancto *tract.* 3 *disp.* 6 *num* 502. Quare in sequentibus casibus non proficit privilegium, gratia, vel licentia absque scriptura.

Quæ concessa

61. Primò in beneficiis collatis, confirmatis, & unitis à Sede Apostolica,

siones ad sui valorem scripturam requirant.

lica, quorum possessionem nullus apprehendere poterit, nisi litteris expeditis, alioquin totum irritum erit, nec suos fructus faciet, quin beneficio privatur. Et non potest juvari annali, biennali, vel triennali possessione; quia censetur intrusus, & violentus possessor. *Extravag. incurristi, de elationib.* juncta Constitutione Pauli III. quæ incipit: *Cum nobis*, & Julii II. quæ incipit, *Romani Pontificis*. Sed quia istæ Constitutiones non extenduntur ad beneficia, ab Ordinariis impetrata, litteris non expeditis; poterit illorum possessionem capere, fructusque facere suos. Azor, Bonacina, & Palaus. §. Secundò, in facultate non residendi in beneficiis habentibus curam animarum, quæ ut valida sit, debet in scriptis ab Ordinario obtineri, secundùm Tridentinum *sess. c. 25. de reformat.* Bonacina, Lezana, Palaus, *supra*. §. Tertiò, in facultate ingrediendi intra sepia Monasterii Monialium, quæ valida non est, sine Episcopi vel Superioris respectivè licentia in scriptis concessa secundùm idem Tridentinum *sessione 25. cap. 5. de reformat.* Bonacina, Lezana, Palaus *supra*. §. Quartò, ex legibus Hispaniæ, in remissionibus delictorum: nam invalida est remissio delicti, à Rege facta, antequam Rex suo nomine, & sigillo obsignaverit remissionem, & duo Consiliariorum, *ex l. 2. tit. 25. lib 8. novæ compil.* ut pluribus ibi exornat Azevedo *à n. 2.*

Nostri absque licentia

62. Denique ex particulari jure nostræ sacræ Religionis *1. part. constitut. cap. 12. num. 2.* Religiosi nostri, quibus præceptò est prohibitus esus carnium, extra domos nostras, absque licentia in scriptis à Superioribus obtenta, illis vesci non poterunt absque peccato mortali: si oretenus dumtaxat, & non in scriptis illam recipiant; tum quia talis scriptura exigitur, ut forma, ut licentia valeat: sicuti ad beneficia, ingressum clausuræ, & non residentiam, ut dicebamus in præcedenti, absque forma autem, nihil subsistere valet. Tum etiam, quia non solùm talis scriptura, pro foro externo exigitur, ut constare possit de illa, & non puniatur, qui eam non ostenderit, ut aliqui perperam intelligunt; sed ut maturius, & rarius talis licentia concedatur; sicuti in ipsis constitutionibus nostris *1. part. cap. 15. num. 3.* statuitur, ut præcepta à Superioribus imposita, graviter non obligent, nisi sub tali forma verborum, in scriptis imponantur: & nullus dicet valere præceptum, absque scriptura: quia hæc ut forma exigitur, & ut maturius, rariusque imponatur, uti docet N. Ant. à Spiritu S. *in suo Directorio Regul. tract. 3. disp. 6. numer. 501.*

in scriptis extra domos vesci carnibus non poterunt.

63. Veniamus ad alias duas conditiones, pro privilegiis requisitas, nimirum, *promulgatio*, & *notitia*, quarum una sequitur ex alia. Dicimus ergò, quòd cùm privilegium se habeat ut lex, non respectu privilegiati, sed aliorum, qui vel ex jure naturali, vel positivo in privilegio contentum, obligantur, ne impediant usum illius; sicuti de ratione cujuslibet legis est promulgatio, ut latè *in tract. 11. de legib. c. 1. nu. 37.* probavimus; sic de ratione

Debet dari aliqua promulgatio privilegii.

ne privilegij promulgatio aliqua requiritur, seu publicatio, quatenus in aliis inducit obligationem: quia id in hanc partem habet rationem legis, aut præcepti, quæ obligare non possunt, ubi non est illorum notitia. Pellizzar. *tract 8. c. 1. num. 8.* Palaus *tract. 3. disp. 4. punct. 3. §. 2. num 1.* Hæc autem notitia (nisi privilegium sit universali lege constitutum, ut latum *in Extravag. 1. de reliquiis, & venerat. SS. & in cap. Si quis suadente Diabolo, de sentent. excommunic.*) non debet communicari publicatione solemni, ut in particularibus indultis, & rescriptis, concessis singularibus personis, singularum commodum, & favorem respicientibus, & etiam Communitatibus in bonum commune; sed sufficit singularis publicatio: ea scilicet, quæ sufficit privilegiatis, ad utendum privilegio, sufficit per se aliis, ne illius usum impediant; quia unum sequitur ex alio Bruno Cassaing. *tract. 1. cap. 2. propos. 2.* Portel. *in dub Regul. verbo privileg. num. 9.* Palaus *num. 19.* Pellizzar. *num. 8.* Mirand. *tom. 2. q. 42. art. 6.* § Unde privilegium occulte concessum, & solum privilegiato innotescens debet aliis manifestari, ne illius usum impediant, & ut teneantur non impedire. Quæ manifestatio fieri debet, vel ostensione publici instrumenti, vel probatione per testes (nisi privilegium sit notorium, non solum per famam, sed per usum illius repetitum) omni exceptione majores, qui de concessione facta, & litteris expedita, testentur: vel saltem testentur privilegiatum usum esse privilegio; quamvis pro foro conscientiæ, minor probatio requiratur, & ea sufficiat, quæ virum prudentem, de privilegio certum reddere potest; tametsi dictum solius privilegiati non sufficiat: quia nullus in propria causa est testis idoneus, cui credere sit necessarium; quamvis ex urbanitate, aliqua ei fides adhiberi possit. Suarez *lib. 8. de legib. cap. 24. n. 10.* Pellizzar. *num. 9.* Palaus *n. 1.*

Privilegium licet valere possit ante notitiam privilegiati, regulariter non valet.

64. Loquendo tamen de privilegio respectu ejus, in cujus favorem expeditur, est difficultas, an valeat antequam privilegiatus illius notitiam habeat, illudque acceptet? Licet enim ut licite illo utatur, proculdubio notitia ejus requiratur; meritò tamen dubitari potest, an quando actus ab eo faciendus esset nullus sine privilegio; si istud ante notitiam, habuerit valorem; tunc actus foret validus, etiam absque ejus cognitione? Dicimus ergo, quod licet Princeps possit dispensationem, vel privilegium concedere, quæ valeant nulla habita notitia à privilegiato; attamen nunquam sic concedere censetur, nisi exprimat; quare ejus concessio imbibit tacitam conditionem, *si non resistas, si acceptes*, & sic usque ad acceptationem valorem non haber, nisi ad petitionem partis, per litteras, vel procuratorem expediatur, de quo dicemus postea. Prima pars probatur: quia nulla est repugnantia, ut invitum, & nolentem Princeps habilitet, v. g. ad matrimonium, vel ab irregularitate liberet, vel ab obligatione jejunandi, recitandi, missam audiendi, &c. quia hæc omnia ex Principis vo-

luntate tantum sunt inducta, & sic ex illa possunt tolli absque subditorum consensu. Bassæus *in floribus verbo privilegium cap. 2. num. 1.* Antonius à Spiritu sancto *tractatu 1. disputat. 1. num. 28.* Layman. *lib. 1. tractatu 4. cap. 23. num. 10.* Palaus *tractatu 3. disput. 4. punct. 3. §. 2. num. 1.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. num. 10.* Bonacin. *de privileg. disp. 1. q. 3. punct. 3. num. 4.* Salas *disput. 20. sect. 14. num. 13. & 108.* Suarez *de legib. lib. 8. cap. 25. num. 15.* Quare valida est dispensatio in voto castitatis, quam sponsus obtinuit, sponsa inscia illius: quæ tale votum habebat. § Secunda vero pars probatur: tum, quia privilegium, est quodammodo donatio quædam; donatio autem, absque consensu donatarij, non habet effectum: tum etiam, quia hoc expediens videtur rectæ gubernationi, ne contemnantur beneficia, & mercedes Principis, & ne dentur nisi volentibus, & petentibus, ac illorum indigentibus. Bonacin. *num. 5.* Palaus *num. 3.* Pellizzar. *num. 10.* Suarez *n. 13.* Salas *num. 12.* Layman. *num. 9. & 28.* Antonius à Spiritu sancto *num. 28.* Azor *tom. 1. lib. 5. c. 3. q. 7. & cap. 23. quæst. ultim.* Sanchez *de matrimon. lib. 1. disp. 6. n. 10 & 29. & lib. 3. disp. 30. n. 13. & disp. 36. per totam.*

Non requiritur notitia in singulis ad valorem privilegij communitati

65. Sed dicta intelligenda sunt de privilegiato directo, & per se, non de indirecto, & per accidens, sive ex consequenti; ut si Communitati, vel toti Religioni fiat concessio, non requiritur quod talis acceptatio, & notitia detur in singulis ad ejus valorem. Vel si statui Clericorum, non requiritur ut validum sit privilegium, respectu singulorum, quod ipsi illius notitiam, vel acceptationem habeant: sed sufficit notitia, vel acceptatio à communi statu præstita. Et sic Clericus privilegio Fori, & Canonis potitur, etsi illud ignoret: & privilegia Regularium à statu Religioso in communi acceptata, prosunt singulis, tametsi illa ignorantibus: & qui obtinuit dispensationem de affinitate, consanguinitate, vel alio impedimento cum fœmina, cum qua intendit contrahere, illa licet ignara, manet dispensata: quia privilegia, vel gratia concessa uni directè; in aliis per quandam consequentiam, & necessariam illationem, sequuntur: & sic eorum scientia, vel acceptatio non requiritur. Sic Sanch. *de matr. lib. 8. disp. 26. n. 6.* Henriq. *lib. 1. de matr. cap. 3. n. 6. litt. H.* Pelliz. *n. 11.* Bassæus *verb. Privil. §. 2. n. 1.* Ant. à Spir. S. *n. 28.* Palaus *n. 9.* Suar. *n. 17.* Bonac. *n. 2.* § Similiter privilegia data ratione officii, in acceptatione officij censentur acceptata. Addimus, quemlibet Religiosum particularem, posse acceptare privilegium favorabile Religionis, nisi forma illius obstet, vel detur lex, aut statutum in contrarium: quia per talem acceptationem, nullum infertur præjudicium Religioni. Bordon. *tom. 2 resol. 52. n. 57.* Pell. *n. 13.* Ant. à Spir. S. *n. 22.*

concess.

Tres limitationes ab aliquibus adhibitæ

66. Doctrinam traditam, nimirum quod ante notitiam, & acceptationem privilegiati, per se non valet privilegium, aliqui limitant. Primo: ut hoc intelligatur de privilegiis gratiosis, non de remuneratoriis, qualia sunt omnium Regularium, quæ etsi præcedentis expres-

doctrinæ.

expresse non acceptentur, nec detur eorum notitia; adhuc valere dicunt; quia tacitè censetur acceptare mercedem, qui rem præmio dignam operatur. Sic Escob. *in exam. 15. Theolog. mor. tract. 1. titulo leges c. 2.* Bruno Cassaing. *tract. 1. c. 2. propos. 3.* Bonac. *sup. n. 15.* Sanch. *lib. 3. disp. 36. n. 3.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. centur. 2. casu 185. n. 45.* § Secundo limitant alij, ut privilegium ante acceptationem non habeat suam vim integram, & valorem: habere tamen dicunt aliquem effectum, nimirum, ut non possit à concedente revocari, fundati *in cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* Ubi collatio beneficii, absenti facta, quamvis non habeat integrum effectum ante acceptationem; revocari tamen non potest. Sic Decius *c. 2. de constitut. in 1. lect. n. 44.* Baldus *in l. Beneficium, n. 15. ff. de constit. Principii.* Cardin. *in proœm. Clement. verbo universitas, q. 5.* § Tertio alij limitant, ut privilegium requirat notitiam, & acceptationem in privilegiato, secus vero in aliis, in quorum cedit incommodum: & sic privilegium suos sortiri effectus, licet ignoret illud is, contra quem privilegium obtinetur. *c. de conces. præb. in 6.* versicul. *dicebas autem*, ad finem, ubi sic dicitur: *Nam si alicui à Sede Apostolica concedatur, quod excommunicari non possit, licet id forsitan suus ignoret Episcopus; non tamen propter hoc ejus ligatur sententia.* & infra: *si alicui conferendi præbendam aliquam à Sede Apostolica tribuatur potestas, videtur quod sit Episcopo conferendi tunc eam penitus interdicta facultas.* Et ratio id ipsum suadet: quia privilegium est gratia principis independenter à subditis, quibus ignorantibus, imo etiam scientibus, & contradicentibus, potest illam cui voluerit concedere. Sic Joannes à Cruce, *de statu Relig. lib. 1. c. 1. dub. 3. concl. 3.* Sanchez *disp. 36. num. 5.* Palaus *disput. 4. punct. 3. §. 2. num. 7.* Antonius à Spiritu sancto *num. 28.* Bruno *propos. 3. in fine* Menoch. *lib. 2. de arbitr. casu 185. num. 28.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. num. 12.* Bonac. *supra num. 14. & 15.* Suarez *lib. 8. c. 25. n. 28. & 30.*

67. Sed prima limitatio admittenda non est; quia illa sola acceptatio in dignitate meritorum fundata, nimis est remota, & confusa: ex illa namque ad summum sequitur, bene operantem velle, & optare ut opere condignum præmium sibi detur: at vero, quod sit hoc, vel illud non infertur: ergo quando hoc præmium determinatum, nimirum hoc privilegium offertur, necessaria erit acceptatio, aliàs cogeretur acceptare, quod forte nec conveniens sibi, nec meritis erit æquale: ergo talis limitatio quod in privilegiis remuneratoriis, notitia, vel acceptatio, non requiritur, non est admittenda, & ideo eam rejiciunt Suarez *de legib. lib. 8. cap. 25. à num. 18.* Palaus *loco citato num. 5.* § Nec secunda limitatio est admittenda: quia collatio beneficij Ecclesiastici, diversum quid est à concessione privilegij; & sic beneficium concedere tenetur Princeps; secus vero privilegium. Et cum conferendo beneficium etiam absenti functus jam fuerit suo officio, non est mirum non posse beneficij collationem re-

Duplex limitatio supra adducta excluditur.

vocare; & debere consensum illius expectare, cui collatio facta est. At privilegii concessio, cum sit liberalis quædam donatio, revocari poterit à donante, quamdiu à privilegiato non fuerit acceptatum. Ita docent Sanchez *disp.36.* Bonacin. *disp.1. quæst. 3. punct.3 num.12, & 13.* Bassæus *verbo privilegium c.2. n.3.* Covar. *3. variar. c. 16. n. 1.* Salas *disp. 17. sect. 5. n.38.* Suarez *n.7.* Palaus *n.6.*

Tertiam admittimus limitationem & eam explicamus

68. Admittimus autem tertiam limitationem; quia privilegium non petit acceptationem illorum, in quorum cedit damnum, & respectu quorum non est privilegium: & sic nec eorum notitia est necessaria, ut respecta ejus in cujus favorem cedit, sit vere privilegium. Cæterum si jus tertio jam quæsitum fuerit, & fuerit in usu, & possessione illius, adversus quod datur privilegium, illi est danda notitia, *argument. ex cap. cum personæ, de privileg. in 6. & ex cap. si duobus, cap. comparat. de appellationib.* Et ratio est: quia non debet præsumi, velle Principem, nisi exprimat, privare aliquem jure suo, absque illius notitia; cum talis privatio communi bono, & suavi gubernationi non parum sit adversa; & ex alia parte sit valde expediens damnificatum monere, ut possit si velit se opponere. Et textus in oppositum adductus intelligendus est, quando judex non postulat ostensionem privilegij, sufficiensque tempus ut potuerit notitiam consequi, præterijt, & per ipsum ster, ut non opponatur. Suarez *n.3. fine.* Palaus *n.8.*

Quomodo sit acceptandum privilegium

69. Sed rogabis modo, quæ scientia, notitia, & acceptatio requiratur, & sufficiat respectu directi privilegiati, ut privilegium valorem habeat? § Respondetur sufficere si per se, aut per suum ministrum, aut per procuratorem accepte, aut per litteras ab eo missas, vel ab aliô, nomine & consensu illius, cui privilegium petit, quæ est quædam anticipata acceptatio illius, sub conditione tacita, *si Princeps annuerit*, & ob id diximus supra *num. 40.* generaliter privilegia ad petitionem partis concessa, non indigere ad sui valorem partis petentis notitiâ. Et ratio est: quia acceptatio modo dicto, sufficit ad constituendam validam, & firmam quamlibet donationem, ut diximus *tom. 2. tract. 14. de contract. cap. 4. à num. 72.* ergo etiam privilegium, quia ejus concessio est quædam donatio. Si tamen ab alio acceptetur, qui nec ejus est nuntius, nec procurator, nec ex ejus consensu petit, erit nullum privilegium, antequam à privilegiato acceptetur, & ipse ratum habeat, quod ab alio gestum est: & sic nullum erit matrimonium contractum cum impedimento dirimente, etiamsi ab alio, quam à contrahente, vel ejus ministro fuit obtenta dispensatio, si ante ejus notitiam celebratum fuit: quia acceptatio, quæ vel ab ipso immediatè non proficiscitur, vel ab alio ex consensu ipsius illi tribui non potest; nec sua dici potest quæ non est facta suo nomine, ut de omnibus donationibus, & earum acceptationibus, *loco citato*, diximus. Quæ hoc *num.* resolvimus, tenent Salas *disp. 20. sect. 14. num. 109.* Sanchez *lib. 1. de matrimonio, disput. 6. num. 3. & 20. & libro*

*libro 3. disputatione 36. num. 7. & 8.* Pellizzar. *tractatu 8. cap. 1. num. 10. & 19.* Bassæus *cap. 2. num. 2.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 1. disp. 1. num. 26* Bonac. *sup. num. 5.* Suar. *n. 13. & 14.* Palaus *n. 10.*

## PUNCTUM VI.

### *De interpretatione privilegiorum, à quibus fieri possit, & quomodo debeat adhiberi?*

Generalia principia pro interpretatione privilegiorum.

70. CUm privilegium sit quædam lex privata, quæ latè diximus circa interpretationem legum *tom. 3. tract. 1. de legibus, cap. 4. punct. 3. per totum*, hic applicanda erunt. Unde sicut lex taliter interpretanda est, ut non reddatur inutilis, *l. non dubium*, C *de legib.* sic privilegium non debet esse inutile, sed ejus verba aliquid debent operari, ne reddantur superflua, *cap. si Papa in fine, de privileg. in 6.* Nec privilegium dici potest, quod nihil speciatim concedit, ultra illud, quod jure communi concessum est, *cap. Abbate 25. de verborum significatione, cap. ultim. 25. quæst. 1.* Et sicut ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. non distinguimus. ff. de rescriptis arbitr. cap. quia circa 22. de privileg.* nisi Authoritate alterius legis; quia lex una indistincte loquens, per aliam distinguitur, & limitatur *l. jure gentium*, §. *si pactiscatur, ff. de pactis.* Idem dicendum est de privilegio. Et sicut lex non includit id, ad quod mens, & ratio Authoris non se extendit, *l. cum prætor*, §. *dolo, ff. de legatis 2.* sic verba privilegii sunt intelligenda, non secundum quod sonant; sed secundum mentem, & intentionem proferentis, uti ex D. Thoma diximus *loco citato num. 24.* & ideo privilegia recipiunt interpretationem à supplicante, cum mente enim supplicantis præsumitur se conformare concedens, *cap. cum dilectos*, §. *caterum de fide instrumentorum*, cum Glossa ibi, & Bassæus *verb. privileg. 6. n. 7.* Palaus *tract. 3. disp. 4. punct. 9. num. 1.*

Alia generalia principia pro privilegiorum interpretatione.

71. Etiam est interpretandum privilegium, ita ut non sit onerosum privilegiato, sed ut potius illi aliquid tribuat, quam auferat juxta regulam *6. juris in 6. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Ideo privilegium exemptionis v. g. concessum Regularibus, non impedit quominus ii cum Prælati consensu subjicere se possint Episcopo, ut ab eo absolvantur à peccatis, & censuris, vel dispensetur cum eis in voto, juramento, irregularitate; si accidat Episcopum, non autem Prælatum Ordinis, tali facultate gaudere. Et idem accidit, si Prælatus Ordinis consensum irrationabiliter neget; cum non videatur mens Summi Pontificis, privilegium ad talem casum extendere, quod in perniciem animæ cedere potest, uti diximus *tom. 2. tractatu 10. de censuris cap. 2. num. 52.* & tenent Henriquez *lib. 7 cap. 25. num. 2.* Avila *2. part. de censuris c. 2. disp. 1. dub. 6. concluf. 3.* & alij *loco citato*, adducti. § Mens etiam concedentis privilegium ex materia illius

capienda est: *Quia quoties idem sermo distinctas sententias exprimit, ea potissime accipitur, quæ rei gerendæ aptior est, l. 66. ff de regulis juris.* Quare cum dubia est mens Principis, attendenda est materia privilegii cum circumstantiis antecedentibus, & consequentibus, quia ex omnibus coalescit integritas sensus; præcipue accipi potest illius notitia ex proœmio, & principio privilegij; sæpe enim ibi ponitur finis, & causa ob quam expeditur, ut constat *ex l. regula circa finem, ff. de juris, & facti ignorantia, l. finali. ff. de testatoria tutela.* Quid autem in dubio tenendum sit diximus *loco citato, ex tract. de legibus, num. 27. & 31.* & an debeat extendi ad casum sub verbis privilegii non comprehensum, ob similitudinem, & identitatem rationis, *ibid. à num. 32.* explicuimus.

Interpretatio doctrinalis, & juridica explicatur.

72. Hæc generaliter dicta sunt circa privilegiorum interpretationem, ex paritate illorum cum legibus. Nunc descendamus in particulari, ad propria hujus materiæ; & inquires primo, quis possit privilegia interpretari? § Pro quo supponendum est, quod *loco citato* diximus, interpretationem aliam esse Authenticam, juridicam, vel judicialem: aliam doctrinalem; hanc quilibet vir doctus adhibere potest, non ex cerebro, sed secundum jura, verba, & alias regulas traditas, & tradendas; & eorum doctrinali interpretationi legitime factæ, maxime si Prælati fuerint, quilibet acquiescere potest in conscientia, ut omnes dicunt, quamvis eam sequi non cogamur. Authenticam, seu judicialem, & juridicam interpretationem, nemo nisi solus Princeps, qui privilegium dedit, exhibere potest; quia hæc omnes cogit eam sequi, habetque eandem vim, ac habet lex, & privilegium, quia ejus est interpretari actum, cujus est condere seu actum facere, *l. sacratissimæ, C. de legibus.* Unde privilegia à Summis Pontificibus concessa Regularibus, solus ipse Pontifex, vel cui ipse concesserit, potest judicialiter interpretari. Unde Episcopi, Archiepiscopi, aut alij Prælati Ecclesiastici licet doctrinaliter possint privilegia Religionum interpretari, sicuti alij Doctores; minime autem judicialiter.

Episcopi vel Archiepiscopi, an possint interpretati privilegia Religionum.

73. Quapropter Clemens IV. concessit Prædicatoribus, & Minoribus, & Alexander VI. Congregationi S. Benedicti, & Paulus III. Societati Jesu, ut habetur *in compendio privilegiorum Societatis, titul. privilegium, §. 2. & 4. & in compendio Mendicantium, verbo Privilegium, §. 5.* (Quod aliæ Religiones per communicationem participant) ne Prælati Ecclesiarum, privilegium eorum interpretentur (intellige de interpretatione judiciali, & Authentica, non de doctrinali) sive clara sint, sive dubia: & si quod dubium oriatur, de eo judicetur inter homines peritos, vel Sedes Apostolica consulatur: & ideo dicitur in dicto compendio *Clemens IV. inhibuit, & districtius, omnibus Ecclesiarum Prælatis, ne interpretari præsumant privilegia, & indulta concessa Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus; sive clara, quæ interpretatione non indigent, sive dubia contineant, & voluit, quod*

*quod interpretatio super hujusmodi dubiis, reservetur Sedi Apostolicæ, cum ejus sit interpretari, cujus est condere.* Et est conforme juri communi *in cap. venissem, de Judiciis*, ubi Innocentius III. sic ait: *Cum super privilegiis Sedis Apostolicæ causa versatur, nolumus de ipsis per alios judicari.* Et etiam rationi est conforme: quia in dubio, an jurisdictio contra Regulares pertineat ad Episcopum, & ad judices Ecclesiasticos, non possunt ipsi cognoscere de causa, ne sint judices in causa propria, juxta *l. qui jurisdictioni, ff. de jurisdict. omnium judic.* Atque ita docent Sanchez *consil. tom. 2. tract. 8. cap. 1. num. 134.* Bassæus *in florib. c. 6. n. 2. verbo privileg.* Henriquez *lib. 7. de indulg. c. 25. n. 6.* Lezana *tom. 4. verb. Privil. n. 12.* Portel. *eodem verb. n. 77. & verb. Episcop. n. 13.* Tambur. *tom. 1. disp. 16. q. 6. n. 1.* Bordon. *tom. 2, resolut. 52. num. 50.* Miranda *tom. 2. quæst. 44. art. 2.* Bruno Cassaing. *tractatu 1. cap. 4. propos. 2.* Joannes à Cruce *lib. 2. cap. 1. dub. 2. & capite 3. dub. 5.* Hieronym. Garcia *in Politic. regul tract. 8. difficult. 1. dub. 4. num. 12.*

Privilegia Regularium dubia in eorum favorem sunt interpretanda.

74. Cæterum quando dubium aliquod suboritur circa privilegiorum Regularium intelligentiam, & Sedes Apostolica consuli non potest, sed à viris juris peritis, aliisve judicibus est judicandum, in eorum favorem interpretanda sunt, ob concessionem Alexandri VI. factam Benedictinis Vallisoleti, Romæ Kalendis Aprilis 1501. ubi sic dicitur: *Sicut quando dubium fuerit in intellectu privilegiorum Regularium, semper per juris peritos, & alios judices in favorem Regularium fiat interpretatio.* Idem concessit congregationi S. Justinæ de Padua, idem Alexander VI. ut testatur Tamburin. *loco citato*, qui etiam affirmat concessisse idem suæ congregationi Vallis-umbrosæ, Julium II. Idibus Junij anno 1507. Ac idem concessum esse Societati à Paulo III. testantur Pellizzarius *num. 139.* Miranda *tomo 2. quæstione 44. art. 1. concluſ. 2.* Et merito ita concessum est: nam omnia, vel fere omnia sunt favorabilia, ut diximus *num. 27.* & sunt etiam remuneratoria, ut *num. 23.* probavimus. Favores autem, maxime in remunerationem præstiti, late sunt interpretandi; & sic in dubio, eorum sensus in favorem privilegiatorum exponendus est. Et ita docent in nostro casu Pellizzar. & Mirand. *loco citat.* Portel. *verb. Privileg. declaratio. num. 76.* Bordon. *tomo 2. resolut. 9. num. 49.* Bassæus *verb. privileg. 6. num. 2.* Joannes à Cruce *l. b. 2. cap. 2. concl. 3 §. 1.* Tambur. *tomo 1. disp. 16. quæst. 6. & disp. 18. quæst. 6. num. 6.* Rodriguez *tomo 2. quæst. 63. artic. 7.* Bruno *loco citat.* Petrus ab Angelis *in speculo privileg. disp. 1. sect. 2. num. 15.* Lezana *tom. 4. verb. privileg. num. 3.* Ex quo inferunt, quod stantibus duabus probabilibus opinionibus, valeat, vel non privilegium Regularium; sit revocatum, vel non sit revocatum; extendatur vel non ad istum casum; judicandum est in favorem Regularium, quod valde notandum est, pro his, quæ infra dicemus.

Prælati Religionum possunt in-

75. Interpretari tamen possunt privilegia, cum dubia sunt (interpretatio namq; solum habet locum, quãdo dubia, ambigua vel obscura sunt pri-

terpretari Earum privilegia.

privilegia, quando vero nulla ambiguitas invenitur, non habet locum interpretatio *l. ille aut ille, ff. de legatis 3.*) Generales Religionum pro toto Ordine, nedum doctrinaliter, sed etiam juridice, & authentice, ita ut omnes subditi teneantur stare illorum interpretationi, quando vel leges, consuetudines, exemptiones, vel privilegia interpretantur. Ita concessit Julius II. Generali Prædicatorum *14.* Decembr. *1504.* constitution. quæ incipit: *Considerantes, quod multa.* Et Clemens VII. pro Tertiariis concessit, ut eorum visitatores, quæcumque dubia in Ordine, Regula, Constitutionibus, Statutis, cõsuetudinibus & privilegiis, pro tempore occurrentia interpretari, declarare, & decidere valeant. Et pro omnibus Prælatis etiam immediatis, si prudenter, & ex consilio peritorum procedant, ut possint pro foro conscientiæ, Authoritate Apostolica omnia dicta decidere, interpretari, ac declarare non solum doctrinaliter, ad quod non erat necessaria nova concessio; sed authentice, ac juridice concessit Sixtus IV. Canonicis Regularibus S. Salvatoris, Bulla incipiente, *Ad universos* §. 3. & Paulus V. Præposito, aut Deputato Oratorii Neapolitani. Quibus privilegiis omnes Prælati Religionum, Generales, Provinciales, respectivè imo immediati gaudent. Sic Lezana *verb. privileg. num. 12.* Merola *lib. 3. de privileg. disp. 6. cap. 6. dub. 8. num. 258* Donatus *tom 1. tract. 8. quæst 7. numero 1. & 16.* Petrus ab Angelis *disp. 1. sect. 2. numero 17.* Navarrus *in manual. cap. 21. num. 22.* Bruno Cassaing. *tract. 1. cap. 4. propos. 2.* imo D. Thomas & Cajet. *2, 2. quæst. 174. art. 4.* hanc facultatem à jure illis concessam habere, affirmant.

Prælati Religionum possunt suorum Religiosorum privilegia restringere

76. Ex quo infertur, posse Prælatos Regulares non solum interpretari, sed limitare, & restringere, imo etiam pro suis subditis tollere usum privilegii alicujus, imo, & quorumcumque à Sede Apostolica dimanantium: tum ex concessione Leonis X. facta Minoribus, & Augustinianis, & Clementis IV. Cisterciensibus, & Gregorii XIII. Societati Jesu: Tum etiam, quia credendum non est Summos Pontifices, qui, summopere zelant observantiam Regularium, velle ut Fratres, privilegiis eorumdum Ordinibus concessis, uti possent, contra voluntatem suorum Superiorum. Quare, quando dicti Prælati utuntur Authoritate Apostolica sibi concessa in supra dictis privilegiis, interpretando, seu declarando juridice, Authentice, seu judicialiter illa, subditi tenentur stare eorum determinationi. Sic Mirand. *tom. 2. quæst. 43. art. 4.* Lezan. *tom. 1. cap. 18. num. 56.* & *tom. 4. verb. privileg. num. 13.* Petrus ab Angel. *num. 20.* Rodriguez. *tom. 1. quæst. Regul. art. 2.* Suarez *de Religione tom. 4. tract. 8. lib. 2. capite 22. num. 14.* Diana *3. parte tractat. 2. resolut. 87.* Pellizzar, *tom. 2. tract. 8. capite 1. numero 62.* qui addit *numero 63* posse Capitulum Generale tollere pro tota Religione, aliquod, vel aliqua privilegia, illisque renuntiare, imo ab ipso Generali (quo est Superius capitulum) id fieri posse cùm privilegia tam Prælatis, quam Religioni

gioni concessa sint in favorem ipsius Religionis: quibus proinde ipsa conjuncta in Capitulis Generalibus cedere potest. Ita etiam colligitur ex Suarez *tomo 4. de religion. tractat. 10. lib. 11. capite 2. num. 11.*

Privilegium favorabile late, odiosum stricte est interpretandum.

77. Inquires secundo, quomodo sint interpretanda privilegia? § Respondetur, quod si privilegium sit favorabile, latissime interpretandum est, quantum recta ratio, & prudentia dictat, servata verborum proprietate, quod fieri poterit: nam odia restringi, favores convenit ampliari, *regul. 15. juris in 6.* & beneficium Principis nulli nocivum, late explicandum est, *l. Beneficium, ff. de constitut. Princip.* Sicut odiosum (nisi oppositum cogat necessitas, quia nimirum alias redderetur inutile, vel certe materiæ necessaria connexio exigat) stricte regulariter est interpretandum; eo quod Princeps in odiosis solum censetur derogare, quatenus per verba expresse declaravit, *l. Quod autsu, C. de Mancip. liber.* Diximus *regulariter*; quandoque namque privilegium, etiam odiosum est ampliandum, ut infra dicemus: ut si necessitas, vel gravis causa cogat ampliare, aut agatur de causa pia, ac religiosa. Tunc dicitur favorabile, quando concedens illud, primo intendit favorem concedere, & ex consequenti, & quasi secundario, sequitur alterius detrimentum: ut privilegium exemptionis à foro sæculari. Si vero Princeps primo, & per se tendat in odium & pœnam alterius, illud concedere; dicitur odiosum, licet alias cedat in favorem alterius: quia privilegium est dispositio quædam, & quælibet dispositio debet attendi ex primario fine, ut diximus, *tom. 2. tractat. 11. de legibus cap. 4. num. 24.* Si partim intendat favorem, partim odium, & favor, & odium possunt distingui; ex qua parte est favorabile late est interpretandum, stricte ex qua parte est odiosum: ut privilegium Canonis, quod favorabile est respectu Ecclesiæ, odiosum respectu delinquentis. In dubio autem, an favorabile, an odiosum sit privilegium; simpliciter est judicandum favorabile; quia lex per se intendit favorem, Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 1. num. 141.*

Privilegia in jure contenta, late sunt interpretanda.

78. Ex qua generali doctrina sequitur primo omnia privilegia contenta in Jure Communi, late esse interpretanda; sunt enim favorabilia, utpote jam leges, & jura, sicuti alia, & sic debent interpretari juxta regulas Juris Communis: quod cum ordinatum sit ad bonum commune, est favorabile, & sic late interpretandum. Lezana *verb. privileg. num. 9.* Bassæus *eodem verb. §. 2. num. 11.* Palaus *tract. 3. disp. 4. punct. 10. num. 6.* Suarez *de legib. lib. 8. cap. 27. num. 8.* Sanchez *lib 8. de matrimonio. disput. 1. n. 7.* Pellizzar. *num. 143.* § Extensio autem semper fieri debet salva verborum proprietate naturali, vel civili, & non sunt improprianda, & ad varios sensus deflectenda: alis nihil certum determinari posset, si verba ad libitum interpretantis retorqueri possent, *uti diximus tract. 11. de legibus cap. 4. n. 27.* Proprietas autem verborum accipienda est, tum ex usitata significatione, aut communi usu; tum secundum acceptationem juris, privilegio pro-

portionatam. Si privilegium sit Regium, secundum acceptationem juris civilis: si Pontificium, secundum Jus Canonicum,& eodem modo illæ regulæ sunt exponendæ. *Privilegium non plus operatur, quam verba exprimunt: privilegium simpliciter favorabile extendendum est, privilegium simpliciter odiosum restringendum*, quæ interpretari debent secundum privilegiorum conditionem, observata verborum proprietate communi, aut juridica, nisi alias esset inutile, vel specialis necessitas, aut ratio justitiæ cogat ad verba improprianda; vel aliunde rationabiliter præsumatur mens concedentis. Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 6.* Bassæus *in florib. verb. privileg. §. 3. num. 9.* Petrus ab Angelis *disputat. 1. sect. 2. num. 1.* Tamburin. *tom. 1. disp. 16. quæst. 5. num. 3. & 11.* Suarez *de legib. lib. 8. cap. 28. numero 12.* Pellizzar. *supr. num. 150.* Bonacina *de Privileg. disputatione 1. quæstione 3. punct. 7. §. 1. num. 1.*

Privilegium Juri Communi contrarium stricte interpretandum est.

79. Sequitur secundo privilegia, quæ juri communi derogant, stricte esse interpretanda, nisi in casibus infra referendis, ita ut juri minus quam fieri potest, derogetur. Tum, quia derogatio Juris Communis, per se est odiosa, & sic quantum fieri possit minuenda: Tum etiam, quia licet sint favorabilia privilegiato, tamen ut à Jure Communi exorbitant, sunt odiosa: eo quod privilegium contra Jus Commune, continet illius dispensationem, quæ semper est odiosa: Ideoque cum favor communis præferendus sit privato, ubi oportuerit unum restringi, ut aliud minus lædatur, restringendum est privilegium. Tamburin. *tom. 1. disputatione 18. quæst. 6. num. 72. & disp. 16. quæst. 5 num. 6.* Bassæus §. *2. num. 10.* Layman. *num. 5.* Pellizzar. *num. 144.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 1. & 5.* Palaus *punct. 10. num. 2.* Miranda *part. 2. quæst. 44. art. 3.* § Ex quo sequitur, quod si illegitimo concedatur privilegium ad suscipiendos Ordines, intelligendum est de minoribus Ordinibus, nisi jam minoribus esset insignitus: quia tunc ne privilegium esset frustraneum, & inutile, de Majoribus debet intelligi: & nisi dicat Pontifex, dispenso ad omnes Ordines; quia tunc tam de minoribus, quam de Majoribus intelligendum est. Similiter si cum illegitimo, vel alio modo irregulari dispensetur ad beneficia, privilegium, aut dispensatio intelligi debet de simplicibus, non vero de dignitatibus, & curatis; nisi dicat Pontifex: dispenso cum irregulari, in irregularitate, quam habet; quia tunc omne vinculum tollere censetur, proindeque habilem reddere ad omnes Ordines, & ad omnia beneficia, Salas *disp. 17. sect. 8. à num. 49.* Sanchez *disp. citat. à num. 26.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 26. à num. 16.* Bonacina, & Palaus *loco citato.*

Privilegium contra jus particulare stricte est interpretandum.

80. Quæ diximus numero præcedenti intelligenda etiam sunt, de privilegiis derogantibus statutis, aut cõsuetudinibus particularibus, maxime Religionum, quæ stricte sunt interpretanda; ut quantum minus potuerit jus illud lædatur: quia in hac parte jus illud particulare æquivalet Juri Communi, nisi tale jus particulare sit contra Jus Commune, ut supra-

pra dicebamus: quia tunc ample est interpretandum privilegium, eo quod in eo casu, privilegij lata interpretatio est Juri Communi favorabilis, Lezana *verb. privilegium, num. 8.* Suarez *cap. 27. n. 16.* Palaus *punct. 10. num. 4.* Pellizzar. *num. 146.* Tambur. *disp. 16. quæst. 5. nu. 10.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 7. § 1. num. 8.* & nisi privilegium sit insertum in corpore juris; quia tunc late est interpretandum; licet alias esset contra Jus Commune aut particulare: quia jam illud est Jus Commune, & favorabile, ut *num. 78.* dicebamus. § Sed quamvis privilegium contra jus stricte sit interpretandum; potestas tamen concedendi privilegium, vel dispensationem, absolutionem, &c. late est interpretanda, ut diximus *tractat. 11. de leg. cap. 5. num. 10.* & *53.* Quia hæc semper est favorabilis, & nulli juri opponitur, & est utilis ad commune bonum, si moderate, & prudenter, habens illam, ea utatur. Palaus *punct. 11. num. 2.* Suarez *num. 11.* Bonacina *n. 17.* Bassæus *§. 2. num. 12.* Nugnius *de Indulg. quæst. 27. art. 4. diff. 3.* Hinc est, quod privilegia, & facultates Bullæ Cruciatæ latè sunt explicanda, cum sint favorabilia, & utilia ad bonum commune, ordinata ad subveniendum necessitati publicæ Ecclesiæ; nec debent dici universaliter privilegia contra jus, & idem sentiendũ est, de facultate concessa confessario, ad absolvendum à reservatis.

81. Ab illa regula generali, quod privilegia contra jus stricte debent interpretari, excipitur. Primo quando privilegium redderetur inutile; tunc enim quantumvis grave, & odiosum, non est restringendum, ita ut frustraneum reddatur (dummodo absque injustitia possit executioni mandari; si enim injustitiam contineret, non esset privilegium, sicut lex injusta, non est lex, & sic sub illa tacita conditione semper intelligitur: *salva justitia, & æquitate.*) Ratio est: quia voluntas Principis nunquam debet frustrari, aut reddi inefficax, etiamsi privilegium extendi debeat ad aliquod exorbitans & odiosum, & quidem etiam ultra rigorosam verborum proprietatem. Palaus *punct. 2. n. 4* Bassæus *num. 10.* Lezana *nu. 8.* Suarez *cap. 28. n. 2.* Tambur. *n. 9.* Salas *disp. 17. sect. 8. num. 46. & 52.* Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 6.* § Et hinc fit, quod privilegium aut dispensatio, quantumvis odiosa extendi debeat ad ea, quæ sunt illi necessario connexa, & sine quibus non potest habere effectum: nam qui concedit facultatem alicujus rei, censetur etiam concedere omnia requisita ad usum talis facultatis, ut dispensatus ut missam dicat tempore interdicti; est dispensatus ut secum socium afferat; dispensatus ad plura beneficia, similiter est dispensatus in residentia utriusque; dispensatus in minoritate, ut beneficium Parochiale habeat, est in obligatione dispensatus assumendi intra annum sacerdotium; Parochus dispensatus ne intra annum ordinetur, etiam dispensatus censetur, ne ejus beneficium vacare debeat; quia non vacatur nisi ob culpam, quæ nulla est, stante dispensatione. Suarez *lib. 6. c. 11. num. 10.* Bonacina *disp. quæst. 3. punct. 7. §. 1. n. 5.*

Nunquam debet reddi privilegium inefficax & frustaneum.

Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 1. *n.* 19. 24 & 27. Layman. *num.* 6. Palaus *tract.* 3. *disput.* 4. *punct.* 9. *num.* 4. Addunt hi duo ultimi hoc exemplum. Si cum illegitimo, vel alias irregulari dispensetur ad omnes Ordines, hoc ipso censetur dispensatus, ad obtinendum aliquod simplex beneficium; quia sine hujusmodi titulo nequit promoveri in Sacris; nec obstat habere patrimonium, seu pensionem, quia pensio, aut patrimonium per se non sufficiunt ad Ordines Sacros recipiendos, nisi adsit necessitas, vel utilitas Ecclesiæ.

Alij casus, in quibus privilegium contra jus commune est extendendum.

82. Excipitur secundo, privilegium ex motu proprio, & certa scientia: nam licet sit contra Jus Commune, latè est interpretandum, *cap. si motu proprio. de prabendis in* 6. Et ratio est: quia hæc extensio pertinet ad favorem, & honorem ipsius Principis concedentis: nam quod motu proprio, & certa scientia concedit, ejus particulare beneficium censetur; & sic illius extensio cedit in favorem, & honorem Principis concedentis. Lezana *tom.* 4. *verb. privileg. num.* 9. Portel. *verb. privilegij extens.* 45. Pelliz. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 144. Palaus *punct.* 10. *num.* 7. Salas *disput.* 20 *sect.* 10. *num.* 89. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disput.* 1. *num.* 5. & 6. § Extenditur etiam privilegium contra Jus commune, quando non magis derogatur Juri Communi; ut quando ad contenta in eo fit extensio, ut qui habet ad comedendas carnes in quadragesima, etiam ad ova, & lacticinia. Suarez, Layman. Pellizzar. § Similiter quando consuetudo aliter interpretatur, cui standum est? quia sicut consuetudo est optima legum interpres; sic privilegiorum: quare si illa interpretata est privilegium, ut extendatur ad talem, vel talem casum; standum est illi, etiamsi sit contra jus commune. Miranda *tom.* 2. *q.* 44. *art.* 4. Bassæus *verb. privileg.* 6. *num.* 6. Pellizzar. *num.* 154. Tambur. *num.* 72. § Ac tandem extendendum est privilegium, quando licet ex una parte deroget Juri Communi, ex alia censetur necessarium communi bono Reipublicæ: quia tunc potest hæc ratio illi præponderare, & privilegium ampliari contra Jus Commune, & sic solent ampliari privilegia militum, Religiosorum, pupillorum, &c. Quia cum hæc privilegia habeant mixtionem odii, & favoris respectu diversorum; necesse est, ut in effectu favoris, vel odii, illud vincat, quod secundum rectam prudentiam, majoris ponderis fuerit: & quia prudenter conjectamur hanc fuisse mentem Principis concedentis: in qua conjectura, tota hæc interpretatio privilegiorum nititur. Suarez *lib.* 8. *de legibus, c.* 27. *num.* 7. Lezana *tom.* 4. *verb. privilegium, n.* 9.

Privilegium cum damno tertij, strictissimè interpretandum est.

83. Sequitur tertio, privilegia, quæ in præjudicium alterius cedunt, strictè esse interpretanda, servata verborum proprietate, etiamsi motu proprio tale privilegium sit expeditum, nisi ex gravitate causæ, aut qualitate materiæ, aliud præsumatur de intentione concedentis: quia non est præsumendum, velle Principem alicui damnum inferre, jurique alterius derogare, nisi id exprimat. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disput.* 7. *num.* 6. Palaus *tract.* 3. *disput.* 4. *punct.* 10. *num.* 8. Suarez

rez de Religion cap. 27. num. 9. Lezana verb. privileg. num. 8. Bassæus verb. privileg. 2. num. 13. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 6. Tamburin. tom. 1. disput. 18. quæst. 1. num. 72. & disp. 16. q. 5. num. 6. Salas disput. 17. sect. 8. num. 47. Pellizzar. tract. 8. cap. 1. num. 147. § Et illa quæ inferunt damnum tertio, privando illum jure quæsito, si damnum sit grave, adeo strictè interpretanda sunt, ut etiam cum improprietate restringi debeant. Nam licet posset Princeps ex justa causa, jus quæsitum auferre ab alio, si tamen non exprimat, non censetur illud velle auferre: quare non comprehendere damnum tertij grave, tametsi in illis generaliter loquatur, censendum est; quin potius præsumitur illud ignorare: ac per consequens nec ipsum velle, quod aliqui intelligunt, etiamsi alias privilegium redderetur inutile, eo, quod ob præsumptam subreptionem privilegiati, potius annullandum, quam admittendum sit. Portel. verb. privileg. num. 47. Pelliz num. 150. Quod alij merito non admittunt, dicentes, nunquam restringendum esse privilegium, itaut nihil operetur; sed interpretandum esse, ut potius valeat, quam pereat: nam justa Principis voluntas nunquam frustrari, aut inefficax reddi debet, cap. in alijs de privilegiis.

Alia privilegia, quæ sunt strictè interpretanda.

84. Ex his sequitur privilegium *ad lites* concessum, esse strictè interpretandum, eo quod præbeat occasionem litigandi, & vexandi alios, ac frequenter minuat inferiorum judicum potestatem, ut tenent communiter Doctores. Idemque est de privilegio, quod dicitur *ambitiosum*, quale reputatur, quod acquiritur ad plura beneficia obtinenda: semper enim derogat juri communi, vel alterius tertij, & sic est strictè interpretandum. Idem est de privilegio concesso ad beneficia vacantia conferenda: quod non est intelligendum de beneficiis providendis ab Ordinario, nisi in eo hoc explicetur. Sanchez, & Palaus *loc. cit.* Ac denique idem dicimus de illis, quæ præbent occasionem peccandi, seu scandali; quale esset, si alicui Religioso aliquid concederetur, contra Regularem observantiam, vel quietem Religionis; quod restringi debet, quantum fieri potest: non enim præsumendum est Principem, & multo minus Papam, velle alicui concedere gratiam contrariam observantiæ, aut quieti Religionis. Bonacin. disp. 1. q. 3. punct. 7. §. 1. num. 13. Layman. libro primo, tract. 4 cap. 23. num. 6. Lezana tom. 4. verb privileg. num. 8.

Privilegia Regularium latissimè interpretanda sunt.

85. Inquires denique, an privilegia Religionum, quæ toti Ordini in communi, vel alicui Provinciæ, Conventui, &c. concessa sunt, quæ per communicationem omnibus conveniunt, sint strictè, vel latè interpretanda? § Respondetur omnia illa esse plenissimè interpretanda, etiamsi sint contra Jus Commune, vel contra jus tertij: puta contra jus Parochiale, vel Episcopale; eo quod omnia sunt favorabilia, ut diximus num. 27. & 28. Probatur deinde assertio primo: quia Papa nulli facit injuriam in tali concessione: non sibi; quia

concedendo tale privilegium, liberè cedit juri suo, & consequenter sibi non præjudicat, nec odiosum est. Nec Episcopos, aut Parochos lædere dicitur in aliquo eorum jure; quia Papa nullius lædit justitiam, cum utatur jure suo, quod habet supra omne jus, & præsit omnibus, & ab eo omnis dimanet, vel dependeat potestas spiritualis in his, quibus potest illam ampliare, vel restringere; quia dependenter ab illo recipiunt, & possident. § Secundo, Quia plures, & diversi Pontifices concesserunt superioribus Regularium, ut omnia ipsorum privilegia interpretentur in favorem ipsorum Religiosorum, & sic lato modo semper, & quod ubi dubitatio in privilegio oritur, ex ambiguitate verborum, vel juristarum interpretatione, in eorum favorem, & beneficium resolvatur, ut *suprà n. 74.* dicebamus. § Tertio: Quia principalis intentio Papæ in his privilegiis, est afficere Religiosos favore, & beneficio; ex quo si per accidens sequatur vulneratio juris, non attenditur: nam principale in unaquaque re, non accessorium spectandum est, *l. rogasti, ff. si certum petatur, Rota Romana volum. 1. decis. 714. n. 12.*

Idem alia ratione ex D. Thom. desumpta, probatur.

86. Denique hoc ipsum probatur: quia privilegia quæ videbantur contra jus Parochiale, vel Episcopale, verè non sunt contra illud, sed magis illi favent, quod præclarissimis verbis D. Thomæ libuit explicare. Ait enim *in 4. distin. 17. quæst. 3. art. 3. quæstiuncul. 5. ad 1.* sic: *Præjudicium non fit alicui, nisi subtrahatur quod est in favorem ipsius indultum: jurisdictionis autem potestas non est commissa homini in favorem suum; sed in utilitatem plebis, & honorem Dei: & ideo si superioribus Prælatis videatur ad salutem plebis, & ad honorem Dei promovendum, quod aliis quæ sunt jurisdictionis committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis; nisi illis, qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, & qui gregi præsunt ovium non ut eas pascant, sed ut ab eis pascantur.* Et *in opusculo 19. contra impugnantes Religiones, cap. 4. propè finem,* sic dicit: *Dicendum quod præjudicium dicitur fieri alicui, quando subtrahitur ei aliquid, quod in favorem ejus est indultum, vel quod in utilitatem ejus ordinatur; sed subjectio alicujus subditi ad Rectorem Ecclesiæ non est ordinata principaliter ad utilitatem præsidentium; sed ad utilitatem subditorum: & ideo nullum præjudicium fit Rectori Ecclesiæ, quando subditus ejus, à sua potestate eximitur, sicut Papa eximit Abbatem à potestate Episcopi, sine ejus præjudicio. Si autem ipsemet operetur in subditis, quæ pertinent ad salutem, vel alijs hoc ipsum committat, non solum non facit præjudicium, sed præstat ei maximum beneficium; quod maximè acceptatur à cunctis Rectoribus, qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Unde super illud Num. 12. Quid æmularis pro me? dicit Glossa Gregor. Pia mens Pastoris, quia non propriam gloriam, sed authoris quærit, ab omnibus vult juvari in eo quod facit: fidelis enim prædicator optat si fieri valeat, ut veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent.* Resolutionem duobus numeris probatam tenent Bonac. *disp. 1. q. 3. punct. 7 § 1. n. 5.* Palaus *tract. 3. disp. 4. punct. 10. n. 6.*

10. n. 6. Azor. 1. part. lib. 5. c. 23. q. 2. Tambur. tom. 1. disput. 16. q. 5. n. 11. Petrus ab Angelis in specul. disp. 1. sect. 2. num. 5. Henriq. lib. 7. c. 22. n. 3. Sylvester verb. privileg. q. 3. Suarez lib. 8. c. 27. n. 7. Lezana verb. privileg. n. 9. & 10. Coninch. p. 2. disp. 33. dub. 2. num. 16. Layman. lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 6. Bordon. tom. 2. resol. 32. num. 26. & resol. 52. num. 18. Moronius consil. 99. à n. 119. & alij.

## PUNCTUM VII.

*De communicatione generali privilegiorum, quæ in omnibus ferè ordinibus reperitur.*

In quo consistat communicatio privilegiorum, explicatur.

87. EFFICIENTIA communicationis privilegiorum in eo consistit, quod jus uni concessum per aliquod privilegium, alteri etiam concedatur, per novam communicationem, qua illud ipsum ist conceditur, vel certè per quandam extensionem talis privilegij: & sic idem ferè est ac privilegium *ad instar*, de quo *num. 39.* loquuti sumus; seu ad imitationem prioris proportione servata. Et talis proportio in eo consistit, ut concessum uni Religioni, ad aliam Religionem extendatur; concessum uni Provinciæ, ad aliam; concessum Generalibus, aut Provincialibus unius Ordinis, Provincialibus aut Generalibus aliorum deserviat; concessum Capitulis, pro Capitulis; & concessum singularibus Religiosis, non ut singulares sunt, sed ut partes communitatis, pro aliis singularibus alterius Religionis, vim habeat, ut concessum Prædicatoribus, & Confessoribus, Procuratoribus, &c. & concessum pro festivitatibus unius Ordinis, pro alterius Ordinis festivitatibus respectivè concessum dicatur; ut concessum Domicanis pro die Patroni, vel alterius Sancti illius Ordinis, conveniat aliis Ordinibus pro die Patronorum, & sanctorum talium Religionum. Unde verba indulti attentè consideranda sunt; tum ex parte Ejus cujus privilegium communicatur, an perpetuum sit, an totale, an conditionatum? Tum ex parte Ejus cui communicatur, an extendatur ad concessa dumtaxat, an etiam ad concedenda. Tum etiam ex parte modi, quo communicatur, an cum aliqua circunstantia, limitatione, vel modo, quæ omnia sunt consideranda. Sed ut clarius procedamus in hac materia, eam in diversis §§. decidemus.

### §. I.

*Qualiter omnes Religiones Mendicantes, & non Mendicantes sibimetipsis in privilegiis communicent?*

Æquissimum & rationi conforme est, quod Regulares in privilegiis communicent.

88. CUm Regulares, licet Ordinum diversorum, sint personæ Deo per vota essentialia consecratæ; æquissimum fuit, ut unum in Deo, & professione existentes, unirentur etiam in eisdem privilegiis, & gratiis, ut sic uniti arctiori vinculo Sedi Apostolicæ, & inter se ad nomē Dei propagandum, & animarū salutem

tem procurandam copularentur. Et ideo dixit Sixtus IV. In mari magno Augustinianorum : *Conveniebat, ut quos par labor, & paria merita conjungunt, paria conjungerent privilegia, & favores.* Quæ unio per privilegiorum suorum inter se communicationem procurata justa, rationabilis, & sancta habenda est proculdubio: Quam confirmat usus communicationis privilegiorum temporalium, quæ passim in Republicis reperitur; quandoquidem Reges peculiaria privilegia & exemptiones unius civitatis solent alteri communicare, ut sic animi ad sibi obsequia, & obedientiam præstandam conjungantur.

Omnes Religiones Mendicantes inter se in privilegiis communicant.

89. Omnes igitur Religiones Mendicantes ita in privilegiis ad amussim strictè communicant, tam concessis quam concedendis, ac si unicuique specialiter, & nominatim, singula, & omnia aliarum Religionum, essent Communicanti concessa; taliter, quod id quod potest Generalis unius Ordinis, idipsum possint Generales aliorum: & proportione servata dicendum est idem de Provincialibus, Prioribus, Vicariis, Prædicatoribus, Confessoribus, & alijs. Similiter privilegia concessa Ecclesiis, domibus, & Religiosis unius Ordinis, ut sunt partes illius, participant aliæ domus, Ecclesiæ, & Religiosi ejusdem, vel alterius Ordinis: & concessa pro festivitatibus unius Ordinis, respectivè intelligantur festivitatibus alterius convenire; sive sint indulgentiæ, sive aliquid simile. Assertio est certissima, & communissima inter Doctores, & constat ex Bulla Julij II. die 1. Junij anno 1509. concessa Minoribus, & Prædicatoribus, quam referunt Passarel. *in privileg. Ordin. Minor. fol. 99.* & Rodriguez *quæst. Regul. tom. 1. quæst. 55. art. 2.* Aliam amplissimam Leonis X. refert Pater Donatus, *tom. 1. tract. 2. quæst 4.* & habetur in Bullario Dominicanor. *fol. 185.* Et respectu omnium Mendicantium inter se. Idem concessit idem Leo X. Constitutione *Dudum per nos.* Apud Confectium *fol. 160.* ut videre est apud Cherubinum *in Bullario tom. 3. fol. 524.* & est ordine 32. in Constitutionibus hujus Pontificis. (Atque ut alia prætermittamus, quæ quælibet ex Mendicantibus habet, quæ ex eorum compendiis constant, adjiciam concessionem Clementis VIII. specialiter pro nobis Carmelitis Excalceatis expeditam 5. Junii 1595. & habetur *in nostro Bullario fol. 184.* ubi inter alia verba sic dicit: *Necnon prædicta, & omnia videlicet privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, indulgentias, & gratias, & alia quæcumque dicti, & aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, Fratribus, Personis, & bonis; etiam Confraternitatibus, & aliis piis locis, vel alias quomodolibet prafatis Ordinibus, & Domibus, & eorum bonis concessa, & concedenda prædictis Fratribus Discalceatis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, Domibus & eorum bonis eadem omnino, similique modo competere, verè, & propriè, ac si ipsis specialiter concessa essent, præsentibus, pro expressis, ac si de verbo ad verbum inserrentur, haberi volentes; decernimus, & statuimus, & si opus est eadem nunc concedimus, & impartimur.* Quæ om-

omnia, prius Nobis conceſſerat Clemens VII. in Bulla, quæ incipit : *Ex Clement.* anno 1530. & pro toto ordine Sixtus IV. *Bulla* 37. *&* 38. in re adeo certa ſuperfluum erit Authores recenſere.

Mendicantes cum non Mendicantibus ad invicem communicant privilegia.

90. Aſſerendum eſt ſecundò, Religiones Mendicantes, non ſolùm communicare in privilegiis conceſſis, & concedendis, cum Aliis Religionibus Mendicantibus; ſed etiam cum aliis omnibus Religionibus, tam Monachalibus, quàm non Monachalibus; ita ut omnia, & ſingula privilegia, indulta, gratiæ, exemptiones, indulgentiæ non Mendicantiũ, Monachorum, Congregationum, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum, illis conveniant, non ſecus, ac ſi cuilibet Ordini Mendicanti omnia in ſpecie, & nominatim conceſſa forent: & idem eſt de confirmationibus, innovationibus, &c. ut dicemus *cap.* 3. Hæc aſſertio eſt communiſſima, ut ſupervacaneum ſit Authores, & privilegia id concedentia adducere. Videatur Rodriguez *quæſt. Regular. tom.* 1. *quæſt.* 55. *art.* 8. Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 46. *art.* 5. Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 17. *quæſt.* 1. *num.* 12. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 41. Bruno Caſſaing. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 3 *propoſit.* 2 Petrus ab Angelis *diſput.* 2. *ſect.* 1. *n.* 5. § Idem dicendum eſt de Donatis, & Converſis, qui veri ſunt Religioſi juxta dicta *tract.* 15. *c.* 1. *nu.* 33. Quod omnia, & ſingula privilegia participant ſicut alii Religioſi. An Religioſi, Epiſcopi facti Suæ Religionis privilegiis potiantur? diximus *ibi cap.* 5. *num.* 43. An Novitii? *cap.* 5. *num.* 34. An Religioſi expulſi? *ibi* ex eodem *capite* 5. § Et è converſo omnes aliæ Religiones non Mendicantes, ſive Monachales, ſive non Monachales, omnia privilegia Mendicantium eodem modo participant, & per conſequens non Mendicantium, & piorum locorum, ac ſi eſſent Mendicantes, ut conſtat ex eorum privilegiis, quæ recenſet Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſp.* 2. *ſect.* 1. *à num.* 9. *uſque ad* 39. Bruno *tract.* 1. *cap.* 3. *propoſ.* 2. Rodriguez *tom.* 3. *q.* 10. *art.* 1. Tambur. *num.* 22. Lezana *tomo* 1. *cap.* 3. *num.* 17. Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 46. *art.* 5. Pellizz. *num.* 41. Ubi bene advertunt unamquamque Religionem debere attendere clauſulas ſuæ Bullæ communicationis, ut juxta reſtrictionem, vel ampliationem illius operetur.

Moniales omnia privilegia Religioſorum communicant tam ſui Ordinis quàm aliorum.

91. Aſſerendum eſt tertiò: quòd Moniales tam Ordinum Mendicantium, quàm non Mendicantium, in his in quibus ſunt capaces, gaudent, & participant omnia privilegia conceſſa, & concedenda Fratribus ſui Ordinis, & per conſequens, quibuslibet aliis, ac ſi ipſis fuiſſent in ſpecie conceſſa. Sicut è contra, ipſi Fratres communicant omnia privilegia, Monialibus Sui Ordinis conceſſa; & per conſequens quibuslibet aliis, eodem modo: & hoc licet in privilegio Fratribus conceſſo dicatur ipſum impertiri; *Virũ aut Maſculis Religioſis*, ut notavit Pellizzarius *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 72. Quia in Bulla Leonis X. quam adducit Caſarrubias verbo, *Communicatio Privilegiorum, num.* 18. abſolutè conceditur Monialibus

Fratrum Minorum, ut possint uti omnibus,& singulis privilegiis,& indultis spiritualibus, & temporalibus per Sedem Apostolicam ipsis Fratribus quomodolibet concessis, & concedendis, perinde ac si ea ipsis Monialibus essent concessa. Quare licèt ex vi privilegii concessi sub expressione, *ipsis Viris Fratribus, aut Masculis Religiosis*, Moniales non possent uti illius indultis, & favoribus: quia jam ex tenore verborum, ad Masculos Religiosos præcisè applicatur. Ex vi tamen aliorum privilegiorum, quibus ipsis conceditur generalis communicatio, in omnibus gratiis,& favoribus, quibusvis Ordinibus, & Congregationibus factis,illo frui poterunt:sicuti è contra ob eandem rationem, licet privilegium concedatur Monialibus sub nomine Mulierum, vel Fœminarum Religiosarum,hoc extenditur ad Religiosos, nisi materia oppositum exigat;non ex vi illius privilegii; sed ex vi privilegiorum communicationis, quâ omnia privilegia,& indulta cuicumque Congregationi, Ecclesiæ, vel Collegio concessa, ipsis communicantur. § Notat tamen Bordonius *tom.1. resolut. 52. quæst.24.* Quòd Moniales solùm in favorabilibus gaudent privilegiis Religiosorum, non autem in odiosis: sicut Religiosi solùm in favorabilibus participant privilegia Monialium, non verò in pœnalibus, & odiosis, quod commune est quibusvis, cum aliis communicantibus, ut *numero* 107. dicemus.

Monia- 92. Limitant aliqui præcedentem conclusionem,ut intelligatur de Monialibus,Fratribus subjectis; non verò de Monialibus subditis, vel immediatè Pontifici, vel Episcopis. Sed talis limitatio minimè admittenda est, sed asserendum Moniales prædictis privilegiis gaudere, sive subjectæ sint Religioni,sive non; Quamvis ut bene dverrit Pellizzar. *num* .74. Quando Religiosis conceditur aliquod privilegium, per Prælatos Regulares expediendum, vel dispensandi,vel absolvendi, tunc loquendo de Monialibus immediatè subjectis Episcopis, ab Episcopis possunt dispensari,vel absolvi;quia Episcopus in eis succedit loco Prælatorum Regularium. Probatur omnes Moniales, etiam non subjectas Prælatis Ordinis,omnibus dicti Ordinis, & aliorum privilegiis, per communicationem gaudere; quia sic concessit Clemens VII.pro Monialibus S.Augustini. Bonifacius VIII. Nicolaus V.& Sixtus IV.pro Carmelitis. Sixtus IV. Sixtus V. Leo X. Gregorius XIII. Dominicanis,& Franciscanis. Et ratio,quæ movet Pontifices ad concedendam talem communicationem privilegiorum,est quia eamdem Regulam observant, eamdem vitam Religiosam ducunt, eodem utuntur habitu, & sic quia sub eodem motivo vivendi, Deo famulantur, æquè currit in Monialibus Ordini subjectis,ac non subjectis ratio Communicationis: atque ita tenent Bordon. *tom.1.resolut.52.quæst.24.* Pellizzar. *tom.2.tract.8.cap.1. num.72.& 73.* Antonius à Spiritu sancto *tom.1.tractat.1.disput.1.num.109.* Petrus ab

An-

les etiam non subjectæ Religiosis,omnibus Religiosorum privilegiis fruuntur.

Angelis *in specul. privileg. disput. 2. sect. 1. à num. 6.* Lezana *tom. 5. in mari magno Carmelitarum, num. 385.* Bruno *tract. 1. cap. 3. propos. 3.* Suarez *de legibus, lib. 8. cap. 10. num. 7.* Bassæus *in floribus verb. privileg. cap. 5. num. 7.* Quintanadveñas *singular. quæst. tom. 1. tractat. 8. singular. 16. & 17. & tom. 2. tract. 2. singular. 14. num. 5.* Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 12. num. 1.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 2. n. 2.* Tambur. *tom. 2. disput. 17. quæst. 1.* & alii.

quædam objectio contra dicta proponitur, & præcedens doctrina roboratur.

93. Nec refert si cum aliquibus oppositum sentientibus objicias: quòd in aliquibus ex Bullis recensitis, similis clausula reperitur. *Moniales sub obedientia Ordinis Vestri,* & similia: ergo non loquuntur de Monialibus Pontifici, vel Episcopis subjectis. Sed hoc non obstat. Tum, quia prædictæ clausulæ, solùm demonstrant proprium institutum Ordinis, seu Religionis sub qua profitentur, & vivunt, illisque gaudere privilegiis, quandiu vivunt sub tali Instituto, & Ordine, nec ab Eo recedunt. Hæc namque privilegia eis conceduntur propter Eorum merita, circa Observantiam talis Ordinis, non ob subjectionem Præla i: exhibitam. Sicuti è contra Religiosi, Illarum gaudent privilegiis; tametsi non subjiciantur Illis. Tum etiam: quia plura dantur pro Eis privilegia, absque dictis clausulis; sed absolutè Eis concedentia communicationem: ut est illud Julii III. pro Monialibus Dominicanis in Bulla communicationis privilegiorum Ordinum omnium, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, quam refert Pater Donatus *tom. 2. tract. 7. quæst. 5.* Quòd alii Pontifices, pro aliis Ordinibus præstitere, ut in Eorum Bullis reperitur: audi Paulum V. in Bulla incipiente; *Quæ Regulares personas.* die 10. Octobris expedita anno 1606. ubi inter alia verba sic dicit: *Motu proprio, & de Apostolica potestatis plenitudine, ac certa scientia, harum serie declaramus tam in dicti Clementis, quàm in aliis hujus Congregationis privilegiis comprehendi, & comprehensas Abbatissas, Priorissas, & alias quascumque Moniales, quæ gerunt, & in futurum gerent habitum dictæ Congregationis.* Ubi solum attendit Pontifex ad portationem Habitus, & professionem Instituti, ad concedenda dicta privilegia; non ad subjectionem istius, vel illius Prælati. Et ut omnis in hac parte tollatur scrupulus, audi Paulum V. in Bulla revocatoria omnium indulgentiarum pro Regularibus concessarum anno 1606. ubi loquendo de aliis, quæ de novo concedit, loco revocatarum, sic concludit: *Volumus autem, ut suprædictæ omnes indulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularibus, cujusvis Ordinis, tam Monastici, quàm Mendicantis, dumtaxat ut præfertur concessæ, etiam omnibus Monialibus cujusvis Regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus, & perpetuam clausuram conservantibus. tam Ordinariis locorum, quàm etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Regulæ, & Instituti subjectis.*

Tertiariæ, & Beatæ exceptis

94. Quod dictum est de Monialibus, asserendum est de aliis fœminis, (idem dicendum est de viris proportione servata) subditis gubernatio-

aliquibus gaudent omnibus privilegiis, quorum sunt capaces.

tioni Mendicantium, quæ Mantellatæ, Beatæ, vel Tertiariæ dicuntur, sive vivant in Congregatione (de quibus nemo dubitat) sive in particulari, habitum portantes Religionis, & votum castitatis, saltem conjugalis, emittentes; quæ gaudent omnibus privilegiis, & gratiis, quibus Mendicantes, in quantum capacitas earum permittit; & hoc ex multis privilegiis tam Minoribus, quàm aliis Ordinibus Mendicantium concessis, ut videre est apud Tambur. *tomo 2. disp. 17. quæst. 1. propè finem*, Bassæus *verbo privileg. §. num. 7.* Rodriguez *tomo 1. quæst. 55. art. 13. 14 & 15. & tom. 3. quæst. 73. art. 1.* Casarrubias *verbo Tertiarii, Fratres, & Sorores, num. 19. & verbo mulieres, num. 7.* Sorbo *in compend. verbo Tertiarii, num. 25.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 1. num. 70.* Miranda *tom. 1. quæst. 36. art. 4.* exceptis his, quæ à Concilio Lateranensi, ipsis fuerunt specialiter sublata, de quibus Casarrubias *loco citato.* § Cæterum Sæculares Confratres Cordæ, Corrigæ, Scapularis, &c. gaudent eisdem privilegiis quoad indulgentias, & remissionem peccatorum tantum, non autem in aliis, quæ possunt perturbare jurisdictionem Ordinarii, conformiter ad decreta Trident. *sess. 24. cap. 11. de reformatione.* Nec in aliis, ut recitatione officii divini in loco, & tempore, Missam celebrandi, & aliis hujusmodi. Rodriguez *tom. 1. quæst. 55. art. 16.* Bruno Cassaing. *tom. 1. tract. 1. cap. 3. propos. 3.*

Privilegiorum communicatio extenditur ad ordines non tantùm fundatos, sed etiam fundandos.

95. Generali dicta communicatione privilegiorum, non solùm gaudent Religiones jam fundatæ, ita ut gaudeant omnibus indultis concessis, & concedendis pro aliis Religionibus jam fundatis; sed extenditur ad participanda omnia privilegia concessa, vel concedenda Religionibus postea fundatis, vel fundãdis: quamvis hoc non exprimatur in generali illa communicatione: quia illa dispensatio circa privilegia concessa, & concedenda, est favor, & beneficium Principis, absque ulla restrictione concessum; quod latè est interpretandum. Unde sicut extenditur ad privilegia nondum concessa, sed futuri temporis concedenda Ordinibus jam institutis; sic extenditur ad concedenda pro qualibet Religione postea fundanda, vel instituenda. Bassæus *in floribus verb. privileg. c. 5. n. 14.* Petrus ab Angelis *disput. 2. sect. 2. num. 8.* Bruno *tract. 1. cap. 3. propos. 6.* Lezana *tom. 1. c. 3. n. 7.* Joannes à Cruce *lib. 2. cap. 4. de communicatione privileg. conclus. 3.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 55. art. 7.*

Virtus magna hujus communicationis.

96. Ex hac generali communicatione provenit, quòd privilegia per communicationem ita fiunt propria Religionis communicantis, ac si ipsi primo, & immediatè inspectæ essent concessa. Quia ex vi privilegii dantis communicationem, illa omnia communicanti in particulari de novo conferuntur, ut dicunt communiter Doctores: taliter quòd si privilegium pereat primæ Religioni recipienti; non ideo perit respectu ejus, cui cõmunicatur, si tempore communicationis erat validum: ut de privilegio *ad instar*, quòd ab hoc in nihilo differt, suprà dicebamus: quia privilegium

gium primæ Religioni concessum, factum fuit per communicationem, proprium communicantis, omnino independenter à priori Religione; ita ut quamvis à privilegio illius in impetrari, & fieri dependeret, non tamen in conservari: & sic contingere potest, ut in illa Religione, cui primò concessum est, pereat; & in alia, cui per communicationem convenit, vigorem habeat. Sanch. ez *consil. lib. 6. cap. 9. dub. 9. num. 2.* Suarez *de legibus, lib. 8. cap. 16. num.* 17. Lezana *tom. 4. verb. privil. num. 24.* Petrus ab Angelis *num. 30. & 39.* Acrioze *cap. 4. citat. conclus. 3.* Bordon. *tom. 2. q. 39 n. 26.* Pelliz. *tract. 8. cap. 1. num. 40. & 54.* Bruno *propos. 8.* Rodriguez *artic. 19.* Tambur. *tom. 2. disp. 1. quæst. 5. numer. 3.* Miranda *tom. 2. quæst. 46. art. 8. conclus. 2.* Fagundez *in Ecclesiæ præcept. lib. 3. c. 3. n. 12.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 1. disp. 1. num. 34.*

Ita fit propriũ communicantis privilegium, ut nomen suum in eo ponere liceat.

97. Ex quo sequitur primò, ita fieri per communicationem propria privilegia ipsi communicanti; ut possit Religio communicans apponere nomen suum juxta ipsum privilegiũ, vel transumptum, loco illius Religionis, cui concessum fuit: absque eo, quòd in hoc reperiatur vitium falsitatis. Tum, quia ille dicitur falsarius, qui mutat veritatem cum dolo, *l. quid sit falsarius. ff. de falsariis.* Sed in nostro casu, non immutatur veritas: quia verissimum est illud privilegium esse suum; cum privilegia per communicationem, taliter fiant propria communicantis; ac si ipsi Religioni in particulari essent concessa: ergo, &c. Tum etiam, quia ad hoc datur expressum privilegium à Julio II. Minimis concessum, Constitutione incipiente: *Dudum ad sacros Ordines* 5. Kalend. Augusti; anno 1506. & refertur à Confectio *pag.* 118. & Peyrinis *tom. 1. privileg. ad dictam Bullam Julii II. §. 35.* quæ habetur apud Cherubinum *tom. 2 Bullarii, Bulla* 10. *hujus Pontificis.* Idem concessit Clemens VI. die 21. Junii anno 1524. & refertur à N. Petro ab Angelis *in spec. disp. 2. sect. 2. num.* 30. Quæ omnia confirmavit, & innovavit Gregorius XV. septim. Idus Februarii anno 1621. Sic Bordon. *tom. 2. resolut. 52. num. 96.* Bruno *tract. 1. cap. 3. propos. 1.* Petrus ab Angelis *loc. cit.*

Etiamsi pereat Ordo, cui datum fuit privilegium; aliæ per communicationem illud participant.

98. Sequitur secundò: quòd si aliquis Ordo per Pontificis sententiam, aliquod, vel aliqua privilegia, sibi immediatè concessa amiserit, vel limitationem acceperit, vel etiamsi tota illa Religio destruatur; possunt communicantes, eodem modo ac antea utebantur, absque ulla limitatione, eis uti. Similiter si privilegium restringatur, vel revocetur, in Religione, cui per communicationem convenit, id non nocebit primæ Religioni, cui primo concessum est. Sic Authores citati *num. 96.* At verò aucto, vel extenso privilegio pro prima religione, cui concessum est, vel quoad alia in particulari, non censetur auctum, vel extensum quoad omnes secundùm aliquos Authores, nisi earum communicatio extendatur etiam ad privilegia concedenda: quia talis augmentatio, vel extensio est privilegium novum. Unde si in privilegio communicationis, non ex-

exprimat Pontifex, ut extendatur ad concessa, & concedenda, non extenditur ad privilegia, vel extensiones eorum, quæ postea concedentur. Ita Bassæus *verb. privileg. num.* 11. Suarez *cap.* 16. *num.* 8. Hieronym. Rodriguez *resolut.* 116. *num.* 55. Palaus *tract.* 3. *disp.* 4. *punct* 2. § 9. *num.* 1. *in fine.* Cæterum si res attentè consideretur, etiamsi Religio solum haberet privilegium communicandi in concessis; extenderetur ad concedenda, & per consequens ad extensionem jam concessorum: nam Religio communicans in concessis privilegiis, omnia participat, quæ sunt aliis jam concessa. Sed plures sunt Religiones habentes privilegium communicationis, in concessis, & concedendis; ut cõcessit Leo X. Dominicanis, & Minoribus. Clemens VII. Carmelitis. Gregorius XIII. Cistercien-sibus. Paulus V. Societati, & Alij Aliis, ut in earum Bullariis cernere licet: ergo de primo ad ultimum, Religio communicans cum aliis in concessis, quibus jam est concessum privilegium communicandi in concedendis; etiam communicat in concedendis. Sic Manuel Rodriguez *quæst. Regul. tom.* 3. *quæst* 10. *art.* 1. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 46. *art.* 5. Hynojosa *verb. communicatio privilegiorum.* quem refert, & sequitur Hieronymus Garcia *tract.* 8. *diff.* 1. *dub.* 4 *n.* 3.

99. Sequitur tertiò: quòd per communicationem aliis convenit potissime, non est usus privilegii; sed jus utendi eo: quia privilegia Ordinum fiunt sic propria Ordinis, Cui communicantur, ac si Ipsi essent specialiter concessa. Sed cùm privilegium alicui specialiter conceditur; non tam usus, quàm jus utendi eo impertitur: ergo, &c. Unde fit, quòd Religiones habentes privilegium communicationis, possunt uti privilegiis concessis alteri Religioni, quibus ipsa propter aliquam causam non utitur; quàmvis in aliquibus privilegiis ponatur clausula: *quatenus sunt in usu:* quia sensus est, quatenus habent valorem, quoad jus utendi; quia hoc ipso, quòd valida sint privilegia quãdo communicantur; nihil aliud requiritur, ut Religio communicans habeat jus eis utendi; & de facto utatur independenter ab usu, vel non usu primæ Religionis. Bassæus 5. *n.* 11 Tambur. *tom.* 2. *disp.* 17. *quæst.* 5. *num.* 3. Lezana *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 17. & *tomo* 4 *verb. privileg. num.* 25. Bruno, Rodriguez, Miranda, Joannes à Cruce, Bordon, Petrus ab Angelis *locis citatis.* § Sequitur quarto, quòd statim, ac privilegium concessum fuit primæ Religioni, potest alia Religio Communicans liberè uti illo, sive acceptetur à prima Religione, sive rejiciatur, sive adsit statutum Regulare, ut prius acceptentur privilegia in Capitulis, vel diffinitoriis, sive non: quia licet Religiosi hujus Religioni habentis tale statutum, eo uti non possint ante acceptationem Ordinis, modo in suis legibus assignato; Alii Alterius Religionis, quæ non habet tale statutum, eo libere uti poterunt: quia hæc sunt extrinseca respectu privilegii concessi: ideoque non debent præjudicare aliis Religionibus Communicantibus, modò

in

in illis, vel juxta suas leges, & statuta acceptetur. Vel si non adsit lex circa hoc particularis, modo dicto *numer.* 69. atque ita sentiunt Bordon. *resolut.* 52. *num.* 88. Petrus ab Angelis *disp.* 2 *sect.* 2. *num.* 40. Maldeus *verb. privileg. num.* 15. Pellizzar. *tract.* 8 *cap.* 1. *num.* 40. Antonius à Spiritu sancto *tract.* 1. *disp.* 1. *num.* 34. Apud nos autem tale statutum reperitur, ut omnes Bullæ, litteræ, sive privilegia quæ quoquomodo ad Religionem spectant, Diffinitorio Generali proponantur, & ab eo debitæ executioni mandentur: ut habetur in constitutionibus nostris *3. part. cap. 3. numero 4.*

## §. II.

### *Aliqua difficultates, circa istam generalem communicationem decidduntur.*

Non communicantur in privilegiis, quæ statutis Religionū sunt cōtraria.

100. Circa dicta §. præcedenti, aliquæ sunt difficultates, quas divisim resolvere libuit. Prima ergo difficultas est. An si privilegia alicui Religioni concessa, alterius Religionis statutis, legibus, aut modo vivendi adversentur, participentur per communicationem ab ista Religione; ita ut eis uti possint Religiosi, contra id, quod in suis legibus statuitur? § Respondetur, omninò negativè. Quemadmodum privilegia Religiosis Militaribus concessa, ut nubere possint, ut testari, neutiquam aliis possunt convenire, nec privilegia laxiori concessa Religioni, alteri strictiori possunt communicari. Ob idque in aliquibus privilegiis communicantibus talis clausula solet apponi: *Dummodo Regulari observantia non sint contraria.* Vel hæc: *Dummodo constitutionibus Ordinis non contradicant.* Et quando expresè non apponitur, tacitè subintelligitur: tum quia privilegia secundùm quod opponuntur proprio instituto, sunt odiosa: odia autem non communicantur, sed privilegia, ut numero sequenti dicemus. Tum etiam, quia Pontifices per sua privilegia intendunt Regularem observantiam fovere, non relaxationi semitam aperire, sed salutaria statuta augere, & conservare. Tum denique, quia aliàs, quod in favorem conceditur, in odium retorqueretur: quod nequit præsumi, tamquam irrationabile de Summo Pastore. Tābur. *tom.* 1. *disp.* 17. *quæst.* 6. *num.* 4. Lezana *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 56. Portel. *in dubiis Regularibus, verb. communic. privileg. num.* 8. Bassæus *verb. privileg.* 5. *num.* 6. *& verb. Relig.* 2. *n.* 10. Antonius à Spiritu sancto *tractat.* 1. *disput.* 1. *num.* 41. Palaus *tract.* 3. *punct.* 2. *disp.* 4. § 9. *numer.* 2. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 45. Petrus ab Angelis *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 13. Bordon. *tom.* 2. *resolut.* 52. *num.* 72. Ex quo infertur, quòd Patres Capucini, qui ex proprio Instituto, non possunt Confessiones Sæcularium excipere, non possunt uti privilegiis Regularibus Confessoribus concessis, circa absolutionem, & dispensationem Sæcularium: quia repugnant suo Instituto, & sic non intelliguntur communicata. Pellizzar. Bordon. & Petrus ab Ang. *loc. cit.* 101.

In odiosis privilegia non cõmunicantur.

101. Secunda difficultas est, an Religiones communicantes cum aliis, etiam in odiosis, & pœnalibus communicent, ut si aliquæ pœnæ, censuræ, vel alia onera sint eis impositæ? § Respondetur, non communicari pœnas, & odia reperta in privilegiis Religiosorum, respectu Ipsorum; nisi hoc cedat in favorem communem Religionis. Tum, quia tales concessiones, in quibus pœnæ sunt statutæ, dici potius debent statuta, quàm privilegia: statuta autem non communicantur. Tum etiam, quia Pontifices dum concedunt communicationem, favere potius volunt, quàm onerare: & sic in favoribus, quos convenit ampliari, non in odiosis, quæ restringenda sunt, communicationem impendunt. Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 1. num. 48.* Bassæus *verb. privileg. 5. num. 9.* Miranda *tom 1. quæst. 46. art. 6.* Antonius à Spiritu sancto *num. 53.* Bordon. *tom. 2. resolut. 52. num. 93.* Petrus ab Angelis *num. 31.* Lezana *tom. 2, cap. 1. num 52.* Bruno *tract. 1. cap. 3. proposit. 1. prope finem.* § Diximus *respectu Ipsorum*; Respectu autem Sæcularium, pœnæ contentæ in privilegio unius Religionis, communicantur aliis in favorem Religionum, ut timore pœnæ sæculares perterriti, reverentiam, & obsequium Religiosis exhibeant, non contemnendo privilegia. § Diximus etiam: *nisi hoc cedat in favorem communem Religionis*; Sunt enim aliqua privilegia, quæ licèt videantur pœnalia, & odiosa respectu alicujus particularis Religiosi; respectu tamen Religionis favorabilia sunt; quatenus per illa conservatur melius disciplina Regularis, & augetur obedientia erga Superiores. Immò ipsis particularibus favorem spiritualem impendunt; siquidem ipsi subditi per observantiam talis privilegii, commodius exequuntur perfectionem sui Instituti, & hæc procul dubio communicantur. Bordon. Pellizzar. Antonius à Spiritu sancto, Petrus ab Angelis *locis citatis.* Atque hinc fit, panciſſima esse privilegia, quæ si non repugnant Regulæ, seu Constitutionibus proprii status, non sint favorabilia, & sic communicabilia respectu cujuslibet Religionis; cùm ferè semper in eis saluti animæ, & corporis consulatur.

Duplex sententia contraria circa hanc difficultatem proponitur.

102. Tertia difficultas est: an Religio communicans in privilegiis, posset per privilegium alteri concessum, contra eam se defendere, illudque retorquere contra primam privilegiatam? Aliqui negativè respondent, ob regulam illam: *privilegiatus contra privilegiatum, non potest uti, aut gaudere privilegio, l. sed & milites. C. de Sacrosanct. Ecclesiis, l. verum. cum sequentibus, de Minoribus.* Et ideo Minores, aut Milites adversus alios Milites aut Minores, non possunt gaudere privilegio Militum, aut Minorum; prout habetur dictis textibus. Nam inter personas æque privilegiatas, confunduntur, & conquassantur privilegia; & attendendum est jus commune. Sed de hoc agemus infra, *hoc capite, punct. 8.* agentes de usu privilegiorum: nam hoc est commune omnibus privilegiatis, quod possint, vel non, uti privilegio adversus pariter pri-

privilegiatos. Modo autem loquimur de privilegiato per communicationem, an possit uti privilegio alteri concesso, adversus eum? § Alii absolute respondent affirmativè: quia Religio communicans in privilegiis, ita ea propria sibi facit; ac si sibi primo, & per se, essent communicata: & ideo si vel per non usum, aliove modo à priori ruant, vel minuantur, vel etiam tota extinguatur Religio, in alia perseverant, ut *numero 95.* dicebamus: ergo cum eis agere, & se tueri potest adversus aliam: ut si Augustiniani participarent in aliquo privilegio Dominicanorum primo illis concesso, possent se illo tueri adversus Dominicanos, & reciproce, ac etiamsi Dominicani illud spernerent, possent illo Augustiniani legitime, & valide uti adversus quoscumque alios. Sic Bassæus *in florib. Theolog. verb. privileg. capite 5. numero 13.* Lezana *tomo 2. cap. 1. num. 57. & tomo 4. verb. privileg. num. 24.* Hieronym. Garcia *in Politic. regul. tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 4. num. 3.* Bruno Cassaing. *tom. 1. tract. 1. prop. 9.* Martin. à S. Joseph *super. regul. Minor. capite 3. numero 3.* Tambur. *tom. 2. quæst. 17. quæstio 4. numero 1.* Excipiunt autem eos, qui solum indirecte, & per se secundo communicant, ut famuli, & familiares Religionis, qui ex consequenti participant privilegia ipsius religionis, & non possunt eis uti adversus ipsam Religionem.

Media via incedimus, & utramque sententiam conciliamus.

103. Nos verò sub hac distinctione respondemus: quod si in dictis privilegiatis omnia sint paria, ut si uterque de lucro acquirendo, vel damno vitando agat; conquassatur privilegium, & standum est juri communi; & sic vera est prima sententia: quod aliquibus exemplis infra illustrabimus. Si autem privilegia illa sint disparia in utroque privilegiato, & in uno sit fortius, & potentius, iste agere contra alium potest, & se defendere, etiam utendo privilegio immediate & primo alteri concesso, & sibi per communicationem competenti. Tunc autem censetur fortius, & potentius in uno, quando iste agit de damno vitando in re possessa, & alius de lucro acquirendo in re non possessa. Rem explico hoc exemplo. Ordini Fratrum Minorum tale concessum privilegium, ne juxta suum Monasterium possit ædificari aliud Monasterium Prædicatorum, Carmelitarum, &c. in paupertate viventium, intra spatium trecentarum cannarum, mensurandarum per aërem; ubi alias rectè mensurari hoc dispositio non permittit. Ita Clemens IV. concessit, ut habetur *in compend. privileg. Mendicant. verbo ædificare §. 1.* Et unamquamque istarum cannarum, voluit octo palmos in longitudine habere. Huic privilegio communicant Prædicatores, Carmelitani, &c. Postea Minoritæ volunt ædificare Conventum prope Carmelitas intra idem spatium: possunt isti, qui agunt de damno vitando se defendere, vel agere contra Minores, qui de lucro acquirendo agunt, per illud privilegium concessum primo Minoribus; quia hoc privilegium jam est æque proprium factum utriusque Ordinis; unius, per

primam concessionem; alterius, per secundam factam in communicatione, & in uno est fortius, & potentius, qui agit de damno evitando, quam in alio qui agit de lucro acquirendo. Ita Petrus ab Angelis *in specul. privileg. disputatione 2. sect. 2. numero 37.* Rodriguez *quæst. 55. num. 1.* Miranda *tom. 2. quæst. 42. art. 7.* Bordon. *tom. 2. resolut. 52 numero 63.* Portel. *verb. privileg. num. 24.* Antonius à Spiritu sancto *tractat. 1. disputatione 1. numero 59.* Quod etiam tenent Authores secundæ sententiæ: sed intelligendum est cum limitatione in eadem posita.

Privilegiis concessis Societati, uti ipsa non potest, sine licentia Sui Generalis.

104. Quarta difficultas est, an Mendicantes, & qui cum eis in privilegiis participant, uti possint privilegiis Societatis Jesu absque licentia sui Generalis, vel Provincialis? Et idem est cum alicui Religioni conceditur privilegium, cum aliqua limitatione, vel restrictione; & alteri absolute absque illa restrictione, illudmet privilegium communicatur, non dicendo, quod sit *ad instar illius*, seu eo modo quo illa, illo uti potest; sed absolute concedendo illud. Quod specialiter controvertitur de communicatione privilegiorum Societati concessorum: nam illi semper conceduntur cum dependentia à suo Generali; ita ut Religiosi Societatis Jesu non possint uti aliquo privilegio sibi immediate, vel per communicationem concessio, absque dicto consensu Sui Generalis, propter Bullam Gregorij XIII. in qua præcipitur, & asseritur, quod omnia privilegia Societati concessa, aut concedenda, non intelligantur concessa, aut concedenda inferioribus, sed immediate Præposito Generali, qui per se, vel per alios ab ipso electos, singulis communicare libere possit. Et sic nec licite, nec valide, absque tali licentia Sui Generalis, uti poterunt aliquo privilegio Societatis Religiosi. Ut docent Suarez *lib. 5. de legibus cap. 31. num. 11.* Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 2. §. 9. num. 4.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 1. num. 46.* Et omnes tam intra, quam extra Societatem. § Quæritur ergo nunc, an Religiosi alterius Ordinis, cum Societate in privilegiis communicantes, uti possint privilegiis Societati concessis, absque dicta restrictione, & eis uti absque licentia sui Generalis, vel Provincialis?

Privilegia concessa Societati dependenter à Suo Generali, ab aliis participantur, absque tali dependentia.

105. Affirmativè respondendum est, cum communi sententia (quidquid in oppositum dicat Bordon. *tom. 2. resolut. 82. n. 57.*) Primo: quia talis restrictio, & limitatio facta est dumtaxat respectu Societatis, cujus Instituti ratio, ob perfectum Monarchicum Regimen, & omnimodam dependentiam ab uno Capite, id plane exigebat: ut in dicta Bulla Pontifex ait: *propter instituti ipsius ab aliis Religionibus diversitatem.* Ergo quando fit communicatio aliis, absque tali restrictione est intelligenda. Ob idque in Societate concedit Pontifex privilegia immediate Generali; aliis vero concedens communicationem, non Generali, sed immediate ipsis Religiosis talis communicatio conceditur. § Secundo: quia talis limitatio non est privilegium, sed magis privilegii restrictio; & sic onus, & odium.

Com-

Communicatio autẽ fit in favoribus, & gratiis; non vero in restrictionibus: & Pontifices communicant privilegia, non odia, vel onera: ergo, &c. Tertio: quia Religiosi Societatis, etiam si communicent privilegia aliarum Religionum, semper illa communicant cum illa dependentia à suo Generali; quamvis in privilegiis aliarum Religionum, non petatur talis dependentia: quia hoc est conveniens pro illo Instituto perfectissime Monarchico: ergo quando aliæ Religiones participant illa privilegia Societatis, hoc erit absque dependentia à Suo Generali; quia non est necessaria, nec pro Instituto, nec pro bono Regimine illarum. Dummodo communicatio modo dicto, non sit contra Institutum particulare alicujus Religionis, quod semper subintelligitur juxta dicta *num.* 101. Idque ita tenent Palaus *supra num.* 4. Pellizzar. *num.* 46. Bassæus *verb. privil.* 5. *num.* 10. Hieronym. Garcia *tract.* 8. *diff.* 1. *dub.* 4. *num.* 5. *fin.* Cœlestin. *in compend. moral. Theol. tract.* 8. *cap.* 15. Bruno *tomo* 1. *tract.* 1. *cap.* 3. *prop.* 8. Petrus ab Angelis *in specul. disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 3. Ant. à Spir. S. *tract.* 1. *disp* 1. *n.* 50. Rodrig. *quæst. Regul. tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 17. Suarez *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 6. Miranda *tomo* 2. *quæst.* 46. *art.* 5. *concl.* 2. Diana 3. *parte tractat.* 2. *resolut.* 81. & 5. *parte tractat.* 13 *resolut.* 46.

Privilegia concessa cum clausula incommunicabilitatis, aliqui dicunt non communicari aliis.

106. Quinta difficultas est, an privilegia, quæ habent clausulam incommunicabilitatis; ut videlicet aliis communicari non possint, adhuc ab aliis Religionibus possint communicari, quæ absolute habent clausulam communicandi cum aliis Religionibus in privilegiis? Et quidem si in concessione ista communicationis ponatur clausula, ut possint communicare in omnibus, etiamsi habeant clausulam incommunicabilitatis; non est dubium communicari dicta privilegia; & hoc licet una tantum Religio, cum tali clausula communicationem habeat: quia aliæ communicant cum ipsa in omnibus privilegiis; & sic etiam in isto cum tali clausula favorabili fortificato. Sed quando non ponitur, ut fit communiter, aliqui negativam partem amplectuntur, propter aliqua privilegia à Gregorio XIII. & XIV. concessa Societati, ut ordinari possint in Sacris absque interstitiis, extra tempora, sine examine in cantu, &c. cum clausula ut non possint ab aliis communicari, & alia similia: ergo nisi in communicatione addatur clausula revocatoria istius, non communicabuntur. Sic Peyrinis *tomo* 1. *Privileg. Const.* 7. Sixti IV. *num* 39. *& Constitut.* Pyrrhi §. 11. *in fine.* Hieronym. Garcia *tract.* 8. *diff.* 1. *dub.* 4. *num.* 5. Bordon. *tomo* 2. *resol.* 52. *num.* 86. Lezana *tomo* 1. *cap.* 18. *n.* 41. & *cap.* 14. *n.* 19. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 47. Suarez *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 8. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 2. §. 9. *num.* 3. & alij.

Etiam privilegia communicantur in quibus

107. Verius tamen dicendum est, quod si post concessionem factam Societati cum clausula ut alii in tali privilegio non communicent, concedat vel idem Pontifex, vel Successores, aliis Religionibus absolutam communicationem omnium privilegiorum, ut nobis, & pluribus aliis con-

dicitur non posse communicari ab aliis Religionibus.

concessum est; vel in specie in privilegiis omnibus Societati concessis, vel concedendis, quod fecit Gregorius XIV. Cisterciensibus, & Cruciferis, quod aliæ omnes communicant; etiam communicantur illa, quæ dictam clausulam incommunicabilitatis habent, etiam si in illis mentio non fiat eorum, sed absolute communicatio concedatur. Quod probatur primo. § Quia Pontifices concedentes privilegia, cum illa clausula, ut communicari aliis non possint, ligare non potuerunt manus Successorum, ut isti absolvere non possent, quod illi ligaverunt, & concedere, quod negarunt: ergo non concedunt aliis Religionibus, vel in specie, ut communicent omnia privilegia Societatis, vel in genere ut communicent privilegia omnia cæteris Religionibus concessa; concedunt etiam illa privilegia; quæ habent dictam clausulam, ut non possint communicati. § Secundo: quia Pontifices concedentes privilegia, vel communicationem illorum, solum addere consuescunt clausulam illam: *Dummodo contraria non sint Tridentino.* Et sic concedunt communicationem in omnibus aliis concessis, & concedendis, quæ Tridentino non contrariantur: ergo omnia alia concedunt, etiam cum clausula incommunicabilitatis munita. § Tertio: quia frequenter in communicatione dicitur, cum qualitate, & clausula *quorum tenores*, quæ vim habet derogandi omnibus juribus, & Constitutionibus derogantibus, & derogaturis privilegiis, in quibus est apposita, & derogat omni clausulæ resistenti, tollitque omnes derogatorias derogatoriarum, ut *supr. num.* 47. dicebamus; ergo, &c. Atque ita docent Donatus *tom. 2. tract. 7. quæst. 8. Urbanus tract. 2. part. 1. cap 3. regul. 1.* Bruno *tract. 1. cap. 3. propos. 7.* Petrus ab Angelis *in specul. privileg. disp. 2. sect. 2. num. 9.* Antonius à Spiritu sancto *in Direct. Regul. tract. 1. disput. 1. num. 49.* Emanuel Rodriguez *quæst. Regul. tomo 1. quæst. 55. art. 17.* Hieron. Rodriguez *in compend. resolut. 116. num. 50.* Joannes à Cruce *de statu Religios. lib. 2. cap. 4. concl. 3. § ex aliis patet.* Hinojosa *verb. confirm. privileg. §. dubium hoc loco.* Bassæus *in florib. verb. privileg. cap. 5. numero 10.* Miranda *tom. 2. quæst. 46. artic. 5. conclus. 2.* Diana *3. parte tract. 2. resolut. 81.*

## §. III.

### *An Privilegia concessa uni Provinciæ, uni Conventui, vel Ecclesiæ particulari, vel etiam singularibus personis, censeantur concessa cæteris Provinciis, Conventibus, & Ecclesiis, nec non singularibus personis, ex vi generalis communicationis?*

Ratio dubitandi, quapars affirmativa probatur.

108. PRæcipua difficultas in hac materia est, quam in præsenti proponimus: ob idque de illa sigillatim agere libuit, & paulo latius; quia passim occurrens, & ejus resolutionis notitia est multum necessaria. Et ratio dubitandi pro parte affirmativa est, tum generalis, & amplissima privilegiorum concessio, qua Ro-

Romani Pontifices omnia, & singula privilegia, immunitates, indulgentias, &c. quibusvis Congregationibus, Societatibus, aut aliis locis, vel illarum personis quomodocumque concessa, in genere, vel in specie, tam conjunctim, quam divisim, singulis Mendicantium Ordinibus concedunt, extendunt, & communicant, cum debitis, & consuetis clausulis, *motu proprio, certa scientia, de plenitudine potestatis, quorum tenores*, uti dicebamus *num.* 90. Et ideo multoties Authores utuntur privilegiis uni Provinciæ, aut Conventui privative concessis, ad probandum ea aliis Conventibus, & Provinciis convenire, tam ipsius, quam aliarum religionum; præcipue de privilegiis concessis Conventui S. Benedicti Vallisoletani, de quibus tanquam de communibus omnibus Religiosis Conventibus egimus *tom. 2. tract. 9. de Matrim. cap. 14. num. 14.* Et de Privilegiis concessis Conventui S. Stephani Salmantino Ordinis Prædicatorum, similiter egimus *hoc tom. 4. tract 15. de statu religios. in comm. cap. 3. num. 66.* Et de aliis concessis particularibus Provinciis, & Conventibus, tanquam de communibus, per communicationem, omnibus Religionibus, multoties in hoc cursu tractavimus.

Ratio dubitandi pro parte negativa, validissimis instantiis fulcitur.

109. Ex alia parte videtur hoc valde difficile, & alienum à mente Pontificum, atque à jure communi multum exorbitans, maximasque parere confusiones, & absurda, & omnia ut ita dicam, confundens. Quis enim credere poterit, quod privilegia concessa Provinciis Religionum, apud infideles degentium, & in propaganda fide laborantium; ubi nec adest assistentia Episcoporum, nec copia ministrantium necessaria pro salute infidelium; intelligantur concessa pro Provinciis, & Conventibus inter fideles existentibus? Quis privilegium concessum uni Monasterio pauperi, ad sublevationem paupertatis, diceret concessum esse alteri Monasterio diviti, illius, vel alterius Ordinis? Quis, concessum alicui Monasterio, propter magnam numerositatem Religiosorum, in illo frequenter viventium, assereret extendendum ad aliud, quod paucos continet, & sustentat Religiosos? Quis indulgentias, aut privilegia concessa alicui Ecclesiæ, vel Monasterio, in quo est imago singularis, & miraculosa B. Virginis, vel Christi Domini, vel Corpus, aut singularis reliquia alicujus Sancti, vel ob magnam populi devotionem, & frequentiam; judicaret concessa esse aliis Monasteriis, aut Ecclesiis, in quibus talis ratio non invenitur? Sic enim tepesceret populi devotio, & non esset discrimen inter visitare Ecclesiam Lauretanam, vel Jerosolymitanam, vel Præsepe Domini, vel D. Jacobi, & alias visitare Ecclesias, quod nullus dicet. Certe talia credenda non sunt, quia à ratione aliena. Et idem est de concessis alicui particulari Religioni, ob speciale institutum, ut concessum Societati Jesu non recitandi officium Divinum in Choro, &c. Et Nobis non eundi ad processiones publicas ob strictissimam clausuram, quam profite-

fitemur, quæ pro culdubio non participantur ab aliis Religionibus, nisi eis in specifica forma fuerint concessa.

Quæ privilegia sine dubio communicantur, quæ etiam non communicantur?

110. Sed ut certa ab incertis separemus, certissimum est apud Doctores primo, quod privilegia concessa alicui personæ, ratione Dignitatis, officij, vel ministerii; quibusvis personis, ejusdem, vel alterius Ordinis communicantur in eadem dignitate, Officio, vel Ministerio existentibus: ut Generalibus, Provincialibus, Prioribus, Capitulis, Confessoribus, Prædicatoribus, &c. Et alia, quæ conceduntur particularibus personis alicujus Ordinis, non ut particulares sunt; sed ut membra, & partes alicujus Congregationis, vel Communitatis: quia sicut sunt vel in eodem Officio, & Dignitate, vel in eisdem exercitiis Religionis in communi; sic participare æquum est eosdem favores, & gratias: quod est commune inter Doctores. Sicut etiam est commune inter illos privilegia concessa alicui particulari personæ, ut tali; aliis nullo modo communicati, nec in proprio, nec in alieno Ordine: quia talia privilegia sunt personalia pure, & sequuntur personam, & cum illa extinguũtur; & sunt omnino incommunicabilia. *Cap. sane, de regul. juris, in 6.* Maxime, quia quod uni ut proficuum conceditur, aliis fortasse erit inconveniens, & nocivum, everteretque totus ordo Religionum, si quod aliquibus ob speciales circunstantias, necessitates, aut qualitates conceditur, omnibus indiscriminatim communicaretur.

Concessa Religiosis conveniunt Prælatis, non econtra

111. Secundo est certum Prælatos omnes, gaudere privilegiis omnibus, subditis Religiosis concessis, etiam si de Prælatis in eis nulla mentio fiat; eo quod in favorabilibus, licet non in odiosis, nomine Religiosorum, Prælati veniant. At concessa privilegia Prælatis, ut talibus non conveniunt singulis Religiosis; quia conceduntur ratione Dignitatis, non vero ratione personæ, aut quia Religiosi sunt, sed quia Prælati. Nec similiter concessa Prælatis Superioribus ut talibus, nimirum Generali, aut Provinciali, non conveniunt Prælatis inferioribus. Et sic concessa Generalibus, non competunt Provincialibus, nec concessa Provincialibus, communicantur Prioribus; quia illis ob Dignitatem supremam competunt, quæ non reperitur in istis. Et idem est de concessis Capitulis Generalibus, quæ Provincialibus Capitulis non conveniunt. At privilegia concessa Prælato inferiori, licet aliqui dicant non convenire Superioribus, ob constitutionem Julii II. in qua disponit, quod communicatio fiat ordinatim inter partes: de Superiore locali ad Superiorem localem; de Provinciali ad Provincialem: ergo non est faciendus transitus de Priori, ad Provincialem. § Verius tamen est oppositum: nam si Prælatus Superior de jure habet eandem, & majorem potestatem, quam Prælatus inferior, respectu cujuslibet Monasterij, deneganda non est ei participatio privilegij concessi inferiori ratione Potestatis, seu Officii: maxime cum simus in re favorabili.

Con-

Constitutio autem Julij II. solum statuit modum communicationis, inter Superiores, qui pares sunt in Officio; sed non negat ut Majores gaudeant privilegiis, concessis Minoribus.

Omnia privilegia uni Conventui, Ecclesiæ, vel Provinciæ concessa, aliis omnibus convenire aliqui dicunt.

112. His sic statutis, veniamus ad principalem quæstionem, circa quam plures, & graves Authores absolute tenent omnia, & singula privilegia concessa uni Provinciæ, Conventui, Ecclesiæ, vel particularibus Religiosis (non ut particulares sunt, sed ut membra alicujus Communitatis, vel Congregationis) competere aliis Provinciis, Conventibus, & Religiosis, non solum ejusdem, sed alterius cujusvis Ordinis. Quod probant primo ex dictis *num.* 108. Secundo: quia ita concessit Clemens VIII. Ordini S. Hieronymi in Hispania. Gregorius XIII, Societati. Clemen. VII. & VIII, nobis Carmelitis Excalceatis, & alijs alij Pontifices concessere. Ut concessa uni Monasterio, aut Personis ejusdem Ordinis, extenderentur ad omnia Monasteria, & Personas ejusdem Ordinis. Et cum hæc ipsa privilegia communicentur alijs, sequetur etiam omnes alias Religiones, & in omnibus earum Monasterijs, gaudere privilegiis concessis uni Conventui, vel Provinciæ. Et ideo Pius IV, ad instantiam nostri Regis Philippi II Ordini S. Hieronymi in Hispania hæc concessit; prout refert *Collector privilegiorum ejusdem Ordinis*: verbo *extensio privilegiorum*: *Quod Omnia, & singula privilegia, immunitates, & exemptiones, prærogativæ, indulta temporalia, favores & gratiæ cuivis Monasterio dicti Ordinis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores per se, & per Sedem Apostolicam, ejusve Legatos, & Nuntios in genere, & in specie concessa, ad omnia, & singula Monasteria, d. Ordinis tam virorum quam mulierum, quibus in specie concessa non sunt: & in quibus aliæ causæ concessionis, & indultorum prædictorum, alias quam præfertur, subsunt, extensa intelligi debeant, ad id ut ipsa Monasteria, illis pariformiter uti, frui, & gaudere possint; proinde ac si eis in speciali concessa fuissent, Authoritate Apostolica extendit, & ampliavit: illaque inter omnia tam virorum quam mulierum Monasteria ejusdem Ordinis, in omnibus, & singulis communia esse voluit.* Hactenus Ille: quibus adjunge privilegium concessum à Clemente VIII. Conventui S. Stephani Salmantino ordinis Prædicatorum, quo gaudet totus Ordo Prædicatorum, ac proinde alij cum eo in privilegiis communicantes.

Sententiæ dictæ explicatio, & authores pro ea,

113. Hanc sententiam modo dicto tenent, Tamburin. *de jure Abbat. tomo 1. disp. 17. quæst. 2. n. 1.* ubi alia adducit privilegia. Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. num 42. & 43.* Bruno Cassaing. *tract. 1. cap. 2. prop. 5.* Quintanadvenas *singul. quæst. tom. 2. tract. 2. singul. 15 n. 5.* Portel. *verb. communicatio privileg. num. 6.* & *verb. privil. num. 20.* Miranda *tomo 2. quæst. 46. artic. 7.* Ant. à Spir. S. *tract. 1. disp. 1. num. 40.* Rodrig. *tom. 1. quæst. 55. art. 18.* Hieronym. Garcia *in Polit. regul. tract. 8. diff. 1. dub. 4. n. 8.* & præcipue *n. 11.* Quare dicunt hi Authores, quod licet ex vi concessionis, hoc intuitu, vel illo, hac vel illa ratione, aut circumstantia non extendatur privilegiũ ad alia Monasteria, vel Ecclecle-

cleſias, ubi non eſt talis circumſtantia, vel ratio; bene tamen ex vi alterius generalis conceſſionis: quia Succeſſor Pontifex, omnia conceſſa quacumque ratione ad alia extendit; maxime, quia in dubiis extendenda ſunt privilegia, non coarctanda: quemadmodum indulgentia Portiunculæ communicata Eccleſiæ ſpeciali, extenditur ad omnes Eccleſias Minorum. Sed hoc ultimum nihil probat: quia ad hoc datur privilegium ſpeciale Pauli V. extendentis illam indulgentiam Portiunculæ ad omnes Eccleſias Minorum. Ex quo colliges extendi etiam per communicationem ad omnes Eccleſias aliorum Ordinum juxta *n.* 118. dicenda.

Quando in aliis Conventibus eadem vel ſimilis ratio militat, participant ptivilegia uni Conventui conceſſa.

114. Sed huic ſententiæ nunquam acquieſcere potuimus propter dicta *num.* 109 Quare aſſerimus primo, quod tunc privilegia conceſſa Provinciæ, Eccleſiæ, Loco ſacro, aut particularibus perſonis, conveniunt per communicationem omnibus Eccleſiis, Provincijs, locis ſacris, & particularibus Religioſis (non ut particularibus, ſed ut partes ſunt alicujus Congregationis) tam ejuſdem, quam aliarum Religionum, quando in eis militat eadem, vel ſimilis ratio, propter quam Pontifex alia privilegia conceſſit: quia ubi ſunt eadem, ſimilia, vel æquipollentia obſequia Dei, vel Eccleſiæ ſanctæ, credendum eſt velle Pontificem, illa privilegia eòuſque extendere. At ubi talis ratio, eadem, ſimilis, vel æquivalens non militat, credendum eſt nolle Pontifices concedentes alicui Congregationi, Eccleſiæ, vel Conventui, ob rationes, & circumſtantias particulares illis ſolis convenientes aliqua privilegia ea extendi ad alia, quia illis conceduntur ob rationes ſingulariſſimas, in eis dumtaxat inventas, quæ non militant in aliis: & tunc cenſentur quaſi perſonalia, & non extenſibilia. Quod verificatur in omnibus caſibus à nobis adductis *num.* 109. & quæ pro contraria ſententia adduximus, *num.* 108. intelliguntur de illis, de quibus in prima parte hujus aſſertionis loquimur.

Id ipſum alia via explicatur, & confirmatur inſtantiis manifeſtis.

115. Quod alii aliis verbis explicat, dicentes quod quando privilegium, indulgentia, &c. conceditur alicui Ordini, Monaſterio, Eccleſiæ, &c. intuitu Religionis, vel intuitu Doctrinæ, &c. quamvis forte major Religio, aut doctrina in tali Monaſterio vigeat, ob quam cauſam ei primo conceditur, extenditur nihilominus ad alia Monaſteria ejuſdem Ordinis, & etiam aliarum Religionum: quia jam eadem, vel ſimilis, vel æquivalens ratio cenſetur in omnibus reperiri: ut Indulgentia pro die Patroni, vel alicujus Sancti Ordinis: vel ſuſpenſio interdicti pro eis diebus; quod reſpectivè communicatur aliis Ordinibus. § At ſi privilegium, vel indulgentia conceſſa ſit intuitu alicujus ſpecialis circumſtantiæ, Loci, vel Congregationis; quia nimirum in eo eſt imago valde miraculoſa, Corpus alicujus Sancti; quia in loco illo exercitum fuit aliquod myſterium, vel excellentiſſimum opus; vel quia hoc petit ſpecialis ratio Inſtituti illius Ordinis, talia indulta non extenduntur ad alios Ordines, loca, vel Eccleſias, in quibus

bus non viget illa ratio: sed sunt quasi singulares, & personales illius loci favores. Quemadmodum privilegia concessa Prælatis secundùm omnes, non competunt subditis; quia illis conceduntur, ob specialem circumstantiam excellentiæ, quæ in istis non reperitur: & privilegia concessa huic particulari, ut tali, omnes dicunt alteri non convenire; quia illi conceduntur ob specialem circumstantiam personæ, quæ in isto non datur: ergo similiter concessa particulari loco, Provinciæ, aut Monasterio non intuitu Religionis; sed ob specialem circumstantiam illius; non conveniunt aliis, etiam per communicationem, ubi tales circumstantiæ desunt: aliàs omnia confunderentur: pietas, & devotio in fidelibus respectu aliquorum locorum non parum frigesceret, & minueretur. Atque ita docent Suarez *de legib. lib. 8. cap. 28. num. 1.* Lezana *tom. 2. cap. 1. num. 52.* Petrus ab Angelis *in speculo disput. 2. sect. 2. à num. 14.* Bordon. *tom. 2. resol. 52. à num. 75.* Quaresmi *in sua Hierusalem illustrata, tom. 1. lib. 2. cap. 1. dubio 5. §. Alterum.*

Quæ raro, & cum difficultate conceduntur, non extenduntur ad alios Ordines.

116. Asserimus secundò: non extendi communicationem ad eas Gratias, quæ alicui particulari Conventui, vel Religioni per Brevia particularia, præcedente decreto, vel examine alicujus Congregationis, Pontifices concedunt, quia cùm non concedantur intuitu obsequii communis cum aliis Religionibus, seu Conventibus; sed ob particularem, & specialem rationem: & sic computentur inter ea, quæ raro & cum magna difficultate conceduntur, sapiantque naturam singularium gratiarum, ideo non communicantur ex vi generalis communicationis. Ut si alicui Conventui præbeatur facultas alienandi bona immobilia, si alicui Congregationi detur potestas recitandi de aliquo Sancto, vel apponendi in Breviario Sanctum sui Ordinis, vel reducendi numerum Missarum: ad quæ omnia, decreta Congregationis, & examen illius regulariter præcedunt: & sic computantur inter ea, quæ raro, & difficulter conceduntur, minime extenduntur ad alia Monasteria, vel ad alios Ordines. Lezana *tom. 3. verbo Missa, num. 51.* Quintanadveñas *singul. citat, num. 3.* Diana, quem refert, & sequitur N. Petrus ab Angelis *disput. 2. sect. 2. num. 17.*

Solvuntur ea, quæ pro contraria sententia afferuntur.

117. Ex his patet, ad ea, quæ pro contraria sententia afferuntur. Illæ namque amplissimæ concessiones Summorum Pontificum, intelligi debent cum limitationibus assignatis: quia solum loquuntur de communicationibus, quæ Ordinibus, & Congregationibus, Locis, & personis communiter fiunt, seu intuitu Religionis, doctrinæ, vel alterius circumstantiæ, quæ eadem vel similis, vel æquivalens in aliis reperitur; non verò de concessis particularibus Locis, vel Ecclesiis privatis ob specialissimas rationes, in eis repertas: sicut nec loquuntur de concessis privatis Personis, ut talibus, ob singulares circumstantias, & qualitates, quæ in illis considerantur; nec intelliguntur de his, quæ raro, & non sine magna

difficultate, ac præcedente examine conceduntur: quia in generali concessione non veniunt, quæ non essent concessa, si specifice peterentur. De quibus est intelligendus notabilis textus *in capite Cum capella, de privilegiis*. Ubi disponitur, quòd privilegiũ concessum uni Ecclesiæ, vel Provinciæ, seu Loco nequit trahi ad aliam Ecclesiam, Provinciam, seu Locum: quod intelligitur modo in duabus nostris assertionibus dicto.

Omnia huc usque dicta etiam de indulgẽtiis accipienda sunt.

118. Asserimus tertiò: omnia quæ dicta sunt de privilegiis adaptari debere Indulgentiis; siquidem sub privilegii nomine comprehenduntur, & sub proprio nomine indulgentiarum nobis, & aliis sunt communicatæ. Quare omnes communicantur, quæ generaliter alicui Religioni cõceduntur, intuitu Religionis: nisi fuerint de his, de quibus specialis mentio requiritur; non verò quæ ob specialem, & specificam rationem alicui Ordini, Ecclesiæ, vel Monasterio conferuntur, & quæ raro, & non nisi cum magna difficultate solent concedi. Talis est indulgentia altaris privilegiati; quia hæc conceditur ex specialissimo indulto, & difficillimè: & ideo non comprehenditur sub generali communicatione, uti practicatur de stylo Curiæ. Peyrinis *tom. 2. privileg. ad constitut. Pauli III. in annotat. num. 1.* Tambur. *tom. 1. disp. 17. quæst. 2. num. 4.* Merola *tom. 3. de privileg. cap. 8. dub. 22. num. 21.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 1. disp. 1. numer. 45. licet alii oppositum probabiliter teneant.* § Similiter, Indulgentiæ perpetuæ, quæ continent generalem rationem, nimirum auxilium Sanctorum, augmentum Christianæ Religionis, splendorem Ecclesiarum, communicantur; licet in specie ab aliqua Religione impetratæ fuerint. Non verò communicantur indulgentiæ, sicuti nec alia privilegia, quæ solum ad tempus determinatum cõferuntur: quia communicatio intelligitur de indulgentiis, & privilegiis perpetuis. Bordon. *tom. 2. resolut. 52. num. 77. & 81.* Lezana *tom. 3. verbo indulgentia, num. 8.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 1. disput. 1. num. 43 & 46.* Hieronym. Garcia *tract. 8. diff. 1. dub. 4. n. 9.* Petrus ab Angelis *disp. 2. sect. 2. num. 25. & 26.*

## PUNCTUM VIII.

### *De usu privilegiorum, tam pro foro externo, quàm interno.*

Alibi dicta circa hanc materiam recensentur.

119. PLURA quæ ad usũ privilegiorum pertinent, manent jam ex dictis explicata. Nam utrum privilegiatus teneatur aliquando uti privilegio? diximus *num. 11.* An si privilegium fuerit sub conditione impetratum, eo uti possit impetrans, ante impletionem conditionis? *num. 34.* & alia plura diversis locis hujus Capitis explicuimus: & an Novitii uti possint omnibus privilegiis, pro Religiosis professis expeditis diximus *hoc tomo, tract. 15. de statu Religioso in communi, cap. 3 num. 85.* Nunc ad alia, quæ remanent accedentes, duplici §. totum hoc negotium absolvemus.

§. I.

## §. I.

### *Quando, quo loco, & quomodo possint uti Regulares privilegiis ipsis concessis.*

Ad utendum privilegio pro foro conscientiæ non requiritur scriptura.

120. UT privilegiatus possit uti in foro conscientiæ privilegio sibi immediatè, vel per communicationem concesso; debet ipsi constare de validitate, aut firmitate ejus, vel saltem circa hoc habere opinionem probabilem, quod sufficit ut sit tutus in conscientia illo utendo. Non requiritur autem pro tali foro scriptura, vel bullatio, ut latè diximus *n. 57.* sed sufficit, quòd oretenus illud impetraverit, vel concessum esse sibi constet, per aliquod vivæ vocis oraculum. An verò, & quomodo revocata fuerint vivæ vocis oracula per Urbanum VIII. dicemus *capite sequenti.* Vel etiam sufficit, quòd per consuetudinem illud acquisierit. Nã per consuetudinem posse acquiri privilegia, diximus supra *num. 30.* Pro foro autem externo requiritur, quòd illud exhibeat in scriptis, vel in forma probante; quia in hoc foro nulli creditur sine probatione, *cap. tua nos, de sponsalibus, cap. accepimus 4. de privilegiis, cap. cum persona 7. eodem titulo in 6.* Quomodo autem pro foro externo probetur privilegium, dictum est jam à nobis supra *n. 29. & 30.*

In dubiis de valore privilegii,

121. Sed rogabis primò, an Episcopus dubitans de validitate privilegii Regularium, an sit in usu, an subreptitium, an vitiosum, an amissum, aut aliter intelligendum, possit Regulares impedire, ne interim tali privilegio utantur? § Respondetur negativè: tum, quia illis privilegiorum Religiosorum judicialis interpretatio est prohibita, uti probavimus *sup. num. 72.* & sic de eis judicare non possunt: sed consulenda est Sedes Apostolica, & interim lite pendente circa valorem, non est privandus privilegiatus sua possessione: tametsi talis possessio sit contra jus. Tum etiam, quia nemo potest esse judex in causa propria, quod præstaret Episcopus, si modo dicto ageret contra exhibentem sua privilegia. Tum denique, quia privilegia Regularium in dubio, latè sunt interpretanda, ut diximus *num. 73* & stante utriusque opinione, aut dubio, in favorem eorum explicanda sunt, ut ex multis probavimus, *num. 74.* & sic tenent Authores dictis *locis citatis*, & in præsenti, Rodriguez *tom. 1. quæst. 56. art. 12. & tom. 2. quæst. 64. art. 7.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. nu. 85.* Petrus ab Angelis *disp. 2. sect. 3. num. 8* § Addit autem Hieronymus Garcia *in Politic. Regul. tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 4. num. 13.* posse Religiosos uti suis privilegiis adversus quemcumque inferiorem Papa, & si ab oppositione non desistat, eum excommunicare, & quod factum fuerit ab Episcopo, vel alio adversus illos esse nullum, ob indultum Julii II. Fratribus de Monte Oliveti, & Leonis X. qui concessit Augustinianis, ut Clericos, qui se oppositerint, possint privare suis dignitatibus. Quod privilegium refertur *in compendio Societatis*

non potest Episcopus usum illius impedire.

§. 2. Sed ad hoc debent judicem conservatorem nominare.

Uti possunt Regulares suis privilegiis, etsi habuerint non usum, vel usum contrarium.

122. Rogabis secundò: an Regulares possint uti suis privilegiis, etsi contra ea habuerint usum contrarium ? § Respondetur affirmativè, ob privilegium bullatum Eugenii IV. concessum Congregationi S. Justinæ, quod refert Rodriguez *in bullar. fol.* 199. & Tambur. *de jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 16. *quæst.* 12. *num.* 4. in quo statuitur, *ut si quando contigerit quòd per aliquem, aut plures actus contra hujusmodi, aut quæcumque alia privilegia, indulta, gratias, immunitates præfata Congregationi concessa aut ipsorum aliquod, à quocumque, cujuscumque conditionis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut aliæ quavis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore observatum ignoranter, vel scienter procedatur, nullum tamen præjudicium deretis, privilegiis, indultis, gratiis generetur; sed in suo vigore, ac robore permaneant.* Portel, *in dubiis Regularium, verbo privilegium, in addit. numer.* 4. Tamburin. *loco citat.* Diana 3. *part. tract.* 2. *resolut.* 88. Joannes à Cruce *de statu Relig. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. *conclus.* 2 Pellizzar. *supra num.* 77. Sed de hoc amplius redibit sermo *cap. sequent.* cùm de amissione privilegiorum per non usum, vel usum contrarium loquemur. § Atque idem Eugenius IV. Monasterio S. Pauli extra muros concessit, ut non possit præscribi contra ejus privilegia, nisi per 100. annos, ut refert Tamburin. *loco citat.* Quæ præscriptio debet numerari ab ultima confirmatione, ex certa scientia, ut asserit Joannes à Cruce *loco citat.* & Tambur. *quæst.* 14. *nu.* 8. Antonius à Spiritu sancto *tr.* 1. *disp.* 1. *num.* 114. § Ac denique idem Eugenius IV. concessit Congregationi S. Benedicti, ut eorum privilegia non possint amitti per contrarium usum, vel per non usum, ut refert Portel, & Diana citati.

Superiores Religionũ possunt eorum privilegia restringere, & auferre suis Religiosis.

123. Rogabis tertiò, an possint Superiores Regulares limitare usum privilegiorum suis inferioribus, vel illum in totum auferre ? § Respondetur affirmativè, juxta dicta *nu.* 76. præcipue autem Generales, Capitula Generalia, aut Provincialia possunt limitare, seu restringere sibi subditis usum quorumcumque privilegiorum Apostolicorum, ut concessit Leo X. Minoribus, & habetur in Compendio Mendicantium, *verb. privileg. Fratrum*, §. 26. & Clemens IV. Cistercienſibus, *ut in eorum comp. verb. privileg. §. 6 reperitur*, & Gregorius XIII. Societati, ut in compendio privilegiorum ejus dicitur, *verb. gratiarum usus*, §. 2. atque ita tenent Tambur. *tom.* 1. *disp.* 16. *quæst.* 9. *num.* 1. & 2. Diana 3. *part. tract.* 2. *resolut.* 87. Peyrin. *tom.* 1. *privileg. constit.* 2. *Julii XII.* §. 3. *num.* 9. Antonius à Spiritu Sancto *num.* 105. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 43. *art.* 4. Bassæus *verb. privileg. num.* 41. Manuel Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 9. *art.* 2. Hieronym. Rodriguez *resolut.* 116. *num.* 26. Portel. *verb. privileg. num.* 78. § Non tamen poterunt, virtute prædictarum concessionum tollere aut limitare privilegia, quæ sunt in corpore juris inserta.

ta. V.g. quòd Superiores confiteri extero Sacerdoti possint, & alia hujusmodi: quia privilegia in corpore juris inserta, habent vim legis, quam abrogare, vel tollere aut restringere non potest inferior. § Et ex dictis *loco citato*, constat, posse Capitulum Generale restringere, & auferre usum alicujus, vel aliquorum privilegiorum, respectu Generalis: quia privilegio, quod fuit toti Religioni concessum, ipsa tota conjuncta in Capitulo potest cedere, & usum illius à quolibet abdicare. Pellizzar. *num.* 63. Antonius à Spiritu sancto *num.* 106.

Quando privilegiatus adversus privilegiatum agere potest.

124. Rogabis quarto, an privilegiatus adversus pariter privilegiatum, possit uti privilegio sibi concesso? § Aliqua diximus circa hanc difficultatem supra *num.* 103. sed quia alia ad hunc locum remisimus, respondemus utrumque esse verum, & affirmativam partem, & negativam, habere locum; sed in diversis casibus, v.g. habet quis privilegium generale accipiendi decimas ab omnibus existentibus in hoc territorio: habet alius privilegium speciale non solvendi decimas, hic potest agere adversus illum; ille verò agere non potest adversus istum: quia speciale prævalet generali, cum generi derogetur per speciem. *Regul.* 34. *de regul. juris.* Imo non prævalet cùm non sit contra, quia in generali semper intelliguntur excepti, qui speciale habuerint privilegium. Idem est in isto casu. Habet aliquis creditor privilegium ad compellendum omnem debitorem: & debitor talis habet privilegium, ut non possit compelli intra tale tempus, ut in hoc regno habent agricolæ, ut non possint cogi ad solvendum tempore messis colligendæ: non poterit creditor ille hunc debitorem compellere; sed magis iste per privilegium se potest contra illum defendere. Accipe aliud exemplum: habet Dux privilegium à Rege ut obliget quemcumque Plebanum, ut recipiat hospitem militem: habet è contra Plebanus Religiosorum Carmelitarum Confrater, eò quòd recipiat Fratres in sua domo, privilegium ne cogatur ad recipiendos tales milites: in tali casu Dux privilegiatus, non potest agere contra illum Plebanum; quia ille est in genere privilegiatus, iste in specie, & sic iste adversus illum debet prævalere. Ita in aliis, & similibus casibus, tenent Palaus *tractatu* 3. *disp.* 4. *punct.* 8. *num.* 2. Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 9. *artic.* 1. Garcia *tract.* 8. *diff.* 1. *dub.* 8. *numer.* 3. Salas *de legib. disp.* 17. *sect.* 14. *num.* 14 Antonius à Spiritu sancto *tract.* 1. *disp.* 1. *num.* 115. Bassæus *verb. Privileg.* 4. *num.* 12. Bordon. *tom.* 2. *resolut.* 52. *num.* 63. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *numer.* 78.

Quomodo privilegiatus non potest agere contra pariter privilegiatum.

125. Si tamen contraria privilegia concurrant, ita quòd non possint concordari, ut utrumque valeat; ut si privilegium habeat Monasterium ædificatum, ne aliud intra spatium certarum cannarum ædificetur, & alteri Monasterio concessum sit intra illud spatium ædificare; tunc antiquius privilegium debet prævalere adversus posterius: cùm Princeps non præsumatur velle derogare juri alterius, jam acquisito, nisi illius fa-

ciat expressam mentionem, illi manifeste derogando. Idem est, quotiescumque agitur de damno vitando, vel lucro acquirendo: tunc ille præfertur, qui passurus est damnum. Bartholus *in authentic. quas actiones, Cod. de sacros. Eccles. num. 3.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 23. num. 5. & 6.* Pellizzar. Bordon. Palaus, Rodriguez, *locis citatis*, & constat ex dictis supra *n. 103*

§ At verò si utrumque privilegium sit æquale, æque favorabile, & concurrant in actu exercito; tunc privilegiatus uti non potest privilegio adversus alium pariter privilegiatum; eò quòd simile non agit in omnino simile, ut docet Philosoph. *lib. 4. de generat. cap. 7. text. 50.* & tunc currit regula illa juris, de qua mentionem fecimus *num. 102.* quòd privilegiatus contra pariter privilegiatum non gaudeat privilegio, *l. verum, ff. de Minoribus.* Et sic quando duo habent privilegium circa eandem rem æquale, utrumque conquassatur, & cessat; & standum est juri communi. Quare miles adversus militem uti non potest privilegio militum, minor adversus minorem, non potest uti privilegio Minorum. Cujus duo exempla adduximus *tom. 3. tractat. 14. de contract. cap. 5. de testam. numer. 121. 125. & 126.* circa quartam Trebellianicam deducendam ab hæreditate, & quartam falcidiam deducendam ex legatis.

Privilegiatus, in omni loco potest uti suo privilegio.

126. Rogabis quintò, an Regularis, vel quilibet alius privilegiatus, possit in omni loco uti privilegiis sibi concessis? § Respondetur, quòd si privilegium sit absolute, & absque ulla determinatione concessum; potest in quolibet loco illo uti, nisi de mente concedentis aliter constet. Tum: quia sicut privilegium absque determinatione temporis concessum, est perpetuum, & pro omni tempore, sic concessum absque determinatione loci, deservit pro omni loco. Tum etiam: quia ubi lex non distinguit, aut limitat, nec nos distinguere debemus, aut limitare; nisi ad id aliqua ratione, aut lege cogamur. Bonac. *disp. 1. quæst. 3. punct. 5. num. 1.* Palaus *tract. 3. disput. 4. punct. 6. num. 1.* Suarez *lib. 8. cap. 26. num. 2.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. num. 59.* Bassæus *verb. privileg. 5. num. 7.* § Ex quo fit, posse privilegiatum uti privilegio reali, vel personali sibi concesso, absque ulla determinatione loci, ubicumque fuerit, etiam extra territorium concedentis (dummodo speciali lege, consuetudine, vel statuto, non fuerit materia illius prohibita in alio loco, & absit scandalum, ut supponimus) quia privilegium sequitur personam, vel qualitatem ejus: & cùm non sit locale, non alligatur loco, sed personæ, si fuerit personale; vel qualitati personæ, si reale. V.g. habes dispensationem à tuo Episcopo in voto castitatis; quando illam concedere potest, potes ubique matrimonium contrahere, vel debitum ab uxore petere. § Habes licentiam ab Episcopis, vel Inquisitoribus legendi libros prohibitos; ubique potes eos legere. Dispensatus es ab Episcopo in jejunio, in abstinentia carnium, in irregularitate; ubicumque fueris, potes tali dispensatione uti. Sic

ci-

citati, & Sanchez *lib.8. de matr. disp. 31, num.17.* Salas *de legib. disput.17. sect.10. num.54.* Layman. *lib.1. tract. 4. cap.23. num.16.* Azor *lib.5. cap.23. quæst.6.* & alii communiter.

Prima limitatio præcedentis doctrinæ.

127. Sed duplicem limitationem tetigimus. Prima est: *Nisi aliud constet de mente concedentis.* Si autem constaret ipsum solum velle pro certo loco valere privilegium, pro illo tantum eo uti poteris. Mens autem concedentis colligi potest, tum ex verbis illius, tum ex supplicatione, quæ interponitur, tum ex re, quæ petitur, tum ex antecedentibus, & consequentibus, tum ex ratione motiva, & finali, ob quam conceditur. Ex quo fit primò: quòd si concedens privilegium, plures habeat Provincias, & regna; inspiciendus est modus loquendi: nam si loquatur ut Princeps unius loci, & non alterius, censetur solum pro uno loco privilegium concessisse. Si loquatur ut Princeps omnium, censetur universalem pro suis regnis facultatem dedisse. Unde privilegium concessum ab Imperatore, ut Imperatore, vel à Pontifice, ut tali, valet pro omnibus locis, & regnis. § Sequitur secundò, Quòd si Papa alicui Nationi facultatem comedendi lacticinia concedat in Quadragesima, ob distantiam Regionis à mari, vel ob defectum, & inopiam piscium; non licet extra talem Regionem vesci lacticiniis: quia cùm Superior in concedendo privilegium respexerit conditionem illius loci particularis, & ob illam motus est ad concedendum, præsumitur nolle illud concedere, extra illam Regionem. Suarez *num.3. & 4.* Bonacin. *num.3.* Layman. *lib.1. tract.4. cap.23. num.16. quæst.3.* Palaus *supra num.3.* Privilegium autem Bullæ Cruciatæ extenditur etiam extra Hispaniam; quia concessum fuit à Pontifice absolute, non ob inopiam piscium; aliàs in locis maritimis eo uti Hispani non possent; sed ut jejunii rigorem temperaret sumenti bullam, ob eleemosynam in subsidium Cruciatæ præstitam.

Secunda limitatio præcedentis doctrinæ.

128. Secundam adhibuimus limitationem: *Dummodo speciali lege, consuetudine, vel statuto, &c.* Si enim in illo loco sit specialis lex, aut consuetudo contra privilegium, illo uti non poteris, nisi à Principe illius loci habeas illud, quia adversus legem aliquam, non potest privilegium concedere, nisi qui illam tulit, vel Superior illius: ideoque si ibi habeas domicilium, non poteris uti tali privilegio concesso ab Episcopo, vel Principe, qui non est talis respectu talis territorii. Si tamen ibi ut hospes existas, non indiges privilegio ad agendum contra legem, vel si fuerit aliàs jure etiam communi prohibitum; poteris illo uti: quia leges municipales non obligant hospites, vel peregrinos, ut diximus *tract. 11. de legibus cap.3. num.58.* Nisi sint etiam leges vel consuetudines circa contractus; quas etiam peregrini, & transeuntes tenentur observare, juxta ibidem dicta, *& tom.2. de matr. cap.8. num.18.*

Cujusdam casus resolutio

129. An verò sufficiat te habere privilegium à Superiori Principe concessum, ut contra leges municipales agere possis, vel requiratur te illud

propo-nitur.

illud habere à Principe illius loci, qui legem tulit? ut si ab Episcopo hujus territorii sit impositum jejunium, aut dies festus indictus, aut abstinentia à carnibus, vel consuetudine sint hæc introducta, an uti possis privilegio absolute à Pontifice concesso non jejunandi, non abstinendi à carnibus, dubium est apud Authores, &c. Aliqui negant: quia Pontifex concedendo illud privilegium, non censetur velle legibus municipalibus derogare; quia eas ignorare præsumitur. Palaus *num.* 3. Bonacin. *num.* 3. & 4. Sed hoc verum est, quando materia non est de rebus, quæ sub jure communi soleant cadere frequenter. Secus si sit de illis, ut in exemplis adductis: quia Superior, vel Episcopus illius loci imponendo jejunium, vel abstinentiam à carnibus, non intendit graviorem obligationem imponere, quam imponat jus commune: & consequenter virtualiter vult, ut quotiescumque aliquis in jure communi, vel in jejunio Ecclesiastico dispensationem habet, censeatur ad illud speciale jejunium dispensationem habere. Sic Salas *de legib. disp.* 17. *sect.* 10. *num.* 56. cujus opinionem ideo amplexati sumus; quia videtur durum, & difficile asserere, eum qui à Pontifice habet dispensationem, vel privilegium nunquam jejunandi, nunquam à carnibus abstinendi, etiam in Quadragesima, etiam in Vigiliis, etiam in Feriis sextis; teneatur jejunare, aut à carnibus abstinere diebus, quibus in suo loco, vel consuetudo, vel Episcopi præceptum introduxêre obligationem jejunii, vel abstinentiam à carnibus; cum illorum observantia sit gravior, sacratior, & urgentior, utpote ab Apostolis accepta, quam alia quæcumque introducta.

---

## §. II.

### *An Regulares uti possint privilegiis per Tridentinum revocatis.*

Quid certum sit in hac difficultate, & quid dubium.

130. HÆc est gravissima difficultas, multum inter Authores agitata. Et quia ad praxim multum necessaria sunt, quæ dicemus, libuit ex professo illam examinare. Porrò non loquimur in præsenti de omnibus privilegiis, quæ sunt cõtra decreta Tridentini, (cùm, ut diximus *num.* 50. non omnia, quæ sunt hujusmodi, sint per illud revocata;) sed de illis privilegiis, quibus resistit Tridentinum, per clausulam revocatoriam illorum, dicendo: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis*, & similibus verbis, cujus plura exempla affert Joannes à Cruce, *de statu Religioso lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 6. Talis autem derogatio privilegiorum aliquando ponitur in fine capitis, vel decreti, ut patet *sess.* 5. *cap.* 2. *& sess.* 23. *cap.* 12. & aliis locis. Aliquando ponitur in fine sessionis, in qua multa capita, seu decreta comprehenduntur, ut patet *ex sessione.* 25. *de Regular. cap.* 22. De istis ergo sic revocatis per Tridentinum loquimur: an modò vim habeant, ita ut illis possint uti Regulares vel in foro externo, vel in foro conscientiæ? § Et quidem, si loquamur de pri-

privilegiis extra Tridentinum, sive à jure Communi, sive ab aliis Conciliis Generalibus revocatis; omnes fere Authores affirmant in suo robore persistere, sive quia Tridentinum revocando aliqua, etiam jam ante illud revocata, cætera tacitè confirmare videtur; sive quia plures dantur Bullæ Pontificiæ, quæ omnia privilegia Regularibus concessa confirmant; dummodo Tridentino non sint contraria, quorum aliquas in præsenti adducemus, & clausula illa, dummodo Tridentino non sint contraria, ut jam diximus *num.* 50. intelligenda est de illis privilegiis dumtaxat, quæ per Tridentinum revocantur per clusulam *non obstantibus*; non vero de aliis, quæ licet contraria sint ejus decretis, per illud modo dicto non revocantur. De istis ergo, quibus Tridentinum resistit per clausulam *non obstantibus*, loquimur in præsenti

Sententia asserens privilegia per Tridentinum revocata modo habere vigorem

131. Non desunt plures, & graves Doctores, qui absolute asserunt omnia privilegia modo dicto per Tridentinum revocata, modo habere vim etiam pro foro externo, eisque posse uti Regulares, ac si revocata non essent. Sic Henriquez *lib. 7. de Indulgentiis, cap. 24. & tractatu 1. de pœnitentia, cap. 6. num. 6.* Llamas *in method. parte prima, cap. 7. §. 6.* Rodriguez *in additionib. ad summam, tomo quarto, cap. 105. & in expos. Bullæ Cruciatæ §. 5. num. 26.* Sorbus *in compend. privilegiorum, verb. processiones, §. an teneantur, & verbo interdictum num. 3.* citans Medinam, Peyrin. *tomo primo, privileg. const. 7. Pij V. §. 1. num. 2.* N. Thomas à Jesu *de procuranda omnium gentium salute, libro secundo, capite 8.* Bruno Cassaing, *tractatu primo, cap. 6. proposit. 6.* Augustinus de Bellis *in suo libello idiomate Hispano conscriptô, cujus titulus est, allegaciones en derecho.* Bassæus *in floribus Theolog. verb: Missa, cap. 8. num. 9.* & probant suam sententiam: quia Pius V. in Bulla incipiente: *Etsi Mendicantium Ordines*, expedita 17. Julij 1567. Pontificatus sui anno 2. quæ habetur in Bullario Magno, & apud Rodriguez in suo Bullario, confirmat in favorem Regularium omnia privilegia Eorum, quæ erant per Tridentinum revocata, & si in contrarium dicas (quod certe dicendum est) Gregorium XIII. postea in Bulla incipiente: *In tanta rerum, & negotiorum mole*, expedita Kalendis Martij, anno 1573. Pontificatus Sui anno 5. revocasse illam Bullam Pij V. & omnia reduxisse ad terminos ipsius Concilij. § Dicunt primo Bullam Gregorij XIII. revocatoriam Bullæ Pij V. nullam habuisse vim: quia & si Pontifex intentum habuerit illam publicandi; nunquam tamen eam publicavit, etiam Romæ; quod probant ex eo, quod Doctissimus Navarrus in Curia tunc temporis existens, id asseruit *in Manuali Latin. cap. 27. in fine.* Quod etiam asserit Pater Donatus *tomo primo, tractatu 16. quæstione 8. numero 5.* § Secundo dicunt, quod licet Bulla Gregorij fuerit publicata; tamen postea idem Gregorius XIII. revocavit suam Bullam, confirmavitque privilegia Minorum, cum clausula derogatoria suæ ante dictæ Constitutio-

nis, per Bullam expeditam die 25. Maij, anno 1575. quæ incipit: *Ex benigna*, confirmans privilegia omnia, tam vivæ vocis oracula, quam Bullata, tam per concessionem, quam per communicationem; motu proprio, & ex certa scientia. Quam Bullam adducit Rodriguez *in suo Bullario*, *Bulla 1. hujus Pontificis.*

Fundamenta prædictæ sententiæ dissolvuntur.

132. Sed ex his fundamentis male probatur hæc sententia. Nam Bullam illam Gregorij XIII. revocatoriam Bullæ Pij V. constat esse publicatam Romæ, & affixam ad Valvas Basilicarum Principis Apostolorum, S. Joannis Lateranensis de Urbe, & in acie Campi-Floræ per Joannem, & Marcum Antonium Brutum Cursorem ejusdem Pontificis; & fuit registrata per Cæsarem Secretarium, & fuit apposita inter alias Bullas Cameræ Apostolicæ, & habetur *tomo secundo, apud Cherubinum inter Bullas hujus Pontificis.* Nec Authoritas Navarri est in oppositum: nam non loquitur ibi de Bulla revocatoria Gregorij XIII. sed de alia Bulla ipsius Pij V. qua voluit moderare suam primam Bullam propter magna inconvenientia, præter suam spem, sequuta ex priori; & morte præventus non potuit illam edere, & publicare: & de hac loqui Navarrum, ostendit Lezana *tom. 2. cap. 1. numero 14.* illius verbis ex professo adductis, N. Petrus ab Angelis *in speculo privileg. disp. 7. sect. 1. à num. 4.* Quare esse Publicatam dictam Bullam tenent Machado *tom. 2. lib. 4. part. 6. tract. 10. document. 11. num. 4.* Nicolaus Bravo *in tract. Monast. cap. 1 num. 9.* Cherubin. *in compend. Bullar. tom. 2. const. 9. Gregorij XIII. col. 1.* Quaranta *ad eandem Bullam.* Diana *11. parte, tract. 2. resol 6.* Manuel Rodriguez *qq regul. tom. 3. q. 74. art. 16.* Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 17. q. 1. num. 16.* & alij communiter. Unde primus Author, qui sequutus est Navarrum, eum male intellexit, & alij qui eum ut oves ovem, & aves avem sequuti sunt, etiam sunt manifeste decepti. § Nec secundum, quod hæc sententia pro se adducit, ei favet: nam Bulla illa secunda Greg. XIII. *Ex benigna*, non revocavit primam, *In tanta rerum mole*, quatenus favebat Tridentino, cum in ea addatur; *Quatenus sunt in usu, & sacris Canonibus, ac decretis sacri Concilij Tridentini non adversantur*: ut videre est apud Rodriguez in Bullario, & apud Cherubin. *loco citato*, ubi de verbo ad verbum adducitur talis Bulla.

Duplex specialis Bulla adducitur in favorem prædictæ sententiæ.

134. Melius tamen probaretur illa sententia ex Bulla Gregorij XIII. expedita 11. Februarij anno 1582. apud Rodriguez *in Bullario, Bulla 23. Gregorij XIII.* qua ex motu proprio, certa scientia, & de Apostolicæ plenitudine Potestatis confirmavit omnia privilegia Societatis Jesu, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, ab omnibus suis Prædecessoribus concessa; qualiacumque sint, & ea omnia, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur pro expressis haberi voluit, & nullam clausulam restrictivam apposuit, nec ex non usu, nec ex revocatione, aut contrarietate ad Concilium Tridentinum, eis derogari decrevit; quæ fuit maxima

maxima concessio, qua aliæ Religiones communicantes cum Societate, fruuntur. § Vel ex alia Bulla Gregorij XIV. expedita 24. Septemb. anno 1591. Camaldulensibus concessa. Ubi *in* §. 11. communicat eis omnia, & singula privilegia cujuscumque Ordinis, & Congregationis tam virorum, quam mulierum Regularibus quomodolibet concessa, & concedenda: etiam si talia sint, vel fuerint, quæ specialem, & individuam requirant mentionem, seu in præsentibus de verbo ad verbum insertionem, seu particularem expressionem perant, & addit: *Eis Authoritate, & tenore perpetuo communicamus, extendimus, & concedimus aque, & pariformiter, & absque ulla penitus differentia (perinde ac si illis, & Eorum singulis personaliter, & specialiter, & expresse, ac nominatim, nec non ad instar concessa essent) uti, frui, potiri libere, & licite posse, & valere.* Et nullam apponit restrictionem non usus, nec decretorum Tridentini; sed potius §. 15. in derogatoriis derogatoriarum derogat omnibus, & quibuscumque contrarijs, sub quibuscumque clausulis, tenoribus, & verbis, à suis Prædecessoribus emanata; etiamsi de verbo ad verbum essent inserenda ad sui revocationem, quæ fuit maxima concessio, & videtur dictæ sententiæ opitulari, sic discurrendo.

Ex dictis Bullis deducitur ratiocinium.

135. Quia quoties in Decretis Pontificum confirmantibus, vel communicantibus omnia, & singula privilegia, à Suis Prædecessoribus emanata, non apponitur clausula: *Quatenus non contrariantur Concilio Tridentino*, est probabilissimum illud revocare, quatenus est revocativum privilegiorum, seu quatenus illis obsistit, uti docte probat Franciscus Samaria Samuellius *tom. 1. de elect. Canonic. tractatu 1. controvers. 11. num. 9. & 10.* Hieronym. Garcia *in Politic. Regul. tom. 1. tractatu 8. diff. 4. dub. 4. num 6.* Bonacin. *tom. 1. disputat. 2. de excommunic. quæst. 5. punct. 2. num. 8.* Barbos. *in collectan. Concilij session. 25. cap. 21. de reformat.* Quia respectu Tridentini reservavit sibi Pontifex authoritatem ad illud revocandum, vel contra illud aliquid decernendum. Ideoque si non exprimit se nolle derogare Tridentino per clausulam: *Quatenus Tridentino non adversantur*, in concessionibus, & confirmationibus illi contrariis, censetur velle derogare illi: quia quando non vult, per dictam clausulam, illud exprimit: ob quam rationem frequentissime ponunt Pontifices dictam clausulam, quando nolunt in suis concessionibus Tridentino derogare, ut pluribus adductis eorum Bullis, & exemplis, late probat N. Petrus ab Angelis *in specul. privileg. disput. 7. sect. 2. per totam.* Sed in duabus Bullis adductis, confirmant, & concedunt omnia, & singula privilegia, eaque de novo communicant, cum extensionibus, & ampliationibus numero præcedenti recensitis; sine eo, quod apponant clausulam; *quatenus Tridentino non adversantur*, ut ibidem vidimus: ergo videntur confirmare, & innovare omnia privi-

legia per Tridentinum revocata, illique derogare, ut erat revocativum illorum: & sic erunt in suo robore, eisque uti poterunt Regulares, & omnibus privilegiis à Tridentino per clausulam *non obstantibus*, revocatis.

Privilegia per Tridentinum revocata, vim non habent pro foro externo.

136. Sed nihilominus dicendum est primò. Omnia privilegia contra Tridentinum cum clausula *non obstantibus*, sive dicta clausula sit initio decreti, sive in medio, sive in fine, saltem pro foro externo extincta omnino esse, nec postea vim recuperasse, quamvis ex motu proprio, & certa scientia, & de plenitudine Potestatis confirmata videantur; nisi cum clausula expressa; *non obstante Concilio Tridentino*. Quorum nullum usque modo emanasse scimus, confirmativum absolute privilegiorum. Et ratio est: quia licet Pius V. in Bulla illa *Etsi Mendicantium*, confirmaverit pluta privilegia, etiam contraria Tridentino, ob lites, & dissensiones in praxi ortas ex illa, inter Regulares, & Episcopos; Gregorius XIII. tamen in Bulla illa, *In tanta rerum, & negotiorum mole*, revocavit dictam concessionem, ut jam diximus; & talem Bullam fuisse publicatam ostendimus, *num.* 132. & inposterum ipse, Ejusque Successores, etiam in amplissimis concessionibus, & confirmationibus privilegiorum illam clausulam adjiciunt frequentissime: *Dummodo decretis Tridentini non sint contraria*. Et quamvis aliqua Bulla absolute concessa, reperiatur absque illa clausula; ut recensitæ *num.* 134. reperiuntur; praxis tamen, & usus omnium Tribunalium ostendit explicandam esse, cum tali clausula subintellecta. Quia per hoc, quod Pontifices omittant illam, si non ponunt expresse contrariam, non ob id censentur contra Tridentinum concedere, nec illius Decretis derogare; quia in generali concessione non veniunt ea, quæ rarò, & difficillime solent concedere. Ita Layman, *tract. 4. de legib. cap. 23. q. 4.* Tamburin. *disput. 18. quæst. 6. num. 3.* Suarez *tractat. 8. de legib. cap. 19.* Lezana *tom. 2. cap. 1. num. 58. & cap. 15. numero 18.* Joannes à Cruce *libro secundo, capite tertio, dub. 6 conclus. 3.* Ludovicus Lopez *in Summ. prima parte, capite 8.* Portel. *in dubiis Regular. verbo privilegium, numero 64* Miranda *tomo primo, quæstione 39. articulo primo, & tomo secundo, quæstione 42. articulo 3.* Garcia *tractatu 8. diff. 1. dub. 5. numero septimo*, Machad. *tomo secundo, libro quarto, parte sexta, tractatu 10. document. 11.* Pellizzar. *tomo secundo, tractatu 8. capite primo, numero 81.* Diana *parte 11. tractatu secundo, resolut. 6.* Horum Authorum aliqui absolute loquuntur, & sic saltem pro foro externo debent intelligi. Alij etiam pro foro conscientiæ id asserunt, in quo cum illis non convenimus, ut in conclusione secunda dicemus.

Plures declarationes Concilij, & hæc non fuisse revocata tæ, reperiri in Bulla illa Pij V. quæ non sunt cilij à Pio privilegia, sed Declarationes ipsius V. posper Bullam revocatoriam Gregorij XIII. & sic modo in suo robore persistere. Quia multa in illis Declarationibus Pij V. inventa, reperiuntur Greg. XIII. con-

137. Sed hic advertendum duximus ex communi consensu Doctorum utriusque sententiæ; multa reperiri in Bulla illa Pij V. quæ non sunt privilegia, sed Declarationes ipsius V. post Concilij, & hæc non fuisse revocata tæ, revocatoriam Gregorij tæ non

confirmata à Clemente VIII. Urbano VIII. & à Sacra Congreg. Trident. Nam Declaratio Pij V. circa *sessionis 22. cap. 9*; videlicet, quod sæculares possint audire Missas, & conciones in Ecclesiis Regularium diebus festivis, fuit confirmata à Clemente VIII. ut refert Hieronym. Rodriguez *resolut. 25. num. 5.* & ab Urbano VIII. anno 1625. Et Declaratio illa circa *sessionis 23. c. 15. & sessionis 25. cap. 10.* quod Confessarij Monialium Exemptarum non examinentur ab Ordinario, confirmata fuit à Sacra Congregat. Trident. ut refert Barbosa *in remiss. ad cap. 10. sess. 25.* & declaratio illa circa *sess. 5. cap. 2.* Quod concionatores ad prædicandum in propriis Ecclesiis non sunt examinandi ad Ordinario, fuit confirmata à Sacra Congregatione, prout refert Reginaldus *lib. 18. n. 123.* & Declaratio illa, *circa sess. 25. cap. 5.* quod Episcopus non possit dare licentiam, ad ingrediendum in Exemptarum monasteria Monialium, confirmata fuit ab Eadem Sacra Congregatione, ut inquit Barbosa, *ad sessionis 25. cap. 5. Tridentini.* Ac denique Declaratio *circa sessionis 25. cap. 13.* quod quarta funeralis non intelligatur, nisi de illo quod affertur, fuit etiam confirmata à Sacra Congregatione, ut multi asserunt, & suo loco dicemus; & sic de quibusdam aliis Declarationibus, de quibus multoties toto hoc tractatu dicemus.

Pro foro conscientiæ possunt Regulares uti privilegiis à Tridentino revocatis.

138. Dicendum est secundo, posse Regulares pro foro conscientiæ uti omnibus privilegiis à Tridentino revocatis, & à Pio V. confirmatis, adhuc stante Bulla Gregorij XIII. revocatoria constitutionis Pii V. & omnium privilegiorum, quæ Tridentino adversantur. Probatur conclusio primo: Quia Gregorius XIII. in illa Bulla loquitur de privilegiis confirmatis à Pio V. contra disposita, & ordinata in Tridentino; non utcumque, sed prout ex illis litigia, & perturbationes inter Religiosos, & Episcopos in foro externo poterant exoriri, ut evidenter patet ex proœmio dictæ Constitutionis (ex quo ut diximus, mentem Principis concedentis privilegium, vel legem statuentis maximè venari debemus) ubi sic ait: *Demum animadvertens, quod ea omnia multis dubitationibus involuta, magnisque difficultatibus obstructa, multas, magnasque dissensiones, & altercationes, & lites inter Prædictos locorum Ordinarios, & Fratrum ipsorum Ordines, non sine gravi Divini cultus, & animarum detrimento, ac populorum scandalo concitaverint;* &c. § Secundo probatur ex vivæ vocis oraculo Pij V. relato à Rodriguez *tom. 2. Bullar. ad finem Bullæ Pij V. & in compend. Societ. titul. de Concil. Trident. §. 3. sub anno 1566.* in quo Minoribus concedit, ut uti possint omnibus Suis privilegijs etiam revocatis à Tridentino, pro foro conscientiæ tantum. Quod privilegium, per communicationem extenditur ad alios Ordines: nec revocatum fuit hoc oraculum per Bullam illam revocatoriam Gregorij XIII. eo quod ibi solum loquitur de privilegiis, non de oraculis, & ut diximus supra, (& est sententia Innocentij in *cap. constituimus, num. 2.* Lezan. *tom. 1.*

*cap. 3. num. 21.* Peyrin. *tom. 1. privileg. ad constitut. 17. Julij 11.*) licet in favorabilibus oracula, nomine privilegiorum veniant, non tamen in odiosis, aut revocationibus, nisi de eis expressa mentio fiat: & quamquam omnia oracula à Gregorio XV. & Urbano VIII. amplissima revocatione oraculorum, revocata fuerint; nihilominus non obest modò dictis, jam enim innuimus *tract. 16. c. 3. num. 53. & 59.* & latius *cap. sequenti* agentes de revocatione oraculorum; & dicemus non esse intelligendam de oraculis, quorum usus pro foro externo nullam perturbationem aut inquietudinem generat. Quare conclusionem nostram ex his, & aliis fundamentis deductam tenent Pater Hinojosa *in director. decis. Regul. verb. confirmatio gratiæ decis. 4.* Henriquez *lib. 7. de indulgentiis, cap. 4. num. 8.* Antonius à Spiritu sancto *in direct. Regular. tract. 1. disput. 1. num. 118.* Rodriguez *quæst Regular. tom. 3. quæst. 15. art. 6.* Petrus ab Angelis *in specul. privileg. disp. 6. sect. 3. à num. 5.* Sanchez *in summa, tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 16.* Leander à Murcia Capuccinus *quæst. 19. super Regul. ad cap. 6. Regul. num. 33.* Vega *in sum. 4. part. cas. 38.* Joannes Præpositus *tertia parte, q. 83 art. 3. num. 151.* Bartholomæus à Sancto Fausto *in thesaur. Relig lib. 5. quæst. 167. num. 2.* & probabilem dicit Portel. *in dubiis Regul. verb. privileg. num. 64.* & Diana *3. part. tract. 2. de dubiis Regul. resolut. 59.* licet pro opposita sententia non desint plures, & graves Authores ei patrocinantes.

## PUNCTUM IX.

### *An duret privilegium post mortem concedentis, aut privilegiati?*

139. PRo intelligentia eorum, quæ in hoc puncto dicenda sunt, explicare prius oportet tria; ex quorum notitia, maximè hujus materiæ cognitio dependet. Nimirum quid sit *rescriptum gratiæ, & justitiæ?* Quid sit *rem esse integram, & esse inceptam?* Quid sit *gratia facta, & gratia facienda?* Igitur *rescriptum justitiæ*, est privilegium, vel potestas, quæ datur ad exercendos actus justitiæ, sive civilis, sive criminalis: ut facultas cognoscendi de tali causa, exercendi jurisdictionem in foro conscientiæ, &c. *Rescriptum gratiæ*, quando aliquid indulget gratiosè conferendum: ut ad dispensandum, & absolvendum, & sic ex parte actuum, ad quos datur rescriptum, in gratiæ, & justitiæ rescriptum bipartitur. Sanchez *lib. 8. de matrim. disputatione 28. à numero octavo*, Palaus *tomo primo, tractatu 3. disputatione 4. punct. 16. §. 1. à num. 1.* Quid sit rescriptum gratiæ, & justitiæ?

140. In rescriptis justitiæ, quando judex incepit uti jurisdictione sibi data, dicitur *res incepta*: ut si assignavit locum judicij, nominavit Notarium, testes percipere cœpit, litteras redigere in publica forma; quia tunc jurisdictio *integra* non est, sed potius *cepta, cap. licet undique, de officio delegati, cap. si à subdelegat. eod. tit. in 6.* Et hoc Quando dicitur res integra quando incepta?

hoc etiam ante citationem: quia licet citatio sit primus actus judicij; non tamen jurisdictionis; cum ante illam pluries exerceri possit jurisdictio. Bonacin. *disput. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 1. num. 22.* Sylvester *verb. delegatus, quæst 6.* & valde probabile dicit Sanchez *loco citato.* Quamvis ipse cum aliis rem integram esse ante citationem dicat, & desinere per eam. Sed notat Palaus *supra n. 10.* ex Molina *tract. 5. disp. 19. num. 4.* Quod si alicui munus delegetur, in cujus exercitio citatione non indige; ut visitandi aliquam domum, vel Provinciam Religiosorum: Tunc prima illius muneris exercitatione dicitur *capta* jurisdictio, quia non habet alium modum inceptionis. Unde fit, quod, quia in rescriptis gratiæ non habet locum citatio judicialis; loco illius succedit, ut *res capta* dicatur partis vocatio, cum qua est dispensandum. Nam hoc ipso, quod Authoritate rescripti, vocet eam, *res capta*, dicitur, & desinit esse *integra.* Vel si mandet informationem fieri de veritate causæ, vel aliud efficiat, quod sit usus authoritatis per rescriptum collatæ; at per præsentationem rescripti *res capta* non intelligitur; quia talis præsentatio, usus non est jurisdictionis per rescriptum concessæ, sed dispositio ad talem usum. Sanch. *n. 20.* Palaus *n. 11.* Felinus *in cap. pastoralis. §. quoniam, n. 3. de rescriptis.*

Quando gratia facta, quando facienda dicatur.

141. Tunc dicitur *gratia facta*, quando indifinitè, & generaliter conceditur, vel quando tota gratia videtur esse ejus, cui conceditur independenter ab alio cui facienda committitur: ut si alicui detur gratia providendi de personis idoneis, ad beneficia vacatura. Tunc dicitur *facienda*, quando non tibi ob tuam gratiam, sed ob favorem aliorum, conceditur privilegium: ut si tibi detur facultas providendi certæ personæ; quia non videtur gratiâ tui concessa, cum tibi non detur libera facultas conferendi, seu providendi quibus malueris, seu de beneficiis, quæ volueris; sed gratiâ illius cui providendum est: quia in ejus commodum, & utilitatem cedit. Quæ omnia habentur *cap. si cui nulla. de præbendis in 6.* Circa quem textum observat Nicolaus Garcia *6. part. de beneficiis, cap. 2. §. 2. à num. 304.* Bassæus *verb. privileg. 3. num. 11.* Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 18.* Bonac. *disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 1. num. 23. & 24.* Sanch. *lib. 8. de matrim. disp 28. num. 87.* Facultatem Petro concessam de provisione certæ personæ in aliquo beneficio, vel de absolutione, dispensatione facienda in ejus favorem, qui est dispensandus, vel promovendus; esse *gratiam faciendam*, Si Petrus potest liberè uti illa facultate; & si ex præcepto, aut mandato illâ uti tenetur, esse gratiam factam. § Ratio primi est, quia tunc nec dispensatio, aut absolutio est facta dispensando cum non sit in Ejus favorem expedita; vel absolvendo, quia hoc ipso, quod relinquatur arbitrio dispensantis velit ne illam impendere vel non, nullum est jus Ei qui deinde dispensatur quæsitum ad dispensationem, & sic non est Ei facta gratia. At cum tenetur

dis-

dispensator ea uti, jam dispensando facta est gratia, cum jam acquisierit jus ad rem, cum alius teneatur illi gratiam impendere. § Sed hoc limitandum est, ut intelligatur de mandato providendi certæ personæ, de beneficio determinato, vel dispensandi cum certa persona, de re certa, & determinata: aliàs non esset *gratia facta*, sed *facienda*. Quia cum non determinetur in quo gratia fiat, non potest dici jam facta, sed magis in posterum facienda, *cap. si cui nulla. citat.* Garcia *num.* 301. Palaus *disputatione quarta, punct.* 16. §. 2. *num.* 4. Molin. *tract.* 5. *disput.* 20. *num.* 2. *in fine.*

Rescriptum justitiæ morte delegantis expirat

142. Quibus suppositis asserendum est primo: quod si rescriptum sit justitiæ, seu jurisdictio delegata, expirat finita jurisdictione in delegante, ut quia iste mortuus est, vel amotus ab officio, & alius assumptus, dum res delegata adhuc erat integra; hoc est dum adhuc non erat inchoatus usus facultatis à delegante collatæ; *cap. gratiam, cap. relatum, de officio delegati, cap. si cui nulla. de prabendis in* 6. Et ratio est: quia licet per rescriptum delegatus jurisdictionem acquirat; non radicatur in illa, usque dum ea uti cœperit: ergo pereunte in delegante jurisdictione, perit in delegato, uti diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *de censur. cap.* 1. *num.* 34. & tenet Covar. *quæst. pract. c.* 11. *num.* 2. Bonacin. *suprà num.* 24. Bassæus *n.* 13. Sanchez *num.* 36. 57. 94. Palaus §. 3. *num.* 1. nisi adsit communis error, & ignorantia, tam in populo, quam in delegato. Nam communis error cassatæ jurisdictionis sufficit, ut gesta delegati valeant, cum in eo præsupponatur titulus coloratus. Bonacin. *num.* 30. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 22. *num.* 59. Basil. *de matrim. lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 2. Cæterum per hoc quod eo tempore inchoet jurisdictionem, non firmatur in illâ: quia firmari non potest in jurisdictione quæ jam non est. Delegatus autem nullam ex rescripto habet jurisdictionem, & solum habet illam ex communi errore vulgi, in ordine ad validitatem actuum, ob communem utilitatem ex *l. Barbarius, ff. de officio prætoris.* Basil. *num.* 4. Palaus *num.* 3.

Rescriptum gratiæ non expirat morte concedentis, si sit gratia facta.

143. Asserendum est secundo: quod si sit rescriptum gratiæ, sive sit purè favorabile, sive sit odiosum, & contrarium, aut in præjudicium tertij; non expirat talis gratia, si sit *gratia facta* absolutè, & sine restrictione ad mortem, vel amotionem concedentis; quia est quædam quasi donatio; donatio autem non cessat morte donantis. At vero, si sit *gratia facienda*, & res sit integra expirat morte concedentis; propter ea quæ de delegato diximus: quia eadem ratio in hoc casu currit. Secus vero si sit res incæpta; quia jam radicatur, & firmatur in illo, *cap. si super gratia, de officio delegati in* 6. *cap. si cui nulla de prabendis, eod. lib.* ut diximus *tract.* 11. *de legibus, cap.* 5. *num.* 95. & ex communi sententia docet Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 28. *num.* 64. Filliucius *tract.* 10. *quæst.* 10. *cap.* 20. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 23. *num.* 18. Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. §. 1. *num.* 19. Suarez *de legibus, lib.* 8. *cap.* 31. *n.* 1. Guttier. *canon. quæst. lib.* 1. *c.* 15. *n.* 24. & *lib.* 2. *c.* 17. *initio.*

144. Ex

Licentia ad confessiones audiendas, morte concedentis non exspirat.

144. Ex quo sequitur primò, licentiam concessam sacerdoti audiendi confessiones pœnitentium, per Episcopum, vel Pontificem, non petire morte concedentis: quia est gratia & favor factus præcipuè ipsi sacerdoti, potius quàm pœnitentibus: Quia nec ipsi expressi, & nominati sunt, nec ad eorum petitionem concessa est. Gratia autem facta non perit morte concedentis. Et licet sit jurisdictio delegata, non ob id dicendum est exspirare: quia solum in materia justitiæ, jurisdictio delegata perit morte delegantis, eò quòd ita habetur *cap. gratum, cap. relatum, cap. licet, de officio delegati*, non in rescriptis gratiæ, de quibus nihil determinatur in jure. Bassæus *verb. privileg. 3. num. 13.* Sanch. *num. 72.* Palaus §. 4. *num. 3.* Basil. *de matrim. lib. 8. cap. 19. §. 1. num. 2.* Bonacin. *num. 24.* Layman. *num. 18.* Suarez *lib. 8. cap. 81. numer. 3.* Sayr. *de Censur. lib. 7. c. 14. n. 7.* Salas *de legibus, disp. 20. sect. 17. versu dico sexto.* Garcia *de benefic. sexta parte, cap. 2. num. 321.*

Si gratia sit facienda exspirat morte concedentis.

145. Sequitur secundò: quòd si detur Petro indultum, ut absolvat determinatas aliquas personas, vel cum illis dispenset ob illarum favorem, (ita tamen ut relinquatur ejus arbitrio usus indulti) & res sit integra, exspirat morte concedentis, quia est gratia *facienda*, non facta. Gratia autem facienda morte concedentis spirat re integra manente. Sanch. *nu. 73.* Bassæus *num. 13.* Garcia *num. 327.* Bonac. *num. 24.* licet sit probabile gratiam illam concessam esse etiam in favorem ipsius Confessoris, & sic esse gratiam factam; proindeque non exspirare morte concedentis, eò quòd ipse ut magis idoneus electus sit ad illam dispensationem concedendam; & sic tuta conscientia potest illa uti, etiam post mortem concedentis. Palaus §. 4. *num. 5.* Salas *disput. 20. sect. 17. fine.* Suarez *cap. 31. num. 18. ad finem.* Basil. *lib. 8. cap. 19. §. 1. num. 5. & 8.*

Facultas per Bullam, vel Jubilæũ concessa morte concedentis non cessat.

146. Sequitur tertiò: facultatẽ mihi concessã, v. g. per Bullam, vel Jubilæum eligendi Confessorem, sive determinatum sive indeterminatum, ut absolvat me à reservatis, vel dispenset mecũ in votis, irregularitatibus, &c. nõ perire adhuc re integra, morte cõcedentis. Et idem est de facultate recipiendi Ordines extra tempora, vel non servatis interstitiis, celebrandi, vel audiendi Missam in Oratorio privato, comedendi carnes diebus prohibitis, & de aliis similibus; quia istæ omnes sunt gratiæ *factæ* mihi, & beneficium legitimè à me possessum, non verò *faciendæ*: sed gratia facta non exspirat morte concedentis, quia jam facta est: ergo, &c. Ita Sanchez *lib. 8. disp. 28. num. 72. 75. & 78.* Garcia *de benefic 3. part. cap. 2. numer. 315. 317. & 318.* Basil. *num. 7. & 9.* Suarez *cap. 31. num. 3. & 19.* Bonacin. *num. 27.* Palaus §. 4. *num. 7.* Henriquez *lib. 7. cap. 21. §. 6.* § Ex quo sequitur, quòd cùm omnia privilegia, gratiæ, concessiones factæ Religionibus, sint gratiæ in illarum favorem factæ, nulla ex illis exspirat morte concedentis, ut omnes tenent.

Dispensationes

147. Sequitur quartò: non exspirare morte concedentis dispensatio

commissæ Ordinariis, non exspirant morte Pontificis.

nes, quæ committuntur expediendæ, *si preces veritate nitantur*, & expediri posse ab ipsis Ordinariis, etiamsi res integra fuerit, quia fuit gratia facta ipsi dispensando. Tunc enim gratia censetur facta dispensando, quando delegatus, qui expediturus est dispensationem, est executor necessarius, ut *num.* 141. dicebamus, & tenent Bonacin. *num.* 23. Basil. *num.* 7. Sanchez *num.* 87. Suarez *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 9. Palaus *num.* 8. Garcia *num.* 312. §. Et idem est de facultate testandi concessa Episcopis à Papa; quia est gratia ipsis facta, quæ non exspirat morte Pontificis, qui concessit adhuc re integra, etiamsi litteræ expeditæ non fuerint, quia est perfecta gratia, eo ipso quòd Pontifex dicat, *fiat*. Sanchez *num.* 28. Garcia *num.* 328. Palaus *num.* 11. § Nec similiter cessat privilegium, ante mortem concedentis non acceptatum, sed potest post mortem illius acceptari à privilegiato, antequam revocetur à successore (à quo procul dubio revocari potest) quia jam ex parte concedentis gratia facta est. Suarez *lib.* 8. *cap.* 31. *num.* 21. Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio, disp.* 28. *num.* 43. licet cum aliis oppositum dicat Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. §. 1. *n.* 28. qui tamen probabilem dicit nostram sententiam.

Alia quæ sequuntur ex dictis.

148. Sequitur quintò: quòd si à Pontifice, vel ejus Legato detur rescriptum, & mandatum, ut Petro provideatur in aliquo beneficio tunc jam vacante, talis gratia adhuc re integra, non exspirat, etiamsi concedens ante provisionem moriatur; quia jam acquisivit jus ad rem: & sic fuit gratia facta, hoc ipso quòd impetravit mandatum de provisione certi beneficii, secundùm dicta *num.* 141. Sanchez *num.* 87. Palaus §. 4. *num.* 10. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 17. *n.* 7. § Ac denique, si rescriptum gratiæ, concessum sit pro aliquo tempore limitato, v. g. pro spatio unius anni, (ut sunt privilegia Bullæ crucialæ) valet per totum annum; etiamsi intra illud moriatur concedens; quia jam est gratia facta pro illo anno. Basil. *lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 7. Sanchez *disput.* 28. *à num.* 50. *&* 78. Palaus §. 5. *num.* 1. Suarez *lib.* 8. *cap.* 32. *num.* 10. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 21. *numer.* 4.

De privilegiis cum aliquibus clausulis concessis.

149. Sed inquires primò. An privilegium, vel gratia concessa sub illis verbis: *Donec voluero, ad placitum nostrum, quousque fuerit nostra voluntas*, pereat morte concedentis? § Ad hoc jam diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legibus, cap.* 5. *num.* 91. perire: quia mens concedentis sub hac forma, est ut privilegium à voluntate ipsius positiva, nedum negativa, id est non contraria, dependeat. Et cùm eo mortuo amplius non habeat voluntatem; nec ab ea poterit pendere privilegium, dicendum erit post mortem illius cessare. § Aliud est si diceret, *donec revocavero*: quia ut cesset privilegium, requiritur positivus actus revocationis, quem non habuisse ante mortem supponimus, & post illam habere non posse constat, & sic adhuc post illam, in suo permanet vigore. Si autem cum clausula ad voluntatem Sedis Apostolicæ expediatur; adhuc mortuo concedente, durabit: quia

hæc

hæc verba ad Dignitatem Pontificiam diriguntur, quæ semper durat. Salas *de legibus, disp. 20. sect. 17. n. 125* Suarez *de leg. l. 8. cap. 8. nu. 1.* Sanchez *lib. 8. de matr. disp. 28. n. 49.* Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. n. 17.* § Sed non caret probabilitate, per illa verba primò adducta, privilegium aut gratiam non exspirare morte concedentis; sed durare, quousque revocentur: quia videntur in communi modo loquendi, æquivalere illa verba *ad beneplacitum nostrum*, illis verbis *donec revocavero*, seu aliter ordinavero: quia dum aliter non ordinatur, semper eadem esse, ac durare voluntatem videtur. Sic *cit.* Salas, Palaus *tract. 3. disp. 4. punct. 16. §. 5. num. 5.*

Quando morte privilegiati, rescriptum justitiæ, vel gratiæ exspirat.

150. Inquires secundò: An rescriptum gratiæ exspiret morte privilegiati, vel rescriptum justitiæ morte delegati, aut ejus finito officio? § Respondetur, quòd tribus modis fieri potest delegatio: aut expresso nomine delegati tantùm; aut illo tacito, expresso Officio, aut Dignitate; aut expresso utroque. Si primo modo fiat rescriptum, regulariter censetur personale; nisi ex subjecta materia, & circumstantiis oppositum colligatur: ideoque exspirat morte delegati, nec transit de persona in personam: *quia destructis nobis, destruuntur ea, quæ sunt in nobis.* Si expresso Officio regulariter est reale, & adhæret Officio, transitque ad successores in Dignitate, sive res sit integra, sive inceptа; quia hoc non immutat concessionem, quæ hoc ipso quod fiat, & facta sit Dignitati, cum illa durat. Si Dignitatis, & personæ nomen exprimatur in concessione, judicanda est non realis, sed personalis; nisi aliunde oppositum colligatur: quia nomen personæ ibi positum, restringere videtur universalem significationem, provenientem ex nomine Dignitatis: & sic facit, quod solum unicæ personæ communicetur rescriptum, & non pro omnibus habentibus illam Dignitatem. Sic Bassæus *in floribus verb. privileg. cap. 3. numer. 10.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. numer. 92.* Tambur. *tom. 1. disp. 16. qu. 11. num. 2. & 3.* Sanchez *lib. 8. disp. 27 à num. 6.* Bonac. *disp. 1. quæst. 3. punct. 8. § 1. à n. 1.* Palaus *punct. illo 16. §. 6. à n. 2.* Salas *disp. 20. sect. 17. nu. 124.* § Idem cum proportione sentiendū est de rescripto gratiæ. Limitant autem prædicti Authores præcedentē doctrinam, ut intelligatur in ultimo casu, commissionem esse personalem; nisi ex circunstantiis redderetur vel damnosa alteri, injusta, vel inutilis: quia semper in casu dubii præsumendum est delegantem, non velle suam dispensationem injustam, vel inutilem esse. § Ex quo sequitur commissiones per se loquendo, esse personales.

# CAPVT II.

## *De cessatione, seu amissione privilegii.*

MVLTIS modis considerari potest, quod privilegium cessetꝫ Vel morte concedentis(de quo diximus *cap.præced.dub.ultim.*)vel temporis lapsu,vel cessatione causæ finalis, vel per renuntiationem privilegiati,vel per revocationem concedentis, vel per non usum, seu abusum ipsius; de quibus omnibus hoc capite agemus, quod continet octo puncta.

PUNCT. I. *Qualiter lapsu temporis, cessatione causæ finalis, & renuntiatione cesset privilegium?* n.1.

PUNCT. II. *Qualiter per non usum, vel per contrarium usum, vel per abusum deperdatur privilegium?* n.9.

§. I. *Certa apud Authores circa præsentem materiam proponuntur.* num.10.

§. II. *Triplex conclusio pro resolutione puncti proponitur.* n.13.

§. III. *Ex dictis corollaria quædam inferuntur.* n.18.

PUNCT. III. *Qualiter per revocationem privilegia cessare possint, & quis ea revocare valeat?* num.26.

PUNCT. IV. *Qualiter revocanda sint privilegia,ut debitum effectum sortiatur revocatio?* numer.38.

PUNCT. V. *Quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur?* num.45.

PUNCT. VI. *Qualiter viva vocis oracula revocata fuerint à Gregorio XV. & Urbano VIII.* numer.49.

§. I. *In quo differat Oraculum à Bullato privilegio? & quæ sint Oracula, quæ certo non sunt à dictis Pontificibus revocata?* numer.50.

§. II. *An privilegia Vivæ Vocis Oraculo concessa, & postea confirmata per Bullam, transierint in privilegia Bullata, taliter, quòd per revocationes dictas Oraculorum non sint revocata?* num.56.

§. III. *Qualiter Oracula, quæ sortita sunt suum effectum ante revocatorias, non sint per illas abrogata?* n.65.

PUNCT. VII. *De confirmatione privilegiorum, sub qua forma;*

*ma, & modo fieri soleat?* numer. 68.

PUNCT. VIII. *An per confirmationem privilegiorum unius Ordinis, aliorum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in privilegiis?* num. 76.

## PUNCTUM I.

*Qualiter lapsu temporis, cessatione causæ finalis, & renuntiatione cesset privilegium?*

Per temporis lapsum quando privilegium cesset.

1. QUANDO privilegium conceditur pro tempore determinato, hoc ipso, quod tempus illud prætereat, cessat ipso facto privilegium: quia solum pro eo tempore fuit animus concedentis, illud conferre. Quando verò privilegium absolutè conceditur, nulla temporis facta determinatione, nisi oppositum ex materia privilegii, vel ex aliis circunstantiis de mente concedentis constet, nullo temporis lapsu deperditur; sed semper durat, quousque legitime revocetur; vel contra illud modo dicendo *puncto sequenti* præscribatur, ut est communis sententia Doctorum, nisi temporis lapsu conditio cesset, sub qua fuit concessum privilegium: quia tunc jam constat de mente concedentis, quæ alligata fuit illi conditioni; qua proinde cessante, privilegium cessat; sicut quælibet alia gratia, donatio, vel obligatio sub conditione susceptа, conditione non apposita, penitus evanescunt.

Quando non appositio conditionis privilegium suspendat, vel destruat?

2. Sed in hoc est notandum, quòd conditio apposita privilegio, potest se tenere, vel ex parte concessionis, & tunc solùm in fieri, non in conservari, dependet privilegium à conditione: proindeque si quando concessum fuit, adfuit conditio, valet privilegium: cujus valor non deperditur, per hoc, quòd postea res mutentur. Ut si Princeps dicat: *Concedo tibi privilegium, si Episcopus consentiat.* Semel isto consentiente, etiamsi postea ipse, vel ejus Successor non consentiat, non infringitur privilegium; quod solum in fieri à consensu Episcopi dependebat. Vel potest conditio se tenere ex parte privilegii; quia privilegium ipsum annectitur conditioni; & tunc tam in fieri, quàm in conservari à conditionibus pendet; Qua proinde deficiente, privilegium corruit: ut privilegium concessum si fueris religiosus, si in habitu clericali incesseris, si pueros docueris, &c. Et potest se tenere conditio ex parte usus privilegii; & tunc deficiente conditione, non amittitur privilegium secundùm suum esse, seu secundùm facultatem, quam confert; sed ejus usus suspenditur, quando conditio non apponitur: & si postea apponatur, reddit quod contingit in conditionibus, quæ varietatem communiter accipiunt. Ut si Pontifex tibi concedat privilegium, ut possis ministrare sacramenta, non solvere decimas, concionari, &c. consentiente Episcopo; privilegium non annectitur illi conditioni quoad facultatem, quam præbet; sed quoad usum: & proinde

non poteris uti illo, Episcopo non consentiente, & sic quoties non adest consensus Episcopi, usus privilegii est suspensus; si verò postea consentiat, redit usus, & sic illo uti liberè poteris. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *de leg. disput.* 4. *punct.* 14. *n.* 3. Suar. *de legibus, lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 5.

Cessetne privilegium cessante causa finali concessionis?

3. Sed modò inquires, an cessante causa finali motiva privilegii, cesset ipsum privilegium? § Plura diximus circa hanc quæstionem *tom.* 2. *tract.* 9 *de matrim. c.* 14. *à n.* 27. *& tom.* 3. *tractat.* 11 *de legibus, cap.* 5. *punct.* 8. §. 1, agentes de dispensatione (de qua idem judicium, ac de privilegiis, quoad hoc esse faciendum, omnes docent.) Ubi duplicem sententiam retulimus; aliam asserentem cessare privilegium, aut dispensationem, hoc ipso, quòd cesset in totum causa finalis motiva: quia judicant Authores illius semper talem dispensationem, aut privilegium, sub tacita conditione durationis causæ finalis concedi. Plures Authores pro ista sententia locis citatis dedimus, ubi amplexati sumus, & modò amplectimur sententiam negantem in tali casu cessare privilegium, aut dispensationem, si absolutè concessa sunt. Tum quia non semper dantur sub conditione, nec sunt privilegia conditionata, sed absoluta, absolutèque impensa. Tum etiam quia hoc ipso, quòd Pontifex absolutè concedat dispensationem, aut privilegium ad aliquid omittendum, v.g. cessat obligatio legis respectu privilegiati: ergò ut de novo illum obliget, debet de novo lex reproduci: quod nisi per actum legislatoris novum, non efficitur. Sic Authores utroque loco adducti. Quod intelligitur, quando dispensatio, aut privilegium absolutè conceditur absque aliqua limitatione, conditione, aut restrictione. Quando autem censeatur absolutè concedi, quando sub tacita conditione; regulam tradidimus *loco citato de legibus.*

Privilegium absolutè concessum, per unum actum non cessat.

4. Et hinc deducitur quid dicendū sit ad illam quæstionem, an privilegium, vel dispensatio ad aliquid agendum, vel non agendum, cesset unico actu? § Respondetur negativè, juxta dicta *tract.* 11. *cap.* 5. *num.* 94. Quòd non cessat privilegium, aut dispensatio, si absolutè concedatur, per unum vel alium actum. Ut si aliquis obtinuerit dispensationem in voto castitatis, aut Religionis, ad contrahendū matrimonium: non cessat dispensatio per unum, vel aliud matrimoniū contractum. Si privilegium ad non jejunandum, non abstinendum à carnibus, non recitandum Officium divinum; non cessat dispensatio, per unum, vel alterum actum: sed durat quamdiu causa dispensationis durat: quia quando dispensatio, aut privilegium pro uno actu conceditur, hoc exprimitur dicendo: *pro hac vice, semel tantum in vita, &c.* ergo quando non apponuntur dictæ limitationes, & privilegium absolutè, & sine limitatione conceditur: pro omnibus actibus concessum judicatur. Sic præter ibi citatos. Bassæus *verb. privileg.* 3 *num.* 7. Suarez *lib.* 8. *c.* 29. *num.* 8. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3, *de leg. disp.* 4. *punct.* 4. *num.* 8. § Sed dicta intelliguntur nisi ex circunstantiis colligatur privile-

legium, aut dispensationem concedi solum pro casu determinato: ut si petas dispensationem in voto castitatis, ad contrahendum matrimonium cū fœmina à te defforata; illa mortua, non poteris contrahere cum alia. Et idem est, quando ex stylo, vel ex usu communi, & acceptatione Doctorū dispensatio, aut privilegium cum limitatione ad casum particularem, censetur concedi ut si petas dispensationem ad contrahendum cum consanguinea, tantum cum una intelligenda est; qua mortua non poteris cum alia contrahere. Alia exempla dedimus *loco cit.* & qui plura voluerit videre, adeat Castrum Palaum *loco proximè* adducto.

Cedere privilegiis non potest, nisi qui illorum Dominus existit.

5. Inquires secundò: Qualiter per renuntiationem cesset privilegium? § Quod diximus de dispensatione *tr. 11. de legibus, cap. 5. n. 100.* idem sentiendum est de privilegio. Quod si fuerit concessum in favorem alicujus Communitatis, non possunt particulares illius, illi renuntiare. Si in favorem alicujus Provinciæ, non possunt renuntiare particulares conventus illius, imò nec tota Provincia conjuncta poterit privilegiis in favorem totius Ordinis concessis: quia solum ille, cujus est privilegium, & qui habet dominium illius, illi cedere potest. Nec in præjudicium aliorum poterit particularis privilegio renuntiare: ut *capite præcedent, num. 11.* diximus: & de privilegio Canonis, & fori, cui non possunt Clerici particulares renuntiare, omnes dicunt. Poterit tamen Capitulum Generale, quod totam Religionem repræsentat, (vel qui ad hoc suas vices habuerit) renuntiare privilegiis ipsi Religioni, vel directè, vel per communicationem concessis, quia semper præsumitur, quòd in majus bonum Religionis renuntiabit. Et datur ad hoc privilegium Leonis X. quod refertur *in compendio privilegiorum, verbo Generalis*, §. 24. & privilegiis alicui particulari Provinciæ concessis, in quibus non communicant aliæ, poterit Provincialis cum suo Capitulo Provinciali, renuntiare: ex Bulla Alexandri IV. incipiente: *Mente sollicita.* Et alia Honorii IV. pro Dominicanis, & alia Julii II. pro Minimis, quibus aliæ Religiones communicantes participant. Tum etiam Priores locales, cum suis Capitulis possunt cedere illis privilegiis, quæ sui Conventus privativè participant absque communicatione aliorum, *ex capite primo, & tertio, de pactis in 6.* uti asserit Bordonus *tomo secundo, parte secunda, resolutione 52. numero 109.* N. Frater Petrus ab Angelis *in spécul. privileg. disputatione tertia, sectione prima, numero quarto.* Quia talia privilegia sunt quasi personalia, & propria illius Conventus, vel Provinciæ: & sic si congregantur in suis Capitulis, poterunt liberè renuntiare illis.

Particularibus privilegiis possunt particulares renuntiare, ac

6. Sed quilibet particularis renuntiare potest personalibus privilegiis, quæ sunt propria illius: quorum renuntiatio aliis non infert præjudicium, juxta dicta *cap. præcedenti, n. 11.* Quia unusquisque cedere potest favoribus sibi collatis; & illi liberum est juri suo renuntiare: ut probant textus *leg. fiju-*

cedente consensu superioris.

*si judex 24 ff. de Minoribus, c. Titius 39. cap. ad Apostolicam, de Regularibus.* Et intelliguntur de privilegio, quod habet tractum successivum: ut facultas ad eligendum Confessorem, ad non solvendas decimas, &c. vel de eo, quod effectum habet in futurum: ut dispensatio ad contrahendum matrimonium; non de illo quod habet effectum momentaneum, & statim operatur, ac obtentum est; ut dispensatio in irregularitate, absolutio à censuris, cui postquam obtentum est, nemo potest renunciare, cùm jam sit consequutum suum effectum. Bassæus *in floribus verb. privileg. 3. numer. 6.* § Sed ut diximus *loco citato de legibus, num. 101.* ut renuntiatio privilegii, aut dispensationis sit valida, & consummata, debet acceptari ab illo, qui tale privilegium, vel dispensationem impertitus fuit; aliter non erit valida, & privilegium, aut dispensatio manebunt in suo robore. Tum: quia dum dispensator, vel privilegium concedens non acceptat renuntiationem, perseverat in voluntate dispensandi, vel privilegiandi; quæ est quasi continuata, & prorogata dispensatio, & privilegii concessio. Tum etiam: *quia res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur:* sed privilegium originem ducit à Principe, acceptante privilegiato: ergo ut cesset, debet à privilegiato incipere, & in acceptatione renuntiationis à Principe facta, consummari. Sic præter ibi citatos, Bassæus *num. 6* Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 32. nu. 2.* Antonius à Spiritu sancto *in direct. Regul. tract. 1. disp. 1. sect. 7. n. 229.* Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 17. n. 6* Petr. ab Angel. *in specul. disp. 3. sect. 1. n. 5.* Pellizz. *tract. 8 c. 1. sect. 5. q. 7. nu. 107.* Bordon. *tom. 2. resol. 52. n. 109.* § Ex quo sequitur; quòd si renuntians privilegium ante acceptationem cõcedentis, mutet voluntatem, gaudet privilegio, ac si nunquam cessionem fecisset: quia talis cessio ante concedentis illud acceptationem, vim non habet. Unde si aliquis Confessarius (inquit Bordon.) tædio affectus, vel ob multitudinem pœnitẽtium, vel ob aliam causam, facultatẽ audiendi confessiones, quam habebat ab Episcopo in scriptis, portigat suo Superiori, vel eam laceret coram Ipso, protestando se amplius nolle illud munus exercere; sed omnino renuntiare tali facultati: Si postea pœnitentia ductus sponte, vel ex obedientia sui Prælati, velit ad tale munus voluntariè redire poterit: quia illa non fuit perfecta renuntiatio; cùm desiderata fuerit acceptatio Episcopi, vel Papæ, qui talem facultatem concessit.

Quàlis acceptatio Principis requiratur, ut privilegium per renuntiationem cesset?

7. Sed notandũ est dictam acceptationem Superioris posse bifariã fieri. *Vel ab homine:* ut quando renuntiatio acceptatur à Principe, privilegium concedente. Vel à *jure:* ut quando sunt jura vel privilegia concessa à Principe pactandi, vel renuntiandi; quia tunc in ipso jure, vel concessione talis facultatis, includitur Principis voluntas acceptandi, & ipsa acceptatio: unde nulla alia requiritur. Quare illi de quibus diximus *n. 5.* posse vel ex jure, vel ex privilegio, privilegiis renuntiare, ob specialem

lem potestatem, quam vel à jure, vel à Principe recipiunt, si de facto renuntient; valet renuntiatio, nulla alia expectata concedentis acceptatione: nec possunt amplius frui tali privilegio, nisi de novo eis concedatur. Et idem est de illis, qui dispositione juris amittunt privilegia, vel per temporis præscriptionem, vel per factam renuntiationem, inclusam in usu contrario (de quo latè puncto sequenti) qui non indigent Pontificis acceptatione: quia ab ipso jure conceditur facultas acceptandi talem renuntiationem, à tertio læso per privilegium, vel à tertio præscribente. Pelliz. *q. 7. n. 108.* Bordon. *resol. 52. n. 111.* Antonius à Spiritu sancto *sect. 7. n. 129.* Petrus ab Angelis *sect. 1. n. 6. & sect. 2. num. 18.* Suarez *c. 35. n. 5.* §Quod intelligendum est de illis, qui specialem habent à jure vel privilegio facultatem renuntiandi; non de his, qui personalibus privilegiis, aut facultatibus renuntiare possunt: quorum renuntiatio non valet, nisi accedente Superioris concedentis privilegium, acceptatione, ut diximus *num. præced.*

Quis renuntiationem acceptare possit?

8. Est ergo facienda renuntiatio in manibus Superioris (qui concessit privilegium) illam acceptantis. Unde facta in manibus non habentis ejus ad hoc potestatem, nulla est, *cap. denique 6. q. 3. cap. admonet. de renunt.* Et cum sit odiosa, est strictè interpretanda; ita ut nisi ad expressa non extendatur: & sic non extenditur etiam ad casum similem, & multo minus ad diversum. Rota *volum. 1. decis. 664. n. 8. & volum. 2. decis. 242. n. 4.* & cum alijs Bordon. *resolut. 52. n. 114.* Verum est quod renuntians intelligitur renuntiare omnibus, quæ ex illa renuntiatione sequuntur, & etiam omnibus cohærentibus, *cap. si quis sacerdotem, dist. 81. cap. si quis Episcopus, q. 1. cap Nullus Primas q. 2.* In dubio autem, an renuntiaverit, vel non? non præsumitur renuntiasse, cum renuntiare juri suo de facili, nullus præsumatur: nisi prorsus liberè, & absolutè aliqua causa contrarium operetur, *c. 5. de renunt. cum glossa ibi verb. voluerit.*

## PUNCTUM II.

### *Qualiter per non usum, vel per contrarium usum, vel per abusum deperdatur privilegium?*

9. UT clarius in hoc puncto procedamus, quod propter multiplicitatem opinionum non parum est implexum, illud in diversos §§. dividemus. In primo quæ certa sunt apud omnes proponemus. In secundo diversas assertiones, omissis aliorum placitis declarabimus. Et in tertio illationes, quæ ex dictis inferuntur deducemus.

### §. I.

### *Certa apud Authores circa præsentem materiam proponuntur.*

Per non usum,

IN primis supponendum est ut certum, & ut principium generale hujus

vel per contrarium usum, solent amitti privilegia.

hujus materiæ, per non usum, vel per usum contrarium deperdi privilegia, si cætera requisita, de quibus dicemus, adfuerint. Quod constat ex clausula, quæ solet in concessione privilegiorum apponi: *quatenus sunt in usu, dummodo sint in usu.* In quo supponitur per non usum, vel per contrarium usum deperdi. Quod ut commune docent Lezana *tom. 2. verb. privilegium, n. 15. & 16.* Hieron. Garcia *in politic. Regul. tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 7. n. 12.* Fr. Petrus ab Angelis *in specul. privileg. disp. 3. sect. 2. n. 1.* Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 18. n. 1.* Fr. Antonius à Spiritu sancto *in direct. Regul. tract. 1 disp. 1. sect. 7. n. 139.* Bordon. *tom. 2. p. 2. resol. 52. n. 123.* Azor. *lib. 5. c. 8. q. 8.* Salas *de legibus, disp. 17. sect. 13. an. 36.* Suar. *de legibus, lib. 8. c. 34. num. 2.* Bonac, *disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 5. num. 3.* Basil. Pont. *lib. 8. cap. 18. num. 21.* § Sed ex duplici capite potest provenire, quod per non usum, vel per usum contrarium privilegium deperdatur. Vel quia talis usus includit virtualem, & tacitam renuntiationem privilegij: vel quia sufficiens tempus transierit ad præscriptionem, contra illud requisitum; nec est aliud caput, unde hoc provenire possit. § Semper tamen præsumitur privilegium usu receptum, & asserenti contrarium incumbit onus probandi: qui simul debet probare, quod illud habens fuerit in culpa, non usus privilegij, & quod per eum steterit, quominus privilegio uteretur: ut multis citatis probat Ascan. Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 16. q. 14. à n. 19.*

Quot modis non usus privilegij contingat.

10. Secundo supponendum est, posse dari non usum merè negativum: quando nimirum, nulla oblata est occasio, vel opportunitas utendi privilegio, vel ea oblata, fuit impedimentum ad eo utendum: & per hunc non usum minimè deperdi, aut minui privilegium, etiamsi longissimum tempus præterierit, omnes asserunt; & constat ex *l. unus ex sociis, & sequentibus, ff. de servit. rustic. prad.* ubi dicitur servitutem debitam alicui, de aqua educenda in fundum illius, ex puteo, non amitti; si illa non fuit usus, quando fons exaruit. Unde qui haberet privilegium à Rege exigendi aliquod tributum, vel non recipiendi milites in sua domo, non amitteret illud, etiamsi longissimo tempore eo usus non esset ideò, quia nulla se obtulit occasio, & in similibus. Et idem est, si non utatur privilegio ob conventionem factam cum alio: quia tunc non potest ratione conventionis uti illo, vel potius eo utitur æquivalenter: quia per non usum illius aliquid in conventione recipit. Bordon. Garcia, Palaus, Bonac. *locis citatis.* § Potest enim dari non usus *privativus* privilegii, quando sciens, & potens, data opportuna occasione, eo non est usus privilegiatus: Et de hoc non usu deinceps loquemur. Potest etiam esse non usus, seu *usus contrarius* privilegii, quando privilegiatus facit actum contrarium privilegio sibi concesso; nimirum solvit decimas à quibus erat exemptus: & datur *abusus* privilegij; nimirum, non utendo illo loco, & tempore præscripto in ipso, vel utendo illo extra limi-

limites privilegij. § Et certum est nullo ex his modis amitti privilegium, nisi adsit scientia, & notitia privilegij; quia absque illa impotens est privilegiatus ad usum ejus: vel si adsit impedimentum aliquod, per quod eo uti non possit; vel deficiat libertas in privilegiato; quia invitus eo non est usus, vel usus est in contrarium: quia quod invitus fecit, nihil ei nocere potest, ut omnes tenent.

Per non usum deperditur multoties privilegium

11. Tertio supponendum est: quod quando privilegium ad diversas res extenditur, ex eo, quod respectu alicujus partis adsit non usus, vel usus cõtrarius, non deperditur quoad alias partes privilegium, etiamsi longissimum tempus transierit; sed solum quoad illas, quibus non est usus data occasione, & opportunitate: quia quoad alias, nec etiam tacita renuntiatio reperitur, nec præscriptio, cum eis usus fuerit, vel non se obtulerit occasio utendi, quod etiam est commune. Sicut etiam inter Doctores certissimum est non deperdi privilegium toti Religioni concessum per non usum, vel usum contrarium alicujus particularis Religiosi, vel Monasterij, vel etiam Provinciæ: quia contrarius usus, per quem amittitur privilegium debet esse ab habente potestatem renuntiandi tacitè, vel expressè, quæ in jure idem sunt. Potestas autem renuntiandi privilegio reali, toti Religioni concesso, non residet in particularibus personis, Monasteriis, aut provinciis, sed in Capitulo Generali repræsentante totam Religionem, vel in alio ejus vices gerenti, ut diximus *n. 5.*

Quot tempus ex jure requiratur ad præscribendum contra privilegium.

12. Quarto supponendum est, quod tempus ad præscriptionem requisitum, ut per illam privilegium deperdatur, inchoatà primo non usu libero, spontaneo, data opportunitate, & sine ullo impedimento utendi. Quod respectu omnium non est idem, ut diximus *tom. 3. tract. 12. c. 2 à n. 104.* Nam respectu particularium sufficient decem anni inter præsentes, & viginti inter absentes, ut ibidem diximus. Ad præscribendum in rebus immobilibus (inter quas privilegia computantur) contra Ecclesias, monasteria, hospitalia, & alias pias causas, res immobiles usu capi, seu præscribi non possunt, nisi transierint triginta anni inter præsentes, & quadraginta inter absentes, *ex auth. quis actiones 6. de sacrosanct. Eccles recepta in cap. ultim. & penult. 16. q. 3.* Contra Romanam Ecclesiam præscribi non potest, sive in rebus mobilibus, sive immobilibus, nisi post longissimum tempus, quod est centum annorum. Dicta *auth. & cap. cum à nobis 14. de præscriptionibus.* Et ex Jure Communi, ut Regulares amittant sua privilegia per præscriptionem, quadraginta anni debent transire, *ex cap. volumus 2. 16. q. 4. cap. accedentibus, de privilegiis,* & tenent Salas *de legibus, disp. 17. sect. 13. num. 64.* Suar. *lib. 8. c. 24. n. 20.* Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 4 punct. 18. num. 6.* Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 16. q. 14. n. 5.* & est communis. Debent autem observari omnes conditiones ad legitimam præscriptionem requisitæ, de quibus egimus *loco citato.* Hoc est quod de Jure Communi habemus. Quantum

autem temporis debeat transire ad præscribendum contra privilegia Regularium, ex specialibus privilegiis concessis, §. 3. hujus puncti dicemus.

## §. II.

### *Triplex conclusio pro resolutione puncti proponitur.*

Privilegia merè gratiosa per non usum, vel per contrarium usum, minimè amittuntur.

13. His suppositis asserendum est primo, privilegia merè gratiosa, quæ in alterius gravamen, aut detrimentum non redundant, nunquam deperdi, nec per non usum privativum, nec per usum contrarium, etiamsi longissimum tempus pertranseat. Illa appellamus privilegia merè gratiosa, quæ privilegiato afferunt commodum, & aliis non inferunt incommodum, vel aliquod gravamen, aut servitutem inducunt: ut non jejunandi, comedendi carnes, lacticinia, audiendi sacrum tempore interdicti, celebrandi tali tempore, & similia. Inter quæ computantur privilegia confitendi, absolvendi à reservatis, vel censuris, concionandi, &c. quia hæc minimè in Episcopi, aut Parochi gravamen, sed potius levamen cedunt; quia non diminuunt eorum potestatem, sed eos adjuvant in suo ministerio. Ratio assertionis est: quia hæc privilegia ob non usum, vel contrarium usum non deperduntur; per legem statuentem amitti debere: quia nulla datur; siquidem omnes leges, & textus, qui poterant adduci in oppositum, non de istis privilegiis gratiosis loquuntur; sed de illis quæ in aliorum gravamen cedunt, de quibus dicemus conclusione sequenti. Nec perduntur per tacitam renuntiationem in eis inventam; siquidem ut diximus *tract. 11. de legibus, cap. 6. num. 102.* per non usum, aut usum contrarium, non præsumitur quis renuntiare privilegiis merè gratiosis; siquidem ista non obligant ad usum sui: & stat privilegiatum velle conservare privilegium merè gratiosum, & ob aliquos fines nolle uti illo, quin ob hoc illi renuntiare judicetur. Nec etiam amitti possunt hæc privilegia per præscriptionem, quamvis longissimum pertranseat tempus: quia in privilegiis quæ solas actiones privilegiati concernunt, nulla dari potest præscriptio: nam ad hanc requiritur, quod præscribens habeat in illa re continuatam possessionem, ratione cujus dominium rei, quod erat in uno transferatur ad alium. In his autem privilegiis nullam possessionem potest alius habere, nullumque dominium est transferibile in ipsum, ut ex se constat: ergo nullo modo dicta privilegia gratiosa, deperduntur per non usum, aut usum contrarium, atque ita docent Lezana *tom. 2. verb. privileg. num. 15. & 16.* Salas *disp. 4. punct 18. n. 4.* Hieronym. Garcia *in politic. Regul. tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 7. num. 14.* Suarez *lib. 8. de leg. cap. 34. num. 17.* Bonac. *disput. 1. q. 3. punct. 8. §. 5. num. 5.* Tambur. *tom. 1. disp. 16. q. 14. num. 2.* Basil. *cap. 18. §. 3. num. 22.* Palaus *tract. 3. disp. 4. punct. 18. num. 3 & punct. 19. n. 1.* Petrus ab Angelis

*disput.*

*disput.3.sect.2.num.*8.Layman.*lib.* 1. *tract.4.c.23.n.20.*

Privilegia cedentia in aliorum præjudicium per præscriptionem amitti valent.

14. Asserendum est secundo: quod privilegia illa, quæ in aliorum gravamen cedunt, vel quia aliquam servitutem alterius annexam habent, vel quia sunt de exercenda aliqua actione aliis onerosa, ut de exigendo aliquo tributo, de exemptione à solutione decimarum, Gabellarum, aut aliarum distributionum, &c. si cætera adsint, de quibus diximus §. *precedenti*, specialiter, illorum notitia, opportunitas, & occasio illis utendi, & nullum impedimentum, nulla revocatio sit in contrarium; per non usum, vel per usum contrarium, & per præscriptionem deperduntur, si tempus ad præscriptionem præterierit. Hæc assertio est communis inter Doctores, & probatur. Tum: quia per contrarium usum, vel per non usum data opportunitate, in jure præsumitur privilegiatum renuntiare privilegio, *cap. cum accessissent, de constitutionibus, cap. accedentibus, de privilegiis.* Cæterum cum hæc jura solum fundentur in præsumptione animi renuntiandi, si liberè talis animus non detur, ob istum titulum factæ renuntiationis, numquam privilegium deperditur, ut infrà dicemus. Quare melius probatur assertio: quia gravatus per privilegium, potest præscribere contra privilegiatum possidendo suam libertatem ab illo onere, toto tempore, quo privilegiatus non utitur liberè suo privilegio data opportunitate, & occasione: ergo si tempus ad præscriptionem transierit, privilegiatus amittit dominium, alteri onus imponendi, & gravatus eximitur ab illo onere, quod est per præscriptionem amitti privilegium: nam hæc vim habet auferendi ab uno dominium, & illud in alium transferendi, ut diximus *tom.3.tract.12.c.2.n.*.. ergo dicta privilegia per præscriptionem contra illa deperduntur, per non usum privativum, vel usum contrarium, toto tempore ad præscriptionem requisito. Sic Layman. *num.* 21. Lezana *n.16.* Garcia *num.* 15. Palaus *punct.18.num.4.& punct.19.n.7.* N. Fr. Petrus ab Angelis *num.14.* Suarez *n.16.* Bonacin. *num.3.* Tambur. *num.* & alij.

15. Sed assertionem aliqui merito limitant, dicentes quod quando privilegia conceduntur privilegiato, ut utatur illis cum clausula, *prout libuerit, quando voluerit*, etiamsi illis per multum tempus non utatur, illa minimè amittet. Non quidem renuntiatione facta, quæ hic locum non habet; sed quia ejus libero arbitrio usus illorum committitur; & sic per hoc quod illis non utatur, vel contrariè utatur; non ob id censetur velle renuntiare privilegio, cum usus illius suo libero arbitrio relinquatur. Non præscriptione: aliàs illa clausula inutilis esset in privilegio, nihilque operaretur: quia in omni privilegio tacitè includitur, ut privilegiatus eo utatur prout voluerit, nec enim obligatur ad eo utendum: ergo quando expressè ponitur, ut aliquid operetur; intelligenda est, ut etiam tempore præscriptionis, eo uti, vel non uti possit, sine præjudicio: quod sanè sibi inferretur, si tēpus præscriptionis cōputaretur contra ipsum; itaut transacto

acto illo, amitteret privilegium. Felin. *in cap. cum acceßiſſent, de præſcriptionibus, num. 26. & 27.* Molina *de Hiſpan. primogen. lib. 2. c. 7. in fine, §. ſed verius videtur.* Azevedo *leg. 5. tit. 7. lib. 2. novæ compil. in fine.* Azor. *lib. 5. c. 4. q. 8.* Palaus *punct. 18. n. 5.* Garcia *dub. 5. n. 15.*

Quomodo per abuſum privilegium perdatur

16. Aſſerendum eſt tertio, eum qui abutitur privilegio, dignum eſſe illo ſpoliari, illudque amittere: *Nam privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur facultate, cap. ubi, diſtinct. 34. cap. privilegium 11. q. 3. cap. licet. de Regularibus.* Tunc autem dicitur aliquem abuti privilegio, quando vel illud extendit ultra id, quod ſibi conceſſum eſt, vel ex illius uſu ſumit occaſionem liberius delinquendi; vel quando ſuis pravis moribus, fini motivo privilegij contradicit, & alijs ſimilibus caſibus. § Quod vero ipſo facto nulla expectatâ judicis ſententiâ, amittatur privilegium per abuſum; Aliqui abſolutè negant; niſi præcedente ſuperioris ſententia, ſaltem criminis declaratoria. Tum quia in dictis juribus ſolum aſſeritur mereri privilegio privari, qui eo abutitur; non quod ipſo facto privetur. Tum etiam quia licet de facto illis privari diceretur, cum ſit lex pœnalis, qua privatio imponitur in pœnam abuſus; non obligat niſi poſt judicis ſententiam: ut diximus *tom. 3. tract. 11. de legibus c. 2. n. 59.* atque ita tenent in præſenti Suar. *lib. 8. de legibus, c. 36. n. 8.* Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 4. punct. 20. n. 3.* Fr. Petrus ab Angelis *diſp. 3. ſect 2. n. 20.* Bruno Caſſaing. *de privileg. tract. 1. cap. 5. propoſ. 3.* Fr. Antonius à Spiritu ſancto *tract. 1. diſp. 1. ſect. 7. n. 147.* Pelliz *tract. 8. c. 1. q. 10.*

17. Sed diſtinguendum eſt: vel enim in jure abutens privilegio, in pœnam privatur illo; & tunc vera eſt præcedens ſententia: & ſic requiritur ad minus ſententia declaratoria criminis, ad talem privationem, ut in *cap. contingit 2. de ſentent. excommun.* Clericus incedens ſine habitu, & tonſura amittit privilegium Clericale; ſed ter admonitus, & per ſententiam condemnatus. Idem habetur *in cap. ex litteris, de vita, & honeſtate Cleric.* Ubi Clericus negotiator privatur privilegio exemptionis à tributis; ſed ter admonitus, & negotiator declaratus, *in c. ult. de immunitat. Eccleſiar.* Quod poſt criminis declarationem intelligitur. § Vel abutens tali privilegio, eo privatur, quia fuit illi conceſſum ſub aliqua conditione, quæ non apponitur propter abuſum: & tunc ipſo facto privatur privilegio, nulla expectata ſententia: ut *in cap. 2. de poſtulat. Prælatorum, cap. cum in cunctis de electione.* Qui indignum eligit ea vice jure eligendi ipſo facto privatur: quia ſub ea conditione conceditur facultas eligendi, ut dignum eligant: & non aliter. Similiter Clerico conjugato conceditur gaudere privilegio Clericali, ſi habitum deferat Clericalem, & inſerviat alicui Eccleſiæ; quo privatur eo ipſo, quod laicè vivat. In Trident. *ſeßion. 23. cap. 6. de reformat. cap. ex parte, de Cleric. conjugat.* § Vel denique ob abuſum ceſſat totalis finis privilegij: & tunc ipſo facto ceſſat privilegium; vel in totum, ſi omnino ceſſet finis; vel quoad aliquam

Per abuſum quandoque amittitur privilegium, ipſo facto, quandoque poſt judicis ſententiam.

aliquam partem, si quoad illam finis cessat: ut si beneficiario concedatur privilegium lucrandi fructus suæ præbendæ, absque residentia, ob studium; si non studeat, sed terat tempus vanis rebus occupatus, amittitur privilegium; non absolutè; sed quoad lucrandos fructus illius temporis, quo studiis non vacat: eo quod tunc privilegiatus non est, & beneficiarius absque privilegio, non residens, pro eo tempore non facit fructus suos. Suarez *lib. 8. cap. 36 num. 7.* Palaus *punct. 20. num 4.* Bonacin *disput. 1. q. 3. punct. ultim. §. 7. in fine.* Salas *disput. 17. sect. 13. num. 68.*

## §. III.

*Ex dictis corollaria quædam inferuntur.*

Ob renuntiationem tacitam, sine animo renuntiandi non amittitur privilegium.

18. EX dictis infertur primo: privilegia ob non usum privativum, vel ob usum contrarium, non amitti (saltem in foro conscientiæ) propter renunciationem tacitam imbibitam in illis; nisi simul cum non usu animus adsit renuntiandi, & à potente renuntiare privilegio: & idem est pro foro externo, si talem animum non fuisse constaret. Et sic solum ob præscriptionem possunt amitti, transacto tempore ad illam. Quia ut diximus *tract. 11. de leg. cap. 6. num. 102.* stat optime aliquem velle conservare privilegium, & ob alios fines, quam ob renunciationem velle illo non uti: quia per illud non cogitur ad utendum, & potest velle conservare facultatem utendi, & non uti ob aliquem finem. Et sic solum potestatem talem amittit, quod est privilegium, qui animum habet renuntiandi, & legitime renuntiare potest, ut colligitur ex *l. voluntaria, cap. de excusat. tutor, l. 2. de his, qui sponte munera subeunt, leg. 2. de privilegiis veteranis:* ubi dicitur non labefactari privilegium immunitatis, ab oneribus Civitatis, esto quis aliqua munera sponte subeat; eo quod animus renuntiandi non inducitur, ex eo, quod quis contra privilegium operetur. Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. quæst. 8. num. 114.* Bruno *tract. 1. cap. 5. propos. 1.* Lezana *tom. 2. verb. privil. num. 16.* Basil. *lib. 8. cap. 8. §. 3. num. 27.* Salas *disp. 17. sect. 13. num. 66.* Palaus *punct. 19. num. 27.* Petrus ab Angelis *disp. 3. sect. 2. num. 15.* Suarez *lib. 8. cap. 35. num. 10. & 25.* Bonacina *punct. 8. §. 6. num. 12.* Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 23.*

§ Optimum autem erit consilium, quod si privilegiatus aliquid, quod sit contrarium privilegio operetur, absque animo illi renuntiandi, illud faciat præmissa protestatione non præjudicandi privilegio: nam talis potestatio excludit voluntatem renuntiandi, etiam pro foro externo, & ostendit talem actum non esse formaliter contrarium privilegio; sed usui illius. Salas *sect. 13. num. 63.* Tamburin. *q. 14. n. 8.* Lezana *n. 16.* Suarez *c. 35. n. 3.*

Privilegio uti potest per sententiam condemnatus

19. Ex quo infertur secundo: quod si per sententiam aliquis condemnetur ad amissionem privilegiorum, quæ tractum successivum actuum secum afferunt, eo quod fecerit actum privilegio contrarium, & hoc

natus ad amissionem illius, qui animum renuntiandi non habet.

& hoc absque animo renuntiandi, cum posset; non tenetur in conscientia illi stare sententiæ: & sic poterit secluso scandalo uti, sicut antea, suo privilegio: quia sententia judicis in illo casu nititur falsæ præsumptioni de animo renuntiandi: ut diximus *tom. 3. tract. 11. de legib.* quia quando sententia judicis falsæ nititur præsumptioni, non tenemur illi stare, & in præsenti docent Lezana *num. 16.* Bruno *propos.* 1. Palaus *punct. 19. n. 9.* Bonacin. *disputat. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 6. num. 16.* Suarez *cap. 35. num. 25.* Si tamen sententia daretur de amissione privilegiorum ob legitimam præscriptionem, quæ fit transacto tempore necessario ad illam; tali sententiæ teneretur stare privilegiarius. § Sed nota quod adhuc non amittitur privilegium per contrarium usum, animo renuntiandi factum, vel per præscriptionem; quando contrarius usus fit v. g. per particulare Monasterium, vel etiam per totam Provinciam, si privilegium sit ex illis, quæ pertinent ad totum Ordinem: quia usus contrarius, etiam per præscriptionem, solum tollit privilegium, quando usus fit ab eo cujus est privilegium. Non est autem proprium hujus, vel illius Domûs, hujus vel illius Provinciæ, privilegium, quod ad totum Ordinem pertinet: & ideo illi renuntiare non possunt, nec per præscriptionem illud destruere; ut diximus *num.* 11.

Per hoc quod circa aliquos actus successivos privilegium habet diversos actus

20. Infertur tertio: quod quando privilegium habet diversos actus successivos, per hoc, quod privilegiatus contra illud operetur; non deperditur quoad omnes quousque gravatus privilegio contra privilegiatum præscribat: cessat tamen quoad illos, quibus contradicit privilegio, nec tale privilegium pro illis actibus amplius alligare potest. Ut si habeas privilegium non solvendi decimas, & solvas, jam quoad illam solutionem amittis privilegium: quia quoad illam non vis gaudere illo: quia in eo, in quo contradicis privilegio, illi renuntias, illoque gaudere non vis; sed non ob id amittis privilegium in posterum illas non solvendi. Habes privilegium non solvendi vectigalia, permittis scribi in libro, ubi cæteri non privilegiati scribuntur; pro illa vice teneris solvere; sed manes cum privilegio ad non solvendum in posterum, nisi tempus ad præscriptionem transire permittas. Habes privilegium ne eligaris ad officia onerosa Reipublicæ, permittis modo eligi; pro illa vice, qua electioni consensisti, amisisti privilegium; sed eo gaudere poteris, ne ad alia munera eligaris. Habet Monasterium privilegium decimas non solvendi, semel, & iterum solvit; non ob id absolute amittit privilegium, nisi tempore pro præscriptione transacto; sed solum quoad illas decimas solutas, quas repetere non potest: quia non præsumitur, per unam, vel alteram solutionem, integre voluisse renuntiare privilegio; sed vel ad evitandas lites vel alia ex causa voluisse illis vicibus solvere. Joannes à Cruce *cap. 3, dub. 3.* Lezana *tom. 4. verb. privileg. Regul. num. 16.* Palaus *punct. 18. num. 8.* Hieronym. Garcia *tom. 1. tract. 8. diffic. 1. dub. 5. num. 17.*

actus privilegium amittitur non deperditur quoad omnes.

Tamburin.

Tamburin. *tom.* 1. *disp.* 16. *quæst*, 14. *num.* 19. Rodriguez *tom.* 3. *q.* 51. *art.* 5. *n.* 9. Diana 3. *p. tract.* 2. *resol.* 11.

Quomodo intelligatur clausula in confirmationibus privilegiorum apponi solita.

21. Infertur quarto: quomodo intelligenda sit illa clausula, quæ solet in confirmationibus aliquorum privilegiorum apponi: *quatenus sunt in usu*, vel *prout sunt in usu*. Intelligitur primo si contra illa non sit perscriptum, per hoc, quod totum tempus ad præscriptionem requisitum, transierit: id est si deperdita non sunt per usum contrarium, tempore requisito ad præscribendum: & consequenter intelligitur de privilegiis aliis onerosis; non de mere gratiosis: contra quæ nulla potest dari præscriptio: ut diximus *num.* 13. § Secundo: quod si dicta privilegia aliis gratiosa, per præscriptionem deperdita sint quoad unam partem, non quoad aliam; de novo confirmentur quoad illam partem, qua non perierunt: quia ut diximus *num.* 11. § si quis contra privilegium operetur quoad unam partem illius; illud non deperdit quoad alias, contra quas non est usus. § Tertio: & præcipue operatur illa clausula; quod si incœpta fuerit præscriptio contra tale privilegium, eo quod aliquod tempus jam transierit; sed non omne, quod requiritur ad præscriptionem; incipiat de novo computari tempus præscriptionis, ab instanti confirmationis; ac si tunc privilegium de novo concessum fuisset: nihil curando de tempore præterito, ac si nullum transactum fuisset. Sic Hieronym. Garcia *loco citat. num.* 17. Tamburin. *num.* 8. Corduba *in compend. privileg. titul. Absolutio quoad sæculares* 1. *versu Quoad*, §. 19. Joannes à Cruce *de statu Relig. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. *conclus. ultim.* Bruno *tract.* 1. *c.* 5. *propos.* 1. *vers. petes.* Portel. *verbo privilegij non usus.* cum aliis ab eo citatis.

Raro privilegia Regularium possunt per præscriptionem amitti.

22. Infertur denique: privilegia Regularium difficulter, ac raro deperdi posse per præscriptionem. Tum: quia ab aliquibus Pontificibus sunt de novo confirmata, quæ alias deperdita fuerant per non usum, vel usum contrarium, absque clausula; *quatenus sunt in usu*. Et ideo cum illa confirmata sint (ut diximus *num. præcedenti*) ab instanti confirmationis, debet de novo inchoare præscriptio, absque computatione temporis præcedentis, & aboletur quælibet contraria præscriptio adversus illa. Et cum tempus longissimum requiratur ad præscribendum contra illa, ut dicemus *num. sequenti*, vix unquam, his omnibus computatis, poterit contra ea legitimè præscribi. Tum etiam: quia ut privilegium alicui Ordini concessum, non censeatur amissum; sufficit quod illud sit in usu apud aliquam Domum, vel Provinciam illius Ordinis: quia privilegium Ordinis existens, ad omnes Domus illius Ordinis extenditur: imo etiam si in illo Ordine non sit in usu; sufficit, quod in aliis Ordinibus sit in usu; ut hic Ordo, in quo non est in usu, communicans cum aliis in privilegijs, illo fruatur; ac si in tali Ordine extinctum non fuisset: ut diximus *cap. præcedent. num.* 114. Quibus omnibus bene perpensis, vix aut raro possunt privilegia Regularium, per præscriptionem amitti, uti docent Bordon.

*tom.2.part.2.resol.52.n.122.* Confectius *tit.1.cap.3.§.nec etiam,& tit.12. c.1. de præscript pagin.376.* Portel. *in dubiis Regul.verb.privileg. num.55.& 63.* Pellizzar. *tract.tract.8.cap.1.quæst. 8. num.113.* Bruno *tractat.1.cap.5. propos.1.*

Tempus assignatur ad præscribendum contra privilegia regularium requisitum.

23. Sed videamus modo, quod tempus sit requisitum ad præscribendum contra privilegia Regularium; De jure communi jam diximus *num.* 12. modo de particularibus privilegiis loquemur. Et in primis Eugenius IV. Bulla 7. hujus Pontificis, apud Bullar. Rodrig. concessit Patribus Benedictinis Vallisoletanis, ut non nisi per sexaginta annos possit dari præscriptio contra illos, ut tenet Garcia *in Politic.Regul.tom.1. tract. 8. diff.1.dub.6.num.16.* Bordon. *res. 52. num.122.* à Cruce *lib.2.cap.3.dub.2. conclus.2.* Idem concessit Camandulensibus Leo X. teste Confectio *tit. 12.cap.1.* Peyrin. *in introduct. compend.* §. 4. Atque idem concessit dictus Eugenius IV. in alia bulla *Ex Apostolica.* Monasterio S. Pauli extra muros bulla 17. ejus in bullar. Rodriguez teste Lezana *tom.2.verb.privileg.* n.15. Et hoc privilegium, quod non nisi per sexaginta annos possit præscribi, extensum est à Julio II. ad Congregationem Vallis-umbrosæ anno 1507. idibus Julij, ut testatur Tamburin *tom.1. de jure Abbat. disput.16.quæst.14.num.5.* Quibus gaudent cæteræ Religiones, cum istis in privilegiis communicantes.

Magis extenditur tempus præscriptionis.

24. Plus concessit Paulus tertius constitut. quæ incipit: *Benignitas,* & est 15. in Bullario Romano teste Bordon. *num.122.* Pellizzar. *sect.5. num. 113.* à Cruce *loco citat.* ubi concedit eisdem Benedictinis, ut nonnisi centum annorum spatio, contra privilegia eorum possit præscribi. Idem concessit Pius IV. anno 1607. pridie idus Junij Congregationi Montis Oliveti, ut habetur *in lib.privileg.* Ordinis S. Benedicti impresso Romæ anno 1589. *fol.802.* teste Fr. Petro ab Angelis *in speculo privileg.disp.3.sect.2. num.1.* Quod etiam concessum antea fuisse à Gregorio IX. & Honorio III. Congregat. Canonic. Regul. S. Salvatoris Lateranensis, habetur *in lib.privileg. ejusdem Ordinis pagin.128. & 145.* ut refert Bruno *tr.1.cap.5.propos.1.vers. secunda pars.* Atque idem concessisse Eugenium IV. sub data Florentiæ anno 1442. septimo Kalendas Julij. Conventui S. Pauli extra muros Congregationis Sanctæ Justinæ, refertur à Rodriguez *in nova collect. Bullar. Apost. pro Regul. Bulla 17.* ejusdem Pontificis, ubi sic dicitur: *Ut sicut contra Romanam Ecclesiam, non nisi centenaria currit præscriptio secundum constitutiones Canonicas, & legitimas sanctiones: ita quoque prædicto Monasterio, minoris temporis præscriptio non obsistat.* Quod privilegium, jam est ad totam Congregationem extensum, & sic etiam alijs Ordinibus communicatum, ut inquit idem Rodriguez *tom.3.qq.Regul.quæst.35. art.2.* Quare, requiri centum annorum spatium ad præscriptionem contra privilegia Regularium, præter citatos *hoc numero, & numero sequenti,* citandos, tenent Portel. *verb. præscribere, & verb.privil.* Diana *3.part.tract.2.*

plus præscriptionis.

de

dubiis Regul. resol. 88. à Cruce de statu Relig lib. 2. cap. 3. dub. 2. conclus. 2.

Expenditur quoad hoc ampliſſima Pontificum conceſſio.

25. Aliam ampliſſimam conceſſionem refert Rodriguez *tom. 3. quæſt 35. citata, art. 12.* quam etiam referunt, & admittunt Portel. *verb. privil. n. 4.* Diana *loco citato*, à Cruce *concl. 2.* Bruno *propoſit. 1.* Petrus ab Angelis *ſect. 2. num. 7.* per quam concedit Benedictinis Eugenius IV. (cujus Bullam adducit Rodriguez in ſuo Bullar. & eſt nona in ordine) ut nullo modo poſſit contra eos præſcribi: ubi inter alia, hæc dicit: *Quod ſi contigerit per aliquem aut plures actus contra hujuſmodi, aut quæcumque alia privilegia, indulta, gratias, immunitates præfatæ Congregationi conceſſas, aut ipſorum aliquod, à quocumque, cujuſcumque conditionis, gradus, ſeu ſtatus exiſtat, ex negligentia, vel ignorantia præſentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis cauſa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obſervatum, ignoranter, vel ſcienter procedi nullum tamen præjudicium dictis privilegiis generetur; ſed ſuo vigore, ac robore permaneãt:* hæc ibi: quod eſt magnum privilegium, quod adhuc durat, & eſt Bullatum, & in eo cæteræ Religiones participant. Quod etiam Clementem VIII. Bulla incipiente: *Romanum Pontificem* innovaſſe, & extendiſſe pro Carmelitis Diſcalceatis, dum præeminentiam, & prærogativas illorum, nullo modo decurſu temporis, vel alio præſcriptionis modo amitti decernit, teſtatur Bruno Caſſaing. Franciſcanus *de privilegiis tractatu 1. cap. 5. propoſ. 1. verſ. ſecunda pars, in fine.*

## PUNCTUM III.

*Qualiter per revocationem privilegia ceſſare poſſint, & quis ea revocare valeat.*

Privilegium gratioſum oneroſum, & remunerativum explicatur.

26. PRivilegium (ut diximus *cap præcedenti, num. 22.* vel eſt mere *gratuitum*, id eſt ex mera Principis voluntate dependens; qui licet motus ſit ex meritis privilegiati ad illud dandum; non tamen conſideratur ut remuneratorium, & compenſatorium illorum; ſed tanquam aliquid ex benignitate, & liberalitate Principis conceſſum: & ideo in ejus expeditione nulla meritorum mentio fit: & hoc vel poteſt conſiſtere in aliqua facultate ad agendum, vel non agendum contra legem, vel præter legem, vel in aliquo, per quod jus privilegiato circa aliquam rem acquiratur: & dicitur *jus quæſitum*; ut ſi privilegium, villam, aut caſtellum præbeat, cujus poſſeſſionem privilegiatus acquiſivit, vel jus ad exigenda tributa, vel non ſolvendas decimas, &c. Vel eſt oneroſum, aut lucrativum, quod datur ob aliquod onus exhibitum à privilegiato, & ſic ibi intervenit quidam contractus oneroſus: *do, ut des, facio, ut facias.* Et ideo privilegiatus ponit onus, & ob illud Princeps privilegium impendit, ut in Bulla Cruciata accidit, in qua ob eleemoſynam exhibitam à privilegiato, conceditur illud privilegium à Põtifice. Vel eſt *remunerativum*; quod

datur in præmium, & remunerationem obsequiorum, quæ exhibita sunt ab alio, ad quod requiritur, quod in ipso privilegio exprimatur in specie, quod ob tale, vel tale meritum, tale privilegium communicatur: & non sufficit, quod meritorum fiat generalis mentio; sed debet esse specialis, hæc vel illa recensendo: quia generalis mentio meritorum, potius censetur pro honore privilegiati, quam pro veritate fieri: quapropter reputanda est, ac si facta non fuisset. Castro Palao *tract. 3. disput. 4. punct. 21. §. 2. num. 6.* N.Pr.Petrus ab Angelis *in specul. privileg. disputatione 4 sect. 1. num. 6.* Pellizzar. *tractatu 8. capite primo, numero 106.* Matienzo *libro quinto, recopilat. titulo primo, leg. 5. glossa 12. num. 2.*

Privilegium gratiosum sine causa potest revocari valide.

27. His suppositis, asserendum est primo: quod privilegium mere gratuitum, per quod dominium aliquod non transfertur in privilegiatum; sed solum præbet facultatem ad aliquid agendum, vel non agendum contra jus, vel præter jus, potest à Principe, seu concedente revocari, vel ab ejus Successore, vel Superiore, quando voluerit, & quomodo voluerit valide, vel etiam sine causa; sed absque illa illicitè. Et ratio est: quia hæc privilegia omnino gratiosa, in fieri, & conservari à Principis voluntate dependent, & sub quadam tacita conditione censentur ab ipso concessa; *nisi revocavero, quamdiu non revocavero*: ergo, &c. Sed voluntatem concedendi mutare sine causa, est inconstantiæ, & levitatis indicium, & contra naturam ipsius beneficij à Principe concessi, quod decet esse mansurum, *regul. decet in 6.* ob id dicimus illicitè, sine causa illa revocare, quod limites peccati venialis non excedit. Bassæus *verb. privileg. 3. num. 2.* Tamburin. *de jure Abbat. tom. 1. disputatione 16. quæstione 12. num. 1.* Hieronym. Garcia *in Politic. Regul. tom. 1. tractat. 8. diff. 1. dub. 6. num. 1.* N. Pr. Petrus ab Angelis *disp. 4. sect 1. num. 2.* N. Pr. Antonius à Spiritu sancto *in direct. regul. tract. 1. disput. 1. sect. 8. num. 132.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. sect. 5. num. 101* Salas *de legib, disp. 17. sect. 14. n. 70. & disp. 20. sect. 18 num. 126.*

Privilegium non subdito concessum nequit à Principe revocari.

28. Sed hoc intelligendum est nisi privilegium concessum sit non subdito: nam privilegium factum non subdito, & ab eo acceptatum, transit in contractum, & jus quæsitum; & nullus Princeps potest non subditos privare jure suo; nisi tanta rerum mutatio superveniat, ut privilegium censeatur graviter perniciosum Regi, vel Regno. Ita Authores infra citandi. Qui ex hoc principio inferunt, quod Imperator, Rex, aut alius Princeps sæcularis non potest revocare privilegia Religionibus, Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis, semel concessa: quia Religiosi, & Ecclesiasticæ personæ, illi subditæ non sunt, *cap. si diligenti, de foro competenti. cap. At si Clerici, de judiciis, cap. 1. & sequent. 11. quæst. 1.* Privilegium autem concessum non subditis, non potest amplius per ipsum concedentem revocari in præjudicium privilegiati, ipso non consentiente; nisi in casu illo, quod superveniat notabilis mutatio rerum, taliter, quod privilegium

jam

jam censeatur notabiliter perniciosum Regi,& Regno. Tambur. *q. 13. num. 2.* Lezana *tom. 2. verb. privileg. num. 20.* Suarez *lib. 8. cap. 37. num. 2.* Diana *part. 3. tract. 1. resolut. 57. & part. 5. tract. 1. resol. 14.* Antonius à Spiritu sancto *num. 134.* Bassæus *supra n. 2.*

Privilegium rei transferens dominium, post acceptationem nequit revocari.

29. Asserendum est secundo : quod si privilegium transfert dominium alicujus rei in privilegiatum, à quo acceptatum est,& jus quæsitum; ut privilegium non decimandi, exigendi aliquod tributum,vel si oppidi dominium conferat,&c. hoc nec validè nec licitè, nisi ob urgentissimam causam Boni Communis potest à Concedente, vel ejus Successore revocari : quia est quædam donatio jam acceptata, quæ ad libitum post acceptationem nequit revocari : & cum jam sit jus quæsitum illius rei à subdito, ejusque dominium possideat; nequit eo expoliari à Principe, qui non potest subditos bonis suis privare. Palaus *supra num. 2.* Garcia *num. 2.* Lezina *verb. privileg. num. 20.* Diana *duobus locis citatis.* Suarez *lib. 8. cap. 37. n. 7.* Bonac. *disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 2. num. 5.* Basil. Pont. *lib. 8. de matrim. cap. 19. §. 2. num. 11.* § Causæ autem sufficientes, ut valida, & licita sit talis privilegij revocatio, in primis sunt illæ omnes, ex quibus diximus *tom. 3. tract. 14. cap. 4. part. 5. §. 4.* posse donationes acceptatas à donante revocari. Deinde ob grave crimen, in pœnam delicti : denique quando hoc ad bonum publicum Reipublicæ, vel Ecclesiæ conducit, quia subditorum bona subduntur Principis voluntati, in ordine ad bonum publicum; & sic etiam privilegia, quæ sub ea tacita conditione concessa judicantur, ut durent quoties eorum cessatio ad publicam utilitatem non pertineret. Suarez. *num. 5.* Basil. *num. 13.* Palaus §. *2. num. 4.* Matienzo *lib. 5. titul. 10. leg. 6. glos. 1. n. 11. & 12.* § Sed in eo casu non requiritur aliqua loco privilegij revocati compensatio : quia licet sit bonum quæsitum privilegiati, illud, quod revocatur privilegium; illi tamen gratis donatum fuit : nam supponimus fuisse gratiosum, non onerosum, aut remuneratorium : ergo sicut donatio, & concessio fuit facta gratiosè, sine onere ex parte privilegiati; ita revocatio ex justa causa, potest sine onere, & compensatione ex parte revocantis fieri. Bonac. § *3. n. 3.* Basil. *lib. 8. c. 9. §. 2. n. 13.* Palaus *n. 6.* Suarez *lib. 8. cap. 37. num. 9.*

Privilegia onerosa, nisi ob bonum publicum, & facta compensatione nequeunt revocari.

30. Advertendum est tertio, privilegium onerosum per modum contractus concessum, quodque conceditur ratione pretij dati, aut ratione operis injuncti, revocari non posse à concedente, vel alio, nisi ex urgentissima causa boni publici, & tunc si Princeps pretium recepit, illud reddere tenetur; & si onus injunxit recompensationem per æquivalentiam illius debet exhibere, aliàs nulla esset revocatio : quia Princeps stare tenetur contractui inito cum subdito; aliàs nullus contrahere posset cum Principe Supremo : qui licet ob publicam utilitatem posset rescindere contractum initum cum subdito; non vero illum re sua privare sine

debita compensatione. Hæc namque obligatio oritur ex justitia, quæ etiam obligat Superiores respectu inferiorum. Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. sect. 5. n. 101.* Tambur. *tom. 1. disput. 16. quæst. 12. num. 5.* Lezana *tom. 2. verb. privileg. num. 20.* Basil. §. 2. *num. 13.* Palaus *disp. 4. punct. 21. §. 2. num. 1. & 2.* Bonac. *sup. §. 3 num. 2. & 12.* Salas *disp. 17. sect. 14. n. 70. & disputat. 21. sect. 18. ad finem.* Suarez *libro 8. cap. 37. num. 7.* Hieronym. Garcia *tract. 8. diff. 1. dub. 6. n. 2.* Bassæus *verb privil. 3. num. 2.* Pr. Antonius à Spiritu sancto *tract 1. disputat. 1. sect. 7. num. 34.* Pr. Petrus ab Angelis *disputat. 4. sect. 1. num. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 4. num 35.* & alij. § Et hinc fit primo, non posse Summum Pontificem revocare dispensationes, quas dedit contrahendi matrimonium in gradibus prohibitis, nisi ex urgenti causa, & reddendo dispensato, quod dedit. Fit secundo, privilegia per Bullam Cruciatam concessa, non revocari, neque per Bullam Cœnæ, neque per Jubilæum, quod nunc 25. anno conceditur; licet in eo dicatur revocari omnes gratias, privilegia, & facultates, etiam Regibus ex quacumque causa concessas: quia privilegia Bullæ Cruciatæ sunt concessa per modum contractus oneros: conceduntur enim, quia singuli illam eleemosynam tribuunt: & sic, ut valide revocentur, præter urgentissimam causam, debet eleemosyna reddi, alias nulla erit revocatio. Sanchez *lib. 8. de matrimon. disp. 33. num. 10.* Henriquez *lib. 7. de Indulgentiis, cap. 21. num. 7.* Rodriguez *in exposit. Bullæ, §. 12. num. 13.* N. Pr. Petrus ab Angelis *n. 3.* Salas *sect. 18. in fine.* Bonac. *num. 13.* Palaus *num. 4.* Basilius *num. 13.* quæ notanda sunt (inquit Basilius) pro Religionibus, quæ Bullas accipiunt revocatorias Bullæ Cruciatæ, de quo alibi erit sermo.

Per Bullam Cruciatam non suspenduntur privilegia Regularium.

31. Et si obiter hic inquiras, an privilegia Regularium revocentur, vel suspendantur per Bullam Cruciatam ubi ista publicatur? Respondetur negativè: tum, quia cum talia privilegia sint favorabilia, non uni, aut alteri Monasterio concessa; sed toti Religioni, & ordinentur in bonum commune fidelium; non revocantur, nec suspenduntur per verba generalia, nisi de illis fiat specifica mentio (ut infra dicemus) qualis non fit in dicta Bulla. Tum etiam: quia Bulla solum revocat indulgentias, non privilegia, quæ sunt valde diversa, ut infra probavimus. Unde non obstante Bulla possunt Reguláres absolvere, & dispensare, &c. in omnibus casibus sibi concessis per sua privilegia, ac si Bulla non esset. Bassæus *verb. privileg. 3 num. 5.* Bordon. *tom. 2. resol. 52. num. 136.* Lezana *tom. 3. verb. Bulla Cruciat. num. 38.* Lugo *de pœnit. disp. 20. sect. 1. num. 145.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. num. 120.* Sanchez *lib. 4. Summ. cap. 45. num. 62.* Diana *part. 1. tract. 11. resolut. 10.* Tambur. *tom. 1. disp. 16. quæst. 16.* Mirand. *tom. 1. quæstione 46. artic. 11.* Antonius à Spiritu S. *tract. 1. disp. 1. sect. 7. num. 139.* Imo neque per Jubileum anni Sancti revocantur privilegia communia Religionum, ut tenent Authores citati; sed per Bullam Cœnæ

Cœnæ revocari modo omnia privilegia Regularium, quæ sunt contraria Bullæ Cœnæ Domini, quæ singulis annis publicatur, merito docent Bordon. *loco citato, num.* 135. Megala *part.* 1. *de pœnitent. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 17. Tambur. *tomo* 2. *disputat.* 4. *quæst.* 15. Diana *resolut.* 10. *& 72. de dubiis Regular.* & alii à ipsis citati.

Privilegia Regularium sunt remuneratoria.

32. Sed circa privilegia remuneratoria, non levis est inter Doctores controversia, an sint revocabilia modo ordinario (hoc est) absque urgenti causa boni communis, & sine debita compensatione. Et hæc difficultas præcipue exagitatur propter privilegia Regularium, quæ esse remuneratoria est certissimum ut passim in Bullis Pontificum habetur, talia privilegia concedi ob eximia merita, continuos labores, quos tam in Prædicationibus, quam Confessionibus, tam respectu fidelium, quam infidelium sunt perpessi. Quod præcipuè videri potest in Bulla Sixti IV. emanata septimo Kalendas Augusti anno 1489. Pro Dominicanis, & Minoritis, & in Bulla Pij V. sub dat. 27. Julij anno 1567. pro omnibus Mendicantibus, & in Bulla Urbani VIII. quæ incipit: *In specul.* & in Bulla Pauli III. expedita pro Societate Jesu, quæ incipit, *Licet debitum*, & alia à Clemente VIII. emanata pro nobis Carmelitis Excalceatis, quæ incipit: *Cum dudum*, & ab aliis Pontificibus pro alijs Religionibus. Ex quibus liquido infertur, & constat privilegia Ordinibus concessa esse remuneratoria, pro illorum laboribus, & meritis, De istis ergo, & similibus est difficultas an sint modo revocabilia.

Irrevocabilia esse privilegia Regularium, asserit prima sententia

33. Prima sententia asserit dicta privilegia non aliter esse revocabilia, nisi eo modo, quo privilegia ex pacto, & contractu oneroso: ac proinde nonnisi in casibus magnæ, & publicæ utilitatis, & cum debita compensatione. Et licet hoc variis fundamentis probent ejus Sectatores, hoc est illorum præcipuum: quia privilegia remuneratoria, illa videlicet, quæ dantur in præmium, & stipendium meritorum non sunt revocabilia modo ordinario, sed solum in casu urgentis, & publicæ utilitatis, & cum debita compensatione revocari possunt, eô modô quô privilegia concessa, pro obsequiis famuli inservientis etiam sine pacto expressô; & pro servitiis, & laboribus militis in bello libere præliantis; quorum intuitu Dominus, aut Rex illis privilegia concedit. Quæ privilegia quia remuneratoria, sunt irrevocabilia, nisi in casu dictæ necessitatis, & debita data satisfactione, ut omnes concedunt: sed privilegia Regularibus concessa, ut vidimus *num. præced.* sunt remuneratoria, & in præmium laborum, & obsequiorum concessa: ergo non aliter sunt revocabilia, quam privilegia ex pacto oneroso, vel ex contractu concessa. Ita Tambur. *disput.* 16. *q.* 12. *n.* 9. ubi absolute irrevocabilia docet esse omnia privilegia, quæ causa meritorum conceduntur. Tiraquellus *leg. si unquam, verb. donatione largitus numer.* 11. *Cod. de revocand. donat.* ubi multa congerit, quibus probat, quod concessa

vel

vel data ob remunerationem, sunt irrevocabilia, uti habita titulo oneroso. Palaus *tractat. 3. disp. 4. punct. 12. §. 2. num. 4. & 5.* ubi omnia privilegia remuneratoria tam ex gratia, quam ex justitia, non aliter dicit esse revocabilia, quam illa quæ sunt habita ex contractu oneroso. Ita etiam Matienzo *lib. 5. nova recop. tit. 10. leg. 6. gloss. 1. num. 18.* Bassæus *verb. privil. 3. num. 5. citat.* Surdus *consil. 419. num. 54. & 57.* Bruno Cassaing. *de privil. Regular. tract. 1. cap. 4. propos. 1.* Hoc ipsum adductis varijs fundamentis, & Authoribus probat. N. Lezana *tom. 2. verb. privileg. num. 20.* qui adducens pro se Salas, Suar. Bonacin. dicit: quæ enim subditis data sunt per contractum oneroſum, vel in præmium, & remunerationem meritorum irrevocabilia sunt, nisi ex gravi causa, ob bonum publicum: & tunc adhibita compensatione. Et addit statim: *Quæ maxime animadvertenda sunt pro privilegiis Regularibus concessis, ea enim magna saltem ex parte, illis concessa sunt in præmium laborum, quos passi sunt, & quotidie patiuntur pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensione, & augmento*, & animarum salute, *prout ipsi Summi Pontifices, qui talia privilegia concesserunt, sæpius testantur.*

Dantur privilegia remuneratoria ex justitia, & gratia.

34. Sed pro resolutione hujus gravissimæ difficultatis, supponendum est, privilegia remuneratoria esse in duplici differentia. Alia remuneratoria ex justitia, alia remuneratoria ex gratia. Tunc sunt remuneratoria ex justitia, quando merita ob quæ concessa sunt dant privilegiato jus agendi, & actionem implorandi officium judicis, pro meritorum satisfactione; ut in exemplis pro contraria sententia adductis, cernitur, vel famuli etiam sine pacto explicito servientis, vel militis libere in bello præliantis; quibus meritorum intuitu Rex privilegia concedit. Quia cum talia privilegia sapiant meritum ex contractu implicito; dantur illis ex merito justitiæ, licet ob servitia, quæ videbantur liberaliter præstita; § Privilegia remuneratoria ex gratia, sunt quæ dantur ob obsequia, vel servitia ex aliis titulis jam debita, vel certe, ita liberaliter exhibita, ut nullum pactum, neque implicitum habeant; quia aliunde præmium, quam à Principe, præstolantur: & quamvis ex gratitudine & benignitate, illorum causa Princeps privilegia concedat; talis remuneratio est antidoralis, non ex aliquo debito justitiæ; sed gratitudinis, benevolentiæ, & liberalitatis. Talia sunt fere omnia privilegia Regularium, concessa à Romanis Pontificibus in præmium laborum, quos passi sunt, & quotidie patiuntur: Cæterum talia obsequia Regularium, alias erant debita ex obligatione Regulæ, & Religiosi status. Et licet aliqua sint obsequia præstita à Religionibus, quæ limites suæ obligationis excedebant, ut patet in rebus difficillimis ab ipsis tentatis & patratis, ut sunt labores maximi, & continua studia in Prædicationibus fidelium, & infidelium, cum maximo periculo propriæ salutis, & vitæ, quæ sunt opera supererogatoria, & sic limites suæ obligationis excedentia; nihilominus cum fiant, & debeant fieri ex

ex amore Dei, & proximi voluntariè, & gratiosè, retributionem à solo Deo, non à Romano Pontifice expectando; & ideo non præbent jus agendi contra illum, nec ex justitia aliquid ab eo postulandi; sed solum ex gratitudine, & benevolentia: quare privilegia ob talia merita expedita, dicuntur remuneratoria ex gratia. Quibus suppositis,

Privilegia remuneratoria gratiosa possunt revocari.

35. Dicimus, quod licet privilegia remuneratoria ex justitia sint irrevocabilia, nisi ob gravem causam boni publici, & adhibita compensatione debita, quod omnes concedunt, privilegia tamen remuneratoria titulo gratitudinis, sunt revocabilia absque aliqua compensatione. Et quamvis pro illorum valida revocatione requiratur aliqua causa; non requiritur, quod sit concernens bonum publicum; sed sufficit vel nova, vel antiqua; quæ si prævideretur tempore concessionis, non concederetur privilegium, ut videlicet quia vult Princeps jus commune illibatum servare, vel in casu violationis ad illud redire, vel alia similis causa, quæ semper in Principe, præcipue in Romano Pontifice præsumitur adesse. Id in quo à prima sententia discedimus probatur primo: quia plura privilegia diversis temporibus Regularibus concessa, à Pontificibus sunt revocata sine aliqua illorum compensatione, ob causas justas ab illis judicatas, ut videre est apud Authores infra citandos: & illos errasse in re tam gravi asserere, videtur erroneum. § Secundo: quia concedens privilegium ex mera gratitudine, non præsumitur se velle obligare ex justitia ad compensationem si revocet, nisi solum ex eadem gratia, & gratitudine, sicut ex illa dumtaxat motus est ad illud concedendum, atque ita docent Basilius *de matrimon. lib. 8. cap. 19. §. 2. num. 13.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. sect. 5. n. 102.* Pr. Petrus ab Angelis *disputat. 4. sect. 1. num. 5. & 7.* qui citat. P. Donatum *quæst. 19. num. 13.* Suarez *lib. 8. cap. 37. num. 6.* Merola *tom. 3. cap. 8. num. 447.* & alii ab ipsis citati.

In dubio non censetur privilegium revocatum, neque per quascum que clausulas generales.

36. Concedimus tamen primo: quod talia privilegia remuneratoria Regularium, non censentur revocata per quascumque clausulas generales: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis, &c. revocamus, derogamus, annullamus, &c.* quamvis duplicentur, aut triplicentur, nisi de privilegiis Regularium expressa mentio fiat. Bassæus *verb. privilegium 3. num. 5.* Rodriguez *tom. 1. quæstionum Regularium, quæst. 6. art. 6.* Bordon. *resolut. 52. num. 26. & 128.* Joannes à Cruce *lib. 7. cap. 3. dub. 4. conclus. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 16. quæst. 7.* Hieronym. Garcia *tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 6. num. 6.* § Secundo concedimus, quod in dubio non præsumuntur privilegia Regularium revocata, nisi de revocatione constet. Tum quia in dubio melior est conditio possidentis. Tum etiam, quia ut diximus, requiritur, quod de illis in revocatione expressa mentio fiat, & sic quod constet de revocatione illorum. Lezana *tom. 2. verb. privileg. num. 20. in fine.* Sanctarellus *tom. 1. variarum resolutionum, quæst. 16. num. 12.* Bordon. *resol. 52. num. 17.*

*num.* 17. Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 51. Bruno *tract.* 1. *c.* 6. *propos.* 5.

Quis sit ille Superior, qui potest privilegia revocare

37. Sed in fine puncti hujus rogabis, quis sit ille Superior, qui potest privilegium, gratiam, vel dispensationem concessam revocare, casu quo revocabilia sint? § Respondetur juxta à nobis dicta *tom.* 3. *tract.* 11. *cap.* 6. *num.* 97. dum ageremus de legum dispensatione, quod Superior, qui concessit dispensationem, aut privilegium, & validè, & licitè potest ex justa causa illud revocare. Tum: quia ex ejus mera voluntate dependet. Tum: quia sub hac tacita conditione Privilegia censentur concessa; *nisi revocavero, quandiu non revocavero*: atque idem est de Successore in sua Dignitate. Potest ergo qui concessit, revocare privilegium, etiam sine causa valide: quia ex ejus voluntate in fieri, & conservari dependet; sed illicitè, quia esset quædam levitas, & animi inconstantia, ut in conclusione prima hujus puncti dicebamus; sed solum esset veniale, si absque scandalo, aliove damno id efficeret, ut *loco citato*, ex Tapia, & Bonacin. probavimus. Inferior autem dispensationem aut privilegium à Superiore concessum nequit revocare, quia non potest ejus actus infringere: at Superior potest privilegium aut dispensationem expeditam ab inferiori, in lege Superioris, etiam contra legem ipsius inferioris revocare: quia inferior potestas, est Superiori subordinata, ut eam corrigere, suspendere, ac revocare valeat; sed illicite hoc fieret sine causa: quia est contra debitum ordinem, & honorem, ac decorem inferioris Prælati, illius acta sine causa infringere, & cum damno illorum, quibus rationabiliter erat dispensatio concessa: & sic erit peccatum grave, vel leve juxta gravitatem damni inde sequuti, ut ibidem diximus. § At cum inferior, privilegium, vel dispensationem ex commissione Superioris concedit contra legem, vel præter legem ipsius Superioris; ipse inferior potest illam & licitè, & validè cum causa revocare: at sine illa nec licitè, nec validè potest. Potest quidem cum illa, quia facultati concedendi privilegium, vel dispensationem, annexa est facultas revocandi: ergo sicut inferior ex commissione Superioris in ejus lege dispensans, validè, & licitè dispensat, cum causa, & sine illa nec licitè, nec validè; sic quando revocat privilegium concessum, aut dispensationem. Sic nos *loc. citat. num.* 99. cum Tapia, Suarez, Bonac. Sanchez, Salas, & Martinez, adde Basilium, *lib.* 8. *de matr. c.* 19. *n.* 15. Palaum *tom.* 1. *tract* 3. *disp.* 4. *punct.* 2 1. §. 3. *num.* 3.

## PUNCTUM IV.

*Qualiter revocanda sunt privilegia, ut dictum effectum sortiatur revocatio?*

Revocatio expressa & tacita explicatur.

38. DUplex assignatur ab Authoribus revocatio: Alia *expressa*, illa nimirum, quæ fit verbis expressis, *revocamus*, *annullamus*, & similibus. Quæ potest esse vel specialis,

cialis, vel generalis. Specialis dicitur, quando per eam revocatur aliquod privilegium speciale in particulari. Generalis cum non specificatur aliquod privilegium, quod revocetur; sed in genere, & in communi dicuntur revocari omnia privilegia, & indulta in contrarium: ut quando ponitur clausula: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis.* Alia *tacita*, ut quando Princeps facit aliquid, ordinat, seu concedit, quod non potest subsistere, seu habere effectum intentum, nisi revocetur privilegium in contrarium. Ut expresse revocari privilegium possit, sufficit clausula generalis: *revocamus, annullamus, hoc fiat non obstantibus, &c.* (nisi in casibus infra assignandis) quia hæc clausula est de se sufficiens quælibet privilegia revocare, nisi ob speciales rationes exigatur amplius. Palaus *disp. 4. punct. 21. §. 4. num. 2.* Basil. *lib. 8. cap. 19. num. 6.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 38. n. 3.* Lezana *tom. 2. verb. privileg. num. 21.* Bonacin. *disp. 1. q. 3. punct. 8. n. 11.* Salas *disp. 17. sect. 14. n. 71. 73. & 79.*

Quæ privilegia non revocantur per clausulas communes.

39. Excipiuntur ab hac regula, Primo privilegia Regularium, propter dicta *nu.* 36. § Secundo privilegia per modum contractus vel onerósi, vel remunerativi ex justitia, quæ revocata non censentur per quamcumque clausulam generalem, nisi in ea, privilegia etiam per modum contractus concessa, specificentur: quia cum sint ex se irrevocabilia, nisi ob publicam causam, & facta compensatione debita, revocari minime præsumuntur, nisi exprimantur. Bassæus *verb. privilegium 3. num. 3.* Suarez Basil. Palaus, Bonac. Lezana *locis citatis.* § Tertio, privilegia, quæ aliqua clausula fulciuntur, ut revocari non possint, nisi de eis expressa mentio fiat, nisi eorum tenores de verbo ad verbum referantur, quæ per clausulas generales quantumvis geminarentur, non revocarentur: nam ea clausula, quâ roborata sunt, aliquid aliud exigit, quam alia privilegia, quæ simili fulcimento carent. Cæterum similia privilegia sufficienter revocata censentur, si in revocatoria dicatur: *Omnia revocamus privilegia, etiamsi in eis clausula requiratur, quod de eis expressa mentio fiat:* vel *privilegia, quacumque clausula munita:* vel *sub quacumque forma concessa, &c.* & ratio est, quia cogendus non est Pontifex, ut de verbo ad verbum talia privilegia referat, quæ fortasse scire non potest: nec est privandus facultate revocandi illa: ergo satis est, ut per alia verba generalia, quæ priora comprehendant, sufficienter explicet suam mentem. Lezana *loco citato, num. 21.* Pellizzar. *num. 98.* Bassæus *verb. privilegium 3. numero tertio,* Suarez *cap. 38. n. 11.* Palaus *num. 4.* Garcia *tractatu 8. diff. 1. dub. 6. num. 5.* N. Pr. Petrus ab Angelis *disput. 4. sect. 2. num. 33.* Basil. *num. 16.* Bonac. *n. 11,* Salas *disp 17. sect. 14. num. 71.*

Alia privilegia, quæ per clausulas

40. Tertio, excipiuntur privilegia inserta in Corpore Juris: quia hæc sunt verè leges, & Canones. Unde nisi dicatur in revo-

communes non revocantur.

catione: *non obstantibus quibuscumque privilegiis, Constitutionibus, aut Legibus in contrarium, &c.* non censentur revocata. Et quia creditur Principem nosse Jus Commune, & sic si illud vellet revocare, expresse illius mentionem faceret. Sic communiter Doctores, cum *Glossa authentica quia in Provincia, Cod. ubi de crimine agi oportet, verbo omni privilegio*, Salas *numero* 73. Basil. *num.* 16. Suarez *numero* 1. Palaus *num.* 5. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *sect.* 5. *num.* 98. Bassæus *num.* 3. Lezana *num.* 21. Bordon. *resol.* 52. *num.* 129. Rodriguez *tom.* 1. *qq. quæst.* 59. *artic.* 2. § Excipiuntur quoque vivæ voeis Oracula, quæ per revocationem generalem privilegiorum, non intelliguntur revocata, nisi de illis mentio fiat: quia licet gratiæ oretenus solummodò factæ sint privilegia; tamen in communi, & propria significatione illius vocis *privilegia* non veniunt intelligenda Oracula, nisi addatur oretenus concessa; quandoquidem in acceptatione communi, sub nomine privilegij, solum privilegia scripta denotantur: & cum in odiosis restrictio sit facienda, sicut in favorabilibus ampliatio; sub revocatione generali privilegiorum non sunt intelligenda Oracula. Pellizzar. *sect.* 1. *quæstione* 19. Lezana *tomo* 1. *capite* 3. *numero* 21. Donatus *tractat.* 15. *quæstione* 3, Bordon. *de Oracul. resolutione* 31. *quæstione* 1. *numero* 1. Peyrin. *tomo* 1. *de privileg. ad constitut.* 4. *Julij* III. §. 3. *n.* 26. *in fine.* Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 24. *numero* 8. Hieronym. Rodriguez *in compend. resol.* 117. *n.* 1. *& sequentibus.*

41. Denique excipiuntur privilegia à Concilio aliquo Generali concessa, quæ non intelliguntur revocata per quascumque clausulas revocatorias, nisi de illis expressa mentio fiat, etiamsi tales clausulæ sint revocatoriæ quarumcumque legum, aut Canonum: quia privilegia concessa à Concilio Generali, in quo tot viri gravissimi, & Doctissimi concurrunt, mature, & cum magna deliberatione conceduntur: & ob ejus Authoritatem censentur habere clausulam derogatoriam, adversus alia postea decernenda. *Cap. unic. de excessib. Prælatorum.* Et sic sub quacumque clausula generali minime derogata censentur, nisi de illis fiat expressa mentio, saltem sub illis verbis; *non obstante quacumque Constitutione, etiam à Concilio Generali edita*: ut colligitur *ex cap. ex parte, capite ultim. de capellis monachor.* Sic Covarruv. 4. *variar. cap.* 16. *num.* 4. Pellizzar. *num* 78. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 26. *num.* 7. Molina *de justit. tractat.* 2. *disputatione* 173. *vers. occasione*, Bassæus *verb. privileg.* 3. *num.* 3. Bonacina *disputat.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. *num.* 13. Pr. Petrus ab Angelis *disput.* 4. *sect.* 3. *num.* 25. Palaus *tract.* 3. *disput.* 4. *punct.* 21. § 4 *num.* 6. § Imò addendum judicamus, quod ut revocentur privilegia inserta in Tridentino, vel ab ipso confirmata, non sufficiunt clausulæ communes, & generales revocatoriæ etiam cujuscumque Concilij Generalis, nisi Tridentini specifica mentio fiat. Tum, ob magnam ejus Authoritatem. Tùm etiam: quia Generale Concilium Novum, ut est Tri-

Privilegia à Concilio Generali concessa non revocantur per clausulas generales.

den-

dentinum exacte cognoscit convenientiam, & disconvenientiam, rerum pro statu præsenti: & hoc cum maturo, & exacto examine Sapientissimorum Virorum: ex quo habet majorem resistentiam pro futuris dispositionibus, quam alia Concilia Generalia antiqua, & sic indiget fortiori, & expressiori revocatione, qualis est specifica, & individualis. Montesinus *in manuscriptis de pœnitentia, disputat. 2. quæst 3. num. 1.* Azor. *part. 2. lib. 8. cap. 8. quæst. 7.* Sanch. *supr. num. 7.* Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 26. num. 3.* Bassæus *num. 3.* Vivaldus *candelabr. 3. p. cap. 12. num. 12.* Salgado *de retent. Bullar. part. 2 cap. 1. num. 62.* Bosius *sect. 1. Jubil. casu 10. numero 12. & 13.* Zerola *in praxi parte 2. verb. absolut. §. dico tertio.* licet alij oppositum arbitrentur.

Quando constat de mente Pontificis per clausulas generales, dicta privilegia exempta revocantur.

42. Dictæ autem exceptiones intelligendæ sunt, nisi aliter constet de mente revocantis: si enim constaret Principem in Bullis, verbis generalibus: *non obstantibus, &c.* velle etiam dicta privilegia revocare tametsi exempta, vere revocata erunt: quia hæc, vel illa verba solum apponuntur ad denotandum ejus voluntatem: ergo quocumque modo hæc denotetur, etiamsi formulam communem non servet Princeps, privilegium revocabit. Unde fit, quod si revocatio fiat motu proprio, & ex certa scientia, vel ex plenitudine Potestatis, privilegia quomodocumque qualificata revocantur, (exceptis privilegiis, quæ in contractu oneroso fundantur, & idem est de illis, quæ jus tertij lædunt in re gravi acquisitum, & possessum tempore à lege præscripto) quia istæ clausulæ, ut infra dicemus, denotant cognitionem saltem confusam, & voluntatem Pontificis revocantis, quod solum requiritur ad veram revocationem. Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. sect. 5. num. 58.* Bassæus *verb. privilegium 3. num. 3.* N. Pr. Petrus ab Angelis *disp. 4. sect. 2. num. 39.* Sanchez *lib. 3. de matrimonio disp. 26. num. 7.* Bonacina *sup. num. 13. circa finem.* Henriquez *lib. 7. de indulgentiis cap. 26. num. 3.* Palaus §. 3. *num. 7.* Qui inde bene infert quod dispensationes super impedimentis affinitatis, & consanguinitatis, quæ obtinentur à Pontifice, vel Sacra Pœnitentiaria sub illa clausula, *non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque quibuscumque contrariis*, validæ sint, licet non fiat expressa mentio Concilij Generalis: quia ex usu, & praxi constat Pontificem velle, pro illo casu speciali, dispositioni Generalis Concilij derogare.

Quando nova Principis dispositio revocet privilegium antiquum?

43 Loquendo verò de revocatione tacita, quæ fit vel per legem, vel privilegium, aut alium actum contrarium præcedenti privilegio, statuendum est, quod si novum privilegium, vel dispositio, quæ contrariatur antiquo privilegio expediatur ex scientia, & notitia prioris privilegij, antiquo derogatum manet, in ea parte, qua novæ dispositioni est contrarium, ne dicamus Principem noviter aliquid disponentem, velle actum nullum efficere, quod de illo non est præsumendum. Sed hoc ut diximus intelligitur quando Prin-

ceps ex certa scientia prioris procedit: quia hæc derogatio debet esse libera, & voluntaria, & sic ex cognitione derogantis procedere. *Cap. cum nulli, de rescriptis, cap. 6. de Constitutionibus in 6.* Et hoc solum in ea parte, qua illi est contrarium: quia si dispositio nova salvatur cum sola derogatione prioris privilegij quoad partem; tunc solum quoad illam, non quoad totum censetur antiquo privilegio derogatum; quia derogatio est odiosa, & sic quantum possibile est restringenda. Ut si à Te habente privilegium non solvendi tributum exigatur de mandato Principis tributum, judicandum est exigi pro illa vice dumtaxat, vel pro illo anno: & sic quoad illam partem privilegio derogabitur; non tamen auferetur privilegium absolutè; sed integrum relinquetur pro reliquis annis: Basil. *lib. 8. de matrim. cap. 19. §. 2. num. 17.* Bonac. *disput. 1. quæst. 3. punct. 8. numero 14.* Bordon. *resol. 52. numero 134.* Portel. *in dubiis Regul. verb. privileg Revocatio, numero 14.* Suarez *lib. 8. de legibus cap. 38. num. 6.* Palaus *tract. 3. disp. 4. punct. 21. §. 4. n. 8.* Noster Pr. Petrus ab Angelis *disputatione 4. sect. 2. num. 19. & 23.* § Sed difficultas est, an præsumenda sit talis scientia in Principe, cum verba novæ dispositionis, legis, aut privilegii nihil aliud continent, quam novam ordinationem contrariam privilegio absque illius aliqua clausula derogatoria?

Quando præsumitur in Principe

44. Ad quod dicimus: quod aut privilegium antiquum est insertum in Corpore juris, aut extra illud? Si primum, manet illi derogatum, per dispositionem illi contrariam, etiam si in ea non sit clausula revocatoria illius: quia non præsumitur ignorare Principem ea, quæ sunt inserta in Corpore Juris. *Cap. 1 de Constitutionibus in 6.* Unde hoc ipso, quod legem statuat, vel privilegium concedat contrarium alteri, quod erat in Jure Communi, præsumitur hoc velle revocare. Si secundum, lege universali illius mentionem non faciente non revocatur; quia non præsumitur in Principe notitia illius specialis privilegij: quia est speciale, & privatum jus, quod non semper venit ad notitiam Principis. *Cap. dicto 1. de Constitutionibus in 6.* ibi: *licet princeps præsumatur scire ea, quæ sunt Juris Communis, tamen ignorare potest jura, facta, & consuetudines privatas.* Layman. *lib. 1. tract. 4. cap 23. num. 17.* Bassæus *verb. privileg. 3. num. 4.* Pellizzar. *tractat. 8. cap. 5. sect. 5. num. 99.* Bonac. §. 3. *num 15.* Palaus §. 4. *num. 10.* Basil. *numero 19.* Suarez *lib. 8. cap. 39. num. 2.* Salas *disputatione 17. sect. 14. nu. 74* § Idem dicimus de privilegio novo, jam præexistenti contrario, quod si antiquum sit insertum in Corpore Juris, manet ei derogatum per novum, in qua parte est illi contrarium, etiamsi in isto nulla illius fiat mentio, sive secundum sit speciale, sive generale: quia primum jam præsumitur à Principe scitum. Si vero primum sit extra Corpus Juris, non derogatur ei per subsequens, quia illius scientia in Principe non præsumitur. Sic Authores citati.

notitia prioris privilegij?

PUNC-

## PUNCTUM V.

*Quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur?*

Qualis publicatio revocationis à jure facta requiratur, ut revocatio subsistat.

45. BReviter ab hoc puncto expediemur, quia ejus materia magnam habet connexionem cum publicatione legum, de qua late egimus *tom. 3. tract. 11. de legib. cap. 1. punct. 6.* per totum: & ex ibidem dictis, quid in præsenti dicendum sit, innotescit. Revocatio ergo privilegii potest fieri vel à jure, quando nimirum lege lata, & à Principe stabilita, privilegium illi contrarium revocatur: & tunc illa publicatio revocationis, requiritur ad ejus valorem; quam ad legis valorem, & obligationem esse necessariam, diximus loco citato: quia nisi constituatur in suo esse perfectè, & completè, sicut non habet vim obligandi, sic nec revocandi contrariam dispositionem contra eam; nec lex in suo esse perfectè constituitur, usquedum solemniter, & authenticè publicetur, ut ibidem probavimus, & hoc modo sentit Lezana *tom. 2. verb. privileg. Regular. num* 20. Suarez *lib. 8. cap. 40. num. 1.* Bonacina *disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 3. num. 20.* Salas *disp. 17. quæst. 17. n. 80. & 82.* Palaus *supr. §. 5. num. 1.* Imo etiam requiritur, quod talis revocatio, quantumvis solemniter facta in Curia, pervenire possit ad notitiam privilegiatorum: quia sic videtur expediens ad convenientem ordinem gubernij, & vitanda plura inconvenientia. Unde sicut de lege Canonica, aut Civili, diximus *loco citat. num. 91.* non habere vim obligandi nisi post duos menses à publicatione solemni, facta in curia, ut illorum decursu possit pervenire ad notitiam singulorum, ita dicendum est de revocatione à lege, seu à jure facta, quod nisi post duos menses à publicatione, non habet suum effectum. Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 28.* Suarez *supr. cap. 40. num. 3.* Portel. *supr. numero 1.* Lezana *num. 20.* Non tamen requiritur, ut talis lex omnibus privilegiatis innotescat; ut vim habeat revocandi privilegium, satis enim est si legitima promulgatio sit facta, & sufficiens tempus præteritum, ut possit ad singulorum notitiam pervenire, licet de facto non pervenerit.

Post publicationem, invalidi sunt actus facti virtute privilegij.

46. Facta autem legitima publicatione legis revocatoriæ, ita ut ejus notitia ad Ordines communicantes, & Monasteria privilegiata pervenire possit; manet ex tunc privilegium revocatum, ita ut acta per illud non valeant, etiam si ignoranter, & sine culpa fiant, ut *loco citat. num. 78.* diximus: quia ignorantia excusare potest à culpa, non tamen præbere ad actum facultatem eis, qui talem facultatem non habent. Sed excipiuntur actus publicè facti cum errore communi, & titulo colorato; nam isti validi sunt, non in vi privilegii, sed adminiculo juris, similes actus sustinentis, *l. Barbarius ff. de officio Prætoris*, Basil. *lib. 8. cap. 19. num. 14.* Lezana *numero 20.* Bordon *resolut. 52 num. 137.*

num. 137. Suarez num. 9. Bonacina n. 20. Pellizzar. num. 100. Baſſæus num. 5. Pr. Petrus ab Angelis, diſp. 1. ſect. 7. num. 1.

Revocatio privilegij ab homine facta, qualiter debeat intimari.

47. Quod ſi privilegium revocatur ab homine, vel mandato concedentis, vel alio privilegio contrario, vel alio modo privatim revocando privilegium præexiſtens; tunc non habet effectum talis revocatio, nec irritat geſta per dictum privilegium, niſi ad notitiam privilegiati perveniat, illique ſpecialiter intimetur: quia hoc pertinet ad rectam gubernationem Eccleſiæ, ut nolit Princeps privilegiatos ſuo jure per privilegium quæſito privari, quo uſque ejus revocatio illis innoteſcat, & intimetur. Tum etiam, quia quælibet revocatio privilegij debet habere aliquam publicationem: ſed revocatio ab homine facta aliam non habet publicationem, quam illam per quam intimatur, & manifeſtatur eis, quorum intereſt; ergo &c. & conſtat ex privilegio Gregorij XIII. conceſſo Jeſuitis, ut ſcilicet nulla derogatio ſub qualibet ampliſſima forma præjudicet ſuis privilegijs, ſi non fuerit illis intimata. Diana part. 3. tract. 2. reſolut. 68. Cordub. lib. 4. quæſt. 38. conſluſ. 3. Pr. Petrus ab Angelis num. 1. Bordonus, & Lezana locis citat. Suarez num. 5. & 6. § Hæc autem intimatio debet fieri, vel per Epiſtolam, aut reſcriptum, vel per nuntium ad id deſtinatum, & à revocante miſſum privilegiato: & non ſufficit alio quocumque modo privilegiatum de ſui revocatione privilegij notitiam habere; eo quod revocatio privatim ab homine facta, debet notificari privilegiato, ne amplius utatur privilegio. Quod fieri rectè non poteſt niſi ipſi per Epiſtolam reſcriptum, aut nuntium miſſum à revocante, intimetur: Bonac. num. 20. §. Dixi. Lezana num. 20. Palaus num. 4. Pellizzar. num. 104. Baſil. num. 14. Sa, verb. gratiæ, num. 1. Quod etiam videntur docere illi Authores, quos refert, & ſequitur Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 30. num. 12. & diſp. 36. n. 9. qui dicunt revocationem juriſdictionis ordinariæ, vel delegatæ debere fieri per nuncium ad id deſtinatum; nec ſufficere notitiam revocationis, aliunde habitam.

Duo notanda circa dicta

48. Sed notandum eſt primo: quod quando privilegium revocandum eſt alicujus Communitatis particularis, non eſt neceſſarium, ut intimatio ejus revocationis fiat cuilibet particulari de tali Communitate; ſed ſufficit quod fiat Corpori Communitatis, ſcilicet ejus Capitulo; vel ejus Capiti, aut Priori: vel ſi conceſſum ſit Provinciæ, Provinciali: vel ſi toti Religioni, ſufficit quod publicetur, ſeu intimetur Capitulo Generali, vel ipſi Generali: vel eis, qui eorum vices gerunt: & ex illis, cum primum poſſit ordinatè debet derivari notitia in ſingulos. Quod ſi negligenter ſe gerant, quibus hoc incumbit, abſque dubio peccabunt graviter: ipſi tamen ſubditi ignorantes invincibiliter revocationem, licitè utentur privilegio, quoad uſque certam ejus notitiam habeant: actus tamen illius eſſent invalidi juxta dicta, num. 46. § Secundo eſt notandum:

dum: quod revocatis privilegiis unius Ordinis, non ob id alij Ordines manent illis privati, nec revocata sunt respectu aliorum, cum illo Ordine communicantium; etiamsi illi Ordini, cui revocata sunt, fuerint primo, & per se concessa, & aliis per communicationem: eo quod communicatio privilegiorum, privilegium sic facit proprium Ordinis communicantis, ut iste illud possidear, independenter ab Ordine, cui per se fuit illud concessum: & sic in conservari non dependet à prio i. Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. sect. 6. num. 104.* Bordonus *resolut. 51. num. 132.* Miranda *in Manuali. tom. 2. quæst. 42. art. 5.* Suarez *lib. 8. cap. 76, num. 14.*

## PUNCTUM VI.

### *Qualiter viva voce Oracula revocata fuerint à Gregorio XV. & Urbano VIII.*

Agenda in hoc puncto proponuntur.

49. Hic solet ab aliquibus tractari de diversis revocationibus, diversis factis temporibus, quod longissimum esset percurrere. Sed quia celebres sunt aliquæ, & generales, ac passim obviæ; de illis est nobis pro exacta hujus materiæ notitia agendum. De privilegiis à Tridentino revocatis, an possint illis uti in conscientia Regulares latè egimus *cap. præcedenti punct. 8.* Quare modo de celebri revocatione Oraculorum, facta à Gregorio XV. & Urbano VIII. disputabimus, quia passim plura Oracula citata reperies, & stat inter Authores disidium, an sint, nec ne revocata? Et quia hæc materia adeo frequens, & necessaria est, conveniens duximus, aliquantulum in ea immorari: ad quam nobis hoc tractatu, & aliis passim recurrendum erit: & sic hoc punctum in tres §. dividemus. In primo quæ sunt certa, & communia apud Authores exponemus. In secundo, & tertio duplicem gravissimam difficultatem circa hanc materiam discutiemus.

---

### §. I.

### *In quo differat Oraculum à Bullato privilegio, & quæ sint Oracula, quæ certo non sunt à dictis Pontificibus revocata?*

In quo differat Oraculum à privilegio Bullato?

50. Sciendum igitur est privilegia Bullata, ab eis, quæ oretenus conceduntur, & oracula nuncupantur, non differre in eo, quod inæqualem habeant valorem; habent enim æqualem valorem ad omnia: quia sive scripto, sive absque eo, gratiam Pontifex impendit, nihil de gratia tollit: & sic Leo X. (teste Rodriguez *tom. 1. quæst. Regular. quæstione 7. articulo 7. in fine. & tom. 3. quæstione 22. art. 1.*) concessit, seu declaravit in gratiam Fratrum Minorum: *Quod non sunt minoris efficaciæ concessa illis per Oracula, quam si per Bullam, vel Breve concessa forent.* Atque idem docet Sanchez *lib. 8. de matrimonio disputatione 29. numero 4.* Lezana 3. *parte summ. verb. gratia, numero 13. & verb. Oracul.*

*numero 2.* Bassæus *verb. privileg. 1. num. 8.* Peyrin. *de Oracul. privileg. Minor. ad Constitut. Julij II. Constitut. 17. §. 1. nu. 1.* Donatus *tractat. 15. de Oracul. quæstione 3. num. 1.* N. Pr. Petrus ab Angelis *disputatione 8. sect. 1. numero 1. & 3.* Differunt tamen in eo, quod privilegia Bullata necessario petunt scripturam manu Papæ subscriptam; oracula vero non; sed solum ut constet, quod ore fuerint concessa. Unde si duo testes concessioni adfuerint, qui de illa testificari possint, etiam pro foro externo valebunt: sin minus, si constet privilegiato de tali concessione, valebunt pro foro conscientiæ, non pro externo. Ob idque Leo X. concesit, seu declaravit pro Fratribus Minoribus, ut in foro conscientiæ possint secure frui omnibus indultis Sibi à sede Apostolica concessis, prout in libris Ordinis reperiuntur, Donatus *quæstione 2. num. 6.* Bordon. *resolut. 31. quæstione 1. num. 1.* Pr. Petrus ab Angelis *num. 1.* Lezana *verb. Oracul. num. 4.* Portel. *in dub. Regul. verb. Oracula, num. 2.* Emanuel Rodriguez *tom. 1. quæstione 7. art 3.* & *tomo 3. quæstione 22. art. 1. & 3.* Hieronym. Rodriguez *responsi. 117.* & alij. § Sed revocatis alijs privilegijs, non revocantur Oracula nisi specificentur, ut diximus *num. 40.* & tenent Lezana, Peyrin. Portel. & alij.

Revocationes factæ à Gregorio XV. & Urbano VIII.

51. Sciendum est secundo: quod Gregorius XV *anno Domini 1622. die 2. Julij*, Bulla, quæ incipit; *Romanus Pontifex in specula*, revocavit omnia Oracula à se, & à Suis Prædecessoribus usque ad illud tempus concessa, nisi illa, quæ authentica essent, & manu alicujus Cardinalis subscripta, vel concessa ad instantiam Regum. Sed quia circa hoc plures emergebant difficultates, postea Urbanus VIII. *anno 1631. die 20. Decembris*, Constitutione quæ incipit: *Alias felicis recordationis:* quæ ad verbum reperitur apud Lezana *tom. 2. verb. Oracula vivæ vocis, numero 3.* & Laurentium de Peyrinis, *tom. 3. privileg. Minorum cap. 12. in additamentis ad Constitut. Urbani VIII. Constitut. 18.* confirmavit, innovavit, & ampliavit eandem revocatoriam, revocans etiam Oracula, quæ Gregorius XV. exceperat. Quam Constitutionem postea idem Urbanus VIII. in appendice ejus temperavit, declarans suam revocatoriam, non comprehendere Oracula expedita per illos Pontificis Officiales, quibus ratione munerum suorum, antea de Summi Pontificis Oraculis fides præstari solebat: ut testantur Authores infra citandi, & in ipsa constitutione videri potest. Qui autem sint dicti Officiales, annotatur *in extravagant. ad Regimen de Prabendis, & Dignitatibus.* Ut Camerarij, Vicecancellarij, Notarij, &c. inter quos annumerandus est Eminentissimus Cardinalis Protector, licet in dicta extravaganti non ponatur; quia verè est Officialis Papæ, & inter Ministros ejus computandus: qui in Religionem sibi commissam, ut talis, jurisdictionē exercet, Cujus assertis in hac parte, fides omnino est præstanda. Peyrin. *in formular. prælator. Regular. littera Z. cap. 3. in appendice ad Urbanum VIII.* Donatus *tract. 16. de Oracul. quæst. 12.* Pr. Petrus ab Angelis *disp. 8. sect. 2. num. 3.* propo-nuntur.

52. Tertio

Oracula, quæ sunt meræ declarationes; vel indulgentias concedunt, non sunt revocata

52. Tertio sciendum est, sub dictis revocationibus non comprehendi primo Oracula, quæ sunt meræ declarationes vel decretorum Pontificiorum, vel Concilij Tridentini in favorem regularium: quia tales declarationes non censentur privilegia, aut indulta Pontificum; sed manifestant id, quod in Decretis, Bullis, & indultis continetur: & solum revocantur gratiæ, quæ aliquam facultatem concedebant; ut constat ex ipsis revocatoriis, & ex fine potissimo illarum. Bordon. *resolut. 31. q. 7. num. 7.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. sect. 5. num. 130.* Bassæus *verb. privilegium 1. num. 8.* Pr. Petrus ab Angelis *disp. 8 sect. 3. num. 1.* Peyrin. *tom. 2. ad Constit. 8. Pauli V.* Lezana *tom. 2. verb. clausul. num. 5.* Alphonsus de Leon. *tract. de Jubileo part. 1. quæst. 6. num. 247.* § Secundo non comprehenduntur indulgentiæ vivæ vocis Oraculo concessæ: quia indulgentiæ in odiosis (qualis revocatio censetur) non veniunt nomine indultorum, privilegiorum, seu gratiarum; eo quod indulgentia est quædam absolutio, seu relaxatio pœnæ debitæ, & non est facultas aliquid agendi, vel non agendi, quam privilegium, seu gratia specialiter significant. Vel certè ut inquit Suarez *lib. 8. de leg. cap. 4.* circa finem, est quædam spiritualis eleemosyna, de Thesauro Christi per dispensationem ejus facta, medio Pontifice: eleemosyna autem non est privilegium; sed purum beneficium alterius rationis; sed in præfatis revocationibus Oraculorum non exprimuntur indulgentiæ; sed privilegia, facultates, & indulta; non ergo in eis revocantur Oracula indulgentias concedentia. Sic Lezana *num. 5.* Bordonus *num. 4.* Pellizzar. *num. 133.* Petrus ab Angelis *num. 2.* Peyrin. *ad Constitut. Urbani VIII. cap. 12. num. 1.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 9. numero 10. & 11.* Rodriguez *tom. 2. quæst. 98. art. 4.* Bartholom. à S. Fausto *lib. 2. de Jubil. & anno sancto quæstione 79.* Prado *tom. 1. cap. 5. quæstione 6. §. 3. numero 17.* Diana *5. part. tract. 14. resolut. 17.*

Oracula pro omnibus concessa, non revocantur.

53. Tertio non comprehenduntur in dictis revocationibus, privilegia, pro omnibus fidelibus, seu pro omnibus Ecclesiasticis concessa; siquidem in dictis revocatoriis, solum exprimuntur privilegia oretenus concessa quibusvis Collegijs, Capitulis, Ordinibus tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Societatibus, etiam Societati Jesu, Congregationibus, Eorum Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Ministris, Generalibus, vel Provincialibus; non vero privilegia pro omnibus fidelibus, vel pro omnibus Ecclesiasticis concessa. Sic Doctissimus Noster Stratius *in instruct. pro Carmelitis cap 20. num. 8. & 9.* N. Lezana *in summ. verb. Oracula num. 5. & verb. Officium Divin. num. 12. & 13.* N. Pr. Petrus ab Angelis *in specul. privileg. disputatione 8. sect. 3. num. 5.* § Et inde probat N. Doctissimus Lezana, gratiam factam à Leone X. vivæ vocis Oraculo pro recitantibus Officium Divinum, ut quicumque dixerit orationem illam, quæ in principio Breviarij novissimi ponitur, videlicet, *Sacrosanctæ, & individuæ Trinitati, &c.*

consequatur remissionem omnium defectuum in Officio Divino recitando, humana fragilitate commissorum, in suo robore manere, nec esse revocatam; quia fuit indultum pro omnibus Ecclesiasticis concessum.

Limitatio præcedentis doctrinæ.

54. Sed hæc doctrina debet intelligi de gratiis, seu privilegiis concessis primo, & per se ipsis fidelibus, non vero de concessis alicui Religioni, Communitati, vel particulari, licet in utilitatem fidelium concedantur. Aliter facultas verbi gratia, concessa aliquibus Regularibus absolvendi, vel dispensandi cum omnibus fidelibus in reservatis, per vivæ vocis Oraculum concessa non esset revocata; siquidem in favorem omnium fidelium fuit expedita, quod à veritate est prorsus alienum: aliàs etiam multa vivæ vocis Oracula, concessa Religiosis, aut personis alicujus Communitatis, concedentia facultatem absolvendi, seu dispensandi in reservatis, non essent revocata: quod est contra mentem Pontificum, & Doctorum, qui hunc modum sequuntur. Si tamen daretur aliquod Oraculum concedens omnibus visitantibus talem Ecclesiam, vel Sanctuarium, vel recitantibus tales, vel tales orationes, ut possint absolvi à reservatis, vel dispensari in illis; cum talis facultas esset primo, & per se concessa omnibus Fidelibus, & secundario, seu indirectè Confessoribus talis loci, per dictas Bullas Gregorij XV. & Urbani VIII. non revocaretur, quemadmodum privilegium Cruciatæ concedens, ut à reservatis possint accipientes illam, absolvi: quia conceditur primo & per se non Confessoribus; sed Fidelibus accipientibus Bullam: si esset dumtaxat Oraculum, non esset in dictis revocatoriis comprehensum.

Privilegium per Bullam uni concessum, & alteri per Oraculum communicatum, revocatum non est illo modo.

55. Sed inquires, an privilegium concessum per Bullam uni Religioni, & alteri communicatum solum per Oraculum, revocatum sit per dictas revocatorias, respectu illius Religionis, cui fuit solum per Oraculum concessum? § Respondetur negativè: Tum, quia privilegium per Bullam concessum uni Religioni, sed communicatum alteri per vivæ vocis Oraculum, jam non sapit naturam Oraculi, sed remanet ut concessum per Bullam, licet quoad modum concedendi sit sine scriptura: nam communicare uni Religioni privilegia alterius, idem est ac ea illi concedere, sicut concessa fuerant priori Religioni. Tum etiam, quia dictum Oraculum, jam sortitum fuerat suum effectum tempore revocationis, qui fuit facere proprium, privilegium Bullatum alienum: & semel jam hoc effectu sequuto, non revocatur Oraculum, ut §. 3. declaravimus. Ita Bordon. *resolut. 31. n. 6.* Lezana *tom. 2. verb Oracula, num. 8.* Perrus ab Angel. *disputatione 8. sect. 5. num. 1.* Peyrin. *tom. 3. privileg. cap. 21. ad Constitut. 18. Urbani VIII. in additionib.* Turrianus *in select. part. 2. disp. 16. dub. 5.* Et eodem modo philosophandum est, casu, quo per Oraculum confirmarentur aliqua privilegia Bullata invalida ex quavis causa ante revocatorias: quia effectus proprius, & unicus talis Oraculi foret revalidare privilegia cassata: ergo cum tale Oraculum jam sortiti-

sortitum fuerit suum effectum ante revocatorias, minime foret sub illis comprehensum, ut ex dicendis §. 3. amplius innotescet.

## §. II.

### *An privilegia vivæ vocis Oraculo concessa & postea confirmata per Bullas, transierint in privilegia Bullata, taliter, quod per revocationes dictas oraculorum non sint revocata?*

Dupliciter potest vivæ vocis Oraculum confirmari per Bullam Pontificiam.

56. Hæc est præcipua difficultas hujus materiæ: quia plura, quæ per Oracula erant concessa, ante generalem revocationem Oraculorum, de qua egimus, fuerant per Bullas Pontificias confirmata. Et est magnum inter Authores dissidium, an talia privilegia oretenus solum concessa, sed per Bullas postea confirmata, sub dicta revocatione comprehendantur? aliquibus id negantibus, aliis affirmantibus? Sed pro intelligentia supponendum est primo: quod dupliciter potest Pontifex privilegium oretenus concessum, iterum per Bullam concedere, seu confirmare. § Primo: quando Pontifex nulla mentione facta, neque in specie, neque in genere de concessis per vivæ vocis Oracula, eadem concedit per Bullam: & tunc planum est non comprehendi in dictis revocatoriis privilegium simili modo concessum: sed in tali eventu gratia concessa prius per Oraculum, & postea per Bullam, sine mentione, quod prius fuerit Oraculum, est valida, adhuc post generalem illam Oraculorum revocationem; non quatenus per Oraculum concessa, sed quatenus per Bullam independenter ab Oraculo expedita. Sit exemplum: habent Superiores Regulares privilegia per vivæ vocis Oraculum, dispensandi cum suis subditis in recitatione officij divini ratione infirmitatis, prædicationis, lectionis, &c. sed postea idem concesserunt per Bullas, nulla mentione facta Oraculorum Clemens VII. & Paulus III. in quo casu Oraculum præcedens circa illam materiam, se habet tanquam si non esset; quia nec juvat, nec movet: & hujus generis sunt multa alia, quæ cum simpliciter sint per Bullas concessa, independenter ab Oraculis, non revocantur per revocationes Oraculorum: quod omnes docent. § Secundo, quando Pontifex confirmat Oraculum præcedens, cum illius expressa mentione, sive in genere omnes gratias oretenus solum concessas confirmando, seu de novo concedendo; sive in specie hoc vel illud Oraculum nominando, vel illius tenorem in Bulla inserendo. De his Oraculis secundi generis sic per Bullas confirmatis, præsens procedit disceptatio.

Confirmationes Oraculorum factæ per Bullas recensentur.

57. Secundo supponendum est: quod multi Pontifices, ante, & post dictas revocatorias Gregorij XV. & Urbani VIII. confirmarunt, & innovarunt omnia privilegia, etiam oretenus solummodo concessa Religionibus, ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis; imo cum clausulis: *quorum tenores.* Quod fecit Paulus III. constitutione: *Ex Clemens.*

*ment.* apud Confectium *pagin. 185.* Gregor. XIII. constitut. *Ex benigna*, apud eundem Confectium *pagina 247.* Sixtus V. constitut. *Etsi Mendicantium.* Confect. *pag. 176.* Clemens VIII. Constitut. *Ratio pastoralis Officij*, anno *1597.* apud Confect. *pagina 286.* pro Minoribus ad instantiam R. P. Joannis Baptistæ Malles Commissarii generalis. Et idem fecit cum magna amplitudine pro Dominicanis Paulus V. die *23.* Maij anno *1605.* & idem Paulus V. die *3.* Aprilis anno *1610.* Idem, & cum eadem amplitudine concessit in Constitutione pro nobis Carmelitis Excalceatis expedita, prout habetur *in nostro compendio*, *Bulla 4. Pauli V. num. 13.* Imo ipse Gregorius XV. die *16.* Octobris anno *1621.* in Bull. *incip. In Apostolica*, Theatinis confirmavit omnia privilegia, etiam oretenus, pro illis aut aliis Religionibus concessa, prout refert Pelliz. *tract. 8. cap. 1. sect. 5. num. 131.* Ex quibus habemus ferè nulla Oracula concessa Religionibus dari, usque ad diem 23. Maij *1605.* juxta Bullam Pauli V. pro Dominicanis concessam, vel usque ad diem 3. Aprilis anno *1610.* juxta Bullam ejusdem Pauli V. pro nobis expeditam. Imò usque ad *16.* Octobris anno *1621.* juxta Bullam Gregorii XV. pro Theatinis, quæ non inveniantur innovata, & confirmata per Bullas Pontificias, cum clausula *ex certa scientia, de plenitudine potestatis*, &c. Quæritur ergo modò an dicta Oracula, etiam in Bullis confirmata, sint sub revocationibus generalibus comprehensa?

*58.* Negat prima sententia privilegia oretenus concessa, per hoc, quod per Bullas Pontificias confirmentur, transire in privilegia Bullata: sed affirmat adhuc intra limites Oraculorum contineri: ob idque comprehensa esse in revocatione generali Oraculorum, facta à Gregorio XV. & Urbano VIII. etiamsi ante talem revocationem essent per Bullas dictas confirmata. Quæ sententia tribus validissimis fundamentis fulcitur. Primum est: nam post confirmationem etiam *ex certa scientia, de plenitudine potestatis, quorum tenores, pro inserti, ac si de verbo ad verbum, &c.* non mutatur natura, & conditio ejus, quod confirmatur, nec transit in alienam naturam, nec accipit novum esse, ab eo, quod habebat: nam confirmatio, ut dicemus puncto sequenti, est acquisiti juris roboratio, eo, quod privilegium intra suam naturã roborat, & stabilit: & si aliqua ratione cessaverit vel fuerit deperditum, vel diminutũ; illud in suo esse, & intra suam naturam innovat, & primo valori restituit: ergo Bulla confirmans Oracula, non extrahit illa à ratione Oraculorum; sed intra suum esse, suamque rationem Oraculorum confirmat: ut si fortè aliqua via suum robur, & virtutem amiserint, ad primum vigorem redeant: ergo non facit illa privilegia Bullata; sed intra naturam privilegij oretenus concessi relinquit: cum ergo omnia Oracula in dictis revocatoriis contineantur, etiam ista continentur; tametsi per Bullas confirmata, quæ non ob id transeunt in privilegia Bullata.

Sententia affirmans Oracula confirmata per Bullas esse revocata proponitur.

lata. § Confirmatur hoc: nam confirmatio privilegiorum per Bullam conceſſorum, ſolum dat novum jus, novumque valorem privilegijs Bullatis extinctis, tantum intra ſuam naturam: & ideo quæ merè gratioſa erant, remanent gratioſa; quæ oneroſa, oneroſa; quæ remuneratoria, remuneratoria; Non vero tranſeunt per confirmationem ex uno genere in aliud: ergo ſimiliter, quando per Bullam confirmatur Oraculum, ſolum renovat, & reſtituit illud intra naturam Oraculi, quin faciat illud in naturam privilegij Bullati tranſire: ergo, &c.

Eadem ſententia amplius probatur.

59. Secundo eadem ſententia probatur: quia ex Bullis revocatoriis Gregorij XV. & Urbani VIII. conſtat revocari omnia Oracula, quomodocumque conceſſa, & confirmata, ut patet ex illis verbis Gregorij XV. (& eiſdem quoad intentum utitur Urbanus VIII. in ſua revocatoria) non obſtantibus, &c. ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritatoriis, & aliis decretis in genere, & in ſpecie, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, & confirmatis, & innovatis, &c. ſpecialiter, & expreſsè derogamus. Ubi illa clauſula quomodocumque confirmata, & innovata, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis; etiam illa, quæ confirmata, & innovata ſunt per Bullas Anteceſſorum, voluit comprehendere: ergo ſimilia Oracula adhuc confirmata, & innovata per Bullas, ſub dictis revocatorijs comprehenduntur.

Tertio eadem ſententia probatur.

60. Tertio, quia manifeſtè ſequitur ex oppoſita ſententia, quod fruſtraneæ, & nugatoriæ prorſus redderentur revocatoriæ iſtæ univerſaliſſimæ, & graviſſimæ Gregorij XV. & Urbani VIII. ſiquidem ſi ſub eis non comprehenduntur Oracula per Bullas confirmata, vix ulla darentur Oracula, ad quæ extenderentur, & in quibus revocandi effectum ſortirentur. Nam ut diximus *num.* 5. ferè omnia privilegia omnium Ordinum Regularium ſive per ſe primo directè, ſive per communicationem fuerint confirmata, uſque ad annum 1621. die 16. Octobris: cum ergo revocatio facta à Gregorio XV. fuerit anno 1622. die 2. Julij, inter revocationem, & conceſſionem ſolum octo menſes interceſſerunt, in quibus non conſtat Gregor. XV. aliquod Oraculum conceſſiſſe, qui poſt ſuam revocationem non vixit per annum integrum, Cui immediatè ſucceſſit Urbanus VIII. & ante ſuam revocatoriam nullum conſtat Oraculum conceſſiſſe: ſi ergo nulla Oracula, per Bullas præcedentes confirmata, revocata ſunt ab illis; vix aliquod eſt aſſignabile, cui per dictas revocatorias derogetur: ergo remanerent omnino fruſtraneæ, & frivolæ juxta doctrinam oppoſitam. Hanc ſententiam probabiliſſimam docent. Quintanadvennas *in Theolog. moral. tom. 1. tract. 9. ſingul. 3. num.* 1. Diana 10. *part. tract. 4. & 14. miſcellan. reſolut.* 24. quamvis 5. *part. tract.* 14. *reſolut.* 17. judicium in hac parte ſuſpendat.

pendat. Bordon. *resolut. 31. num. 5.* N. Petrus ab Angelis *disp. 8. sect. 3. à num 11.* Donatus *tract. 16. q. 3. per totam.* Martinez à Prado *tom. 1. Moral. cap. 5. q. 6. §. 3. per totum.* Juniperus à Drepano Ordinis Minorum *in defens. juris Pontif. disp. 3. quæst. 1. cap. 1.* Theophilus Alarius *canon. conscient. lib 4. verb. privilegium, n. 31.* Rocaful. *tom. 2. part. 3. lib. 7. c. 6. num. 44.* Portel. *tom. 2. respons. casu* 13. & alij.

Oracula confirmata per Bullas, non revocantur per generalem Oraculorum revocationem.

61. Sed licet hæc sententia sit valde probabilis, non minus probabilem arbitramur illam, quæ dicit oracula confirmata per Bullas, transire per hoc in privilegium Bullatum; ideoque non cassari, aut revocari per dictas revocatorias; & probatur sic: quia hoc ipso, quod Oraculum confirmetur per Bullas Pontificias, jam non est purè Oraculum, sed induit naturam privilegij Bullati: sed privilegia Bullata in dictis revocatoriis non comprehenduntur: ergo nec Oraculum jam per diploma Pontificum confirmatum. Minor, & consequentia constant: major autem probatur: Tum, quia in hoc differt Oraculum purè tale à privilegio Bullato, quod illud oretenus conceditur absque scriptura; hoc in scriptis datur, manu Pontificis subscriptum, ut initio hujus Puncti dicebamus; sed hoc ipso quod Oraculum sit innovatum, & confirmatum in Bulla, jam in illa est privilegium scriptis traditum, & manu Papæ subscriptum: ergo jam desinit esse purè Oraculum, & transit in privilegium Bullatum. Tum etiam: quia esse privilegium Bullatum, vel Oraculum sunt differentiæ accidentales ad rationem privilegij; quia ut dicebamus *num.* 50. utraque in concessione, robore, & virtute conveniunt, & solum penes hoc, quod est esse scriptum, vel non, discriminantur: ergo hoc ipso quod Oraculum tradatur scripturæ, quod fit cum in Bullis confirmatur, & ponitur, maximè si in illis tenor illius inseratur; jam non est pure oraculum, (hoc est) oretenus præcisè concessum; sed Bullatum, id est, in scriptis communicatum. Tum denique: quia licet privilegium non habeat rationem Canonis, nec Legis communis; tamen hoc ipso, quod in Corpore juris inseratur, participat rationem Juris Communis, & potius Canon, & lex communis, quam privilegium nudum nuncupatur: quia de ratione Canonis, & Legis Communis est, esse in Corpore Juris insertum: ergo, quia de ratione privilegij Bullati est, tradi à Principe in scriptis, hoc ipso, quod Oraculum per Bullam tradatur in scriptis, desinit esse Oraculum purum, & transit in privilegium Bullatum. Sic Lezana *in summ. verb. Oracula, num. 7* Pellizzar. *tract. 2. cap. 1. sect. 5. num. 131* Laurentius Peyrin. *tom. 3 privileg. cap. 11. ad Constitut. Urbani VIII. n. 1.* Leander à sanctissimo Sacramento Trinitarius *tom. 2. de sacrament. tract. 9. disput 24. quæst. 16.* Leander à Murcia Capuccinus *quæst. 20. select. in cap. 6. Regulæ S. Francisci, n. 3.* Samuelius Dominicanus *in praxi de sepultur. prælud. 3. appendicis, num 1. & sequentibus,* N. Pr. Antonius à Spiritu sancto, Lusitanus *in direct. Regul. tract. 2. disp. 1. sect. 1. num. 35.* Philippus à sancto Antonio

nio *tract. de privileg. viva vocis Oracul. dub. 1. n. 15.* Vidal *in arca Theolog. moral. tit. 4. de jurisdict. in quæst. n. 15 & sequentibus.* Hieronym. Garcia *in politic. Regul. tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 6. n. 6.* Thomas Hurtado *tom. 1. tract. 3. resolut. 9. n. 43. & tract. 12. c. 1. num. 1172. fol. 328.* Escobar de Mendoza *lib. 6. problem. 33. nu. 193. & 195.*

Solvitur primum contrarium argumentum.

62. Ad primum contrarium argumentum dicimus; quòd licèt confirmatio non mutet naturam privilegii, neque in alteram transferat, quãdo in confirmatione non ponitur aliquid pertinens ad alterius naturam, ut probant exempla in confirmatione adducta; at si in confirmatione additur aliquid pertinens ad alterius naturam, per illam confirmationem privilegium in illam alteram naturam transit; ut si privilegium extra Corpus Juris existens, confirmetur, per hoc quod in Corpore Juris inseratur, transit in naturam Canonis, & legis communis, quod antea non habebat. Et promissio simplex si confirmetur juramento, pertinet jam ad materiam Regionis, quamvis ex natura sua talem materiam non cõcerneret: quia per illam confirmationem additur aliquid de materia Religionis, & sic desinit esse simplex promissio, & fit promissio jurata. Sic quia de natura privilegii Bullati est tradi in scriptis, hoc ipso, quòd Oraculum per Bullam confirmetur, desinit esse purè Oraculum, & transit in privilegium Bullatum. Quare solum probat argumentum, quòd si Oraculum oretenus confirmaretur, non mutaret suam naturam, sed intra illam innovaretur, & roboraretur: & si fortè esset deperditum, ad pristinum statum reduceretur, non verò quando per Bullam confirmatur: quia tunc additur ei id, quod est proprium privilegii Bullati.

Secundum solvitur argumentum.

63. Ad secundum dicimus Pontifices solùm velle revocare illa Oracula, quomodolibet oretenus confirmata, seu quomodolibet confirmata per confirmationem, illa in ratione Oraculorum relinquentem; sed cùm eorum intentio non sit privilegia Bullata revocare, ut etiam Adversarii admittunt, non fuit eorum mens illa revocare Oracula, quæ erant confirmata per Bullas, quomodo jam non erant Oracula; sed privilegia Bullata.

Tertium argumẽtum cõtrarium solvitur.

64. Ad tertium dicimus, non ob id dicendum fore reddi dictas revocatorias inutiles, aut fruſtraneas. Tum quia fortè erunt aliqua Oracula ante Gregorium XV. & Urbanum VIII. expedita, vel ab ipsis Pontificibus concessa ante revocationẽ, quæ non erant per Bullas confirmata; quæ revocata, & cassata relinquũtur. Tum, & maximè, quia per hoc satisfactum fuit menti, & intentioni Pontificum, quam in talibus revocationibus habuerunt: Ipsi namque ob id omnia Oracula revocarunt, quia cùm non essent scripta, nec authentica, erat maxima confusio in Ecclesia, & aliqui Oracula fingebant, nunquam à Papa expedita, illisque abutebantur, & nihil in tam gravi materia certum; sed omnia æquivocationibus, abusibus, & fallaciis ex-

positum: & ob id Gregorius XV. excepit à sua generali revocatione Oracula, manu alicujus Cardinalis subscripta: quia ob Authoritatem, & fidem subscribentis, cessabant inconvenientia, quæ ipse in sua revocatione intendebat evitare. Et licet Urbanus VIII. hæc etiam revocaverit; excepit tamen Oracula expedita per illos Officiales, quibus ratione munerum suorum, antea de Summi Pontificis Oraculo fides adhiberi solebat: quia hoc ipso cessabat confusio, & constabat de gratia à Pontifice concessa. Cùm ergo per hoc, quòd Oraculum sit per Bullam Pontificiam confirmatum, & manu Pontificis subscriptum omnis fides adhibenda sit illi, hoc ipso, quòd tenor ejus in Bulla inseratur, nec dubitari possit de illo, cessant inconvenientia, & mens revocantium salvatur. Et idem est quando tenor verborum Oraculi ponitur in Bulla virtualiter, & æquivalenter, quòd fit per verba; *quorum tenores*, vel *ex certa scientia*, Et *de plenitudine Potestatis*.

---

## §. III.

### *Qualiter Oracula, quæ sortita sunt suum effectum ante revocatorias, non sint per illas abrogata?*

Status difficultatis proponitur.

65. PRo intelligentia difficultatis supponendum est, quòd Gregorius XV. & Urbanus VIII. in suis revocatoriis, hæc verba habent: *In his videlicet, qua non sunt sortita suum effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, & abrogamus*, &c. Ex quo sequitur, quòd Oracula, quæ sortita erant suum effectum, relinquunt in suo robore; nam exceptio firmat regulam in contrarium: sed quia ex vi dictæ clausulæ ortæ fuerunt novæ difficultates circa illius intelligentiam, R. P. Fr. Dominicus de Molina ex Ordine Prædicatorum, qui munus Procuratoris Generalis in Curia Romana gerebat, à sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, tam nomine suæ Religionis, quàm aliarum, petivit declarari, an gratiæ, & privilegia vivæ Vocis Oraculo concessa Generalibus, Vicariis Generalibus, Procuratoribus Generalibus, Magistris, Præsentatis, & eorum Ordinibus, quæ sortita erant effectum ante revocationem, licet effectus haberet tractum successivum, manerent in suo robore, & valida censerentur, uti in dicta revocatoria non comprehensa, vel aliqua indigerent revalidatione tam in temporalibus, quàm spiritualibus, & tale accepit à sacra Congregatione responsum, ut refert Castellinus *de elect. cap. 5. num. 37.* Peyrin. *tomo secundo, ad constitut. 3. Gregorii XV. numero 1. Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita, Illustrissimo de Carmona deferente, prædictas gratias, & privilegia in dicta revocatoria constitutione non comprehendi, nullaque revalidatione indigere, proindeque validas esse & fore, eademque securè uti Regulares posse censuit, prout alias fuit responsum Romæ die 2. Aprilis Anno 1625.* Quæ declaratio com-

communiter à Doctoribus affertur, & admittitur.

Qualiter aliqui explicent quòd Oraculum sit sortitum suũ effectũ.

65. Sed inter eos est non levis controversia in modo intelligendi, & explicandi dictam clausulam Bullarum, supposita dicta sacræ Congregationis declaratione. Aliqui rem istam ita explicant, quòd illa Oracula, quæ sortita sunt suum effectum in actu primario, & pro aliis actibus, imò pro ipso actu primario, habent tractum successivum; dicunt manere in suo robore quoad omnes: & per primum actum, intelligunt acceptationem gratiæ, facultatis, seu potestatis: & per secundarios exercitia illorum subsequentia. v.g. per vivæ vocis Oraculum habent Regulares à Pio V. ut possint cum viris, & mulieribus incestuosis, qui peccaverint cum consanguineis, de commissione Provincialis dispensare ad petendum debitum: Effectum primarium sortitum fuit tale Oraculum, cum fuit à Regularibus admissum; qua admissione facta ante Oraculorum revocationem, cum non comprehẽdantur in illa, Oracula, quæ sortita fuerant ante revocationem effectũ, etiamsi habeant tractum successivum pro reliquis actibus, manent in suo robore pro illis: quia actus sunt successiva exercitia talis facultatis, ideo dicunt posse modò virtute illius Oraculi dispensare, sicut poterant ante Oraculorum revocationem, & idem est de aliis similibus casibus. Sic Leander à sanctissimo Sacramento *parte secunda de Sacramentis, tractatu nono, de matrimon. disputatione 24. quæstione 16.* qui nullum alium pro se citat nisi Nostrum Lezanam *in summ. quæst. Regular. capite tertio, num. secundo.* Sed ibi nec aliquod verbum de hac materia reperies, & solum agit de illa *numero 21.* Sed ut constat exemplis ab ipso adductis, loquitur in sensu à nobis infrà explicando, ut ipse seipsum explicat *in secunda parte, verb. Oracula, num. 6. fine:* ubi conqueritur, quòd aliqui ipsum non intelligentes, in alio sensu ipsum adducunt, cujus verba infra adducemus. Sed cum Patre Leandro tenet Pater Donatus *tract. 16. quæst. 4. de Oraculis, n. 2.*

Præcedens doctrina rejicitur.

66. Verum nobis hæc doctrina sic latè explicata, displicet: Nam ex ea sequitur revocationes dictas esse omnino fr. straneas, nullumque habere effectum. Tum quia cum omnes gratiæ, & facultates concessæ religionibus per vivæ vocis Oracula, ante ipsas revocationes fuerint acceptatæ, & multæ positæ in executione quoad aliquos actus; si hoc sufficit ut verificetur, quod sortitæ sunt suum effectum pro tractu successivo, pro futuris temporibus; & nullæ istarum sub dictis revocationibus comprehenduntur; quid est quod revocarunt dicti Pontifices? cùm nullum daretur Oraculum, quando revocatoriæ editæ sunt, quod non esset acceptatum vel à Religionibus, vel à Religiosis, & per consequens, quod jam non sortitum esset suum effectum primariũ? Unde sicut ex dicta doctrina colligit P. Leander, quòd Regulares possunt hodie dispensare in petitione debiti virtute Oraculi Pii V. quia jam erat ante revocatio-

nem acceptatum; poterat etiam inferre, quod possunt uti Oraculis pro dispensationibus, & absolutionibus, iis sis, à Pontificibus concessis ante dictas revocatorias; siquidem ante illas, jam erant omnia ab illis acceptata: imò ferè omnia, quoad aliquos actus executioni mandata; & sic vix ullum remaneret Oraculum, quod esset sub illis revocationibus comprehensum.

Quando intelligantur Oracula esse sortita suum effectū, & sic minimè revocata.

67. Quare per Oracula, quæ sortita sunt suum effectum, & ob id in dictis revocationibus non comprehensa, etiam cum tractu successivo pro futuris temporibus, intelliguntur illa Oracula, quæ in suo effectu principali tantùm habent unicum actum licet successivè transeuntem, vel certè unum principalem effectum cum pluribus actibus secundariis, cum illo necessariò connexis, & in futurum succedentibus: rem explico exemplis. Quidam Religiosus per vivæ vocis Oracula obtinuit à Pontifice gradum Magistri, seu Præsentati: iste talis adhuc post dictas revocationes gaudet gradu accepto, & præeminentiis illi annexis quamdiu vivit, siquidem effectus principalis illius privilegii, est constituere graduatum in tali dignitate, & cum præeminentiis, exemptionibus, & honoribus illi annexis: & cùm talis effectus completus sit ante revocationem, est jam illud Oraculum sortitum suum effectum ante illam, & sic pro executione effectuum subsequentium: quia nectuntur illi dignitati, habet suum robur illud privilegium. § Aliud est exemplum de his, qui habent unum effectum primarium, successivè transeuntem: Si quis per vivæ vocis Oraculum, haberet facultatem comedendi lacticinia per totam quadragesimam, si postquam cœpit uti privilegio, v.g. transacta media quadragesima, adveniret revocatio Oraculorum; non ideo intelligeretur revocatum tale Oraculum, sed poterit uti illo per totam illam quadragesimam. Quia cùm tale Oraculum habeat unicum actum successivè perficiendum per totam quadragesimam, semel sortito jam effectu ante revocationem, non manebit revocatum quoad complementum ipsius effectus, successivè perficiendi. § Sit aliud exemplum, demus quod ante revocatorias, per vivæ vocis Oracula, confirmata fuerint aliqua privilegia Bullata, quæ erant per non usum extincta; tale Oraculum confirmatorium illorum privilegiorum, non intelligeretur revocatum, nec comprehensum in dictis revocationibus: quia suum effectum principalem, & unicum, nimirum confirmationem, & innovationem privilegiorum, sortitum fuit ante illas revocationes. Sic intelligunt dictam clausulam, simul cum declaratione sacræ Congregationis Peyrin. *tom. 3. privileg. ad constit. 3 Gregorij XV. n. 1.* Petrus ab Angelis *disp. 8. sect. 4. nu. 4. & disp. 2. sect. 3. à num. 12.* Bordon. *tom. 1. p. 2. de Oracul. resol. 31. n. 8.* Castellinus *de elect. cap. 5. n. 37.* N. Lezana *duplici loco supra citato specialiter in 2. part. verb. Oracula, num. 6. fine*, ubi sic dicit: (Nota tamen, quòd si aliquis Religiosus haberet per vivæ vocis Ora-

Oraculum sibi concessum, facultatem, v.g. dispensandi, vel absolvendi quemlibet ad se venientem à casibus reservatis, & talem facultatem nondum exercuit, revocata censeri deberet per dictas Constitutiones, quia illa non est sortita suum effectum, neque habet tractum successivum per unicum solum actum, prout illum habent gratiæ relatæ in declaratione sacræ Congregationis, sed per plures independentes ab invicem. *Quod dixerim contra aliquos, qui non rectè percepisse videntur id, quod loco relato dixi.)*

## PUNCTUM VII.

### *De confirmatione privilegiorum, sub quæ forma, & modo fieri soleat?*

Confirmatio in forma communi, & ex certa scientia explicatur.

68. POSTQUAM de privilegiis, & eorum cessatione mentionem fecimus, venit de confirmatione illorum agendum. Circa quam, quia modica est controversia, parum immorabimur. Igitur confirmatio definiri solet: *Quod sit juris quæsiti roboratio.* Est enim illius natura, non dare novum esse, sed antiquum roborare, vel ad suum pristinum vigorem reducere. Duplex genus confirmationis communiter ab Authoribus assignatur, ex *cap. diversitatis, de concess. prabendæ, cap. 1. de transact. cap. veniens, eod. tit. una in forma communi*, ut quando confirmatur privilegium antea concessum, sine alio examine, & distincta notitia illius, sed cum sola cognitione confusa privilegii, quod simpliciter prout jacet proponitur, ut antea concessum erat: & sic confirmatur sine aliqua forma speciali, solum in forma communi. Alia *ex certa scientia*, quando nimirum cum perfecta notitia, & examine privilegiorum, & eorum circumstantiarum, & aliorum, quæ ad illorum conditionem spectant, proceditur. Quare cum in ipsa confirmatione additur verbum, quo significetur sufficiens præcessisse examen, seu perfectam notitiam; vel tenor antiqui privilegii confirmandi ingeritur; dicitur confirmatio *ex certa scientia*: & quando hoc non invenitur in confirmatione, erit *in forma communi*. At non requiritur, ut confirmatio ex certa scientia dicatur, quod totus tenor privilegii confirmandi, inseratur in confirmatione; sed sufficit hoc, vel quòd clausula *ex certa scientia* apponatur: quia hæc sufficiens est signum supradictæ cognitionis: & cum per eam affirmet Princeps se confirmare ex certa scientia, illi credendum est. Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 18. q. 1. n. 4. & 6.* Nicolaus Garcia *de benef. p. 3. c. 2. n. 230.* Donatus *tract. 11. q. 5. n. 6.* Suar. *lib. 8. c. 18. n. 6.* Petr. ab Angel. *disp. 7. sect. 4. n. 3.* § Imò sufficit, quod ex aliis verbis ejusdem rescripti, seu ex narratis in illo constet Principem cum plena facti cognitione procedere: & sic sufficit clausula æquipollens certæ scientiæ, ut est *de plenitudine potestatis*, per quam significat se non solum velle operari secundùm Jus commune, sed supra, vel contra illud: quod non præsumitur

facere, nisi ex certa scientia operetur. Suarez, Donatus *locis citatis.* Pellizzar. *tract. 8. capite 1. sect. 2. num. 26.* Antonius à Spiritu sancto *tractatu 1. disputat. 1. sect. 4. num. 63.* Addit Suarez, cum Donato per hanc scientiam intelligi scientiam facti: nam scientia Juris Communis, semper à Principe præsumitur, *cap. 1. de constitut. in 6.*

Effectus, quos habet confirmatio in forma communi.

69. Quare cùm nullum ex prædictis verbis, dictam scientiam Principis demonstrantibus in confirmatione apponitur, semper præsumitur facta *in forma communi*, quæ nihil aliud est, quàm quædam simplex approbatio facti præteriti: nec ampliat privilegium; nec supplet defectus, si fortè aliqui in illo inveniantur; nec validum reddit, quod invalidum ex qualibet causa existebat; & sic non potest dici illa confirmatio, concessio nova privilegii; sed illius pura roboratio: quia verbum *confirmo* purè prolatum, non est nota voluntatis donandi, vel faciendi aliquid de novo simpliciter; sed tantum approbandi, quod factum est, *cap. inter, §. caterum,* & *§. cum iterum, de fide instrum.* Suarez *numero 7.* Tambur. *numero 8.* Pellizzar. *numero 26.* Hieronym. Garcia *tomo 1. tractat. 8. diff. 1. dub. 7. num. 1.* Bassæus *verb privileg. 4. numer. 1.* Petrus ab Angelis *numer. 4.* Antonius à Spiritu sancto *num. 64.* Quare semper in confirmatione *in forma communi*, subintelligitur conditio, si id quod confirmatur subsistit validum: & hoc etiamsi addatur *innovamus*, vel *de novo concedimus.* Quæ verba in confirmatione, *in forma communi*, non revalidant factum; sed sunt quasi repetitio ejusdem rei, posita ad majorem expressionem. Suarez *capite 18. num. 9.* Si tamen illa verba *innovamus* cadant super privilegium, vel alium actum validum capacem confirmationis, accipit robur, & authoritatem à confirmante; siquidem illud approbat, & quodammodo facit suum, & prodest ad non præscribendum contra privilegium; sed tempus præscriptionis debet computari (si erat incepta & non completa) à tempore talis innovationis, & confirmationis. Rodriguez *tomo primo, quæstione 6. articulo primo, §. ultimo.* Merola *disputatione sexta, dubio quarto, numero 81.* Bruno Cassaing. *tractatu 1. capite 2. proposit. 4.*

Effectus confirmationis ex certa scientia.

70. At confirmatio ex certa scientia reddit privilegium de invalido validum, & restituit privilegia amissa per non usum, vel per contrarium usum, & restaurat revocata, & quomodolibet deperdita; & sic vim habet novæ concessionis talis privilegii: nam validare actum, seu privilegium, quod antea erat nullum, idem planè est, quod de novo illud concedere. Bassæus verb. *privileg. 4. numer. 1.* Garcia *suprà num. 2.* Tambur. *disputat. 18. quæst. 1. numer. 7.* Antonius à Spiritu sancto *num. 65.* Suarez *lib. 8 cap. 14. n. 1.* Rodriguez *tomo 1. quæst. 8. articulo 3.* Donatus *tract. 11. quæst. 7.* § Sed hoc intelligitur, nisi Pontifex ponat aliquam clausulam, per quam dicat se nolle confirmare privilegium alias nullum: ut si dicat: *quatenus sunt in usu*; quia tunc si aliquod

quod privilegium sit jam nullum, quia non est in usu, non confirmatur per confirmationem *ex certa scientia*. Tambur. *tomo primo, disputatione* 18. *quæstione* 1. *&* 5. Bassæus verb. *privileg.* 4. *nu.* 1. Quare quando talis clausula apponitur, ea solum privilegia confirmat, quæ sunt in observantia, & usu: non ea quæ invalidata sunt per non usum, vel per contrarium usum; secùs autem si sint in usu quamvis invalida per quamcumque aliam causam, quia tunc per confirmationem *ex certa scientia*, revalidantur, & renovantur, ac si de novo concederentur. Pellizzar. *tractatu* 8. *cap.* 1. *sect.* 2. *numero* 26. Portel. *in dub. Regul. verbo privileg. à num.* 26. Suarez *lib.* 8. *capit.* 18. *num.* 16. *&* 17. Rodrig. *to.* 1. *q.* 8. *art.* 3. *&* 4. At si è contra ponatur clausula: *Dummodo sub aliis revocationibus non comprehendantur*, non revalidantur per confirmationē privilegia, quæ erant nulla, ob aliquam præcedentem revocationem; bene tamen illa, quæ per non usum, vel contrarium usum erant invalida: quia cum solum excipiat confirmator, revocata per positivam revocationem, & exceptio firmet regulam in contrarium; non intelligitur de illis, quæ alio quocumque modo erant amissa. Sic citati. § Attamen confirmatio ex certa scientia nunquam revalidat privilegium, quod à principio fuit nullum, falsum, vel subreptitium: quia non est mens Principis concedere, nisi quòd antea vere concessum fuerat. Illud verò, quod ab initio nullum fuit, numquam verè concessum judicatur; sed revalidat privilegia, vel à prædecessore revocata, vel per non usum amissa. Rodriguez, Bassæus, Pellizzar. Portel. Tamburin. *quæstione* 1 *numer.* 6. Garcia *tractatu* 8. *diff.* 1. *dub.* 8. *numer.* 2. Lezan. *verb. privileg. n.* 23. Antonius à Spiritu sancto *n.* 65.

71. Sed ad dictos effectus causandos, & confirmationem *ex certa scientia* expediendā aliqui dicunt, quod requiritur, ut tenor privilegii confirmandi inseratur in confirmatione, vel quod constet præcessisse in Principe cognitionem defectus, vel nullitatis privilegii confirmandi. Sic Diana *part.* 11. *tract.* 2. *miscell. resolut.* 7. Pasqualig. *in qq. canonic. centur.* 2. *quæst.* 107. eò quòd impossibile sit, quòd confirmatio sit in forma specifica, nisi procedat ex cognitione specifica, & determinata rei confirmandæ: quia nihil volitum, quin præcognitum: ergo licet ponatur in confirmatione *ex certa scientia, & de plenitudine Potestatis*, nisi tenor privilegii inseratur, vel de certa scientia, & specifica Principis constet, non revalidatur privilegium concessum. § Sed hæc doctrina, & modus dicendi non placet; nam reddit incertas, & ferè inutiles omnes confirmationes communiter factas. Quis enim novit, an eas exactè Princeps examinaverit? Vel unde constare poterit, quòd intellexerit nullitates, quas privilegia confirmanda habebant? Dicere autem, quòd tenor privilegii confirmandi est necessariò inserendus, vel quòd constet de informatione individuali Principis explicitè, est

Quod tenor privilegii ponatur in confirmatione ad valorem ejus esse necessarium aliqui dicunt.

est nimium onus imponere, hocque ferè impossibile, & contra praxim communem est. Maximè, quia idem esset necessarium in confirmatione, & communicatione privilegiorum, quæ quotidie *ex certa scientia* communicantur, & communicata sunt Religionibus inter se: & nemo petit, vel quòd tenor omnium privilegiorum inseratur, vel quòd Pontifex habeat notitiam individualem illorum, ut communicatio sit forma; sed cum sola notitia confusa, & in communi omnium privilegiorum, quæ exprimitur sufficienter cum clausula *ex certa scientia*, manet firma, & tenet. Idem est in præsenti asserendum. Sic Suarez, quem ferè omnes alii sequuntur *lib. 8. c. 18. n. 12. & lib. 7 c. 29.* Merola *disputatione 6. capite secundo, num. 114.* Donatus *qu. 4. num. 9.* ubi testatur sic fuisse decisum à sacra Rota anno 1614. coram Burato die 26. Januarii.

Aliquæ clausulæ, quæ solent addi confirmationibus ex certa scientia explicantur.

71. Et si roges, quid addatur de novo, cum in aliquibus confirmationibus, & concessionibus, *ex certa scientia, & de plenitudine Potestatis*, addi solet, *concedimus, & innovamus, &c.* Si per hoc, quod præcisè sit, ex certa scientia expedita confirmatio innovatur, & restituitur privilegium extinctum, ac si de novo concederetur? § Respondetur, quod confert ex se jus novum si opus est: est enim quasi quædam conditio naturalis ex parte rei concessæ, quæ tollit omnem vetustatem, & restituit deperdita majori claritate. Insuper ampliat renovationem ad omnem modum possibilem, qui sub propria significatione talis verbi cadere potest, & tollit omnem ambiguitatem, quia nulla possunt esse clariora signa voluntatis Principis, ad de novo concedendum privilegium illud, restituendum, & renovandum, quam illa verba: *De novo, innovamus, concedimus*: Nec amplius desiderari potest, ad dictos effectus præstandos. Suar. *cap. 20. num. 8.* Barbos. *c. 16. de Officio, & potestate Parochi, in fine.* Merola *cap. 4. num. 78. & 79. compend. Minor. verb. privileg. Fratrum, §. 3.* § Et idem ferè dicimus de illis clausulis, quæ addi solent in confirmationibus ex certa scientia, *supplentes omnes defectus juris, & facti, si qui forsitan intervenerint in iisdem*, quæ videntur superflua, si in confirmatione *ex certa scientia*, privilegia omnino instauran ur, & de novo fiunt, & supplentur omnes juris, & facti defectus. Sed licet hoc ita sit, illa verba merito ponuntur. Tum propter dicta. Tum etiam, ut inquit Suar. *cap. 2. num. 10.* quia hæ clausulæ non semper adduntur propter novos effectus, sed ad majorem evidentiam, & ad tollenda omnia dubia, & scrupulos; & insuper ad magis præcludendam viam litibus & controversiis.

Non instauran tur privilegia Jure Communi revocata.

73. Sed modo restant aliquæ difficultates enodandæ. Prima est, an per confirmationem ex certa scientia, & de plenitudine Potestatis, restaurentur privilegia revocata per Jus Commune, vel per Concilium aliquod Generale, absque eo quod de tali revocatione fiat expressa, & specifica mentio? Negatiſ

tivè respondendum est, juxta dicta *sup. n.* 40. eo quod Jus Commune qualificatum per specialem clausulam resistentem privilegiis, seu revocantem illa, non revocatur sine expressa mentione illius: ergo idem dicendum erit de confirmatione. § Et confirmatur: quia ut lege communi revocetur privilegium, satis non est, quod contra illud disponat; sed debet addere clausulam revocatoriam illius, ut diximus *loco citato hoc capite*: ergo propter eandem rationem, ut per confirmationem reviviscat privilegium, jam Jure Communi extinctum; non sufficiet ut illud confirmet ex certa scientia, nisi expresè dicat, non obstante revocatione Juris Communis, aut Concilij Generalis. Ita Bassæus *verb. privileg. 4. n. 4.* Corduba *in compend. verb. absolut. quoad saculares 2. ad §. 16.* Merola *disputatione sexta, capite quinto, num. 53.* Rosell. *verb. absolutio, num. 113.* Portel. *verb. privilegior. confirmat. numero 33.* & videtur tenere Dian. *parte undecima, tractatu secundo, miscellan. resolutione septima.* Suarez *libro octavo, de legibus, capite septimo, numero 5. & cap. 19. n. 4.*

Confirmatio ex certa scientia, non instaurat privilegia contra jus tertij.

74. Secunda difficultas est, an confirmatio *ex certa scientia* confirmet actum, possessionem, aut privilegium in præjudicium tertij? § Respondetur, quod quamvis in rigore, si confirmatio est absoluta ad omnia se extendat, sicut Papæ potestas extenditur; ex æquitate tamen quæ dictat nemini esse inferendum præjudicium, *cap. super eo, de officio delegati*; non confirmatur privilegium cum præjudicio tertij in re gravi, & magni ponderis, *cap. super litteris, de rescriptis cap. quamvis, eodem titulo in 6. cap. ultim. de confirmation.* Ubi nunquam præsumitur Principem velle juri tertij derogare, nisi exprimat, in re magni momenti: ideoque debent impropiari verba legis, seu confirmationis, ne inferant tale præjudicium tertio. *leg. si quis à Principe 3. ff. ne quis in loco publico.* Sic Cardinal. Tuschus *littera C. conclus. 340. numero decimo tertio*, Menochius *de præsumptionibus, libro secundo, præsumption. 9.* Ludovicus Gomez *in regul. Cancell. quæstione prima, regul. de non tollendo jus quæsitum.* § Excipe primo, si clausula *ex certa scientia*, addatur: *non obstante jure, & præjudicio tertij*; quia tunc etiam in magnis, jus tertij abrogatur: quia per hæc adjecta apparet, quod Princeps cum sufficienti fundamento voluit præjudicare illi, cui erat jus quæsitum: sic cum multis Barbosa *clausula 25. numero septimo*, Naldus *in summ. verb. clausul. §. ex certa scientia.* § Excipe secundo, quando Pontifex aliquam concedit gratiam, quam scit non posse verificari, nec suum effectum sortiri, nisi cum præjudicio justis tertij: quia verba in Bullis, & privilegiis apposita, debent aliquid operari; alias essent otiosa, & impertinenter posita, *cap. si Papa in fine, de privileg. in 6.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancellar. §. 7. proœmial. num. 63.* Tamburin. *de jure Abbat. disputatione 18. quæstione sexta, numero 63.* & sic fuisse decisum à sacra Rota, testatur Riccius *in collect. 1752. in causa Burgens. 5. Decembr. anno 1601, coram Seraphino.*

Variæ confirmationes ex certa scientia, recensentur.

75. Hinc solent adduci variæ confirmationes *ex certa scientia, & de plenitudine Potestatis* privilegiorum diversarum Religionum, quas omnes recensere, esset in longissimum abire. Nam confirmationes pro Minoribus expeditas, ad satietatem refert Bassæus *locis citatis*. Pro aliis etiam latissimè Tamburin. *disputatione* 18. *quæstione tertia*, Portel. *num.* 30. Pro nobis, Carmelitis dantur confirmationes factæ à Julio II. Clement. VIII & Innocentio VII. quas refert Urbanus ab Ascen. *primaparte, tractatu secundo, capite tertio, regul. 6.* specialiter autem illa Clementis VIII. quæ est pro nobis Carmelitis excalceatis, ut habetur in nostro *compendio folio 113. num.* 116. In qua omnia privilegia omnium mendicantium, nobis communicavit, & confirmavit ex certa scientia, & de plenitudine potestatis: cum ea tantum restrictione, ut non sint contra Tridentinum, vel contra regulam primitivam ejusdem Ordinis. § An vero confirmatis privilegiis unius Religionis, censeantur confirmata privilegia aliarum cum illa communicantium, gravis est difficultas, quam puncto sequenti examinabimus, & sic sit

## PUNCTUM VIII.

*An per confirmationem privilegiorum unius Ordinis, aliorum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in privilegiis?*

Quot modis procedere possit difficultas.

76. DUPLICI modo potest hæc difficultas procedere. Primo, an si confirmentur privilegia unius Religionis, cui primo fuerunt concessa, illa confirmatio extendatur ad omnes Religiones, quæ per communicationem gaudent eisdem privilegiis? Secundo, an confimatis privilegiis unius Religionis, eo ipso censeantur confirmata, aliarum privilegia, etiam si diversa sint, dummodo in privilegiis gaudeant communicatione cum illa, cui facta fuit confirmatio? Quod aliis verbis idem est ac inquirere, an confirmatio facta de privilegiis unius Religionis, intelligatur facta de privilegiis aliarum ratione generalis communicationis. § Sed dicendum est, bifariam posse unam Religionem cum alia communicare in privilegiis; vel si solum communicat cum illa in concessis, vel simul in concessis, & in futurum concedendis, ut in multis communicationibus invenitur.

Aliquando confirmatum pri-

77. Quibus suppositis, dicendum est primo: quod si loquamur secundum primum modum, quo excitatur quæstio, si secunda Religio solum com-

vilegio pro una Religione, confirmatur pro alia, aliquando non

communicat in privilegiis concessis anteriori Religioni, cui nunc confirmantur sua privilegia; non gaudet confirmatione facta pro priori Religione: secus vero si communicatio sit in concessis, & concedendis. Ratio primi est: quia confirmatio est novum privilegium, novaque gratia, & quasi præexistentis nova concessio, quæ nondum erat, quando communicatio facta est: igitur cum talis communicatio non extendatur ad futura, quia non est de privilegiis concedendis; sed tantum ad præterita, quia est de concessis; confirmatio pro priori facta Religione, non extenditur ad Religionem per communicationem privilegium habens. Et hinc probatur secunda pars assertionis: quod quando communicatio est de concessis, & concedendis, gaudet secunda Religio privilegio, & gratia, qua de novo privilegia confirmantur pro prima Religione; siquidem talis confirmatio æquivalet novæ concessioni privilegij: & sic censetur quasi novum privilegium, & nova gratia: ergo cum communicatio est non solum de concessis; sed etiam de concedendis, extenditur ad participandam dictam confirmationem; utpote gratia, & privilegium de novo concessum. Ita Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. sect. 2. num. 28.* Suarez *lib. 8. c. 19. num. 8. & 9.* Petrus ab Angelis *disput. 7. sect. 8. num. 3. & 4.* Antonius à Spiritu sancto *tractat. disp. 1. sect. 4. num. 6.* Bassæus *privileg. 4. num. 3.* Tambur. *tom. 1. disputat. 18. quæst. 4.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 8. art. 2.* Portel. *verb. privileg. 34.* Miranda *tom. 2. quæst. 42. art. 5. conclus. 2.* Merola *disp. 6. de privileg. cap. 5. dub. 3. num. 3.* Donatus *tract. 11. q. 9.*

78. Asserendum est secundo: quod confirmatio facta uni Religioni quoad sua privilegia, non censetur facta alteri quoad sua, ratione communicationis generalis cum illa, sive ea sint privilegia diversa, sive eadem; etiamsi communicatio se extendat ad futura concedenda. Si namque solum sit de concessis, non est dubium confirmationem postea subsequutam non communicari, alias jam non esset de concessis dumtaxat tempore communicationis; sed de postea concedendis, quod supponimus falsum. Assertio hæc, licet non omnes eam admittant, est fere communis, & probatur: quia confirmatio minime se extendere potest ad non intenta, nec expressa à Pontifice; sed quando Pontifex v. g. confirmat privileg a propria Minorum, non intendit, nec exprimit se velle confirmare propria Carmelitarum; alias plura quam intenderet, confirmaret: ergo, &c. Quæ magis vim habet quando confirmatio est *ex certa scientia*: quia Princeps non habet, nec præsumitur habere scientiam particularem privilegiorum aliarum Religionum; sed eorum tantum, quæ directè, & expressè ex tali scientia confirmat: ergo illa confirmatio non potest per communicationem transire ad alia privilegia ignota, & per se valde dissimilia. Ita Pellizz. *sect. 2. n. 27.* Suar. *c. 19. n. 12. & 13.* Bassæus *verb. privileg. 4. n. 3* Portel. *verb. privilegiorum confirmatio, n. 35.* Donatus *tr. 11. de confirm. privileg. quæst. 10. num. 1.* Petrus ab Angel. *disp. 7. sect.*

Quando confirmantur privilegia propria hujus Religionis, non confirmantur propria alterius.

7. *sect. 8. num. 9.* § Hanc sententiam sequuti sumus, quia inter Authores eam communiorem reperimus, licet oppositam probabilissimam judicemus, & in rigore forte veriorem, ut inquit Suarez, *num.* 12. & probabilem vocat Merola *disput. 6 cap. 5. dub. 3. num. 68.* Quia illam Religionem communicantem, v. g. Carmelitanam, supponimus nedum communicare in privilegiis concessis alijs Religionibus, sed etiam in concedendis postea; atqui confirmatio est novum privilegium, modo concessum v. g. Minoribus: ergo Religio Carmelitana communicat in hoc privilegio. Maximè, quia mens Pontificis in communicatione privilegiorum est, ut Religiones æquales maneant in privilegijs, sicut æquales eas judicat in laboribus: igitur se extendit ad communicandum confirmationes factas pro una Religione, cæteris alijs communicantibus cum ea in privilegijs.

Quædam exceptio præcedentis doctrinæ.

79. Illud certum judicamus, quod quando Pontifex confirmat privilegia unius Religionis, dicens se confirmare omnia privilegia illius, sive propria, sive communia, id est quæ participat cum alijs; tunc confirmantur etiam privilegia alterius Religionis, cum qua communicat; non tamen ut sunt unius; sed ut per communicationem sunt propria facta alterius: quia talis Religio secunda etiam habet communicationem cum prima, quoad privilegia, & futuras gratias, ut supponimus: ergo per talem communicationem habebit sua privilegia confirmata. Sic Suarez *num.* 14. Merola *num.* 70. Donat. *num.* 4. Petrus ab Angelis *n.* 14. Pellizz. *tract. 8. cap. 1. sect. 5. num.* 231. Unde infert hic Author quod cum Gregorius XV. die 16. Octobr. an. 1621. confirmaverit *ex certa scientia & de plenitudine potestatis*, omnia privilegia, tam propria, quam participata Pattibus Theatinis (& hi participent omnia privilegia tam Mendicantium, quam non Mendicantium) eisque omnia de novo concesserit, privilegia omnium Religionum confirmata, & innovata remanserunt. Hoc autem videant alij num subsistat.

80. Nos vero sine dubio affirmamus, quod quatuor Religiones Mendicantes antiquæ, habent communicationem privilegiorum omnium inter se, & cum alijs non Mendicantibus, tam circa privilegia concessa, quam in futurum concedenda, absque ullo prorsus discrimine, ut testantur, & probant Mirand. *tom.* 2. *quæst.* 42. *art.* 2. *concluf.* 1. Lezana *in explication. Maris magni Prædicatorum*, §. 51. *à num.* 152. *& Maris magni Carmelitarum*, §. 105. *num.* 522 *& seq.* Pro nostra autem Carmelitana familia Discalceata, quæ una est ex quatuor Mendicantibus antiquis (nimirum ipsissima antiqua, & Primitiva Religio Carmelitarum, ut testatur Clemens VIII. in constitutione: *Romanus Pontifex* sub die 20. Augusti ann. 1603. Anathematizans contradicentes, & declarando ei competere, & gaudere omnibus privilegijs, favoribus, gratijs quomodolibet, tam principaliter, quam per communicationem concessis Ordini Carmelitarum

Carmelitanæ familiæ privilegia confirmantur, quando confirmantur aliorum Ordinum privilegia.

rum antiquo. Quæ omnia postea confirmavit, & ampliavit Paulus V. Bulla, quæ incipit. *Ex injuncto*, die 24. Septembris ann. 1605. & habetur *in nostro compend. fol.* 23.) extant diversæ communicationes privilegiorum cum omnibus alijs Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus; non solum de concessis; sed de omnibus concedendis pro futuris temporibus, tam per extensionem, quam per communicationem: ut est illa Bulla Clementis VII. pridie idus Augusti anno 1530. incipiens: *Ex Clem.* quæ refertur *tom.* 1 *Bullar. Roman.* & est 31. hujus Pontificis, habeturque Authentica in nostro compendio. *fol.* 297. *num.* 9. & alia Bulla Clementis VIII. ann. 1602. die 13 Julij. quæ incipit: *Cum dudum*, & habetur Authentica in nostro compend. folio 184. Unde colligitur, quod privilegia nostræ Carmelitanæ familiæ, semper manent confirmata, per confirmationes factas specialiter alijs Religionibus, quæ nostra privilegia participant, si confirmatio extendatur ad propria, & communicata; ut extenditur concessa Fratribus Dominicanis à Julio III. die 10. Julij anno 1551.

# CAPVT III.

## *De Privilegijs Regularium, circa pertinentia ad Religionem in communi.*

POSTQVAM duobus præcedentibus Capitibus egimus de privilegijs in communi, & eorum cessatione; restat, quod de aliquibus in particulari sermonem faciamus. Sed de omnibus agere, quæ ad diversos status spectant, esset res ardua, & longissima. De aliquibus jam alibi egimus; si quidem de privilegio fori, & Canonis pertinente ad omnes personas Ecclesiasticas, egimus *tom.* 2. *hujus Cursus, tract.* 3. *de Ordine cap.* 7. *per totum.* De Officio divino celebrando tempore interdicti pro omnibus etiam Ecclesiasticis, eodem *tom. tract.* 10. *de censuris, cap.* 7. *à num.* 63. De privilegijs Equitum Militarium egimus supra hoc volumine *tract.* 15. *de statu Religioso, cap.* 1. *à num.* 7. quare modo de privilegijs regularium in particulari ex professo loquimur. Sed adhuc de istorum aliquibus privilegijs alibi actum est:

nam de privilegiis Novitiorum diximus *hoc tom. 4. tract. 15. cap. 2. à num. 85.* De privilegiis in Ordine ad recitationem Officii divini, *tr. 16. de Horis Canonicis, cap. 3. punct. 7. per totum.* De privilegiis, quibus funguntur in Ordine ad anticipandam, vel postponendam horam Sacrificij Missæ, *dicto tract. 15. cap. 7. à num. 92.* & de privilegiis celebrandi in particularibus oratoriis ibi *à num. 97* § Quare de privilegijs particularibus hoc, & sequenti capite tractabimus. In isto vero de his, quæ pertinent ad Religionem in communi; in sequenti vero de illis, quæ ad particulares Religiosos spectant, tam in ordine ad se, quam in ordine ad sæculares, relictis illis, quæ jam à nobis sunt alibi adducta, & explicata: Nam de facultate & privilegiis, quæ sunt in Religionibus ad expellendos criminosos, loquuti sumus *tract. 15. cap. 5. à num. 33.* De privilegiis Religionum, ut à sententiis Prælatorum non detur appellatio, eodem tractatu actum est *c. 7. à num. 10.* De privilegiis, ut possint bona mobilia, & immobilia alienare absque solemnitate juris, eodem *cap. 7. à num. 27.* quare hoc Caput continet sex Puncta.

PUNCT. I. *De privilegio exemptionis, competenti Regularibus, à jurisdictione Episcoporum,* num. 1.

§. I. *Quid nomine exemptionis intelligatur in præsenti? à quibus fit? & qui gaudeant hoc exemptionis privilegio?* n. 1.

§. II. *Qualiter Regulares exempti ab Ordinariis locorum, dependeant ab Eis quoad aliqua privilegia?* num. 10.

§. III. *An Ordinarij possint per censuras Regulares exemptos compellere, quoad ea, in quibus ex jure sunt illis subjecti?* n. 20.

§. IV. *An Regulares exempti, teneantur legibus Diœcesanis ab Episcopis impositis?* n. 25.

§. V. *Possintne Ordinarij locorum visitare Personas, Ecclesias, Monasteria, Parochias, Confraternitates Regularium exemptorum?* n. 31.

§. VI. *Qualiter in causis criminalibus dependeant Religiosi exempti ab Ordinariis?* n. 43.

PUNCT. II. *De privilegio Regularium exemptionis à solutione decimarum,* num. 52.

§. I. *Quotuplex sit decima, quo jure debeatur, ex quibus rebus, quibus, in quo loco, & à quibus sit solvenda?* n. 52.

§. II. *Qualiter Jure Communi Religiosi communiter viventes exempti*

empti sint à solutione decimarum? n. 63.

§. III. De privilegiis concessis Religionibus extra Corpus Juris, circa exemptionem solutionis decimarum? n. 72.

PUNCT. III. De privilegio immunitatis concesso Regularium Monasteriis, Ecclesiis, ac domibus. num. 81.

§. I. Quibus locis sacris hoc privilegium immunitatis conveniat, n. 84.

§. II. Quæ personæ hoc gaudeant immunitatis privilegio? n. 89.

§. III. De criminosis, qui ab hac Ecclesiæ immunitate excluduntur, num. 96.

§. IV. Quos effectus habeat immunitas Ecclesiæ hactenus stabilita? n. 109.

§. V. Quam pœnam, & culpam incurrant indebitè extrahentes delinquentem à loco sacro, n. 114.

§. VI. Quomodo confugientes ad Ecclesiam tradi, vel non, possint judici sæculari, puniendi, n. 119.

PUNCT. IV. De Privilegiis nova Monasteria fundandi, concessis Regularibus: sicut & de aliis ea mutandi, transferendi, deserendi, vel etiam reuniendi, n. 124.

§. I. Quid requiratur ad erectionem novi Monasterij ex Concilio Tridentino, Clemente VIII. Gregorio XV. necnon & Urbano VIII. n. 126.

§. II. Qualiter in erigendis novis Monasteriis servanda sit certa distantia, inter unum Monasterium, & aliud? n. 137.

§. III. Qualiter, & quo jure possint Regulares sua Monasteria mutare, seu de uno in alium locum transferre? n. 141.

§. IV. An, & quomodo Regulares deserere possint Monasteria ædificata? n. 146.

§. V. Qualiter Regulares unire possint duo, aut plura Monasteria, & unum alteri incorporare, n. 149.

PUNCT. V. De privilegiis eligendi Judicem Conservatorem Regularibus concessis, n. 152.

§. I. Diversa proponuntur privilegia pro Conservatoribus eligendis, qualiter designati teneantur electionem acceptare, & modus, quo eligendi sunt explicatur? n. 153.

§. II. Quas qualitates debeant habere, qui secundum predicta privilegia, & sanctiones Apostolicas institui possunt Judices Conservatores? n. 160.

§. III. Ad quid se extendat Potestas, & Jurisdictio Judicum Conservatorum? n. 168.

PUNCT. VI. De privilegiis Regularium, ut possint in suis Ecclesiis sepeliri, qui eligunt in eis sepulturam, n. 178.

§. I. Quid sit sepultura Ecclesiastica, à quibus eligi possit? & quando non eligitur, quo in loco fieri debeat n. 179.

§. II. Quibus ex jure neganda est sepultura Ecclesiastica? n. 192.

§. III. Qualiter eligentes in Ecclesiis Regularium sepulturam, possint ab eis sepeliri, n. 20.

§. IV.

§. IV. *De portione Canonica Episcopis debita, & quarta funerali solvenda parochis*, n. 215.

§. V. *Privilegia, quibus Carmelitæ Discalceati, à solutione quartæ funeralis eximuntur*, n. 219.

§. VI. *Quæ Religiones sint à solutione quartæ funeralis exemptæ? & quid teneantur solvere, quæ illam reddere tenentur*, n. 228.

## PUNCTUM I.

### *De Privilegio exemptionis competenti Regularibus à jurisdictione Episcoporum.*

Proponitur exemptio de qua modo est agendum.

DE duplici exemptione Regularium possemus loqui in præsenti. Primo de exemptione à potestate sæculari tam in civilibus, quam in criminalibus: sed quia de ista latè egimus *tom. 2. hujus Cursus tract. 8. de Ordine, cap. 7. à num. 1.* tractantes de exemptione Clericorum, & de immunitate Ecclesiastica, quæ communis est omnibus personis Ecclesiasticis tam Regularibus, quam sæcularibus; ideo de hac nihil in præsentiarum agemus. Alia est exemptio à jurisdictione, regimine, & potestate Dominorum Episcoporum, de qua in præsenti erit sermo. Quæ materia latissima est, & pluribus amfractibus implicata ob plura privilegia, Bullas, & decreta, & sacræ Congregationis declarationes desuper in favorem partium hinc inde expeditas; nam cum Ordinarij locorum ægrè ferrent hanc absolutam Regularium exemptionem, plurimas lites, & jurgia inter illos fuerunt diversis temporibus exorta circa Bullarum, atque privilegiorum intelligentiam. Ob quod ad Apostolicam sedem (ut par erat) recurrentes, diversa sunt ab illa decreta expedita, alia ampliativa, alia restrictiva jurisdictionis Ordinariorum in Regulares; diversæque sunt, & multoties oppositæ declarationes Sacræ Congregationis productæ; unde novæ lites passim dimanarunt. Quare nos in præsenti, quæ communiora, & magis ad praxim necessaria sunt proponemus: præcipue Sacrosancti Concilij Tridentini vestigiis inhærentes, & exemptionem adeo favorabilem Religionibus defendemus, & subjectionem debitam Dominis Episcopis à Religionibus præstandam declarabimus. Ob idque claritatis gratia hoc Punctum diversos in §§. dividemus.

---

### §. I.

### *Quid nomine exemptionis intelligatur in præsenti? à quibus sit? & qui gaudeant hujusmodi exemptionis privilegio?*

Quid sit exemptio de qua agitur, & à jure antiquo habeatur.

1. EXemptio, quæ nihil aliud est, quam eductio, seu liberatio alicujus, de potestate alterius, in præsenti accipitur pro illa eductione, qua Religiosi, qui sub jurisdictione, regimine, & correctione Episcoporum degebant, à tali subjectione educti sunt; & sub regimine suorum Prælatorum

latorum constituti tam in civilibus, quàm in criminalibus; & omnes uni Capiti, tanquam Generalissimo omnium Religionum, qui est Summus Pontifex, immediatè subjecti: unde describi posset talis exemptio dicens: *Quod est quadam liberatio à potestate Ordinaria inferiori Papa, stante immediata subjectione ad Romanum Pontificem.* Quam exemptionem aliqui dicunt ex Jure Communi antiquo cõpetere Regularibus. Alii per oppositum id negant propter diversa jura hinc inde adducta, & explicata, quæ conciliari possent dicendo, ex jure communi exemptos fuisse Regulares à lege Diœcesana Episcopi; non autem à lege jurisdictionis, ut inquit Sanchez *tom. 2. Consilior. lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 6.* Vel ut melius dicit N. Lezan. *tom. 2. verb. Episcopus quoad Regulares, num 26. & verb. exemptio Regularium, num. 4.* quem sequitur Hieronymus Garcia *in Politic. Regular. tom. 1. tract. 8. diff. 3. dub. 2. num. 1.* si dicatur Monachos jure communi exemptos esse ab Ordinariorum jurisdictione, quantum spectat ad Regularem observantiam, non verò quantum ad vim directivam, & coactivam, & colligitur *ex cap. nullam, 18. quæst. 2.* ubi dicitur: *Clerici singulorum Monasteriorum sint in potestate Episcoporum*; sed etiam additur: *quod ea quæ pertinent ad Divini cultus reverentiam, & utilitatem Monasterii, ad Abbatem spectant.* Quod constat ex præsenti usu Ecclesiæ: nam Monasteria quoad jurisdictionem subjecta Ordinariis, subduntur suis Prælatis quoad Regularem observantiam, *c. nullus, de elect. in 6.*

2. Sed quidquid sit de hoc, certissimum est omnes ferè Regulares (aliquibus dumtaxat particularibus Monasteriis exceptis) saltem ex privilegiis Pontificum, à jurisdictione Episcoporum omnino esse exemptos, ut ex variis privilegiis constat, quæ videri poterunt apud Casarub. *in Compend. privilegiorum, verb. exemptus.* Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. disput. 15. quæst. 4.* Sanch. *sup. numer, 11.* Lezana *verb. exemptio num. 4.* Barbos. *de Officio, & potestate Episcop. allegat. 105. & de jure Ecclesiast. lib. 2. cap. 12. num. 35.* Navarr *in lucern. Regul. verb. exemptio.* Quare omnes Prælati Regulares habent in proprijs Monasteriis, & Ecclesiis jurisdictionem pleno jure, quasi Episcopalem, juxta doctrinam Glossæ communiter receptam: *in Clement. de rebus Eccles. non alienand. verbo proprii.* uti asserunt Barbosa *dicta allegat. 105. num. 3.* § Verba autem, quibus in privilegiis denotatur talis exemptio, sunt illa, vel similia, quibus usus fuit Joannes XXII. pro exemptione Ordinis Carmelitarum: *à cujuscumque Diœcesani, & cujuslibet alterius potestate, jurisdictione, & dominio omnino eximimus.* Vel si dicat: *eximimus cum plena libertate.* Vel si dicat: *Ecclesia vel Religio gaudeat libertate Ecclesiæ*; vel, *quod Episcopus non audeat illic Cathedram collocare seu aliquod imperium exercere.* Vel illa: *Soli Romano Pontifici, vel Sedi Apostolicæ immediatè subjicimus, aut subjicere volumus.* Vel illa: *recipimus in proprios, seu speciales subjectos*; non verò si dicatur: *Suscipimus sub defensione, vel sub protectione, ex cap. ex parte 2. de privilegiis.*

Ex quibus privilegiis, & quibus illorum clausulis, hæc exemptio colligatur?

legiis Nec si dicat: *Suscipimus in propios filios*, ut perperam asserit Rodriguez *qq. Regular. tom. 2. quæst. 63. art. 3.* Quia nec per hoc, quòd Pontifex sub sua protectione Regulares accipiat; nec per hoc, quòd suscipiat ut proprios filios, denotat specialem super illos superioritatem, nec eos à subjectione, quàm habebant liberat. Sic docent Sylvester *in Summ. verb. exemptio, quæst. 4.* Barbos. *de officio, & potest. Episc. allegat. 123. numero 11. 20. & 26.* Tambur. *tom. 1. disp. 15. q. 5. à num. 15.* Lezana *verb. exemptio numer. 6. & 7.* Garcia *tract. 8. diff. 3. dub. 1. num. 2.* Peyrin. *tom. 1. suor. privileg. constitut. 2. Sixti IV. §. 9. numero 10.* Sanchez *in consil. tom. 2. lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 4.* Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 25. initio, & 24. in comment. littera M.*

Exemptio Regularium est non solum quoad personas; sed etiam quoad loca intelligenda.

3. Verumtamen exemptio potest esse duplex; alia *personalis*, alia *localis*. *Personalis* est, quando ipsæ personæ eximuntur immediatè, & per se, seu ratione sui: & hæc personalis exemptio comitatur personam, quocumque pergat, & ubicumque sit fruitur tali privilegio. *Localis* est, quæ immediatè, & per se datur loco, non verò personis, nisi prout in illo loco existentibus: ut si alicui Parochiæ concedatur privilegium, ut non possit interdici, hoc non afficit personas immediatè, & sic extra illum locum possunt interdicto subjacere: in illo verò loco, ratione loci, non possunt interdici, ideoque in illo loco possunt Divina celebrare, & illis interesse. Regulares verò non solum sunt exempti quoad personas; sed etiam quoad sua Loca, Monasteria, & Ecclesias, quod malè negavit Suarez *de Censuris, disputat. 5. sect. 4. numero 6.* asserens Monasteria dici loca exempta quoad personas tantum, non verò etiam quoad se. Sed oppositum est verum, & communiter receptum. Tum; quia Episcopi nec Monasteria, neque Ecclesias Regularium visitare possunt, ut videre est apud Tridentinum *capite octavo, sessione septima*, quod infra latius probabimus: sed si personæ tantum, non loca exempta essent, visitari possent per Episcopum, quia Ecclesia, & loca nedum ratione personarum, sed etiam ratione sui visitantur. Tum etiam; quia ex privilegiis constat, non solum Religiosos, sed etiam Monasteria, & Ecclesias esse ab Episcopi jurisdictione liberas, ut constat ex Bonifacio IX. Constitutione: *Sacra Religionis*, apud Confectum, & Nicolai V. Constitut. *Et si cunctorum*, apud eundem Confectum, *pagina* 43. ubi inter alia sic dicit: *Quòd licet ipsi Fratres, ipsorumque domus, & loca per speciale Sedis Apostolicæ privilegium ab omni jurisdictione, & superioritate quorumcumque Ordinariorum sint exempti, &c.* & Sixtus IV. apud eundem Confectum *pagina 64.* ubi ait: *Districtius inhibemus ne quisquam absque dictæ Sedis Apostolicæ speciali commissione, in personas, domus, & loca dicti Ordinis, utpote prorsus exempta, &c.* & infra: *aut in personas, domus, & loca hujusmodi aliquam præeminentiam, vel superioritatem, & jurisdictionem quomodolibet exercere præsumant*: sunt ergo exempti Regulares non solum ra-

tione personarum; sed etiam ratione suorum locorum, in delictis, contractibus, & rebus, ita quòd nec censurari, aliove modo puniri possint ab Ordinariis, nec Episcopi possint exercere aliquam jurisdictionem, aut præeminentiam in eorum locis: Sic Bonacin. *disputatione* 1. *de Censuris, quæst.* 1. *punct.* 5. *num.* 18. Paulus Esquilante *de privileg. Cleric. cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 68. Bordon. *resolut.* 7. *nu.* 4. Quod magis constabit ex his, quæ infra dicemus.

Non eximuntur à jurisdictione Legati à latere, bene tamen aliorum Legatorum.

4. Nomine autem Ordinarii à cujus jurisdictione eximuntur Regulares, intelliguntur Episcopi, Archiepiscopi, & eorum Vicarii. An verò etiam intelligantur Legati Papæ? § Respondetur sub distinctione: vel enim sunt Legati à latere, & talibus subjecti sunt Regulares exempti. Tum: quia *in cap. Abbatem, de elect. in 6. capite* 1. *de verborum significat. eodem lib.* quantum ad jurisdictionem in exemptos parificatur Legatus à latere ipsi Papæ. Tum etiam: quia esto quoad aliqua privilegia Religionum, Regulares Legatorum etiam de Latere (qualis communiter est Nuntius Hispaniæ) jurisdictioni subtrahantur; per litteras tamen Suæ Legationis ut in plurimum eis derogatur: quarum tenores attendendi sunt in hac parte. De Aliis Legatis, qui dicuntur *Missi*, aut Nuntii Apostolici, sciendum quòd isti cùm sint verè Ordinarii, nomine Ordinariorum veniunt in exemptionis privilegiis. Peyrin. *tomo* 1. *privileg. Minim. circa constitut.* 2. *Sixti IV.* §. 7. Sanchez *sup. dub.* 1. *num.* 19. Tabiena *verb. Legatus, quæst.* 2. *num.* 3. D. Antonin. 3. *part. titul.* 2. *cap.* 3. §. 1. Barbos. *de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 77. Diana *part.* 1. *tract.* 2. *resol.* 16. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 6. *sect.* 1. *num.* 2. Lezana *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 18. *& tom.* 2. *verb. exempt. num.* 5 Rodriguez *tom.* 2. *quæst.* 63. *art.* 4. ubi adducit privilegium Sixti IV. pro Carmelitis, in quo hæc dicit: *Nuntius Ordinarius, seu Legatus quavis authoritate utens, quamcunque authoritatem super prædictos Fratres sibi vendicare non præsumat.* Quod privilegium etiam si Legatos à Latere comprehendat, sicut aliud, quod refert Naldus *verb. exempt. num.* 5. quo Clerici Regulares eximuntur à quacumque jurisdictione Ordinariorum, etiam Legatorum à Latere: subintelligi debet, quantum est ex vi privilegiorum, secluſa revocatione per litteras suæ Legationis, ut Sanchez, Rodriguez, Peyrin. Naldus, Lezana, & Pelliz. asserunt.

Regulares citati ab Episcopo, comparere non tenentur.

5. Cæterum cùm sit adeo certum, commune, & ad praxim deductum hoc exemptionis privilegium, si hac de causa citentur Regulares ab aliquibus Ordinariis, non tenentur comparere; esto autem comparere velint (quod certè pro bono pacis, æquum est, ut faciant) ut allegent suæ exemptionis privilegium; non tamen tenentur illud coram ipsis exhibere: quia licet cum exemptio aliqua particularis non est notoria, teneantur qui eam allegant exhibere coram Ordinariis, intra terminum ab ipsis præscri-

ptum, suæ exemptionis privilegium, *cap. cum persona, de privileg. in 6.* nihilominus quando est notoria, id non tenentur facere, ut colligitur *ex Clementina Pastoralis, §. notorium, de sentent. & re judic.* Cùm ergo notissimum sit in orbe, Regulares exemptos esse tam in civilibus, quàm in criminalibus ab Ordinariorum jurisdictione; non tenentur illi, suæ exemptionis privilegium, coram iftis exhibere: sed possunt casu, quo ab Ordinariis citentur, suam exemptionem defendere respondendo, se ab Illorum subjectione exemptos esse, ac proinde ab Eorum jurisdictione declinare, & ad Conservatorem recurrere, ut dictos inhibeat Ordinarios. Tambur. *tom. 1. disput. 15. quæst. 6.* Lezana *tom. 1. cap. 11. num. 15. & tom. 2. verb. exemptio, num. 14.* Henriquez *lib. 7. cap. 25. num. 7. litter. F.* Sanch. *tom. 2. consil. lib. 6. cap. 9. dub. 4* Peyrin. *loco citato, §. 4. num. 5.* Garcia *dub. 1. num. 3.* Villalobos *tom. 2. tract. 35. diff. 4. num. 5.* Rodrig. *tomo 1. quæstione 16. art. 12.* Pellizzar. *num. 86.* § Quòd si adhuc Ordinarius nolit se inhibere, debet Conservator ipsum ad id cogere per Censuras donec obediat, se inhibendo, vel recurrendo ad Papam. Sanchez, & Pellizzar. *loco citato.* Qui monent, cavendum esse Regularibus, ne privilegium exemptionis Ordinario præsentent, cùm id sit constituere illum judicem exemptionis ipsis competentis, & vertere in dubium, an jurisdictio illius, ad Ipsos pertineat?

In dubio de privilegio exemptionis non Episcopus, sed Pontifex potest sententiam ferre.

6. Sed duo sunt notanda in præsenti. Primò: quòd si in aliquo casu particulari dubitetur de jurisdictione Episcopi in Regulares, quia non sunt clara, & certa privilegia exemptionis; in illo casu non pertinet ad Episcopum dubium declarare, aut privilegium exponere; sed ad Sedem Apostolicam recurrendum. Tum: quia cùm agatur de exemptione ab ejus jurisdictione, in propria causa judex existeret. Tum etiam: quia ex Jure Communi illis prohibitum est *in cap. cùm venissent, de judiciis.* Ubi Pontifex Sibi Soli reservat cognitionem dubiorum de privilegiis Apostolicis. Tum denique: quia id habetur ex multis privilegiis, in quibus Pontifex dubia decidere circa privilegia Religionum, sibi reservat, & avocat: cui injuria irrogaretur, si alius hoc sibi munus arrogaret. Sic concesserunt Clemens IV. Julius II. & Paulus III. & Alii. Bassæus *verb. exemptio, num. 3.* Sanchez *supra dub. 1. num. 34.* Tambur. *quæst. 6.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. sect. 6. quæst. 1.* Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 25. num. 6.* Lezana *verb. exemptio, num. 14. & verb. privil. num. 12.* Bordon. *resolut. 7. num. 99.* Garcia *tract. 8. diff. 3. dub. 1. punct. 1. num. 1.* Rodriguez *quæstionum Regularium, tom. 1. qu. 56. art. 12. §. sexta. & tom. 2. quæst. 63. art. 7. §. secunda.* Potest verò Episcopus per viros doctos privilegium dubium exagitare coram Superiore Religioso contra quem procedere intendit. § Secundò notandum est, quòd privilegium exemptionis, quàmvis quia cedens in præjudicium tertii, debeat strictè interpretari; quia tamen concessum est in favorem totius Religionis, est latè in-

interpretandum: *Quia summa est ratio, quæ pro Religione facit, l. sunt personæ, ff. de Relig. & sumptib. funer.* Sanch. *dub. 1. num. 40.* Pellizzar. *cap. 1. sect. 6. quæst. 6. & cap. 6. sect. 1. num. 86.* Henriquez *lib. 7. cap. 24. num. 4. & cap. 30. num. 1.* Quod idem de omnibus privilegiis toti Religioni concessis in perpetuum diximus *cap. 1. hujus tractatus num. 74.* & tenent Sanchez *lib. 8. de matrimon. disp. 1. num. 3.* Castro Palao *tract. 3. disputat. 4. punct. 3. numer. 5.*

Non possunt Regulares privilegio exemptionis renuntiare.

7. Hulc privilegio exemptionis Religiosi minime cedere possunt, *cap. cum tempore, de arbitris:* quia hoc cederet in præjudicium status Religiosi, cui per se principaliter concessum est. Quemadmodum Ecclesiastici nequeunt cedere privilegio fori, aut Canonis, in favorem totius cleri introducti, *cap. significasti, de foro competenti.* Unde Regulares absque licentia Pontificis, non possunt tacitè, vel expressè privilegio exemptionis renunciare, ut dicto *cap. cum tempore, §. finali,* habetur: quia exemptio ab Ordinariis, facit Eos immediatè subjectos Sedi Apostolicæ; in Cujus injuriam, & damnum cederet, hoc ipso, quòd se subtraherent ab immediata subjectione Papæ, se subjiciendo Ordinariis, exemptionis privilegio renuntiando. Pellizzar. *tractat. 8. cap. 6. sect. 1. num. 85. & 41.* Lezana *tom. 1. cap. 11. num. 5. & tom. 4. verb. privileg. n. 14.* Rodriguez *q. 63. art. 10* Hieronymus Garcia *in Politic. Regul. tom. 1. tract. 8. diff. 2. dub. 4. punct. 2. n. 4.* Bassæus *verb. exemptio. n. 6.* Ledesm, *tom. 2. tract. 1. cap. 6. §. la tercera diffinicion.* Peyrin. *constitut. 2. Sixti IV. §. 7 num. 4.* Diana *3. part. tract. 2. resolut. 63. num. 23.* Unde fit nullam consuetudinem in contrarium prævalere posse, nullumve usum, etiamsi ob illum sint Ordinarii in possessione Regulares judicandi: quia eatenus talis possessio, aut usus illis favere posset, quatenus tacitam renunciationem includit, quam à Regularibus præstari non posse diximus.

Omnes Regulares utriusque sexus, & Tertiarii gaudent dicto exemptionis privilegio.

8. Et si roges primò: quæ personæ hujusmodi privilegio exemptionis ab Ordinario, potiantur? § Respondetur, omnes Religiosos, qui verè tales sunt cum tribus votis substantialibus sive viri sint, sive fœminæ, & Donati, vel Conversi, qui veram professionem trium votorum emiserunt, quomodo sunt veri Religiosi, ut sunt nostri Donati; Vel etiam, si non emiserunt talem professionem, sed omnia sua irrevocabiliter tradiderunt Monasterio, nihil sibi reservando, & habitum aliquo modo mutaverunt. Lezana *cap. 8. num. 8.* Pellizzar. *cap. 6. sect. 1. num. 6.* § Etiam Novitii dicto gaudēt privilegio, ita ut non possit Ordinarius de delictis ab ipsis in sæculo, & multo minus in Religione perpetratis cognoscere: quia Novitius in favorabilibus venit ppellatione Religiosi, & gaudet privilegiis Religionis, ut supra diximus. Garcia *tractatu 8. diff. 3. dub. 1. punct. 1. num. 2.* Rodriguez *quæstionum Regularium, tom. 2. quæst. 66. art. 2.* § Similiter Tertiarii cujuscumque Ordinis, qui si fuerint viri, atque collegialiter vivant, & in Claustris habitent; si fœminæ & vitā cœlibem emisso voto ducant sub

habitu Tertii Ordinis; cæteri verò, minimè: quia ex una parte Sixtus IV. in Bulla, *Dum attenta*, quæ est mare magnum Ordinis, concessit Tertiariis Carmelitis, *Ut gaudere possint, & debeant tam exemptionis privilegio, quàm omnibus immunitatibus, libertatibus, Indulgentiis, & aliis privilegiis quibuscumque præfato Ordini Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli, ejusque Fratribus, ac personis per Sedem Apostolicam concessis, & quæ in posterum conceduntur.* Quod & aliorum Ordinum Tertiariis, alii Pontifices concessere. Et ex alia Leo X. in Concilio Lateranensi statuit, ut illi solum Tertiarii fruerentur ista concessione, qui qualitates jam recensitas haberent. Lezana *tom. 2. cap. 14. num. 26.* Bordon. *tom. 1. resolut. 7. num. 14.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 5. sect. 5. subsect. 1. num. 212.* § Etiam famuli Regularium, quoad aliqua sunt exempti à jurisdictione Ordinarii, si actu serviant, & resideant in Monasteriis; nimirum quoad Sacramentorum administrationem, & quoad Censuras, cum tales nec interdici, nec excommunicari ab Episcopo possint, juxta concessionem Bullatam Alexandri IV. quam refert Casarub. *in Compend. verb. familiares, num. 11.* Peyrin. *in constitut. 1. Julii II. §. 11.* Pellizzar. *cap. 6. sect. 1. numer. 7.* § Apostata autem, aut fugitivi, sive habitum deferant, sive relinquant, non gaudent omnino tali privilegio: siquidem juxta decretum S. Congregationis, jussu Urbani VIII. editum, quod refertur *in tom. 4. Bullar. Constitut. 6. Urbani VIII.* possunt, & debent ab Episcopo loci, ubi moram trahunt comprehendi, ac Superioribus Regularibus consignari, ut secundùm Regularia statuta puniantur. Barbos. *de jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 11.* Garcia *supra num. 3.* Lezana *tom. 2. cap. 16. num. 17.* Qui addunt, quòd juxta ordinationem Tridentini *sess. 7. cap. 3. de reformation.* Si longè distent à suis Conventibus, possunt & debent Ordinarii monere illos, ut redeant: & si hoc non profit, eos carcere, & pœnis condignis, pro Apostatis, & fugitivis punire. Quod extendit Concilium ad eos, qui retento habitu divagantur, ratione, aut prætextu alicujus privilegii sui Ordinis: quod expressè statuit Clemens VIII. in quadam Bulla edita anno 1596. & est 3. in ordine Bullarum hujus Pontificis in Bullario Cherubini, quam explicat N. Lezana *tom. 1. c. 26. n. 26. & 27.*

9. Rogabis secundò, an tale exemptionis privilegium competens Regularium Monasteriis suffragetur etiam personis sæcularibus ibi existentibus: ob idque delinquentes in Monasteriis Regularium, non subjaceant pœnis latis ab Ordinario contra taliter delinquentes? § Respondetur affirmativè. Quare si excommunicatio esset imposita contra ludentes aleis, vel esset tali die jejunium præceptum ab Episcopo, sicut non teneretur jejunio, aut incurreret excommunicationem extra Diœcesim existens, ut omnes asserunt; sic neque qui intra Diœcesim degeret, si intra Monasterium eo die esset, vel intra illud luderet. quod immerito negant Sua-

Suarez *de Censur. disputatione 5. sect. 4. num. 10.* Salas *de Legib, disput. 14. sect. 6. num. 85.* Alterius *de Censur. disput. 5. lib. 3. cap. 5.* Sed resolutio præsens constat ex à nobis dictis *tom. 2. tract. 10. de Censur.* & probatur. Tum: quia jurisdictio Episcopi non extenditur ad alienum territorium, *cap. ut animarum, de Constitut. in 6.* Sed Monasterium exemptum, est alienum territorium respecta Episcopi: ergo sicuti ob id statuta Episcopalia non afficiunt loca exempta, sic nec personas ibi existentes, licet alias essent subditæ. Tum etiam: quia licet Monasteria exempta non sint extra Diœcesim materialiter, sunt formaliter; siquidem locus exemptus, & locus extra Diœcesim æquiparantur, *juxta Glossam in Clementin. n. 11. de foro competenti.* Unde sicut statuta Diœcesana non obligant extra Diœcesim, sic non obligant intra exemptorum monasteria. Sic Naldus *verb. exemptio, n. 1.* Peyrin. *tom. 1. privileg. Constitut. 2. Sixti IV. n. 9.* Bordon. *resolut. 33. n. 12.* Pellizzar. *tract 8. cap. 6. sect. 1. n. 88.* Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 11. n. 5.* Garcia *tr. 8. diff. 3. dub. 2. n. 1.* Diana *part. 5. tr. 9. resol. 66.* Theophilus Raynaudus *tr. de monitionib. part. 1. c. 1. q. 9.* Cespedes *de exempt. disputat. 227.* Avila *de Censur. part. 2. c. 3. dub. 5.* Fagundez *de præcept. Eccles. l. 1. c. 7. n. 7. & 8.* Bruno Cassaing. *tr. 2. ca. 3. propos. 5.* Henriquez *in summ. l. 13. c. 26. §. 1.*

## §. II.

### *Qualiter Regulares exempti ab Ordinariis locorum, dependeant ab eis quoad aliqua civilia?*

Erigere nova monasteria nequeunt Regulares sine Episcopi licentia.

10. NOmine rerum civilium in hoc §. omne id intelligimus, quòd à criminalibus rebus discernitur, sive sit in actionibus, & causis, sive in rebus. Quamvis ergo dicta exemptio Regularium sit adeo generalis, non tollit, quod in aliquibus rebus limitetur, & in illis à jure Divino vel humano Episcopis subjiciantur. De subjectione illorum circa administrationem Sacramentorum, dicemus *cap. seq.* Quantum ad susceptionem Ordinum diximus *tom. 2. tract. 10. de Ordin.* Quoad renunciationem faciendam à Novitiis diximus *hoc tomo, tract. 15. cap. 3. num. 104.* In primis ergo Regulares exempti subduntur Ordinariis, quantum ad hoc, quòd sine ipsorum licentia petita, & obtenta nequeant de novo erigere monasteria, *cap quidam*, cum quatuor *sequentib. 18. quæst. 2.* Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 3.* etsi forte Religiones habuissent privilegia, ut absque tali licentia id possent, illis in præsentiarum uti non valent, propter Constitutionem Urbani VIII. editã 28. Augusti 1624. revocantem omnes licentias, & facultates à Romanis Pontificibus ad id concessas, & præcipiendo ut omnino circa hoc observetur decretum Tridentini, & dispositio Clementis VIII. Constit. *Quoniã* data 23. Ju-

23. Julii 1603. in qua mandavit ne Episcopi deinceps hujusmodi licentiam darent, nisi prævio consensu aliorum interesse habentium. Et Gregorius XV. Constitut. *Cùm alias* 17. Augusti 1622. in qua prohibuit, ne talis licentia concederetur, nisi in eo conventu noviter erigendo, possent sustentari ex redditibus, & eleemosynis duodecim Religiosi; quod non habere locum in hospitiis asserit Peyrin. *tom.* 3. *de privilegiis, cap.* 12. *pag.* 307. *num.* 3. & ex Riccio, & Barbosa, Bordon. *tom* 1. *resol.* 7. *num.* 114. sed de hoc latius *in hoc cap.* dicemus *punct.* 4 §. 1. *per totum.* § Habet etiam Episcopus in Regulares jurisdictionem, quantum ad hoc, quòd non possint recipere Ecclesias à sæcularibus, sine illius expressa licentia. *Cap. Decimas* 16. *q.* 7. *cap. nullus. de jure patronat.* Quod intelligitur de receptione Ecclesiarum à laicis, non de receptione juris patronatus in Ecclesiis, quod recipere possunt à laicis, sine Ordinarii consensu. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simonia, c.* 28. *num.* 16. Lezana *tomo* 2. *verbo Episcopus, numero* 5.

Absque licentia Ordinarii, libros imprimere non possunt regulares.

11. Subduntur secundò, Regulares exempti Ordinariis, quoad librorum impressionem, quam facere non possunt sine licentia Episcopi in scriptis obtenta, quod sub gravissimis pœnis cautum est in Concilio Lateran. sub Leone X. *sess.* 10. Quod postea innovavit Tridentinum *sess.* 4. *decreto de editione & usu sacrorum librorum*, ubi sic dicit: *nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quoslibet libros de rebus sacris sine nomine authoris; nec illos in futurum vendere, aut apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario sub pœna anathematis & pecuniæ in canone Concilii novissimi Lateranensis appositæ. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem, & approbationem hujusmodi, licentiam quoque à suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris juxta formam suarum Ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant nisi antea examinati fuerint eisdem pœnis subjaceant, quibus impressores.* (His enim in Lateranensi Concilio imposita fuit pœna amissionis omnium librorum, & publicæ illorum combustionis, & centum ducatorum solutionis.) *Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint Authores, pro Authoribus habeantur. Ipsa verò hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti impressi authenticè appareat.*

Aliqua circa decretū Concilii de impressione librorū annotantur.

12. Circa quod decretum notandum est primò, excommunicationem in eo positam, cum nulli reservata sit, à quolibet Confessario posse tolli juxta dicta *tom.* 2. *tract.* 10. *de Censur. cap.* 2. eodem modo tenet Peyrin. *tom.* 2. *de Prælato, quæst.* 3. *cap.* 9. *num.* 2 § Secundò, quòd licet excommunicatio prædicta Concilii, solum afficiat eos, qui libros de rebus sacris absque authoris nomine imprimunt, vendunt, aut retinent absque debita approbatione; nihilominus juxta *regulam* 10. *indicis librorum prohibitorum* authoritate Pii IV. primum editi, & postea à Sixto V. aucti, & à Clemente VIII. recogniti, & publicati, generaliter comprehenduntur omnes

omnes illi sub dicta prohibitione, & anathemate, sive liber sit de rebus sacris, sive de profanis, sive cum nomine Authoris, sive absque illo. Pro nomine autem Authoris in libris ponendo, sufficit si nomen Collegii, Civitatis, Conventus, vel Communitatis apponatur, quia isti Authores appellari possunt fictione juris, cùm in eis Author degat, Thesaurus *in praxi, part. 2. verb. libri, cap. 5.* Lezana *tom. 2. verb. libri, num. 11.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 17. quæst. 3.* § Tertiò, quòd dictam excommunicationem, aut alias pœnas, non incurrit Regularis, qui cum licentia Ordinarii libros imprimit, etiam si id faciat absque licentia Prælatorum sui Ordinis, sed pœnas in suis legibus taxatas: quia excommunicatio, & illæ pœnæ assignatæ sunt pro his, qui absque licentia Ordinarii librum typis mandare audét. Suarez *tom. 5. in 3. part. disput. 23. sect. 7.* Bordon. *tom. 2 resolut. 58. num. 20* Pellizzar. *tract. 8. cap 6. sect. 1. n. 58.* § Quarto extare decretum Sacræ Congregationis apud Gavantum, quem refert, & sequitur Lezana *nu. 9.* ubi præcipitur nihil imprimi pertinens ad sacros ritus, inconsulta Sacra Rituum Congregatione: ex quo inferri videtur inquit Lezana, non posse Regulares imprimere ceremonialia sine dicta consultatione. § Quintò, id, quod Concilium dicit: *qui autem scripto, &c.* intelligi de libro consummato, & integro, qualis est ille, qui imprimi solet, & de communicatione facta, ut typis mandetur, vel si communicaretur per modum libri, id est, ea communicatione, quæ æquivalet impressioni; non de communicatione privata. Sorbus *in addition. ad compend. privilegiorum mendicantium verb. imprimere*, §. 3. Rodriguez *tom. 2. quæst. 10. art. 1.* § Denique cum in eo decreto solum exigatur, quòd regularis obtineat licentiam, & approbationem sui prælati, præciso speciali statuto; possunt omnes Prælati respectivè talem licentiam præbere, Generalis in toto ordine, Provincialis in sua Provincia, & Prior in suo conventu, si habeat subditos habiles: vel ipse sit ad examinandum librum; quia verè Superior est prælatus localis. In nostra verò familia concessio talis licentiæ reservatur diffinitorio generali.

Alia aperiuntur, in quibus contra Regulares habet Episcopus authoritatem.

13. Subjiciuntur etiam Regulares exempti Episcopis, quoad restituendá novitiis nolentibus profiteri ea omnia, quæ tempore ingressus secum in monasterium detulerunt: ita ut possint ab Ordinario ad id compelli, etiam per Ecclesiasticas censuras. Trident. *sess. 25. c. 16.* de quo latè egimus hoc volumine *tr. 15. de statu religioso.* § Habet etiam Episcopus authoritatem supra dispositionem faciendam à novitiis, ita ut ab ipsis nequeat fieri nisi intra duos menses ante professionem, & cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii *sess. 25. c. 16.* de quo etiam loco citato tractavimus. § Etiam habet facultatem simul cum Priori, seu Prælato immediato religiosi cognoscendi de nullitate professionis, in his, qui contra eam volunt reclamare, ut latè diximus *loco citat. c. 5. n. 15.*

Explora-

14. Habet etiam authoritatem

re possunt, & debent Ordinarii voluntatem monialis in Religione exempta professuræ,

Episcopus, vel ejus Vicarius, aut alius ab eo deputatus explorandi virginis ingressuræ, aut professuræ in religione voluntatem, an sponte, an coactè id faciant? *sessione 25. cap. 7.* Quòd jus introductum est in favorem libertatis puellarum, ne à parentibus coactæ, vel à monialibus allectæ, non autem Spiritu Dei ductæ profiterentur. Sed tenetur Ordinarius intra 15. dies postquam monitus fuerit, hoc examen perficere, ita ut illis elapsis amplius non se debet intromittere, ut constat ex declaratione Pii V. & multoties sic decisum esse referunt Campanil. *in diversis. verb. canonic. rubric. 12. cap. 16. num. 10.* Navarr. *tit. 18 de relig. lib. 7. num. 44.* Lezana *tom. 2. verb. Episcop. num. 10.* Ex consuetudine autem receptum est, quòd non ante receptionem habitus; sed ante professionem, & semel dumtaxat, tale examen fiat. Miranda *in tractatu de Sacris monialib. quæst 8. art. 4.* Diana *tract. 2. de dubiis regularibus, resolut. 47.* Attamen defectus hujus examinis non vitiat professionem, cùm consilium non annullet professionē aliter factam: unde licèt tale examen prætermittentes peccabunt, professio tamen subsister. Sanchez *lib. 6. decalog. cap. 4. num. 84.* Barbos. *de potest. Episc. allegation. 100. num. 9.* Bruno *tract. 2. cap. 3. propos. 2. §. punienda.* Et hoc examen non requiritur, quòd fiat exeundo; sed intra monasteria debet fieri ad cancellos, seu crates monialium. Lezana *tomo 1. cap. 25. numer. 12.* Campanil. *capite 16.* Gavantus *verb. monialium professio. numero 14. & 15.* Quæ omnia ferè statuit Pius V. his verbis: *Volumus etiam quòd puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactæ, vel seductæ fuerint, examen faciendum, non nisi intra quindecim dies, postquam juxta Concilium Tridentinum Episcopi vel eorum Vicarii requisiti fuerint, fieri possit. Quibus elapsis, in hoc illis se intromittere non liceat, cujus occasione nec Episcopi, nec ejus Vicarii intra septa monasteriorum ingrediantur; sed stent ante cratem ferream, &c.* § Etiam habent potestatem circa numerum monialium statuendum in monasteriis, nimirum ut curare debeat, quòd in eis talis numerus, & non amplius admittatur, ut ex redditibus propriis, & consuetis eleemosynis commode sustentari possint; & hoc tam in monasteriis sibi subjectis, quàm in exemptis; sed in his cum interventu Superiorum, juxta Tridentinum. *Sessione 25. cap. 3.* & Pium V. citat. const. *Pastoralis*, & Gregorii XIII. in const. *Deo Sacris*, & diversas Sacræ Congreg. declarationes, quas adducit Barbos. *alleg. 98. num. 3.* Tambur. *de jure Abbatissarum disp. 5. quæst. 1. n. 4.* Lezana *tom. 2 verb. Episcopus, n. 6.*

Qualiter in causis miserabilium personarum Regulares coram Ordinariis conveniri possint.

15. In causis autem mercedum, & miserabilium personarum possunt Ordinarii contra Regulares procedere, secundùm Concil. Trid. *sess. 7. cap. 14.* ubi innovatur constitutio Innocentii IV. *in cap. Nolentes, de privileg. in 6.* in quo statuitur, quòd Ordinarii possint procedere contra exemptos, ratione delicti, aut contractus extra loca exempta factorum, vel rei sitæ extra illa, de qua infra. Et additur à Concilio, quòd in civilibus causis mer-

mercedum, & miserabilium personarum (quales censentur viduæ, pupilli, Orphani, Senes decrepiti, incarcerati, diurno morbo defatigati, puellæ pauperes, nobiles indigentes, peregrini, & similes) Regulares extra monasterium degentes, coram locorum Ordinariis conveniri, & ad solvendum debitum cogi, & compelli possunt. Sed extra monasterium degere illi non intelliguntur, qui ratione prædicationis, confessionis, aut alterius negotii extra monasterium existunt: sed qui permanenter per multum tempus extra monasterium degunt. Imo, neque isti in dicto decreto comprehenduntur, si sub regulari observantia, hoc est, cum dependentia, correctione, & visitatione suorum Prælatorum, adhuc extra claustra vivunt: quia tunc non possunt coram Episcopis conveniri; sed vel coram suis Prælatis, vel conservatoribus. Unde solum loquitur Concilium de illis, qui sine licentia vivunt extra monasterium, vel certè in loco adeo distanti, ut nequeant visitari, aut corrigi à suo superiori. Cæteri verò, qui degunt sub regulari observantia intra, vel extra claustra, de similibus causis, nec ratione rei sitæ, nec ratione contractus, aut delicti, nequeunt coram Ordinariis conveniri propter decretum *Pauli V. in Bulla*, quæ habetur *tom. 3. Bullarii n. 31.* hujus Pontificis, in qua ad instantiam Procuratoris Generalis nostri Ordinis approbat declarationem S. Congreg. tenoris sequent. *Neque constitutione in generali Concilio edita, quæ incipit: Volentes; neque decreto Concilii Tridentini sess. 14. cap. 7. comprehendi Regulares, ideoque eos juxta eorum privilegia coram suis superioribus, vel conservatoribus esse conveniendos.* Cui consonat alia declaratio Sacræ Congregationis edita anno 1573. ubi dicitur: *dubitatum fuit an Regulares possent civiliter coram Episcopo à creditoribus suis conveniri? & fuit responsum, quòd possunt conveniri, si non sint sub regulari observantia: at si sint sub regulari observantia non possunt conveniri coram Episcopo, quia habent proprium Superiorem, & nihil habent cum eis commune Episcopi propter exemptionem.* Gavant. *in manual. Episcop. verb. jura regular. sub Episcop. num. 55.* Peyrin. *tom. 1. privileg. Minor. in constitut. 2. Sixti IV. §. 11. numer. 29. & 30.* Navarr. *comm. 2. de regul. num. 63.* Rodriguez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 2. art. 8.* Lezana *tom. 1. cap. 11. num. 10.* Pellizzar *tractatu 8. cap. 6. sect. 1. numer. 46.* Barbos. *allegation. 105. à num. 21.* Hieron. Garcia *in Politic. regular. tom. 1. tract. 8. diff. 3. dub. 1. punct. 2. numer. 7.* Henriquez *lib. 7. de indulgentiis cap. 25. num. 4.* Sanchez *in summ. lib. 7. c. 31. n. 27.* & in Conciliis *tom. 2. lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 23.*

Ad processiones ire vocati ab Episcopis, qui Regulares teneantur.

16. Denique subjiciuntur regulares exempti ordinariis quoad processiones, ita, quod vocati ab Episcopis ad processiones publicas tenentur ire, propter decretum Tridentini *sess. 25. cap. 13.* ibi: *exempti omnes tam clerici sæculares, quàm regulares, etiam monachi ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt.* § Ex quo sequitur tã mo-

monachos, quàm mendicantes, ex vi hujus decreti teneri ad processiones ire, nisi specialibus sibi factis privilegiis eximantur: quod aliqui perperam negarunt respectu monachorum, cum in Concilio expressè nominentur, & solum excipiantur, qui in perpetua clausura vivunt, ut sunt Carthusiani, & heremitæ Camendulenses. Rodriguez *tom. 3. quæst. 36. art. 1.* Barbos. *ad hoc cap. num. 18. & 19.* Bordon. *resolut. 7. num. 131.* § Excipiuntur autem primò Regulares, cujus monasterium ultra mediũ milliare à civitate distat, qui etiam vocati non tenentur ad processiones ire, uti declaravit S. Congregatio apud Cherubinum *in compend. Bullar. tom. 2. in Bulla 41. Pii V.* Lezana *tom. 1. c. 9. num. 47.* Portel. *verb. processiones in addition. num. 2.* Garcia *dub. 2. punct. 3. num. 19.* Bordon. *nu. 127.* Excipiuntur etiam illi, qui habẽt post Tridentinum privilegium non eundi ad processiones; ut nos propter strictissimam clausuram, quam profitemur, habemus, ex concessione Clementis VIII in Bulla *Religiosorum* anno 1596. & in Bulla, *Romanum Pontificem*, anno 1603. & Pauli V. in Bulla, *Decet Romanum*, anno 1610. Alii sua privilegia consulant scientes, quòd qui ex privilegio possunt non ire ad processiones; etiamsi sæpe sæpius eant, non ob id cogi possunt ad eundum: quia ex hoc, quòd in aliquo casu velint ire, nullum contra eos jus acquiritur. Sanchez *in consil. dub. 2. num. 12.* Lezana *loco proximè citat. num. 47. & tom. 2. verb. proceſſ. num. 3.* Portel. *num. 6.* Barbos. *de jure Eccles. lib. 1. c. 43. num. 176.* Denique excipiuntur, qui consuetudinem habent non accedendi ad processiones, qui non possunt cogi, ut accedant; uti declaratum vidisse à Sacra Congregatione refert Campanile, *in diversorio juris rubrica 12 c. 13. nu. 18.* & tenet Lezana *verb. processio num. 3.* Garcia *n. 21.* Bordon. *n. 134.*

Cum quibus conditionibus ad processiones teneantur ire Regulares.

17. Sed ut Regulares teneantur ire ad processiones, debent ab Ordinariis vocari personaliter, & non sufficit, quòd per edictum publicum, ad valvas Cathedralis affixum vocentur; sed per clericum, aut alium nuntium ad eos missum, cum horæ, qua debeant convenire, designatione: quia fortasse edictum affixum non viderunt, neque ad illud videndum accedere tenentur. Pellizzar. *nu. 68.* Cespedes *de exemptione disp. 20. nu. 5.* Bordon. *num. 129.* Lezana *tom. 1. quæst. 37. art. 1.* § Nomine autem Ordinarii veniunt non solum Episcopi, sed Prælati inferiores habentes jurisdictionem quasi Episcopalem: quia potestas vocandi ad processiones relinquitur à Tridentino illis Ordinariis, qui habent jus eas indicendi. Sed hoc jus habent Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, & alii Ordinarii Ecclesiarũ Collegialium: ergo, &c. Cespedes *disput. 207. num. 4.* Lezana *proceſſ. nu. 4.* Garcia *dub 2. punct 3. num. 20.* Sed debent esse processiones publicæ, ut ad eas Religiosi accedere teneantur. Publicæ autem processiones dicuntur, quæ fiunt in Litaniis majoribus, & minoribus, in festo Corporis Christi, non in ejus Octava, vel quæ fiunt

pro

pro bono publico, ut in jubilæis, vel imminente peste, bello, fame, intemperie, vel pro gratiarum actione, constat ex constitutione, *Etsi mendicantium.* Pii V, & declaratione Sacræ Congreg. quam referunt authores citati. § An verò possint per censuras compelli, ut eant qui ad processiones tenentur ire, §. sequenti dicemus.

Quas processiones possunt facere Religiosi sine licentia Ordinarii.

18. Circa processiones privatas monasteriorum, seu Ecclesiarum Regularium, est certum non posse eas facere religiosos, præter quam intra Ecclesiam, ejusque monasterii ambitum, sine licentia Episcopi; eò quòd extra monasterium non habent territorium, & Sacra Congregatio non semel declaravit, non licere Regularibus hujusmodi processiones facere extra Ecclesias, & ambitum earum. Bordon. *resolut. 7. num. 133.* Lezana *tom. 1. c. 12. num. 41.* & *tom. 2. verb. proces. num. 8.* Barbos. *de potest. Episcop. alleg. 78. num. 7.* Circa quod datur alia declaratio Sacræ Congreg. Episcoporum, & Regularium, & ita 27. *Septemb. anno 1604.* quæ dicit: *regulares non possunt cum piorum processionibus ingredi limites alterius Parochiæ, sine consensu Parochi:* quæ intelligenda est nisi adsit consuetudo in contrarium; nam consuetudini standum est: præcipue, cum jus commune non contradicat. Villalob. *tomo 2. tract. 35. diff. 5. num. 9.* Hieron. Rodrig. *in comp. quæst. regular. resolut. 118. n. 10.* Bordon. *loc. citat.* Vel nisi circa hoc conventus habeat aliquod privilegium. Tamburin. *tom. 1. disp. 15. quæst. 7. n. 29.*

Aliquæ

19. Sed circa id, quòd possunt Regulares in suis Ecclesiis, magnæ exortæ sunt difficultates inter illos, & parochos: ob quod consultata est Sacra Cardinalium Congregatio, quæ respondit die 2. Julii anno 1620 ut constat ex fideli transumpto authentico fidem facienti, quod remissum est Eminentissimo Cardinali de Bolonia Ludovisio Archiepiscopo, & Principi illius civitatis. Difficultates erant quatuordecim; ad quas ordine sequenti, respondet Sacra Congregatio. § Prima erat si poterant regulares in suis Ecclesiis dies festos, & jejunia populo annuntiare tempore offertorii in Missa, sicut parochi faciunt in suis Ecclesiis? Et respondit: *non prohiberi dies festos & jejunia in suis Ecclesiis nuntiare.* in quo fere non est dubium inter doctores; imo posse Episcopum cogere Regulares, necessitate id exigente, quòd in suis Ecclesiis, tempore Missæ majoris, quò populus concurrit, publicent festa, & jejunia, ut à fidelibus observentur: & ita Lusitaniæ vidisse practicatum testantur tres Lusitani Doctissimi Portel. *verb Episcopus n. 7.* Barbos. *de jure Ecclesiastic. lib. 1. cap. 43. num. 150.* Emanuel Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 43 art. 7.* § Secunda si poterunt recipere oblata, vulgo, *ofrendas del poublo* in Missa conventuali, & pacem populo dare? Respondit: *posse, dummodo à perambulatione per Ecclesiam, ac similibus eleemosynarum extorsionibus abstineant.* § Tertia, si per Parochiam extra Ecclesiam portare pallium, vel pluviale? Respondit: *non posse.* § Quarta, quando vocantur ad corpus defuncti tumulandum, si debent

difficultates à Sacra Congregatione resolutæ recensentur.

bent ire ad Ecclesiam ; ubi clerici congregantur, vel ad domum defuncti, vel certè illos debeant in itinere expectare? Respondit: *Debere ad Parochialem Ecclesiam accedere, ubi clerus congregari consuevit.* Sed contrarium est jam consuetudine introductum, cui consuetudini standum est, ut docet Lezana *tom. 1. cap. 1. num. 47.* § Quinta, si possunt celebrare primam Missam, diebus festivis, antequam parochus in sua parochia Missam celebret ? Respondit, *prohiberi non posse, quo minus missa in Ecclesiis regularium celebretur ante missam parochialis Eccl-sia.* § Sexta, si possunt in missa publicare præcepta Ordinarii, & admonitiones pro matrimoniis? Respondit: *non posse publicare matrimonia,* in quo tacite aliam partem cōcessit. § Septima, si possunt prædicare in suis Ecclesiis tempore adventus, & quadragesimæ, si in parochiali prædicetur? Respondit, *posse: petita tamen benedictione Episcopi.* § Octava si possunt portare pallium, & stolam, quando processiones sui ordinis extra suas Ecclesias faciunt? Respondit non licere Regularibus hujusmodi processiones facere extra Ecclesias, & ambitum illarum. § Nona, si possunt admittere in suis Ecclesiis mulieres, quæ prima vice post partum, ut prolem Deo offerant, accedunt ? Respondit, Regulares non prohiberi in eorum Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere. § Decima, si quando Religiosus aliquis extra conventum moritur, cui parochus Sacramenta administravit, si poterunt cadaver inde extrahere, & ad monasterium adducere? Respondit, Regulares extra claustra decedentes, posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam parochis inconsultis. Alia non sunt ita necessaria, quæ prætermittimus.

## §. III.

### *An ordinarii possint per censuras regulares exemptos compellere ad ea, in quibus ex jure sunt illis subditi?*

20. INdubitatum est in aliquibus casibus, posse Episcopos compellere Regulares per censuras ad obediendum ; ut in tribus casibus in Tridentino expressis. Primus habetur apud Tridentinum *sess. 25. c. 16.* ubi concedit Episcopis, ut possint per censuras regulares compellere, ut exeuntibus à religione novitiis, restituant quidquid in ingressu attulerunt. Secundus eadem sessione *c. 5.* contra moniales clausuram non observantes. Tertius est *sess. 12. de observationibus in celebratione missarum,* cōtra celebrantes in Oratoriis privatis, vix alius textus invenitur in jure concedens Ordinariis expresse, ut contra regulares exemptos possint per cēsuras procedere, licet plurimi alii casus dentur, in quibus subjiciuntur illis; tā in civilibus, quàm in criminalibus: ut sunt omnes de quibus in hoc puncto egimus, & agemus, & alii, quos omittimus. Quæritur ergo modo, an in reliquis casibus, in quibus Regulares subjiciuntur Ordinariis, possint contra

Casus tres, in quibus per censuras potest Episcopus procedere contra Regulares.

tra

tra inobedientes per censuras procedere, præter tres illos enumeratos.

Sententia affirmans posse Episcopum per censuras procedere, quoties potest aliquid Regularibus imperare.

21. Affirmat prima sententia, quæ probatur primò: quia delegata jurisdictione alicui, ei intelliguntur concessa ea omnia, sine quibus illa expleri non potest: sed Episcopi non possunt compescere regulares inobedientes, nisi utatur censuris: ergo censetur facultas ad illas, eis concessa in delegatione jurisdictionis in illos. § Secundò: quia jurisdictio contentiosa semper habet coactionem. *Cap. Pastorali, 18. initio de officio deleg. & ibi glossa*: Sed Episcopus vix potest cogere sine censuris: ergo in facultate illis concessa ad cogendum, conceditur facultas ad censurandum. § Tertiò: quia possunt Episcopi per censuras compellere Regulares ire ad processiones, ut multoties declarasse Sacram Congregationem testatur Sorbus *in compend. privileg. regular. verb. processio.* Barbos. *de jure Eccl. fiastico libro 1. cap. 43. numero 163. & 164.* Et tamen in decreto Concilii supra relato, quo illis ad compellendum Regulares, ut ad processiones accedant, facultatem concedit, non dicitur per censuras posse id facere: ergo idem dicendum est in aliis casibus, in quibus eis facultas in regulares cõceditur, tametsi in eis non exprimatur, ut possint procedere ad censuras. Sic tenent Salzedo apud Sanchez infra citandum, Ricius, & Gemensis apud Dianam, *de dubiis regular. resol. 76.* Bordon. *resolut. 7. n. 9.* Rodriguez *tomo 2. qu. 63. art. 7. in fine*, licet oppositum teneat loco à nobis adducendo, Piasetius *in sua praxi Episcopal. part. 2, cap. 3. num. 52. §. delinquentes.* Barbosa *loco citat.* Garcia *tract. 8. diff. 3. dub. 2. punct. 3. n. 18.*

Non semper, cum Episcopus potest Regulares cogere, potest censuras in eos ferre.

22. Sed probabiliorem judicamus sententiam negativam, quæ probatur primò: quia ut refert idem Barbosa, *in remission. ad Concil. Trident.* pluries declaratum est à Sacra Congregat. non posse Episcopos per censuras cogere regulares ad processiones ad quas tenentur accedere: & sic de illis declarationibus, quas ipse adducit loco pro contraria sententia citato, cùm non constet authenticè, nõ multum est curandum. Secundò: quia sic manifeste colligitur ex jure communi *in cap. Nolentes, de privileg. in 6.* Et licèt hoc in jure non esset expressum, plura dantur privilegia regularium, in quibus eis cõceditur, quòd non possint excommunicari, suspendi, aut interdici ab Episcopis, quibus standum est quamdiu non revocantur, per facultatem illis expresè concessam ad procedendum per censuras contra illos, quæ nullibi expressa reperitur. Dictum privilegium concessit Societati Paulus III. anno 1549 *in Bullar. Societatis fol. 35.* Honorius III. Innocentius IV. Urbanus IV. Ordini Cisterciensium, Leo X. Camandulensibus, Sixtus IV. Fratribus Carmelitis, ut habetur *in speculo ordinis folio 87.* Et plura alia dantur, quæ apud citandos authores videri poterunt. § Tertiò: quia quando Concilia, vel Pontifices volunt facultatem concedere Ordinariis, ut possint procedere per censuras cõtra regulares, id exprimunt, ut in tribus casibus *numero 20.* relatis: ergo in reli-

reliquis ubi non exprimitur talis facultas, illis non conceditur, licet in illos aliquam exercere potestatem concedatur. Ita Lezana *tom.1.cap.11. num.14.& tom.2.verb.exemptio num. 11.& verb.process.num.2.* Sanchez *l. 7.de matrimonio disp. 33.num.23.* & *tom.2.consilior. lib.6.cap.9.dub 1.nu. 28.*& *in sum. lib.6. cap.1. num.14.* Bruno *tract.2. cap.4. propos.4 & 5.* Cordub.*lib.3.quæst.43.*Portel *in addition.verb. Episcopus, num.5.* & *verb. process.num.1.* Tambur.*de jure Abbatum tom.1.disp.19.quæst.7.numer.7.* Villalob.*part.2.tract.35.diff.5.n.17.* Pellizzar.*tract.8.cap.6.sect.1. n.44.* Verum licet per censuras compelli non possint Regulares ab Episcopis, nisi in casibus sibi â jure expresè concessis: possunt tamen aliis pœnis ad obediendum cogi, juxta *cap. 1.de privilegiis in 6.*v.g. Ut eant ad processiones, ad quas tenentur ire, possunt Episcopi illos compellere deponendo Superiores, vel contradictores, privando prædicatione verbi Dei, vel etiam pœnis pecuniariis.

In casibus à jure concessis, potest Episcopus Regularem excommunicatum denuntiare.

23. Sed adhuc difficultas est, an licet Episcopus non possit in casibus dictis excommunicare Religiosos, possit eos publicare, denuntiare, vel declarare excommunicatos, ut evitentur casu, quo eos aliquod delictum commisisse certo sciat, cui annexa est ex jure, vel ex aliqua Apostolica Bulla excommunicatio ipso facto incurrenda: ut si sciat regularem Clericum percussisse. Quare non loquimur, quando Religiosus excommunicatus est ab homine; nimirum ab ipso Episcopo in casibus sibi concessis; quia tunc posse illum publicare excommunicatum, ut alii non communicent cum eo, nulli dubium est: quia qui potest excommunicare, potest etiam denuntiare talem à se excommunicatum; eò quòd judicium ab eo faciendum est, à quo cœptum fuit; *l.ubi cœptum, l.si quis postea, ff.de judic. cap. non posuisti 19.de foro compet.* Nec etiâ loquimur in casibus, in quibus Episcopis concessum est à jure, denuntiare censuratũ eum, qui à jure latam incurrit censuram, ut *in Clementina 1.de privileg.* ubi conceditur illis denuntiare regulares excommunicatos, qui administrant Sacramenta Extremæ Unctionis, Eucharistiæ, & Matrimonii sine licentia, & absolverit à reservatis censuris à Canone, aut Synodis, aut Cõciliis. Loquimur ergo, quando hæc non habent ex jure sibi expresè concessum, ut in casu dicto de percutiẽte Clericum, & similibus.

Non potest Episcopus Regularem, à jure excommunicatum denuntiare, ut evitetur.

24. Sunt qui affirmant posse Episcopum in casu dicto excommunicatum denuntiare regularem, qui à jure excommunicatus est; eò quòd minor jurisdictio ad denuntiationem, quàm ad excommunicationem requiritur. Unde quamvis non possit excommunicare, potest denuntiare, quem jam excommunicatum invenit. Ita Felinus *in cap.potest.num.3.de re judicata.* Henriq *lib.7.cap.25.n.7.* Alterius *de censuris, tom.1. disput.20. lib.3.cap.5.fine.* Bassæus *verb.exempt. num.7.* Rodriguez *tom.2.quæst.63. art.11.* Piasetius *in praxi Episcop.noviss.part.2. cap.3. §.6. num.59.* § Alii probabilius cum distinctione re-

respondent, & dicunt non posse Episcopum, nisi quando delictum est publicum, & notorium, itaut non possit ulla tergiversatione celari. Et quod non possit Episcopus extra casum notorietatis denuntiare regularem excommunicatum, probant: quia denuntiatio est actus judicialis prærequirens citationem, ut possit se reus defendere, & causæ cognitionem, quæ proculdubio requirunt superioritatem, ut à judice competenti fiant: quam non habet Episcopus, nisi expressè illi à Pontifice concedatur, in regulares exemptos. Quod in casu notorietatis delicti possit, ex eo probant: quia tunc nec citatio, nec causæ cognitio requiritur; siquidem in notorijs non est necessaria cognitio judicialis, *cap. 1. de officio delegat.* Diana *part. 3. tract. 2. resolut. 35.* Barbos. *de officio Episcop. part. 3. allegat. 105. num. 73.* Ugolin. *de potest. Episcop. cap. 20. §. 10. num. 1.* Lezana *tom. 1. cap. 11. n. 15.* & *tom. 3. verb. exemptio, num. 9.* Garcia *num. 14.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 6. sect. 1. num 45.* § Sed verius judicamus adhuc in casu, quo delictum esset notorium, non posse talem denuntiationem Episcopum facere: quia actus denuntiationis est actus judicialis, qui solum à judice competenti, ac proinde à superiori valet exerceri: ergo si Episcopus non potest facere citationem, aut cognitionem causæ, quia sunt judiciales actus, præambuli ad denuntiationem; multo minus poterit actum citationis, qui est principalis, ad quem illi ordinantur; cum non sit major ratio dicendi illum esse judicem competentem in actu denuntiationis, & non in aliis præambulis. Peyrinis *tom. 1. constit. 2. Sixti IV. §. 10. num. 13.* Bordon. *tom. 1. resolut. 7. num. 10.* Portel. *verb. Episcop. num. 5. & 9.* Bruno *tract. 2. c. 5. propos. 6.*

---

## §. IV.

### *An regulares exempti teneantur legibus Diœcesanis, & præceptis ab Episcopis impositis?*

Aliqua supponuntur ad difficultatis resolutionem.

25. SUpponendum est in præsenti regulares exemptos, non teneri interesse Conciliis Provincialibus, aut Synodis Diœcesanis; at si Parochi sint ad id tenentur, & cogi ad hoc possunt. Hoc ultimum constat ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 2.* & ibi Barbos. *num. 28* quod etiam alij communiter docent. Primum vero probatur: tum *ex cap. Episcopus. 18. cap. finali 18. quæst. 2. §. canonic. cap. nimis. 17. de excessibus Prælatorum.* Tum etiam: quia in Tridentino *loco citato* additur: *exceptis his, qui capitulis generalibus subduntur.* Quales certè sunt omnes regulares exempti. Tum deinde: quia circa hoc habent Regulares specialia privilegia; ut est illud, quod concessit Eugenius IV. Benedictinis, quod adducit Rodriguez *in suo Bullario. & est Bulla 7. §. 2.* & Leo X. *Camandulensibus Bulla 2. hujus Pontificis apud Cherubinum, §. 26.* Tum denique: quia circa hoc dantur plures sacræ Congregationis declarationes: unam adducam, quam refert Barbos. super locum citatum

Tridentini, edit. 26. Augusti anno 1524. quæ sic dicit: *Congregatio Julij censuit regulares, qui subduntur Capitulis generalibus, non posse cogi ab Episcopo ad interessendum Synodo, nisi in casu expresso.* Atque ita sentiunt Barbos. *loco citato num.* 28. Bordon. *resol. 7. n. 5.* Garcia *tract. 8. diff. 3. dub. 5. num. 1.* Tambur. *disput. 24. quæst. 3. num. 5.* Lezana *tom. 1. cap. 11. num. 20.* Peyrin. *tom. 1. constit. 2. Julij II §. 25. n. 64.* & alij communiter. Quibus suppositis.

Sententia asserens regulares legibus diœcesanis teneri.

26. Circa quæsitum datur duplex sententia. Prima affirmat regulares quantum ad vim directivam (& sic in conscientia) teneri ad observantiam legum, quæ in Synodo Diœcesano, vel Concilio Provinciali sanciuntur, in his, quæ suæ regulari observantiæ non præjudicaverint; non vero quoad vim coactivam: & sic non incurrere pœnas in eis contra non observantes impositas; probatur modo dicto legibus Diœcesanis adstringi: quia pars debet conformari suo toti in his, quæ illi non præjudicant: ergo leges Synodales, quæ ad communem observantiam, & totius populi devotionem, & cleri spectant, obligabunt regulares, qui sunt etiam partes illius Reipublicæ. Unde si in illis indiceretur aliquod jejunium, in aliquo die particulari, tenerentur illud observare regulares, quòd à tota civitate observetur, & suæ regulari observantiæ non opponatur. Sic Vasquez 12. *tom. disp. 167. cap. 4. num. 32.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 15. num. 11.* Villalob. *tom. 1. tract. 2. dub. 31. num. 4.* Becan. *in summ. Theolog. part. 2. tract. 3. cap. 6. quæst. 11. num. 3.* Lorca *de legibus, disput. 25. memb. 4.* Rodriguez *in summ. part. 1. c. 122. num. 1.* à sancto Fausto *lib. 1. de statu relig. q. 257.*

Legibus, aut statutis Diœcesanis, nec ab Episcopis latis, non adstringuntur regulares

27. Sed dicendum est: minimè religiosos exemptos subjici decretis contentis in Synodis, aut Concilijs, neque quoad eorum observantiam, nisi quatenus religioso aliquo funguntur officio dependente ab Episcopo; ut Officio Parochi, concionatoris, confessoris, &c. quia tunc in his, quæ talia officia concernunt, dictis legibus subjacent; & consequenter neque particularibus statutis, aut præceptis Episcoporum adstringi, vel ad illas observandas posse compelli. Tres partes habet assertio: & quoad ultimam supposita priori, nulla remanet difficultas, & maximè probat exemptionem regularium à jurisdictione Episcopi, & sic etiam ab eo actu jurisdictionis, qui est legem ferre. Deinde probatur: quia regulares exempti non tenentur parere Episcopis nisi in casibus à jure expressis, *cap. 1 de privilegijs in 6.* ibi: *Salvis casibus alijs, in quibus jurisdictioni Episcoporum subesse, canonica præcipiant instituta:* sed in jure Canonico nullum est decretum præcipiens exemptos parere legibus, aut præceptis Episcoporum, nisi in duobus casibus positis à Tridentino *sess. 25. c. 12. de regular.* nimirum, quoad observationem festorum, & censurarum quæ ab Episcopo imponuntur: ergo in alijs minimè tenentur: & sic nec ad jejunia ab Episcopis præcepta erunt obligati: quia Concilium subjiciens illos ordinarijs quoad duo

dicta,

dicta, nullam de jejuniis mentionem fecit, in quo eos liberos à tali obligatione judicat, atque ita tenent Fagundez *præcept. 4. Eccles. lib. 1, cap. 7. num. 4.* Azor. *p 1. lib. 7. c. 30. q. 2.* Pellizzar. *n. 64* Bruno, Garcia, Diana, Bordon. locis pro prima parte conclusionis citandis.

Tenentur regulares observare leges Synodales concernentes sua officia.

28. Secunda vero pars assertionis, nimirum quod tenentur observare decreta concernentia, quæ spectant ad officia, in quibus ab Episcopo dependent, probatur. Quia diverso jure censeri non debent, qui eodem funguntur officio, *cap. cognovimus 12. quæst. 2. cap. Cum in tua. de decimis, cap. quia circa, de privilegiis.* Quia dignum est, ut qui similem vitam degunt, seu simile habent officium, similem quoque sentiant in legibus disciplinam, *cap. 3. de statu Monachor.* Maximè quia religiosus subditur Episcopo quoties gerit personam extranei non spectantis ad suam religionem, ut in quit Barthol. *in l interdum, §. fin. de judic.* Et post eum Decius *in cap. tuarum, de privilegijs*; ergo, &c. Cæterum non ob id tenentur pœnis, vel censuris in Synodalibus, vel Concilijs contra transgressores assignatis: quia Ordinarius non potest pœnis multare regulares delinquentes, nisi tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, ut patet ex diversis capitibus Tridentini: ubi quoties conceditur Episcopis, ut possint vi coactiva procedere contra regulares, hanc facultatem illis tribuunt non ut ordinariis; sed ut delegatis Sedis Apostolicæ: sed Episcopi condendo suas leges in Synodis, vel Concilijs, seu extra, non procedunt ut delegati; sed ex officio suo, & jure ordinario, ut de se patet: ergo regulares, nec ratione officij sui, delinquentes incurrunt pœnas legales Synodorum, Sic Portel. *versu Episcopus, n. 5.* Miranda *tom. 2. q. 35. art. 11.* Sanchez *lib. 7. disput. 33. n. 22. & 23.* Rodrig. *tom. 2. q. 64. art. 7. fine.*

Religiosi exempti absolutè sunt à legibus Diœcesanis liberi.

29. Prima vero pars, quod absolutè regulares exempti non tenentur legibus, aut statutis synodalibus, aut Concilijs Provincialibus latis, probatur. Inprimis rationibus, quibus tertiam partem probabimus: maximè quia leges synodales tot tam authoritatem ab Episcopo habent, ut diximus *tom. 3. tract. 11. de legibus, c. 3. n. 31.* Deinde probatur ex dictis *n. 25.* quia ratio quare omnes Clerici vocati ad Synodum vel Concilium teneantur ire, ea in jure assignatur: quia cum teneantur legibus in eis sancitis, debent notitiam earum capere, & ad alios derivare: ergo cum religiosi non teneantur ire, signum est non ligari statutis ibi propositis. Et deducitur *ex cap. quam sit necessarium 18. q. 2. & c. 1. de privileg. in 6.* & ex Trident. *sess. 25. c. 12.* Ubi cum solum præcipiantur observari à regularibus festa, & interdicta synodalia, ab alijs legibus, & interdictis Synodi exempti, in sua libertate relinquuntur, quod eorum exemptio ex se, & ex natura sua postulabat, nisi expresè oppositum in jure decernatur, quod nullibi cautum reperitur: quare nisi ratione scandali vitandi, non tenentur leges in Synodis, vel Concilijs latas, ob-

servare. Nec conformitas partium cum toto id expostulat, quod dicebat prima sententia: quia pars heterogenea non debet in omnibus cum toto conformare; sed sufficit, quod in communibus pro toto corpore conformetur. Religiosi autem sunt partes heterogeneæ respectu aliorum, cum quibus in eo communicantibus toti Ecclesiæ obligationibus conformantur; & habent proprias leges, propria onera, & observantias: & sic nil mirum est, quod ab obligationibus Diocesanis eximantur. Sic Glossa *in cap. dilectus filius, de officio Ordinarij*, Tambur. *tom. 1. disput. 24. q. 4.* Granados *disp. 6. de legibus, sect. 3. n. 18.* Suar. *lib. 4. c. 20. n. 9.* Basil. *Legionensis, de matrim. lib. 5. cap. 7. num. 31.* Portel. *in dub. Regul. verb. lex, num. 1.* Lezana *tom. 4. verb. leges, numero 27.* Zanardus *in suo direct. Theolog. part. 2. præcept. 4. cap. 10 fine* Bruno *tract. 2. cap. 3. propos. 5.* Diana *1. part. tract. 10. resolut. 11.* Hieronymus Garcia *tract. 8. diff. 3. dub. 5. n. 4.* Lorca *in 1. 2. tom. 2. disp. 25. memb. ultim.* Salas *de legibus, tract. 14. sect. 4. num. 43.* Llamas *in method. p. 3. cap. 5. §. 28. fine.* Bordon. *tom. 1. resolut. 7. num. 6.* & alij.

Qualiter festa Diœcesana teneantur regulares observare?

30. Sed in duplici casu diximus subjici regulares Dominis Episcopis, ex Trident. *sess. 25. cap. 12.* nimirum, quoad observantiam interdicti ab ipso imposiri, de quo egimus *tom. 2. tract. 10. de censur. cap. 6. num. 30.* ubi etiam diximus *ex Clement. 1. de sententt. excommunic.* debere illud observare, sive validum sit, sive non; dummodo à Matrice observetur, & quoad observationem festorum Diœcesanorum; ita quod in eis sive intra, sive extra claustra sint, quandiu in Diœcesi existunt, debent abstinere ab operibus servilibus, & Missam audire. § At non tenentur ad festa votiva populorum, tametsi ab Episcopo confirmata: quia Concilium de festis Diœcesanis indictis ab Episcopis loquitur; non vero de votivis populorum, quæ licet ab Episcopo confirmentur, non amittunt suam originalem rationem, nec desinunt esse festa votiva. Naldus *verb. festum, num. 4.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 70, art. 1.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 6. sect. 1. num. 61.* Navar. *in summ. cap. 22. num. 80.* Et hinc fit non teneri ad festa particularia, etiam ab Episcopo imposita pro aliqua particulari Parochia, & non pro toto territorio: quia cum præceptum Tridentini, quo Regulares exempti subduntur Episcopis quoad observantiam festorum sit odiosum; non est extendendum, sed restringendum ad sola festa diœcesana simpliciter dicta, qualia solummodo sunt, quæ pro tota Diœcesi imponuntur; non quæ ad particularia loca determinantur. Sic ex sententia aliorum, quos consuluit Pellizzar. *num. 62.* Idem de interdicto, quod non generaliter pro toto oppido; sed pro particulari Parochia imponitur, etiamsi Ecclesia Matrix interdicatur; quod illud non tenentur observare Regulares, tenent Rodriguez *tomo 2. quæstione 168. articulo secundo*, Garcia *dubio 5. punct. 3. numero secundo.* § Denique non tenentur ad festa ex consuetudine vel locorum, vel Ecclesiæ

clesiarum introducta, nisi fuerit generalis, & consensu omnium præscripserit: quia ex vi Tridentini non tenentur; hoc enim solum obligat ad festa ab Episcopo indicta: nec etiam ex vi consuetudinis, quia ut diximus *tract. 11. de legibus, cap. 6. num. 3.* Consuetudo non obligat nisi dumtaxat illos, qui ad eam consensum præbuerunt. Et datur circa hoc privilegium Eugenij IV. concessum Monachis S. Benedicti in Hispania, ut refert Rodriguez *tomo secundo, quæstione 62. articulo primo.* Concedens, quod solum teneantur colere illa festa, quæ ab universali Ecclesia observantur; non vero ea, quæ sunt ex consuetudine particularium locorum.

---

## §. V.

### *Possintne Ordinarij locorum visitare personas, Ecclesias, Monasteria, Parochias, Confraternitates Regularium exemptorum?*

Ecclesias, aut Monasteria Regularium exemptorum nequit Episcopus visitare.

31. IN primis certissimum est, non posse Episcopos visitare Personas, aut Monasteria exempta, nec iis imponere aliquod onus, nec eos examinare, neque in aliquo ad regimen temporale, vel spirituale illorum spectans, se intromittere, ut decisum est, *in cap. Nulli Episcoporum*, cum sequentibus, *16. quæstione prima, cap. cognovimus.* 10. *quæstione 3.* Trident. *sess. 25. c. 8.* Quod ex omnibus privilegijs exemptionis, manifestè constat, & colligitur. Imò nec potest Ecclesias illorum visitare, tabernaculum Sanctissimi Sacramenti invisere, nec Capellas, aut proprias Confraternitates Religionis, nisi rescriptum particulare Papæ ad hoc ostenderit, ut colligitur manifestè ex Trident. *sess. 25. c. 20.* Ad quod dantur plurimæ declarationes, quas referunt Lezana *tom. 1. cap. 11. num. 7.* & *tom. 2. cap. 15. à num. 27.* Rodriguez *tom. 1. quæst 36 artic. 4.* Peyrin. *tom. 1. constitut. Sixti IV. cap. 2. num. 6.* Barbos. *lib. 1. de jure Eccles. cap. 14. num. 24.* nisi in casu, quo Regulares haberent res indecentes, aut prohibitas in suis Ecclesijs permitterent: quia tunc per Concilium Provinciale posset illas visitare, & etiam censuris contra Regulares procedere, secundum quandam declarationem Cardinalium, quam adducit Barbosa *circa sessionem 22.* ad finem decreti de observandis, & evitandis in celebratione Missarum. Hieronym. Garcia *tract. 8. diff. 3. dub. 2 punct. 1. n. 3.*

Objectio ex Tridentino dissolvitur.

32. Sed objicies, quod Tridentinum *sessione 7. capite 8.* sic dicit: *Locorum Ordinarij Ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, Authoritate Apostolica, singulis annis visitare teneantur.* § Respondetur ad hoc, Concilium loqui de Ecclesiis sæcularibus exemptis, antea habentibus privilegia, ut ab Ordinarijs non visitarentur. Quæ ex vi illius decreti debent ab Ordinarijs visitari. Quod autem de sæcularibus Ecclesiis modo dicto exemptis loquatur, non vero de Regularibus, constat: Tum, quia *sessione 14. capite quinto, de reformatione*, sic dicit: *Quoad visitationem debere observari Regularium, & suorum monasteriorum, & Ecclesiarum jura, & exemptiones.* Tum

etiam: quia duo Domini ejusdem rei in solidum esse non possunt : essent autem duo Domini, si Episcopus, & Prælatus Regularis possent eandem Ecclesiam visitare; vel Ecclesia, quæ secundum juris dispositionem est indivisibilis, esset divisa.

Alia objectio ex jure, diluitur.

33. Sed urgebis, quia jus committit omnes Ecclesias Episcopi gubernationi *in cap. decretum* 10. *quæstione* 1. ibi: *Decretum est, ut omnes Ecclesiæ, cum dotibus suis, & decimis, & omnibus suis juribus, in Episcopi potestate persistant, atque ad ordinationem suam semper pertineant* Idem habetur *cap. Episcopum* 10. *quæstione prima.* § Respondetur, textum esse intelligendum de Ecclesiis propriis eorum, seu quæ non sunt ab eorum potestate erutæ, ut sunt exemptæ: quia solum loquitur de Ecclesiis Diœcesis, quas visitare possunt, & debent. At Ecclesiæ exemptæ, ut sunt Ecclesiæ exemptorum, sunt extra diœcesim: *Quia locus exemptus quoad exercendam jurisdictionem per Episcopum, æquiparatur loco existenti extra diœcesim,* ut loquitur Altamiranus de visitatione, verbo, *propriam diœcesim, n.* 48. *fol.* 22. *col.* 2.

Qualiter possint Episcopi visitare Ecclesias Parochiales, quibus Regulares inserviunt?

34. Imò nec potest Episcopus visitare Ecclesias Parochiales sæcularium subditas Regularibus, quæ administrantur per Parochum Religiosum, nec istum punire potest, etiam in defectibus ad administrationem sui officij pertinentibus; sed in omnibus, & per omnia hi Religiosi Parochi subjecti sunt suis Prælatis, à quibus dictæ Ecclesiæ possunt, & debent visitari. Sic Congregatio Cardinalium decrevit, explicans Concilium *sessione septima, capite octavo, de reformatione*, his verbis; *Congregatio Concilij censuit posse Episcopum visitare quascumque Ecclesias sæculares intra fines suæ Diœcesis, etiamsi ad Regulares pertineant, & ab eis dependeant; dum tamen per sæculares eisdem serviatur.* Eodem modo loquitur sacra Congregatio in alia declaratione, quam adducit Barbosa *ad caput octavum, sessione* 21. *Trident.* tenoris sequentis: *Per vim hujus decreti licet Episcopo visitare omnes Ecclesias, etiam Regularibus subjectas, dummodo illarum Ministri sint sæculares:* ergo quando illarum Ministri non sunt sæculares, sed Regulares, non poterunt ab Episcopis visitari, quia exceptio firmat Regulam in contrarium, quod est inter Doctores communissimum. § Poterunt tamen visitare Ecclesias Parochiales, quæ sunt extra Monasteria, si Ecclesia non sit juncta, vel annexa Monasterio; sed plenè subjecta Episcopo, etiamsi religiosus illi inserviat, etiamsi præsentatus sit à suo Conventu cum approbatione Episcopi: quem potest etiam punire, non quidem ob delicta personalia, sed ob defectus in officio, illius rationem petere, & de his, quæ ad sacramenta pertinent inquirere; juxta *caput decimum quintum, in eos, de privilegijs, in* 6. *cap. Parochia* 16. *quæstione* 1. Trident. *sess.* 7. *c.* 8. *de reformat. & sess.* 15. *cap.* 11. *& sess.* 6. *cap.* 3. § Sed notat bene Bellarm. *in annotationibus ad cap.* 7. *sess.* 7. *de reformat.* Quod casu quo delinquat Religiosus in rebus ad suum officium, vel administrationem Sacra-

Sacramentorum pertinentibus, illum punire debet Episcopus secundum Regulas suæ Religionis, ac si delictum intra claustra commissum esset. Notat etiam Tamburin. *tom 3. disputatione 5. quæstione 11. num. 50.* Barbosa *in pastoral. allegatione 74. num. 18. & 20.* Quod non solum Regularis, de quo loquimur, subjicitur Episcopo in pertinentibus ad sacramentorum administrationem; sed etiam in concernentibus illa, v. g. qua reverentia Sanctissimum Sacramentum custodiatur, qua decentia altaria sint disposita, qualiter tractentur ornamenta, &c.

Qualiter Episcopus possit visitare Ecclesias Regularium, quibus sæculares inserviunt.

35. Possunt etiam visitare quascumque Ecclesias, quamvis conventibus sint annexæ, si per sæculares Parochos administrantur, & præcipere totum concernens ad administrationem Sacramentorum, vel quomodolibet pertinens ad dictas Ecclesias, tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Trident. *sess. 7. cap. 7. & 8. de reform. & sess. 25. cap. 11. de Regular.* Talis potestas extenditur secundum diversas declarationes Cardinalium, quas afferunt Bellarmin. & Barbos. *ad cap. 7. sess. 7. Concilij*, ad Ecclesias Parochiales subditas conventui, qui est caput Religionis, nisi cum Monasterio sint incorporatæ, vel in illis habeat Generalis jurisdictionem quasi Episcopalem: vel denique per Religiosos eis inserviatur. Excipiuntur autem Ecclesiæ, & Parochiæ Conventibus subjectæ, quæ nullius sunt Diœcesis, ut est Abbatia de Parrazes, & Ecclesia oppidi del Escurial, & plures aliæ in Hispania, quia istæ omnino exemptæ sunt ab Ordinariorum visitatione, & solum per Priores dictorum Monasteriorum, vel ejus ministros visitari possunt. Tum ob plura privilegia Lucij III. Gregorij Magni, quæ circa hoc refert Hieronym Rodriguez *resolut. 13. num 15.* Tum ob plures declarationes sacræ Congregationis, quas ad longum referunt Bellarmin. & Barbos. *locis citatu*, & hic ultimus *de jure Eccles. ast. l. primo, c. 14. numero 24. in collect. Bullarum Apostolic. extra jus collect. 4. verb. Abbatia, numero 4.* & affert plures alios.

36. Possunt etiam Episcopi visitare Confraternitates sæcularium fundatas in Monasterijs exemptis; sed non illarum Capellas, vel altaria. Trident *sess. 22. cap. 8.* quamvis altaria, vel Capellæ per Confratres sint extructæ, nisi in iis, quæ concernunt administrationem Confraternitatis. Barbos. *ad cap. 8. sess. 7. num. 4.* Naldus *verb. Episcopus, num. 20.* nisi ex consuetudine habuerit, ut etiam altaria, vel Capellas visitet. Bordon. *resolut. 7. num. 97.* Lezana *tom. 2. cap. 15. num. 27.* Sed Confraternitates proprias Ordinis, etiamsi sæculares ad illas concurrant; ut Confraternitates Rosarij, Scapularis B. Mariæ de Monte Carmeli, Corrigiæ, &c. visitare non possunt, *ut num. 31.* dicebamus. § Sed si Confraternitatum, quas diximus visitare posse Episcopos, fuerit Religiosus Præfectus, hunc visitare non poterit Episcopus, ob privilegium Gregorij XIII, quod refert Garcia

cia *tract. 8. diff. 3 dub. 2. punct. 3. num. 11.* Et contra hoc jus privatum, sive privilegium Regularium, nulla Ordinarij consuetudo in contrarium potest prævalere. Clement. *Quia contingit, de religios. domibus.* Et declaratum esse à sacra Congregat. Episcop. & Regular. negotiis præposita anno *1615. 17. Julij, & anno 1622. die 10. Julij*, testatur Barbosa *de jure Eccles. last. lib. 1. c. 14. n. 30.* & *in pastoral. lib. 3. allegat. 75. à num. 2.*

Sententia affirmans posse Episcopos visitare clausuram Monialium exemptarum.

37. Restat modo aliquas resolvere difficultates. Prima est: an possint Episcopi visitare clausuram Monialium exemptarum, ad illam conservandam, vel restituendam? In qua difficultate datur duplex sententia: prima affirmativa, quæ probatur primo ex Tridentino, cui consonat constitutio Pij V. *Circa pastoralis.* Et alia Gregorij XIII. *Deo sacris.* Dicit ergo Concilium *sess. 25. cap. 5 de Regular. Bonifacij Octavi Constitutionem, quæ incipit: Periculoso* (& habetur de statu Monachorum in *6.*) *renovans sancta Synodus, universis Episcopis sub obtestatione divini judicij, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus Monasteriis, sibi subjectis, Ordinaria; in alijs verò Sedis Apostolicæ Authoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est conservari maximè procuret, &c.* Ubi ponderant Authores hujus sententiæ, verba illa: *in alijs verò, &c.* in quo denotat Concilium, quod talis cura de jure ordinario convenit Episcopis, in Monasterijs sibi subjectis: in alijs vero sibi non subjectis, sed exemptis; ut Sedis Apostolicæ Delegatis. § Secundo ex diversis, & pluribus declarationibus Cardin. Congregat. Concilij, quas afferunt, & ponderant Authores statim citandi, quia ad Concilij mentem declarandam maximam authoritatem habent. § Tertio ex Constitutione Gregorij XV. *Inscrutabilis* edita anno 1622. & est Bulla 18. hujus Pontificis *in 4. tom. Bullarij*, ex qua id manifestè colligitur, atque ita tenent Zerola *in praxi Episcopal. in 2. edition. parte prima, verb. Moniales, ad 4. quæst.* Galetus *in Margarit. casuum conscientiæ verb. clausura, numero primo*, Gavantus *in manual. verb Monial. claus. à n. 57.* Barbosa *de Officio, & potestate Episcopi, allegat. 102. à n. 7.* Lezana *tomo secundo, verb. Episcopus, numero decimo quarto.* Unde infert posse Episcopum visitare clausuram Monialium, etiamsi alias visitata nunquam fuerit, toties quoties expedire judicaverit: nec ab ipsis Regularibus posse impediri: quominus ingredi queat earum Monasteria, & interrogare Moniales, de pertinentibus ad dictam clausuram.

Minimè potest Episcopus, Monialium exemptarum clausuram visitare.

38. Sed negativè respondendum est. Primo: qui *in cap. periculoso*, quod citat Concilium, manifestè talis cura circa clausuram Monialium exemptarum, quæ sunt Regularibus subjectæ, Prælatis illarum conceditur: quod non fuit revocatum in Concilio Tridentino; sed potius innovatum, ut constat ex ejus verbis. Quare per illa *in alijs vero, &c.* intelliguntur alia Monasteria exempta, tamen Regularibus minimè subjecta, sed sub immediata jurisdictione Sedis Apostolicæ posita, ut ex dicto *cap. periculoso*

ſo manifestè conſtat, ubi dicitur : *In Monaſteriis Monialium ſive Ordinario verè ſubjectis ordinariâ; ſive in iis, quæ ad Romanam ſpectant Eccleſiam, Sedis Apoſtolicæ authoritate, &c.* Quod etiam expreſsè dixit Pius V. in ſuo motu proprio, *Circa paſtoralis.* Quare eodem modo intelligendum eſt Tridentinum, renovans caput illud *Periculoſo*, ac intelligitur ipſum caput, quòd Concilium renovat, & confirmat: quia Conſtitutio renovans, aut interpretans, intelligi debet juxta illam, quam revocat, & interpretatur, ut multis probat Sanchez *lib. 7. de matrim. diſputat. 46. num. 21.* Et eodem modo interpretari poterimus declarationes Cardinalium, quæ adducuntur à contrariâ parte. § Secundò probatur eximmemorabili conſuetudine, maximè in Hiſpania adhuc poſt Concilium introducta, & obſervata (quæ eſt optima legum interpres.) In qua nunquam audivimus, nec vidimus oppoſitum practicari. Unde declarationes in contrarium adductæ, intelligi poterunt de locis, ubi non viguerit conſuetudo in contrarium, per plures annos frequentata, videntibus, & non contradicentibus Ordinariis. Præterea dici poterat dictas declarationes ſuſpenſas, vel non receptas fuiſſe in Hiſpania, ſicut de motu illo Gregorii XV. ſtatim dicemus. Sic Miranda *de ſacris Monialibus, quæſt. 2. art. 14. num. 3.* Llamas *in method. curation. in appendic. quam ponit in tom. 7. num. 55.* Pellizzar. *tr. 10. cap. 51. ſect. 1. num. 6.* Bruno Caſſaing. *tract. 2. cap 3. propoſ. 4.* Navar. *comment. 4. de regul. num. 60.* Sanchez *in decalog. lib. 6. cap. 15. num. 21.* Bonacin. *appendic. de clauſur. quæſtion. 1. punct. 6.* & alii.

Conſtitutio Greg. XV. eſt pro regnis Hiſpaniæ ſuſpenſa.

39. Ad illam Conſtitutionem Gregorii XV. dicimus non fuiſſe in Hiſpania receptam, ſed pro Hiſpania ſuſpenſam fuiſſe, ut teſtatur Lezana *loco citato*, & *tom. 1. part. 1. cap. 19 nu. 35.* Portel. *tom. 2. part. 2. caſu 13.* Garcia *tom. 1. difficult. 3. dub. 2. punct. 3. num. 16.* Pro quo nota, quòd in dicta Conſtitutione, quatuor inter alia dicebantur. Primum, quòd non poſſent Regulares mittere pro confeſſario ordinario, vel extraordinario ſuarum monialium eum, qui non eſſet ab ordinario approbatus. Secundum: quòd procuratores, & miniſtri conventus monialium tenerentur rationem reddere Epiſcopis reddituum, & aliorum bonorum temporalium, & conſumptionis eorum, & expenſarum. Tertium, quòd Epiſcopus poſſit monere ſuperiorem, ut auferat à Conventu Monialium confeſſorem, procuratorem, vel alium miniſtrum: & ſi Prælatus non faciat, poſſit Epiſcopus eos amovere, quartum, ut poſſit aſſiſtere electionibus Abbatiſſarum, & Prioriſſarum, & in eis præſidere. Inſuper ea, quæ pro contraria ſententia referuntur in hujuſmodi motu proprio continebantur. Cujus conſtitutionis plures Cardinalium declarationes de mandato Urbani VIII. anno 1623. prodiere. Quarum aliquas refert Riccius in deciſione Curiæ Neapolitanæ *deciſ. 244 poſt num. 12. part 4.* & ex illo Barboſa, & Lezana *locis citatis.* Sed nec talis motus proprius, nec illius declara-

tiones in Hiſpania fuerunt recepta; ſed ab Urbano VIII. pro Hiſpania ſuſpenſa: quia ex communi conſenſu religionum in unum congregatarum ſupplicatum eſt Apoſtolicæ Sedi, illi inconvenientia maxima emergentia ex ipſis exponentium. Ob idque juſſu Urbani VIII. pro Regnis Hiſpaniæ fuêre ſuſpenſa, ut conſtat ex brevi Nuntii Apoſtolici tunc temporis exiſtentis, & poſtea Eminentiſſimi Cardinalis Saccheti 21. Aprilis anno 1625.

Duplex modus, quo poteſt procedere difficultas explicatur.

40. Secunda difficultas eſt, an poſſint Epiſcopi viſitare teſtamenta, & illorum reddere rationem teneantur Regulares, quando Monaſteria eorum, hæredes relinquuntur univerſales? An Religioſi exempti quando ſunt teſtamentarii ſive executores teſtamenti, teneantur reddere rationem Epiſcopis, diximus *ſupra tract. 15. cap. 7. num. 85.* Modo inquirimus de teſtamentis, in quibus relinquuntur hæredes: quòd bifariam poteſt contingere. Primò, quando teſtator relinquit pro hærede Monaſterium, abſque aliquo onere; vel ſi onus aliquod relinquit, cui debeat ſatisfieri intra idem Monaſterium: ut ſi tot Miſſas, tot anniverſaria perpetua in tali Monaſterio celebranda, pro onere relinquat. Poteſt quæri, an Epiſcopus poſſit hoc teſtamentum viſitare, & inquirere, an dicta onera executioni mandentur? Secundò: quando hæres relinquitur Monaſterium, cum onere extra illud aliquid exequendi, ut ſi tot legata ſæcularibus relinquat ſolvenda, vel quotannis tot ducatos tali, vel tali tribuendos? In utroque caſu poſſe Epiſcopum viſitare teſtamenta, videtur probari primò ex pluribus textibus, quos adducit Franciſcus Carpius de executoribus, & commiſſariis teſtamentorum. In quibus jus Canonicum, & Civile tribuunt facultatem Ordinariis, ut cognoſcant de ultimis voluntatibus, & teſtamentis: & hoc abſolutè, non excludendo caſum, quò hæredes ſunt ipſi Regulares. § Secundò: quia in Tridentino *ſeſſione 22. capite 8. de reformation.* tribuitur facultas Epiſcopis viſitandi Hoſpitalia, Confraternitates, & omnia legata pia, ſine eo, quòd diſtinguat, ſi ſunt, vel non, hæredes Monaſteria; & hoc cum clauſula: *Non obſtante quacumque immemorabili conſuetudine, ſtatuto, vel privilegio in contrarium.* Quæ rationes urgentiores ſunt, quando Monaſterium hæres relinquitur, cum onere aliquid extra exequendi. Quod ſic tertiò probari poteſt: quia licet bona Conventus exempti, exempta ſint à juriſdictione, & viſitatione Epiſcopi; nihilominus legata teſtamentorum, quæ fiunt diverſis perſonis Eccleſiaſticis, aut ſæcularibus, exempta non ſunt; ſed cadunt ſub juriſdictione Epiſcopi: ergo dato, quòd hic non poſſit illa teſtamenta viſitare, in quibus hæres relinquitur Monaſterium, abſque onere aliquid extra exequendi; bene tamen illa, in quibus hæres inſtituitur ſub conditione ſolvendi aliquid extra Monaſterium: aliter non poſſent creditores ſibi debita acquirere, neque eſſet quomodo cogi poſſet

set Monasterium ad solvendum, si onera assignata solvere recusaret. Hæc certè probabilem hanc secundam partem relinquunt; sed neminem vidi pro illa.

Visitare non possunt Episcopi testamenta in quibus Regulares relinquuntur hæredes.

41. Sed negativè respondendum est in utroque casu. Primò propter diversa privilegia concessa regularibus, quæ refert Tambur. *tom. 1. disp. 15. quæst. 4.* quæ licet circa hoc expressè non loquantur, nihilominus continent universalia, quæ omnia comprehendunt. Cæterùm aliis prætermissis duo universalissima proponemus. Primum est Eugenii IV. concessum Monachis S. Benedicti, ubi inter alia dicit: *Jura, jurisdictiones, prædia, possessiones quaslibet, & bona quæcumque, quæ in præsenti sunt, & in futurum erunt aggregata, & unita Religioni perpetuo eximimus, & totaliter liberamus.* Quæ ultima verba, ut bene docet Tambur. *disput. 15. quæst. 4. nu. final.* liberant Religionem à jurisdictione Episcopi, in omnibus; quæ expressè non fuerint in oppositum declarata, uti non est casus noster, cùm non detur jus, aut Bulla, quæ expressè dicat posse Episcopum testamenta, in quibus Monasteria relinquuntur hæredes, visitare, aut curare, ut oneribus assignatis intra vel extra Monasterium satisfaciant. § Secundum est Sixti V. post Tridentinum concessum Clericis Regularibus Sacræ Congregationis de Somascha anno 1585. quod *in 2. tom. Bullar.* reperitur, & est in Ordine Bulla 4. ubi liberat: *Religionis bona tam mobilia, quàm immobilia, res tam sacras, & Religiosas, quam profanas ubique existentes ab omni jurisdictione, potestate, dominio, superioritate, subjectione, visitatione, correctione quorumcumque Ordinariorum, & aliorum judicum Ecclesiasticorum. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, & Conciliis generalibus, & Provincialibus editis, &c.* Et in hoc privilegio illa clausula non reperitur: *Quatenus non contrariantur Concilio Tridentino*: per quod, esto hæc resolutio esset contra Tridentinum, quod minime est, censeretur Tridentinum quoad hoc revocatũ, ut latè probat, & eruditè Franciscus Maria Samuelius *tom. 1. de elect. Canonic. tract. 1. controvers. 11. numer. 9. & 10.* ex Dominicana familia Doctissimus Magister. § Secundò probatur assertio ex decisione Rotæ, & sententia lata ab ipsa circa litem, quæ de hac materia exorta fuit in Diœcesi de Huesca inter Patres Societatis, & Ordinarium, quam ponderat Hieronymus Garcia *tom. 1. Politica Regular. tract. 8. difficult. 3. dub. 4. punct. 2. num. 8.* quem solum vidimus hanc quæstionem excitasse, & huic nostræ assertioni adhæsisse.

Solvuntur contraria fundamenta.

42. Ad primum pro contraria sententia dicimus, quod textus in contrarium adducti solum probant, quod possint Episcopi de jure communi: sed contra hoc dantur privilegia recensita Regularium. § Ad secundum dicimus Concilium expressè loqui de Hospitalibus, Collegiis, &c. *Laicorum*, & sic illud dicere tantum respectu laicorum, ut notat Barbosa in remissionali ad dictum

locum Concilii. § Ad tertium dicimus, quod hoc ipso, quòd hæres instituatur Monasterium, omnia bona defuncti transeunt in jus illius: unde etiam legata, quæ unum corpus cum aliis bonis faciunt, in dominium transeunt Monasterii, quamvis cum onere, hoc vel illud solvendi: id enim trahit secum hæredis institutio, quæ diffinitur: *quod est successio in universum jus defuncti.* Cùm ergo dicta legata sint inter Monasterii bona computata, & bona Monasterii, *quæcumque sint*, sint exempta à jurisdictione, & visitatione Episcopi, ut dicunt privilegia supra relata; non potetunt circa illa Ordinarii se intromittere, nec super hoc regulares perturbare: qui si onera extra debita solvere recusent; ad hoc dantur Prælati Superiores intra Religionem; & extra Nuntius, & Papa, à quibus compelli possunt, ut solvant.

## §. VI.

### *Qualiter in causis criminalibus dependeant Religiosi exempti ab Ordinariis?*

Episcopi nullum actum jurisdictionis in Regulares exemptos valent exercere.

43. Circa quod certissimè statuendum est, non posse Episcopos absolute, nisi in casibus in jure expressè illis concessis, procedere aliquo modo contra Religiosos exemptos formando contra eos processum, citando, examinando eorum mores, & vitam. Tum, ob eorum exemptionem, quæ præcipue in hoc elucere debet. Tum etiam, quia Pontifices id in specie multoties Regularibus concessê e: ut Clemens IV. in Bulla, quæ affertur in libro intitulato *Monumenta Ordinum, in 1. edition. fol. 57. & in 2. fol. 141. concess. 345. & est 4. in Ordine Bullar.* Cherubin. & Sixt. IV. *in Bull. quæ dicitur mare magnum, & est 33. in Bullar.* Rodriguez, & Cherubin. ubi sub gravissimis pœnis, & censuris ipso facto incurrendis, prohibent ne Ordinarii se intromittant in causis Religiosorum, neque eos citare posse, aut contra ipsos formare processum, aliumve actum jurisdictionis exercere, præter ea, quæ eis in jure conceduntur, permittunt, irritum, & inane reddendo, quidquid in oppositum facere attentaverint. Emanuel Rodriguez *tom. 2. qu. 63. art. 3.* Hieronym. Rodriguez *resolut. 63. num. 17.* Sanchez *consil. tom. 2. lib. 6. c. 9. dub. 2. num. 25.* Garcia *tr. 8. difficult. 3. dub. 1. punct. 1. num. 2.* Lezan. *tom. 2. verb. causa judicialis, nu. 15. & verbo Episcop. num 8.* qui addit hoc procedere etiam in casu, quo id prætenderent facere: eò quòd Prælati Regulares essent negligentes in subditorum punitione. Unde si Prælatus Regularis sit negligens in exemptorum correctione, non devolvitur potestas corrigendi ad Episcopũ, qui in illos nullam habet jurisdictionem; sed ad Prælatum, qui Superior est illo Prælato Regulari, uti ex Glos. *in c. gravi, de Officio Ordinarii, versũ corrigere,* & Panormit. *ibi num. 6.* docet Sanch. *num. 26.* & Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 25. num. 4.* qui *nu. 5.* & Sanchez *num. 27.* bene addunt, quòd si Ordinarius tentet procedere con-

contra exemptos in quavis causa habili, vel inhabili, processus, & sententia inde sequuta sunt ipso jure irrita, & nullum parant præjudicium, nullum que effectum operantur. Verum tamen est, quod juxta *cap. quanto de Officio Ordinarii, & Clement. unic. de testament.* possunt negligentiam Superiorum supplere, apostatas, & fugitivos comprehendendo, ut ad Superiores remittant, & si ab eis longè distent, monendo illos, ut redeant ad Religionem, & suis se Prælatis præsentent, & si noluerint parere eos incarcerando, & pœnis condignis, in jure pro apostatis assignatis, puniendo. Mirand. *in manual. tom. 1. quæst. 51. art. 3.* Barbos. *in Pastoral. part. 3. alleg. 105. à num. 14. & de jure Eccleſiast. lib. 1. cap. 11. n. 61.* Lezan. *tom. 1. c. 16. n. 17.* Garcia *n. 3.*

Objectio cõtra dicta ex Concilio Lugdunensi, & Trident.

44. Sed objicies, quod Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi, ut habetur *in c. volentes, de privilegiis in 6* statuit, quod *quacumque ratione exempti gaudeant libertate, nihilominus ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, licitè possunt coram Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit, exercere*: ergo ratione delicti, aut contractus, aut rei de qua contra ipsum agitur, potest Religiosus exemptus coram Ordinario locorum conveniri, & hic contra illum suam jurisdictionem exercere, § Nec valet dicere huic decreto derogatum esse per plura, & diversa privilegia concessa post illud Regularibus, quibus conceditur jus, ut nec ratione contractus, nec ratione delicti, aut rei de qua agitur, possint ab Ordinariis molestari. Nam licet hoc ita esset, tamen Concilium Tridentinum *sess. 7. cap. 14.* dictam Constitutionem innovavit, ait enim: *In exemptorum causis Constitutio Innocentii IV. quæ incipit: Volentes, in Generali Concilio Lugdunensi edita, servetur: quam Sancta Synodus innovandam esse censuit, & innovat*, revocat quoad hoc omnia privilegia per clausulam non obstantibus, &c.

Solvitur præcedens objectio.

45. Respondetur, nec Concilium Lugdunense, neque Tridentinum, aliquid contra Regulares, saltem intra claustra degentes decernere (quid verò de illis, qui vel extra claustra vivunt, vel viventes intra, extra delinquunt, sentiendum sit, dicemus postea.) Nam in primis idem Innocentius IV. in Bull, quæ incipit: *Cùm olim duxerimus*, data Perusii 15. Kalendas Octobris, Pontificatus sui anno 10. interrogationi Fratrum Minorum, *An in decreto à sua sanctitate edito, ipsi comprehenderentur?* Respondit: *minime fore comprehensos, nec tale decretum aliquod præjudicium immunitatibus eorum, & exemptionibus inferre posse; sed eas in sua vi, & robore reliquisse.* Quod etiam Ordini Cisterciensium concessit in Bulla, quæ incipit: *Cùm nuper*: & Pius V. in Bulla: *Etsi mendicantium*, quæ est Mare magnum Prædicatorum, confirmata in specie ab Urbano VIII. in Bulla, quæ incipit: *In plenitudine.* Igitur inter alia inquit Pius V. *Nos vobis, ut occasione Constitutionis hujusmodi* (loquitur de illa Innocentii IV. de quâ modo agimus) *nullum libertatibus, & immunitatibus, privilegiis*

*& Indulgentiis à Sede Apostolica Vobis & Ordini vestro concessis, vel imposterum concedendis præjudicium generetur, Authoritate præsentium indulgemus, decernentes vos, seu personas vestri Ordinis in prædictis casibus Ordinariis ipsis minimè subjacere.* Insuper Martinus V. per Bullam emanatam in favorem Prædicatorum, quæ habetur *in Compend. priv. mendic. verb. exemptio*, & idem Martinus V. in alia Bulla pro Minoritis, quæ incipit: *Inter cæteros*, sic ait: *Ita quòd nec ratione delicti commissi, vel initi contractus, aut rei sitæ, positæ, vel existentis extra loca vestra exempta, positis coram eis (non obstante Constitutione felicis recordat. Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri edita in contrarium) impeti, molestari, seu quomodolibet conveniri.* § Tridentinum verò loquitur de his, qui extra claustra degunt, & de casu quò Prælati super delictis subditorum admoniti, negligentes sunt in eorum punitione, ut in dicta Bulla Pii V. *Etsi mendicantium*, §. 26. expresè dicitur. Maneat ergo hujusmodi correctiones, & delictorum cognitionem, non spectare ad Episcopum, sed ad Prælatum Regularem; ut constat *ex cap. Gravem gerimus, de Officio Ordinarii.* Ubi Pontifex Episcopum corrigit, eò quòd quasdam sententias, etiam in visuarum litterarum, adversus quosdam Regulares tulerat, etiamsi eorumdem Abbas paratus esset illos corrigere. Et Paulus V. Bulla concessa Congregationi Fulginensium, ut habetur in compendio privilegiorum, verbo *exemptio*, §. 3. sic dicit: Quod si Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarii, Vicarii, Judices, Officiales, &c. etiam ratione delicti, vel contractus, vel de re, de qua ageretur prædictas personas exemptas, videlicet personas utriusque sexus illius Congregationis in aliquo perturbare præsumpserint, ipso facto excommunicati sint; nec possint absolvi nisi à Romano Pontifice, & in articulo mortis: & quidquid attentatum fuerit in contrarium, irritum, & inane declarat.

Duplex casus proponitur ex Tridentino, in quorum unoquoque Regulares exempti Episcopis subjiciuntur.

46. Sed licet hæc ita sint; in duobus casibus datur per jus Tridentini facultas Ordinariis procedendi contra Regulares exemptos. Primò contra eos, qui extra claustra degentes delinquunt. Secundò contra eos, qui degentes intra claustra, extra illa cum scandalo populi notorio delinquunt. Primus habetur *sessione 6. de reformat. cap. 3.* ubi dicitur: nemo Regularis, extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegiorum prætextu, tutus censeatur, quominus si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam ad hoc à Sede Apostolica delegato, secundum Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat. § Secundus habetur *sessione 25. capite 14.* per hæc verba: *Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore, intra tempus ab Episcopo præfigendum severe puniatur, ac de punitione Superior ille Episcopum certiorem faciat; sin minus à suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo pu-*

*puniri possit.* §. Verumtamen, quia aliqui Superiores admoniti de delictis subditorum intra Diœcesim commissis, eos extra Episcoporum Diœcesim ex industria impunitos transmittebant, Clemens VIII. in Motu proprio anno 1596. edito incipiente: *Suscepti oneris*, qui est Bulla 39. inter Bullas hujus Pontificis, præcipit omnibus, & singulis Superioribus cujuscumque Ordinis in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione indignationis Apostolicæ, ac privationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis, ut prædictum decretum, in omnibus, & per omnia exequantur; Porrò si subditum impunitum ad alia suorum Ordinum loca extra Episcopi Diœcesim Superior transmiserit, decernit, ut hic instante Episcopo intra terminum ab eo præfigendum, & sub eisdem pœnis, nec non privationis activæ vocis, & passivæ ipso facto incurrendis; quarum dispensationem Sedi Apostolicæ reservavit, ipsum delinquentem à loco in quem transmissus fuit, revocare, & in quo deliquit constituere, seu sistere teneatur. Quod si hoc facere prætermiserit, statuit ut Ordinarius loci, ad quem delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci, unde transivit, similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus, tanquam Apostolicæ Sedis delegatus prædictum Concilii decretum omnino exequi, & in Regularem delinquentem severè animadvertere possit, & debeat. § Sed hoc decretum Clementis VIII. solum procedit, quando Superior Religiosi delinquentis notoriè, in alium locum eum transmisit, ut impunitus remaneat: secus verò si transmittat illum vel in pœnam delicti, vel ut ab occasionibus retrahat, vel ut decentius, & commodius eum punire valeat. Peyrin. *tom. 1. privileg. in Constitut. 2. Sixti IV. §. 11. numero 69.* Lezana *tom. 1. cap. 16. num. 17.* Rodriguez *tomo 2. quæstione 2. artic. 6.*

47. Sed circa præfata Concilii decreta notandum est primò circa primum non dici degere extra claustra Religiosum, qui causa Prædicationis, Confessionis, aut alterius negotii ad tempus, & non permanenter extra Monasterium moratur: quia Concilium non dicit *existens*, sed *degens*. Degere autem denotat existentiam permanentem, non brevem, & transeuntem. Hinc inferunt Peyrin. §. 11. *num. 12.* Lezana *num. 10. in fin.* quod comprehendantur quidem sub primo decreto, Regulares illi, qui ad longum tempus degunt extra Monasterium, habentque extra illud quasi domicilium ex aliquo particulari indulto, & non subjiciuntur communi correctioni, & visitationi Prælatorum sui Ordinis; sed vacantes studiis, vel aliis negotiis, etiamsi domicilium ob id per multum temporis extra habeant, non subjiciuntur correctioni Ordinariorum, si degunt in aliquo Conventu alterius Ordinis: quia Tridentinum solum dicit: *extra Monasterium degentes.* Quæ dispositio cũ

sit

sit odiosa, utpote exemptioni Regularium adversa, amplianda non est: sed restringenda ad eos, qui extra Monasterium quodcumque degunt, excludendo eos, qui degunt intra Monasterium, ramersi alterius Ordinis proprium. Bordon. *resolut. 7. n. 58* Pellizzar, *tract. 8. cap. 6. sect. 1. num. 9.* Qui verò in grangiis, vel in aliis partibus dependentibus à Monasterio pro servitio Religionis existunt, non subsunt correctioni Episcoporum, eò quòd grangiæ sunt quasi partes Monasterii, & membra ab illo dependentia: fruunturque proinde privilegiis Monasterii, *cap. recolentes, §. Monasterium, de statu monachorum*, & sic etiam qui in grangiis, in quibus resident, delinquunt, intra Monasterium delinquere censentur. Tambur. *disp. 15. quæst. 7. num. 9.* Sanchez *consil. tom. 2. lib. 8. cap. 9. dub. 2. num. 4.* Barbos. *ad cap. 3. sess 6. Trident. nu. 5.* Bellarmin. *in annotat. ad idem Concil. sess. 7. cap. 14.* ubi declarationem Cardinalium circa hoc adducit.

Non extenditur jurisdictio Episcopi ad Regulares, de licentia Superiorum, extra Monasteria degentes.

48. Sed difficultas est inter Authores, an jurisdictio Episcopi ad visitandum, vel puniendum Regulares, qui extra monasterium degunt, extendatur ad illos, qui etiam per multum tempus de licentia Superiorum suorum, extra claustra vivunt? ut si ad erectionem novi monasterii, duo aut tres Fratres absque observantia Regulari, pro directione operis ibi existunt, sine eo, quod sub aliquo Superiore vivant conventualiter? Plures sunt, qui hoc asserunt ob diversas declarationes sacræ Congregationis, & decisiones Rotæ, quas adducunt: Sic Tambur. *loco citato, num. 7.* Barbos. *in Pastor. allegat. 105. num. 16.* Navar. *in lucern. Regular. verbo delinquens, num. 10.* Garcia *tract. 8. difficult. 3. dub. 1. punct. 1. num. 4. in fine.* Lezana *verb. Episcopus, num. 24.* retractans, quòd loco pro nobis adducendo, tenuerat. § Sed negativè respondendum est: nam monachus, qui de licentia sui Superioris degit extra monasterium, intra illud censetur habitare, *cap. ex rescripto, de jurejurando.* Tum etiam: quia æquum non est, ut qui à suo Superiore vocari, visitari, & puniri potest, alteri extraordinario judici subdatur. Lezana *tom. 1. c. 11. num. 8.* Sylvester *verb. Relig. 3. quæst. 19. dict. 2.* Sanchez *dub. 2. num. 4.* Zespedes *de exempt. dub. 241. num. 3.* Pelliz. *num. 9.* Peyrin. *§. 11. num. 22.* Bordõ. *resolut. 7. num. 56.* Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 24. num. 2. in comment. littera O, & cap. 25. num. 11.* & hinc inferunt Sanchez, & Henriquez, quòd, qui de licentia Superiorum inservit alicui Ecclesiæ, non potest visitari, aut puniri ab Episcopo. Quare in prædicto decreto Concilii comprehenduntur, qui sine debita licentia extra monasterium degunt: vel certè illi, qui etiam cum licentia ita procul à claustris distant, ut nec visitari, nec nisi post longissimum tempus à suis Superioribus possint puniri; de quibus etiam intelligendas esse declarationes nostræ responsioni contrarias aliqui ex nostris dicunt.

Explicatur decretum Concilii

49. Circa secundum decretum Concilii notandum est secundò, quòd si delinquens fuerit Prælatus, non potest Episcopus ex vi decreti Concilii

Regulares exemptos Episcopis in aliquo casu subjiciens.

Concilii instare apud Provincialem pro illius correctione; neque si Provincialis omittat eam, poterit Ordinarius se in hoc intromittere : quia facultas procedendi contra Regulares delinquentes cum sit odiosa, non debet nisi ad casus in jure expressos extendi. In quo cùm solum detur jurisdictio Episcopis quoad præsentem casum, in Religiosos, non debet extendi ad Prælatos : quia nomine *Religiosi* in odiosis, non venit Prælatus, sicut nec nomine monachi Abbas, teste Naldo, *verb. Abbas, numer.* 1. Diana 3. *parte, tractatu* 2. *resolut.* 48. *versu nota tertio.* Quare sic declarasse sacram Congregationem refert Alphonsus de Leon *recollect.* 2. *de censur. num.* 496. & tenent Zespedes *dub.* 240. *num.* 1. Pellizzar. *num.* 12. *versu quòd si.* § Tertiò notandum est, quòd ut Episcopus possit ex vi dicti decreti procedere contra Regularem delinquentem, debet delictum esse notorium rigorosè notorietate facti; ita scilicet, ut sit adeò evidens, quod nulla tergiversatione cælari possit, *cap. cum olim, cap. final. de verborum significatione* : quia Concilium dicit: *si notoriè deliquerit*, & cum simus in materia odiosa, tollente exemptionem Regularium, non est ampliandа; sed restringenda ad notorium propriè dictum Lezana *tomo* 1. *capite* 16. *numer.* 27. Bordon. *resolut.* 7. *numer.* 12. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 6. *sect.* 1. *num.* 12. §. *Porro.* Quamvis sit probabile non requiri, quod delictum sit verè, & rigorosè notorium; sed sufficere ita esse notorium notorietate facti, ut populo scandalo sit, quia Concilium dicit : *Si ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit.* Zespedes *dub.* 237. *num.* 9. § ob id si Religiosus in sua propria Ecclesia, notoriè, cum scandalo delinquat, potest puniri ab Episcopo in defectum Prælati, nisi clausa fuerit Ecclesia, & absque sæcularibus, qui scandalizari possint: & ita non semel decisum fuisse à Sacra Congregatione testatur Peyrin. *tom.* 2. *de privileg. cap.* 2. *numer.* 31. & tenent Bordon. *num.* 12. Pellizz. *num.* 9 §. *quod autem*, Sperellus *decis.* 38. *num.* 15. Sed certe oppositum est probabilius: quia Concilium solum subjicit Regularem degentem intra monasterium, & extra illud delinquentem, Episcopo : sed cùm Ecclesia sit pars monasterii, cùm illi est unita, intra monasterium delinquere censetur, qui intra suam Ecclesiam delinquit. Et ita tenet Barbos. *de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 63. ubi plures declarationes Cardinalium adducit: Rodriguez *in additione ad Summ. to.* 3. *cap.* 38. *num.* 3. Portel. *verb. Relig. n.* 9. Garcia *n.* 4. & declarationes in oppositum adductæ loquuntur de Ecclesia subjecta Episcopo, non verò unita monasterio. § Quarto notandū est, non sufficere, quod semel Episcopus moneat Prælatum delinquentis, terminum ei præfigendo, ut si negligat, procedat ad punitionem Religiosi: sed bis, & ter id facere debet: quia Concilium dicit : *Episcopo instante*, & verbum *instare* importat speciem quamdam importunitatis, teste Baldo *in l. eos*, §. *Apostolos, numer. Codex, de appellationibus*, & quia unica interpellatio non sufficit, ut dica-

tur ſtare per judicem, quominus cauſam expediat, *cap. 1. de ſupplend. neglig. Prælat.* & tenet Joan. Antonius Navarr. *ſumm. Bullar. ſuper Bull. Clementis VIII.* Zeſpedes *dub. 237.* Pellizz. *n. 12. §. ut verò.*

Epiſcopus non poteſt formare proceſſum cõtra Regularem delinquentem.

50. Sed rogabis an Epiſcopus poſſit comprehendere Religioſum extra monaſterium notoriè delinquentem, & in carceribus detinere donec formet proceſſum contra illum, ut ſimul cum proceſſu eum ad Superiorem remittat, ut ſecundum proceſſum illum puniat? § Reſpondetur, quòd quãtum attinet ad proceſſum, licet poſſit Ordinarius ſtatim capere ſummariam informationem delicti, eamque mittere ad Prælatum delinquentis, ut teſtes examinet, & juridicè procedat; ipſe tamen nequit proceſſum juridicum formare, juxta deciſionem Congregationis, quam refert Bellarminus *ad Cap. 14. ſeſſ. 25. Concilii*, & motum proprium Pii V. multoties citatum: *Etſi mendicantiũ.* Verum eſt teneri in tali caſu Superiorem remittere ad Ordinarium acta, & proceſſum à ſe factum, vel illi dare plenam notitiam punitionis, ut conſtet ei de executione factâ pro qua inſtitit. Sic deciſum eſſe 14. Decembri, anno 1630. aſſerit Barboſa *de jure Eccleſiaſt, lib. 1. cap. 42. nu. 117.* Tambur. *tom. 3. diſp. 5. q. 11. n. 64.* ſed non poſſe proceſſum formare, & ſi formaverit, eſſe nullum, & irritum; propter eoſdem motus proprios Sixti IV. Clementis VIII. & Pii V. tenent idem Barboſ. Tamburin. & Lezana *tom. 1. cap. 16. num. 26.* Bordon. *reſolut. 7. n. 13.* Bruno *tract. 2. cap. 4. prop. 2.* Garcia *dub. 1. punct. 1. n. 7.* § Unde non poſſet Prælatus Regularis per proceſſum factum ab Epiſcopo ſubditum punire, ſed novum ad hoc formare teneretur: quia proceſſus factus à judice non competente, eſt nullus, & reus puniri non poteſt per proceſſum irritum, vel abſque proceſſu valido: quamvis validum eſſe talem proceſſum, etiam illicitè factum non improbabiliter dicant Peyrin. *num. 65.* Portel. *in reſponſ. caſuum moral part. 1. caſu 19.* Naldus *verb Epiſcopus, num. 28.* & tunc poſſet Prælatus Regularis, cum ſolo proceſſu facto ab Ordinario punire ſubditum: quia bene poteſt unus judex cum proceſſu facto per alium punire delinquentem: ut quando judex Eccleſiaſticus clericum degradatum tradit puniendum brachio ſæculari. Sic citati, & Bordon, *reſolut. 7. num. 14.* ubi probat, quòd etiam ſi proceſſus nullus ſit, poteſt Prælatus per illum procedere ad punitionem, ſine eo, quod novum formare teneatur: maximè de conſenſu rei: *Quia non refert undecumque crimina claruerint, & puniantur, cap. ecce crimen, 24. q. 3.*

Non poteſt Epiſcopus Regularem incarcerare.

51. Poteſt etiam Epiſcopus, ſi ſit periculum fugæ, aſſumpta informatione debita ſuper notorietate delicti, Regularem delinquentem comprehendere, & detinere, ſi delictum rem exſit grave, & ſcandaloſum, ad effectum remittendi eum ad Superiorem, & hoc intra 25. horas, juxta *cap. cum non ab homine, de judiciis.* Sicut fatentur omnes de clerico, qui in hoc caſu poteſt capi à judice ſæculari,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ri,ut eum remittat intra 20.horas ad Superiorem Ecclesiasticum, *per l.capite.ff. ad legem Juliam, de Adulteris.* Sed hoc quando(ut diximus) est periculum fugæ,& delictum est ex gravibus,& scandalosis, ut in simili tradit Concilium Tridentinum *sess. 25. de Regularibus, cap.6.* ibi: *& in atrocioribus delictis depositionem, vel degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur,ne judicium elidatur,& ideo opus sit personali detentione, &c.* Quod in præsenti tenent Pellizzar.*numer.* 11. Barbos. *de officio,& potestate Episcop. allegat.105.numer.64.* Diana 3.*part. tractatu 2.resolut.*132. Zespedes *dub.* 238,*numer.2.* Portel,*casu* 19. Peyrin. *tom.1.Constitut.2.Sixti IV.* §.11.*numer.62.&63.* Sanchez *tom.2.consil. cap.9.dub.2.numer.*31. Lezana *tom.1. cap.16.numer.26. & tom.3 verbo delinquens Regularis,numer.2.* § Sed talis detentio,ut diximus, solum potest fieri ad effectum, ut impediatur fuga, & reus sine mora ad Regularem Prælatum remittatur, non autem intentari per modum pœnæ, supplicii, aut vexationis: & si de mandato Episcopi in carcere vexetur, incurret Episcopus in Canonis excommunicationem; nam in quadam declaratione Cardinalium, quam adducit Bellarminus *ad caput* 14. *sessione 25. Concilii*, sic dicitur : *Episcopus non potest Regularem delinquentem incarcerare ; sed solum instare apud Superiorem propœna.* § In delictis verò, quæ gravia non sunt, neque scandalosa,etiam non potest Episcopus Regularem delinquentem incarcerare; sed debet illi sufficere,quòd Religiosus promittat , vel fidejussorem det pro se spondentem , quod ad Superiorem ibit, & illi præsentabitur;sin verò cum hoc minimè contentus, eum in carcerem trudat, aut violenter detin eat,incurret excommunicationem Canonis ; quemadmodum illam incurret excedendo in captura subditi clerici, ut bene Glossa *cap. si clericos.verb.excedat de sentent.excommun.in 6.* sic citati.

## PUNCTUM II.

### *De privilegio Regularium exemptionis à solutione decimarum.*

52. ANtequam privilegium hoc explicemus,quod plurimas lites inter Regulares, & Episcopos, necnon Regulares & Parochos excitavit ; prius breviter aliqua circa obligationem decimas solvendi attingemus:ut maneat obiter quintum Ecclesiæ præceptum explicatum. Quare hoc punctum triplici §. dividemus. In primo obligationem solutionis decimarum à fidelibus præstandæ proponemus. In secundo, quòd ex jure communi privilegium competat regularibus. In tertio, de specialibus extra corpus juris privilegiis repertis,agemus.

## §. I.

*Quotuplex sit decima, quo jure debeatur, ex quibus rebus, quibus, in quo loco, & à quibus sit solvenda?*

Decima prædialis, personalis, & mixta explicatur.

DEcima, illa pars fructuum dicitur, quæ ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ à fidelibus solvenda est. Quæ decima dicitur, quia decima pars ex fructibus, vel industriis solvenda. Communiter decima dividitur trifariam. Nam prima dicitur *prædialis*, illa scilicet, quæ ex fructibus, vel proventibus prædiorum, agrorum, montium, arborum, piscinarum, molendinorum, &c. accipitur. Alia est *personalis*, quæ accipitur ex fructibus, vel proventibus, ex industria personæ ortis, ut ex negotiatione, mercatura, piscatione, venatione, arte, scientia, bello, &c. Tertia est *mixta* ex prædiali, & personali, quæ ex fructibus partim ex industria, partim ex prædiis dimanat: ut ex fœtura animalium, & ex eorum proventibus; ut ex lana, lacte, caseo, butyro, &c. quia tales fructus tam ex pascuis, quàm ex animalibus, interveniente hominum industria, in eorum sustentatione, & conservatione proficiscuntur. Lezana *tom. 3. verb decima, n. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 39. dub. 3. num. 12.* Palaus *tom. 2. tract. 10. disputat. unic. punct. 1. n. 2.* Tambur. *tom. 1. disp. 15. q. 16. n. 1.* Quare nomine decimæ in præsenti est omnium horum bonorum licitè quæsitorum decima pars Deo data, sive ipsius ministris ex divina institutione debita.

Solutio decimarum partim ex jure divino, partim ex jure humano debetur.

53. Hujusmodi ergo decimæ sive personales, sive prædiales, sive mixtæ; partim ex jure divino, partim ex jure humano positivo sunt debitæ ministris Ecclesiæ pro illorum sustentatione, ut inquit D. Thomas 2. 2. *quæst. 87. art. 1. in corp.* Est quidem ex jure divino naturali debitum, ut illis congruam sustentationem impertiamur, qui in spiritualibus nobis inserviunt: jus enim naturæ dictat, quod sicut Ecclesiæ ministri populo spiritualia præbent: sic populus illis pro sustentatione corporali necessaria ministret, 1. *ad Corinthios 9. Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus.* Est partim ex jure Ecclesiastico, nimirum designatio illius quotæ, quod sit decima pars, non octava, non alia; hoc enim non est de jure divino in nova lege Christi: licet namque ex jure divino in veteri lege solvenda esset decima Levitis, Deuteronom. 14. Levitic. 27. Malachiæ 3. *Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea.* Hoc tamen cum esset præceptum judiciale, ut inquit D. Thom. 1. 2. q. 104. art. 3. adveniente Christo Domino, seu post promulgationem legis Christi, quoad obligationem cessavit: quamvis ad imitationem eorum, quæ tunc adeo rationabiliter præcepta erant, aliqua nunc in Ecclesia præcipiuntur. *Judicialia verò* (inquit D. Thom. 2. 2. *quæst. 87. art. 1. in corp.*) *& si non obligent tempore gratiæ, tamen possunt ob-*

*observari absque peccato, & ad eorum observantiam aliqui obligantur, si statuantur authoritate illorum, quorum est condere legem: hoc modo Ecclesia decimas solvendas præcipit, Toto titul. de decimis, & in decret. causa 16. quæst. 1.* & in Tridentin. *sessione 25. cap. 12.* & aliis juribus. Et rationem etiam optimam tradit D. Thomas, cur talis quantitas sit ab Ecclesia assignata pro sustentatione ministrorum, sic: *Ita etiam determinatio decimæ partis solvendæ, est authoritate Ecclesiæ tempore novæ legis instituta secundùm quamdam humanitatem; ut scilicet non minus populus novæ legis ministris novi Testamenti exhiberet, quàm populus veteris legis ministris veteris testamenti exhibebat.* Et sic decimarum solutionem quoad designationem talis quantitatis solum esse ex jure positivo Ecclesiastico docent Sotus *libro 9. de justitia, quæstione 4. articulo 1.* Covarr. *libro 1. variar. capite 17. in princip.* Suarez *de Relig. tractatu 2. libro 1. capite 10. numero 3.* Bonac. *de Quinto Eccles. præcept. disputatione unica, puncto 1. numero 3.* Fagundez *de 5. Eccles. præcept. libro 1. capite 1. numero 3.* Tambur. Lezana, Palaus, Lessius *locis citatis.*

Pontifex aliquos eximere potest à decimarum solutione,

54. Ex quo sequitur primò Pontificem ex sua absoluta potestate, posse, quem voluerit ab obligatione solvendi decimas eximere, relicta congrua pro ministris sustentatione; quia in hoc juri divino non derogat, quo tantum est debita ministrorum sustentatio: sed solum juri Ecclesiastico, quod optime ex justa causa abrogare potest, cùm tota ejus vis, ab illius voluntate dependeat. Barbosa *de jure Ecclesiast. lib. 3. cap. 26. §. 3. numer. 12. & 13.* Hieronym. *in Politic. regul. tract. 8. difficult. 3. dub. 3. punct. 4. numer. 4.* Trullench *lib. 3. in decalog. cap. 3. dub. 11. num. 5.* Azor. *lib. 7. cap. 37. quæst. 6. §. His positis,* & omnes excepta Glossa *in cap. decimas 16. quæst. 1.* quæ ferè ab omnibus rejicitur. Unde immerito nonnulli parochi parum litterati obmurmurant, quòd Pontifex talem exemptionem Regularibus concesserit: sed deberent attendere, quòd si decimæ solvi debent ministris Ecclesiæ pro labore quem impendunt in administratione spiritualium, & Religiosi etiam hoc munus exercent, rectè operati sunt Pontifices illas remittendo Religiosis, ut ait Rebuffus *tractatu de decim. quæstione 1. numero 103.* & Tambur, *tomo 1. disputatione 15. quæstione 18. numero 30.* Eo vel maximè, quia ut rectè docent Suarius *tomo 1. de Relig. tractatu 2. libro 1. capite 14. numer. 13.* N. Lezana *tom. 3. verb. decimæ, num. 5.* per hoc privilegium non immutatur generalis ratio, & quasi adæquatus finis, & per se intentus in decimis, qui est Divinus cultus, & sustentatio ministrorum Dei, ac pauperum; sed immutatur particulare jus applicandi hanc partem decimarum huic Ecclesiæ, vel illi; his personis, vel illis. § Alius autem præter Summum Pontificem nec dispensare in solutione decimarum, nec aliquem ab hac obligatione eximere, aut alteri, quam ei, cui de jure debentur applicare potest: quia hoc ex jure communi, & Pontificio habetur, in quo

Prælati inferiores dispensare non valent. Fagundez *capite 4. numero 6. in fine.* Suarez *numero 8.* Palaus *sup. num. 2.* Unde quamvis in Concilio Tridentino *sess. 21. capite 5. & 7.* concedatur Episcopis, ut Sedis Apostolicæ delegatis posse decimas uni debitas, alteri loco applicare, unire beneficia, vel unita dissolvere pro numerositate populi, & novos clericos assignare, quibus decimæ dentur proportionatè ad suum ministerium; hæc tamen non est relaxatio juris, sed debita decimarum administratio: & hanc non jure ordinario, sed ut Sedis Apostolicæ delegati facere possunt Episcopi.

Consuetudine, & præscriptione, quomodo possunt aliqui eximi à decimis solvendis.

55. Sequitur secundò posse aliquem, vel aliquos consuetudine eximi à solutione decimarum, dummodo Ecclesiæ ministris congrua sustentatio relinquatur, quæ ex jure divino debetur, contra quod nulla potest prævalere consuetudo. Ratio est, quia solutio decimarũ suppositâ congruâ sustentatione ministri præstanda est ex jure Ecclesiastico, quod cõsuetudine abrogari potest, ut diximus *tom. 3. tract. 11. de legib. cap. 6. num. 3.* ad quam consuetudinem inducendam huic legi derogantem sufficit quadraginta annorum absque interruptione continuatio, etiamsi mala fide, & absque titulo probabili sit introducta. Nam licet ad præscriptionem dominium transferentem, titulus & bona fides requiratur; non tamen ad consuetudinem legem abrogantem: etiamsi primi illius introductores peccaverint. Ita docent ex citato Covarr. *lib. 1. variar. cap. 17. num. 8. §. 10.* Lessius *lib. 2. cap. 17. num. 16.* Palaus *tom. 2. tract. 10. disputat. unic. punct. 4. num. 6.* § Etiam præscriptio potest aliquem à solutione decimarum eximere, dummodo cum probabili titulo, & bona fide per quadraginta annos possideat jus non solvendi, juxta à nobis dicta *tract. 12. cap. 2 num. 9.* quia per præscriptionem, legis tempore diffinito, transfertur jus, & dominium ab uno in alium, *leg. nunc. Cod. de usucapion.* Ad præscriptionem autem absque titulo, requiritur tempus hominum memoriam excedens, *cap. audistis, de præscription. cap. 3. de consuetud. in 6.* quia semper jus tali præscriptioni resistit. *cap. 1. de præscription.* & sic semper præsumitur mala fides, nisi tempus transierit immemorabile, quod ubi Antecessores in possessione rei exegerint, non potest præsumi eos absque aliquo justo titulo rem possedisse? Covarr. *nu. 8. & 10.* Lessius *dub. 5. num. 26.* Tambur. *de jure Abbatum, tomo primo, disputatione 15. quæst. 18. nu. 56.* Suarez *cap. 13 numero primo,* Gutierrez *Canon quæst. libro secundo, cap. 21. num. 65.* Palaus *part. 5. numero primo.* § Unde fit consuetudinem præcipuè locum habere circa decimarum circumstantias: nimirum ut solvantur ex his rebus, non ex illis, hac mensura, hoc tempore, hoc loco, huic Ecclesiæ, non illi. Si enim consuetudo legem decimarum potest abrogare manente congrua ministrorum sustentatione, multo magis circa dictas circumstantias mutandas vel alterandas poterit vim habere. D. Thomas *2. 2. quæstione 87. articulo 2.*

ad

*ad 3.* Suarez *cap. 12. num. 15.* Palaus *num. 4.* § Potest etiam per compositionem, transactionem, vel commutationem, obligatio solvēdi decimas suspendi, dummodo Authoritate Pōtificis id fiat, si per multum tempus faciendā est. Non tamen potest talis compositio fieri inter Laicos, & Clericos de futuris decimis in perpetuū, vel ad longum tempus : quia esset quasi quædam alienatio bonorum Ecclesiæ. Sed sufficit authoritas Episcopi, quando compositio fit inter unam & aliam Ecclesiam *ex cap. Ex multiplici, de decimis, cap. Veniens, de transactionibus*, & ibi Panormitan. Fagundez *in 5. Eccles. præcepto, libro tertio, capite secundo, numero 18.* Rebuff. *in tractatu de decimis, parte secunda, numero 16.* Palaus *numero 5.* at compositio de decimis jam debitis potest fieri à quolibet particulari, qui sicut eas remittere potest liberaliter, & ut solutas habere, ita etiam de iis inire compositionem. Bonacin. *disputatione ultima, de 5. Ecclesiæ præcepto quæstione unica, puncto quinto, num. 3.*

Ex omnibus, quæ licitè homo potest acquirere, decimæ debentur.

56. Sed inquires primò ex quibus rebus personales decimæ debentur? § Respondetur, quod ex omnibus, quæ homo licitè potest acquirere, *Ex cap. transmissa, de decimis, cap. non est, eodem titulo*, & probat D. Thomas 2. 2. *quæstione 87. articulo secundo.* Unde de venatione, de negotiatione, de qualibet arte, de ipsa etiam militia debentur decimæ, nimirum decima pars prædæ, & negotiationis, & cujuslibet alterius justi lucri propria industria ac labore acquisiti: deductis tamen expensis, juxta *cap. Pastorales, de decimis.* Ubi Pontifex in negotiatione concedit, ut possint expensæ deduci prius, quàm decimæ solvantur ex lucro : quamvis juxta *cap. non est. eod. tit.* ex fructibus prædialibus, & mixtis non sint deducendæ expensæ; sed ex omnibus fructibus decimæ integrè solvi debent, docet D. Thom. *loco cit, ad 4.* ut postea dicemus, ratio esse potest: quia in negotiatione operatur manus Domini : in fructibus autem operatur manus Dei : ob idque donum Dei meritò appellantur. Præterquam quod non dicitur lucrum nisi id quod deductis expensis manet : at omnia, quæ ex terra nascuntur, fructus terræ nuncupantur. § Sed hæc ex jure communi procedunt, quod in omni fere regno, ac Provincia sic abrogatum contraria consuetudine, aut præscriptione vidimus; ut nullibi fere decimæ personales sint in usu : quare in hac parte, consulenda est consuetudo legitimè introducta, & jam stabilita, & secundum illam agendum, ut inquit Panormitan. *in cap. Cùm homines, de Decimis, num. 5. in fin.* Valent. *tomo tertio, disputatione 6. quæst. 5. punct. 3. in fine.* Palaus *tomo secundo, tractatu 10. disputatione unica, puncto 6. in fine.* & passim Doctores. Unde dixit Divus Thomas *quæstione 87. articulo secundo, in corp. & ideo in nova lege tenentur homines ad decimas personales, secundùm consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum.* Unde Augustinus dicit, & habetur *16. quæstione 1. cap. decimæ: de militia, de negotio, & artificio redde decimas.*

57. In-

Ex quibus rebus prædiales decimæ debeantur.

57. Inquires secundò: ex quibus rebus prædialibus, aut mixtis decimæ solvendæ sint? Respondetur, quòd ex omnibus fructibus, & proventibus rerum mobilium, & non mobilium, nisi aliud ex consuetudine sit introductum, *cap. tua nobis, cap. non est, cap. nuntios, de decimis*, & probat Divus Thomas *quæstione* 87. *articulo secundo*, quia omnium rerum Deus author, & productor est, & sic ut talis debet recognosci, omnium decimarum oblatione. Unde non solùm ex tritico, sed etiam ex palea decima debetur; quia palea inter fructus terræ computatur. Fagundez 5. *præcept. Eccles. cap.* 4. *numero secundo*. Suarez *capite trigesimo quarto, numero secundo*, Azor *libro septimo, capite* 35. *quæstione nona*, & ex omnibus fructibus arborum, & oleribus, & leguminibus, *cap. ex multiplici, de decimis*. Excipiuntur minuta olera, quæ ex hortis colliguntur: *Quia nunc de hujusmodi minutis rebus non tenentur homines decimas dare, nisi fortè propter consuetudinem patriæ*, inquit Divus Thomas *loco citato, ad* 3. Soto *libro* 9. *de justitia, quæstione* 4 *articulo secundo ad* 3. Ex molendinorum, etiam ad ventum, proventibus decimæ debentur, quia absolutè sunt rei fructus, ut habetur *cap. pervenit, cap. Pastoralis, capite ex transmissa, de decimis*. Et ex locatione domus, aut furni, aut lacus, aut prati, aut alterius cujusvis rei, *cap. commissum, cap. pastoralis, eodem titul.* & à fortiori ex ipsa herba in fasciculos colligata, ut vendatur, & ex arboribus nemorum si excidantur, non verò ex herba quando ad pascenda animalia colligitur, vel cum ea in pratis animalia pascuntur: quia jam ex ipsis animalibus decimatur. Suarez, Azor, Palaus, *loci citati*. Ex fœtura autem animalium decima debetur, ut patet: & de fructibus, & proventibus ab eis provenientibus: ut sunt caseus, lac, butyrum, mel, cera ex apibus, *cap. quicumque, cap. omnes* 16. *quæstione septima, cap. nuntios, de decimis*.

Neque ex melioribus, nec deterioribus fructibus decimæ sunt solvendæ; sed ex mediocribus.

58. Ex omnibus dictis fructibus integris, antequam ex eis pensiones, expensæ, aut tributa deducantur, decimæ solvendæ sunt, *cap. cùm non sit, cap. tua nobis, cap. non est, cap. Pastoralis, de decimis*. Unde dixit Divus Thomas 2. 2. *quæstione* 87. *articulo secundo, ad quartum, debentur autem decimæ de fructibus terræ, in quantum proveniunt ex divino munere, & ideo non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum, quam solvantur decimæ; sed ante omnia debent decimæ solvi ex integris fructibus*. Lessius *capite* 39. *dubio* 3. *numero* 16. Fagundez *libro primo, capite* 4. *numero sexto*, Bonacin. *supra quæstione quinta, puncto* 3. *in fine*. Cæterum cum decima pars debita sit ex omnibus integris fructibus; quorum aliqui optimi sunt, alii deteriores; nec tenentur homines meliores eligere, nec possunt deteriores dare; sed bona fide ex mediocribus tribuere debent: alias qui decimas Ecclesiæ solveret ex fructibus notabiliter deterioribus, & contra justitiam, & Religionem mortaliter peccaret: obnoxiusque restitutioni maneret,

&

& pœnas impositas pro fraudatoribus decimarum incurreret. Sylvester *verb. decima*, § 5. *numero tertio*, Bonacina *num.* 16. Fagundez *numero septimo*, Palaus *punct. 8. numero secundo*. § Quomodocumque autem agri colantur, sive per propriam personam, sive per colonos, ex fructibus integris decima debetur, illa tamen à domino soluta, nec servus, nec colonus ex re sibi contingente debet solvere: alias bis ex eadem re decima solveretur. Quare si dominus agri omnes ejus fructus pro pretio sibi dato cessit semper, hoc intelligitur de omnibus exclusa decima, quia hæc debetur Ecclesiæ: & sic in conductione fructuum intrare non potest, nec ratione illius potest conductor pretium offerre Domino agri. Sotus *lib. 8. de just. quæstione 4. art. 2.* Suarez *lib. 1. cap. 35. num. 7. & 14.* § Sed notat D. Thomas *artic. 2. ad 4 Quod de his, quæ furtô, & rapina tolluntur, ille, à quo auferuntur, decimas solvere non tenetur, antequam recuperet; nisi forte propter culpam, & negligentiam suam, damnum incurrerit: quia ex hoc Ecclesia non debet damnificari. Si verò vendat triticum non decimatum, potest Ecclesia decimas exigere, Ecclesiæ debitas, & ab emptore, quia habet rem Ecclesiæ debitam, & à venditore, qua quantum est de se Ecclesiam defraudavit, uno tamen solvente alius non tenetur.*

Reges decimas solvere tenentur, non pauperes

59. Inquires tertio, quæ personæ debeant decimas solvere. § Respondetur omnes fideles baptizatos, nisi aliàs sint exempti, *cap. transmissa, de decimis, cap. à nobis, cap. tua nos. eodem titul.*, & tenet D. Thomas *quæstione 87. articulo primo, & quarto.* Unde etiam Principes, Imperatores, & Reges, ab hac obligatione exempti non sunt: quia etiam Reges sunt subditi Ecclesiæ Pastoribus, ab eisque recipiunt Sacramenta: & quo plura à Deo receperunt, eo magis obligantur ad ea, quæ ad cultum Dei ordinantur. Quòd præclarè dixit lex Regia Hispaniæ *1. partit. titul. 20. leg. 2.* ubi dicitur: *Tenudos son todos los homes del mundo de dar diezmos à Dios, è mayormente los Christianos, porque ellos tienen la Ley verdadera, è son mas allegados à Dios, que todas las otras gentes. Eporende no se pueden escusar los Emperadores, nin los Reyes, nin ningun otro home poderoso: ca quanto mas poderosos, è mas honrrados fuerent, mas tenudos son de lo dar, conociendo que la honrra è el poder que han, todo les viene de Dios.* Sic piissima lex, & ibi Gregorius Lopez, Rebuff. *quæstione 5. de decimis, num. 26. & quæstione 8. num. 27.* Moneta *de decim. cap. 5. num. 26.* Barbos. *libro tertio, de jure Eccles. cap. 26. § 3. num. 2.* § Pauperes autem, qui sunt in extrema necessitate, excusantur à solutione decimarum ob inopiam: quod si ad fortunam meliorem deveniant, non ob id decimas non solutas tenentur restituere: quia nec ratione injustitiæ, ac juris, ad talem tenentur restitutionem, ut constat: nec ratione rei alienæ consumptæ, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, & fiunt propria apprehendentis, quemadmodum de surripiente in extrema necessitate diximus *tomo tertio, tractatu 13. de restitut. cap. 5. numero tertio*, & tenent Soto *libro quarto, de justitia, quæstione*

extremâ necessitate laborantes

*ſtione 7. artic. 1. ad 4.* Sayr. *lib. 10. tractatu 15. num. 12. & 14.* Sylveſter *verb reſtitut. 5. num. 4.* Diana *parte quinta, tractatu 8. reſolut. 8. & 9.* & loquendo in caſu noſtro de decimis, Suarez *tomo primo, de relig. tractatu 2. libro primo, cap. 16. num. 17.* Palaus *punct. 11. num. 2.* Laym. *libro quarto. tract. 6. cap. 3. num. 6.* Raphael à Torre *2. 2. quaſtione 87. art. 4. diſ. 3. num. 3.* § Imo non ſolum pauperes qui ſunt in extrema neceſsitate, aut quaſi extrema à ſolutione decimarum excuſantur; ſed illi etiam qui gravi neceſsitate laborant; eoquod non habeant neceſſaria ad ſuam, & ſuorum congruam ſuſtentationem: quia ſolutio debiti, ex juſto titulo contracti optime differri poteſt ob gravem neceſsitatem, vel inopiam debitoris: ſicut de illo, qui ex mutuo, vel alio modo debet, & ſolvere non poteſt, niſi cum gravi incommodo, diximus *loco citato.* Sed in hoc caſu, quo ob neceſsitatem gravem decimas non ſolvunt, illas, quas tempore neceſſitatis prætermiſerunt, integre reddere, & reſtituere tenentur, cum ad meliorem fortunam deveniunt, & talis ſolutionis pro tempore, quo abſque gravi incommodo poſſunt, propoſitum habere tenentur: quia in gravi tantum neceſsitate, quæ non ſit extrema, non fiunt bona communia: & ſic quæ ex alienô in ea neceſsitate conſumuntur, non conſumuntur ut propria, ſed ut aliena: & ſic ratione rei alienæ conſumptæ ad reſtitutionem prædicti obligantur. Suarez *cap. 16. num. 18. verſu, In hoc vero caſu.* Filliuc. *tractatu 27. ſecunda parte, cap. 8. quæſt. 3. n. 166.* Torre *ſupra diſputatione 3. num. 3.* Laym. *lib. 4. tractatu 6. cap. 3. num. 6.* Palaus *punct. 11. num. 2.* Trullench. *lib. 3. in decalog. cap. 3. dub. 10. num. 9.* & alij.

60. Ex jure communi omnes clerici, ſive Religioſi, ſive ſæculares, qui parochi non ſunt, decimas ſolvere tenentur, *cap. 2. cap. Nuper, cap. ex parte, de decim.* Sed non ex bonis Eccleſiaſticis, ſeu quæ pertinent ad Eccleſiam; ſed ex fructibus hæreditariis, quæ ſibi titulo patrimonij, legati, donationis vel alio modo proveniunt: quia etiam clerici debent à parocho Sacramenta recipere, quæ eſt ratio, quare ſæculares decimas ſolvere teneantur. Unde dixit D. Thom. 2. 2. *quaſtione 87. art. 4. in corp. Unde tales clerici in quantum clerici ſunt, id eſt in quantum habent Eccleſiaſticas poſſeſſiones, decimas ſolvere non tenentur. Ex alia vero cauſa, ſcilicet propter hoc quod poſſident proprio jure, vel ex ſucceſſione parentum, vel ex emptione, vel quocumque hujuſmodi modo ſunt ad decimas ſolvendas obligati.* Quod tenent Aragon ibi, Torre *diſputatione 6. numero 11.* Molfeſ. *tractatu 6. capite quarto, numero 38.* Covarr. *lib. 1. variar. cap. 17. num. 8.* Palaus *punct. 11. num. 3.* Sotus *lib. 9. quaſtione 4. articulo quarto,* Guttier. *lib. quæſt. Canonic. cap. 21. numero 52.* Leſſius *libro ſecundo, cap. 30. dub. 5. nu. 23.* Fagundez *5. præcept. Eccleſ. libro ſecundo, cap. 2. numero quarto,* Trullench. *dub. 10. numero ſecundo.* § Imo de ſupradictis bonis patrimonialibus, vel alijs, quæ Eccleſiæ non ſunt, decimas tenentur ſolvere, etiamſi ad titulum eorum fuerint ordinati & etiam ſi Eccleſiæ, cui decimæ debentur inſerviant,

Clerici decimas ſolvere tenentur

viant. Tum, qua tale patrimonium titulo sæculari adhuc possidetur. Tum etiam, quia Ecclesia non debet defraudari re sibi debita ob susceptionem Ordinum. Sic Barbosa *libro tertio, de jure Eccles. cap. 26. §. 3. num. 10.* Bonacin. *disputatione ultim. de precept. Eccles. quæstione ultim. punct. 7.* Suarez *tomo primo, de relig. tractatu secundo, libro primo, cap. 17. num. 22.* Fagundez & Trullench. *loco citato.*

Qualiter parochi decimas solvere debent.

61. At parochi minime tenentur de prædijs beneficij, quæ exempta sunt, utpote bona Ecclesiæ, de quibus inquit D. Thom. *art. 4. ad 1. prædia vero Ecclesiæ non sunt ad decimas solvendas obligata, etiam si sint intra terminos alterius parochiæ.* Ex bonis autem patrimonialibus, quæ titulo sæculari possidentur, vel quæ sibi relinquuntur, non ut parochis, seu ut incorporentur cum bonis beneficij, sed ut personis particularibus, decimas debent Ecclesiæ, in cujus jurisdictione prædia sita sunt, & cui antea decimas solvunt: quia res cum suo onere transit, & pro præsenti est expressus textus *in cap. si quis laicus, vel clericus 16. quæstione 1. cap. Ecclesiæ cum duob. seq. eadem causa, & quæst.* & hoc etiamsi ipse parochus sit illius Ecclesiæ, cui decimæ debentur, si dantur alij clerici inter quos decimæ dividantur: quia ut bene inquit D. Thom. *loco citat. Clerici de propriis prædiis tenentur solvere decimas parochiali Ecclesiæ sicut & alij, etiamsi ipsi sint ejusdem Ecclesiæ clerici: quia aliud est habere aliquid ut proprium, aliud ut commune.* Et sic quando ipsi decimas illius Ecclesiæ integre non recipiunt, alijs donare debent partem, quæ illis competit. Barbosa *lib. 3. de jure Eccles. cap. 26. §. 2. num. 10.* Covarruv. *lib. variar. cap. 27. num. 8.* Gutierr. *quæst. Canon. lib. 1. cap. 27. n. 54.* Trulleneh. *lib. 3. cap. 3. dub. 10. num. 4.* Fagund. *lib. 2. cap. 2. num. 8.* Suarez *cap. 17. num. 16.* Palaus *punct. 11. num. 5.*

Pœnæ recensentur, quas non solventes decimas incurrunt.

62. Inquires denique, quæ pœnæ sint impositæ non solventibus decimas, aut facientibus eas non solvi, vel eas aliquomodo usurpantibus? § Respondetur, quod *in cap. si autem. 16. q. 1.* sub pœna excommunicationis præcipitur, ut omnes, integras decimas, quibus debentur, solvant, & in Tridentino *sess. 25. cap. 12. de reform.* dicitur: *qui decimas subtrahunt, aut impediunt excommunicentur, neque ab illo crimine nisi previa restitutione requisita absolvantur.* Sed non ob id deneganda est absolutio eis, qui ob paupertatem, solutionem decimarum prætermittunt, si in proposito sunt solvendi, cum poterunt: quia non est credibile Concilium velle denegari Sacramenta ei, qui in culpa non est restituendi. Navarr. *cap. 17. n. 59. ad finem.* Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 20. n. 19.* Henriq. *lib. 13. cap. 28. num. 1.* Bonac. *disp. ultim. de 5. Eccles. præcept. quæst. 5. punct. 7. §* Deinde in *Clement. Cupientes, de pœnis,* ipso jure excommunicantur Religiosi cujuscumque Ordinis, qui in concionibus, & aliis locis aliqua tractant, ex quibus moventur audientes, ut decimas debitas non solvant, quam pœnam ut incurrant eo pravo animo debent illa dicere, & coram iis, qui tenentur, solvere. Et ibi etiam additur excommunicatio adver-

sus Religiosos, qui scienter pœnitentes non obligaverint decimas solvere, & postea cum possint, non emendaverint: factum, audentque potius concionari eos non habere talem obligationem: & omnes istas actiones requirit textus concurrere ad incurrendam talem excommunicationem, ut notavit Toletus *in explication. hujus Clement.* Palaus *punct.* 11. *n.* 2. § Et præterea Leo V. in Concilio Lateranensi statuit, quod confessarij teneantur hortari, & monere, etiam sub onere conscientiarum suarum, illos, quorum confessiones audierint, cujuscumque fuerint conditionis, ad solvendas decimas; illisque eas solvere recusantibus, absolutionem denegare: & quod super hoc requisiti, id populo etiam publicè prædicare, & persuadere teneantur: ut habetur in supplemento *fol. 26. conces. 82. & in compend. privileg. verb. decima* §. 14. De quo Rodriguez *tom. 2. quæst. 44. art.* 3. Lezana *tom. 3. verb. decimæ num.* 12. Tamb. *tom. 1. disp. 15. quæst 18. num. 65.* Qui advertunt, quod ex concessione Eugenij IV. Regulares non tenentur onerare conscientiam dicto modo confitentibus, nisi quando ab Ordinariis fuerint super hoc requisiti: quod satis rationi, ac consuetudini conforme est, inquit Lezana, & ita observandum, etiamsi dicta concessio Eugenij IV. fuerit vivæ vocis oraculum.

## §. II.

### *Qualiter jure communi, Religiosi communiter viventes, exempti sint à solutione decimarum?*

Merito Regularibus exemptio decimis concessa

63. EXplicatâ jam obligatione omnium fidelium baptizatorum, ad solvendas decimas, vidimus etiam quod ab hac obligatione potuit jure optimo Pontifex aliquos eximere, maxime illos, qui cooperatores sunt ad inserviendum populo, in spiritualibus; qualiter Regulares concionibus, & confessionibus, & alijs charitatis operibus, magna cum utilitate fidelium insudare nemo nisi cæcutiens haud videbit. Quod ipsum attendentes Domini Episcopi Regularibus bene affecti (pauci sunt, qui eorum restringere privilegia, vel eos in re tot titulis debita, perturbare non attentant) & eorum favori inclinati, omnem gratiam, justitiæ lege servata, ut par est, omnemque benevolentiam ostendunt neglectis impugnatorum oppositionibus. Videamus modo, quid ex jure communi, & antiquissimo eis competat: ad quod recurrendum est, quando privilegia particularia defuerint; & etiam quando adsunt, ut magis roborata, & firmata permaneant: & postea de privilegiis extra corpus juris concessis sermonem faciemus.

Jus antiquum circa decimas ab

64. Igitur ex jure communi antiquissimo Monachi, aut Religiosi, aut Clerici in communi viventes exempti erant à decimis solvendis, non solum

Innocentio III. temperatum.

solum personalibus, quod constat *ex cap. Decimis 16. quæst. 1.* verum etiam à decimis prædialibus earum operarum, quas ipsi propriis manibus, aut expensis colebant, sive propriæ forent tales terræ, sive conductæ, dicto *cap. decimas 16. quæstione 1. cap. ex multiplici, cap. ex parte 10. de decimis*, & tenet Glossa *in cap. decimas.* & ibi Turrecremata & Rebuffus *tractat. de Decim. quæstione 5. numero 7. & 15.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. capite 18. numero 3. & 5.* Fagundez *de 5. Eccles. præcept. lib. 2. cap. 3. à num. 7.* § Postea Innocentius III. in concil. Lateran. ut habetur *in cap. Nuper. de Decim.* privilegia dicta concessa Cisterciensibus, Templariis, Hospitalariis, & aliis, limitavit, statuens eos teneri ad solvendas decimas de prædiis, ac terris post dictum Concilium ab eis possidendis, si novalia non fuerint, sed ex eis antea decimæ solvebantur; sive per colonos, sive propriis manibus, aut sumptibus eas excoluerint. Unde ex vi hujus capitis tenentur Religiosi ex omnibus prædiis, quæ ante dictum Concilium non possidebant, sed post illud acquisierunt, ex quibus aliàs decimas solvebant, eas solvere Ecclesiis, quibus competunt, nisi novo privilegio, consuetudine, compositione, aut præscriptione oppositum possideant. Sic Rebuff. *loc. cit. quæst. 5. num. 7. & 29. & quæst. 14. num. 30. & 42.* Suarez *num. 5.* Fagundez *num. 10.* Gutierr. *lib. 1. quæst. canonic. cap. 21. num. 136.* Tamburin. *tom. 1. disput. 15. quæst. 18. num. 1.* Palaus *tomo 2. tract. 10. disp. unic. punct. 12. num. 2.*

65. Itaque jure communi modo Religiosi omnes exempti sunt à solutione decimarum de prædiis novalibus suis, etiam de hortis, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt, & de animalibus, quæ ad eorum sustentationem nutriunt, *dicto cap. ex parte. de decimis*, & Glossa ibi: *verbo, alijs vero monachis.* Rebuffus *loco citat. quæstione 14. numero 43. & 45.* Moneta *tract. de Decim. capite 4. à num. 56.* Tambur. *num. 2.* Sed ante probationem assertionis sciendum est, per novale prædium illum locum intelligi, qui noviter ad culturam redactus est, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit, & de quo ante culturam nihil aut modicum quid decimarum percipiebatur. *Cap. Quid per novale*, & ibi Glossa, & Doctores omnes *de verbor. signific.* at quod semel fuit novale, semper manet novale quoad decimarum solutionem, *cap. ultim. de privil* Duo tamen requiruntur ut de novalibus suis Religiosi solvere decimas non teneantur. Primum, quod novale sit eorum proprium. Secundum, quod propriis manibus, aut sumptibus illud ad culturam reduxerint, *dicto cap. Ex parte* ibi: *novalibus suis, quæ propriis manibus, aut sumptibus excolunt.* Unde si alij usurpaverint, & novalia ad eos pervenerint, cessat privilegium. Ut Rebuff. *loc. citat. numero 46. versu. Unde si quis.* Hostien. *dict. cap. ex parte num. 2.* Et idem est si sint aliena, & ab ipsis Religiosis conducta; vel si sint propria, & aliis excolenda tradant, vel ad culturam per colonos reducant. *Cap. licet. de Decimis, & ibi Glossa.*

Quid per mobilia intelligatur?

66. Quo supposito, probatur assertio: quia in dicto *capite ex parte* hæc tria concedebantur; quod non solverent decimas de novalibus suis, nec de animalibus, nec de hortis, nec est horum aliquid revocatum per caput *Nuper. de decimis*: ergo manet in suo robore tale privilegium, sicut ãte Concilium Lateranse erat. Consequentia constat: quia ex alio textu revocata non est concessio, in dicto *capite ex parte* facta, nisi in dicto *cap. Nuper*. Probatur minor quoad primam partem: quia in *capite Nuper*, ut dicebamus, solum statuitur solvendas esse decimas ex prædijs acquisitis post Concilium, ex quibus antequam ad Regulares pervenirent, decimæ solvebantur: ergo non de novalibus, quæ per ipsos de novo ad culturam reducuntur, ex quibus nunquam Decimæ solvebantur. § Eadem ratio probatur, quoad secundam, & tertiam partem: quia cum dictum caput *Nuper* nihil de gregibus, & animalibus, aut hortis loquatur, reliquit in suo robore dispositionem capitis *ex parte* de decimis, in quô eximit Pontifex Regulares à solutione decimarum, de animalibus, quæ ipsi suis sumptibus nutriunt, & de fructibus hortorum suorum. Et sic *in leg. Regia 4. titul. 2. part.* 1. dicitur: *que todas las Religiones qualesquier que sean no deben pagar diezmos, ni desus huertas, ni de los genados que crian.* Rebuffus *n.* 57. Petrus Greg. *Syntagmat. juris part.* 1. *l.* 2. *capite* 24. *numero* 7. Barbosa *lib.* 3. *de jure Eccles. cap.* 26. §. 3. *num.* 46. Moneta *de decim. capite* 5. *num.* 17. Tamburin. *numero* 2. & 3.

67. Et intelligitur de hortis, quos vel suis laboribus, vel suis sumptibus colunt, etiamsi olera, quæ supersunt, ad sustentationem vendantur, ut in alios usus monasterii pecunia inde deducta, convertatur. Tum: quia in cap. *ex parte* absolute, & sine ulla distinctione conceditur exemptio decimarum *de hortis suis*: quod privilegium ut vidimus revocatum non est per caput *Nuper* de decimis, nec ullo modo limitatum. Cur ergo limitandum est ad fructus hortorum, qui ad sustentationem Religiosorum extrahuntur; & non potius etiam extendendum ad illos, qui venduntur, cum omnes prorsus necessitati Religiosorum deserviant, pecunia inde extractâ, in usus alios necessarios monasterij conversâ. Tum etiam: quia multa sunt, præter hoc, privilegia concessa Regularibus, in quibus eximuntur à solutione decimarum de hortis, prædiis, arboribus suis, quæ ipsi colunt proprijs laboribus, aut sumptibus; & hoc cum revocatione expressa illius capitis *Nuper*: uti concessere Paulus III. Pius IV. & Gregorius XIII. Societati, & alij Pontifices alijs Religionibus; ut Sixtus IV. Carmelitanæ in Mari magno illius, de quibus, & alijs agemus §. *sequenti, num.* 72. ergo licet per caput *Nuper* revocatum esset privilegium concessum Regularibus in capite *ex parte*, quod certe non fuit ut constat; ex vi aliorum, quæ sunt extra corpus juris, exempti sunt à solutione decimarum ex fructibus hortorum suorum, quod locô citatô dicemus ex communi sententia asserente nedum ex hortis suis; sed etiam ex om-

Ex fructibus vendit. horum, decimas, non debent religios.

omnibus prædijs, terris, pratis, montibus, & arboribus, laboribus, vel sumptibus Religiosorum exultis, non debere solvere decimas: & pro hac sententia authores varios tam ex Juristis, quam ex Theologis lato calamo adducemus.

Privilegia circa decimas concessa Religiosis, non sunt restringenda, sed amplianda.

68. Sed notandum est primo. Quod privilegia, de quibus loquuti sumus inserta in corpore juris, latissimè interpretanda sunt, propter dicta *hoc tract. cap. 1. num. 78.* alia vero, de quibus dicemus §. *sequenti*, quæ sunt extra corpus juris, etiam sunt latè interpretanda, propter ea quæ *loco citato numero 85.* diximus: non enim dicenda sunt odiosa; cum finis eorum principalis sit favor Religionis in communi. Et licet sint in præjudicium tertij, nihilominus absque injuria illius, & cum summa æquitate à Pontificibus concessa fuerunt, cum non minus laborent Religiosi in spiritualibus populos instruendo, quam parochi; & sic nulla fit parochis injuria, si Religiosi, qui ab eis spiritualia non recipiunt, sed potius abundanter populis conferunt; non conferant illis temporalia. Unde licet hæc privilegia data in favorem Religionis, sint contra jus commune, aut contra jus tertij, ampliari tamen debent: *quia summa ratio est, quæ pro Religione facit.* Suarez *de legib. lib. 8. capite 27. numero 7.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disputatione 1. numero 13.* Lezana *tom. 3. verb. decimæ, numero 8.* § Esto tamen talia privilegia restringenda forent (quæ non sunt in corpore juris) quia sunt contra jus tertij, qui habet intentionem fundatam in jure communi, & ob id interpretanda, ita ut lædant minus, quam possint: quod satis probabiliter docent multi, à Sacra Rota non semel fuisse decisum; veluti in illa causa Toletana de decimis; quam decisionem adducit Diana *parte 10. in decisionib. Rotæ, decis. 7.* Et in alia Valentina, quam adducit Tambur. *tom. 1. disp. 15 quæst. 18. num. 38.* quod ut probabile tenet ipse Suarez *tomo 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 18.* & Noster Lezana *loco citat. num. 5.* Palaus *punct. 11. numero 4.* Semper tamen ut ipsi dicunt, ita est hæc restrictio facienda, ut verba privilegij in sua proprietate salventur, & semper cum consideratione, quod Religiosi, quibus conceduntur, sunt optime meriti de Ecclesia sancta, & ut diximus cooperatores ministrorum Ecclesiæ in administratione spiritualium.

Privilegia concedentia Regularibus exemptiones à decimis solvendis ut valeant debent expresse abrogare cap. *Nuper.*

69. Notandum est secundo, quod privilegia concedentia exemptiones à decimis, quæ non sunt inserta in corpore juris, ut possint prodesse, debent esse cum expressa derogatione illius cap. *Nuper.* aliter contra illud non prævalebunt: quia est dispositio Concilij Generalis Lateranensis: & sic censetur habere clausulam derogatoriam ad futuras dispositiones. Unde ut vim habeant privilegia post illud contra illud concessa, necessaria erit expressa illius derogatio, uti diximus *cap. precedent. num. 40.* & tenent Tambur. *num. 39.* Campanil. *in divers. juris canonic. Rubrica 12 cap. 13. n. 154.* Rota *decis. 152. & sequentib. part. divers.* Alias Rotales decisiones refert Barbos. *lib. 3. de jure Eccl. c. 26 §. 3. n. 37. 38. & 41.* Hieronym. Garcia *in Politic. regul.*

*regul tom.1.tractat.8.difficul.3. dub.3. punct.4.num.6.* Sufficit autem pro derogatione dicti capitis *Nuper*, quod in clausulis privilegij concessi, fiat mentio Conciliorum Generalium, absque eo, quod requiratur expressa, & individua mentio dicti capitis *Nuper*, aut Concilij Lateranensis. Tamburin.*num.* 40. Quod enim in derogatione Concilij Generalis fiat ejus individua mentio, est singulare in Tridentino, propter ea, quæ diximus *loco citat.num.* 41. quamvis etiam adhuc de illo non requiri specificam mentionem quamplures sentiant.

Privilegium communicationis, an prosit pro decimis non solvendis?

70. Sed rogabis forte an quando uni Religioni datur privilegium communicationis in privilegiis alterius, inter quæ unum est exemptio à solutione decimarum, ex vi illius possit Religio communicans, eximi à solutione decimarum, ac si ipsi in specie privilegium talis exemptionis concessum fuisset? Sunt plura talia privilegia §. *sequenti* adducenda, aliqua magis ampla, alia magis restricta; hæc concessa uni Religioni, illa alteri; aliqua cum expressa derogatione capitis *Nuper*, alia sine tali derogatione expressa. Forte aliqua Religio erit, cui cum tanta amplitudine non fuit concessum privilegium exemptionis à decimis, ac concessum est, verbi gratia, Religioni Dominicanæ, Carmelitanæ, Societatis, aut D. Hieronymi, & tamen illa Religio habebit privilegium communicationis cum omnibus alijs, in omnibus, & singulis privilegiis illis concessis, & concedendis. Quæritur ergo, an ex vi hujus privilegij communicationis, prosit Religioni communicanti in aliarum privilegiis exemptionis à decimis privilegium, ac si illi in specie concessum esset? § Negat prima sententia, nisi in tali privilegio communicationis fiat expressa mentio hujus privilegij exemptionis. Tum; quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non solent nisi difficulter concedi: sed exemptio à decimis non solet concedi nisi magna cum difficultate, & cum cognitione causæ: ergo in concessione generali communicationis, tale privilegium exemptionis non conceditur. Tum etiam: quia privilegia exemptionis amplianda non sunt, sed restringenda, ut minus lædant quam possunt, eo quod sint contra jus tertij, & sic odiosa: ergo non debet fieri in eis extensio de una, ad alteram Religionem: & ita multoties decidisse Sacram Rotam testantur, qui hanc sententiam sequuntur: & sunt Tambur, *tom.1. disputat.* 15. *quæst.* 18.*num.* 34. Barbosa *de jure Eccles.lib.*3.*cap.*26.§.3.*num.*41.& *in cap. Nuper.de decim. num.* 4. Diana 10. *part.tract.* 12.& 2. *Miscell. resolut.* 49. Trullench *in Decalog.tom.*1.*lib.*3.*cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 4. Felin. *in cap.sedes.de rescriptis num.*3.

71. Sed affirmativam amplectimur sententiam, quam tenent Raphaël à Torre.2. 2. *quæstione* 87. *disp.* 1. *num.* 5. Joannes à Cruce *in Epitom. de Privileg.lib.*2.*cap.*9.*dub.*4.*per totum.* N. Antonius à Spiritu sancto *in direct. Regul.tract.*2. *disputat.* 3. *sect.*6.*num.* 169. Philippus à Cruce *de decim.* §.2. *num.*8, Hieronym. Garcia *tract.*8.*dif. ficul.*3.*dub.*3.*punct.*4.*num.*5. N. Le-

Qui

zana

*tomo 3. verb. decimæ num. 8.* Ubi optime rem declarat, & objectiones in contrarium dissolvit his verbis: (Sed quia hic communiter afferri solet communicatio privilegiorum aliarum Religionum, ita ut in hac materia, sicut in aliis diservire dicatur communicatio privilegiorum, quam aliquæ Religiones habent; observandum, Sacram Rotam in causa Valentina anno 1603. decidisse privilegium eximens à solutione decimarum, non comprehendi sub generali communicatione unius religionis, in privilegijs aliarum: nisi expresse fiat mentio talis privilegii, etiamsi inter privilegia communicata adsit aliquod, quod non contineat aliud, quam exemptionem à solutione decimarum. Cujus decisionis duplex assignatur ratio, &c. Prosequitur statim. Sed quamvis multum deferendum sit hujusmodi S. Rotæ decisionibus, eo quod à viris sapientissimis, & magna adhibita diligentia factæ sunt; nihilominus rationes adductæ non videntur valde efficaces. Non quidem prima: quia hujusmodi exemptionis privilegium non raro, sed sæpius, nec magna cum difficultate à sede Apostolica concedi solet Religionibus, ut patebit intuenti privilegia supra relata (& per nos, infra referenda.) Nec secunda: nam doctrina illa intelligi debet, quando recta ratio non dictat contrarium, ut quando agitur de causa pia, & Religiosa; maxime concernente utilitatem totius Religionis, aut monasterij, ut in præsenti. Tunc enim privilegia quamvis contra jus commune sint, & in præjudicium tertij, ampliari debent. Quia ut bene jurisconsultus *in l. sunt personæ ff. de Relig. sumpt. funeral.* summa ratio est, quæ pro Religiosis facit, Suarez *de leg. lib. 8. c. 27. num. 7.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 13.* Quare (sub aliorum censura) non video rationem sufficientem, quare in aliis materiis subsistat communicatio privilegiorum, quam Religiones habent, non vero in ista.) Hactenus sapientissimus Carmelita.

## §. III.

### *De Privilegiis concessis Religionibus extra corpus juris circa exemptionem à solutione decimarum.*

Privilegia Regularium pro non solvendis decimis recensentur.

72. VIrtute suorum privilegiorum nunc de facto exempti sunt Religiosi, non solum à decimis personalibus solvendis sed, etiam à solvendis prædialibus, ac terrarum suarum, quas proprijs manibus aut sumptibus excolunt, & à solvendis decimis ex Proventibus, & fœtibus pecorum suorum. De hoc ultimo jam diximus *num. 68.* etiam ex jure communi esse exemptos ab his solvendis, sicut & à solvendis decimis de fructibus hortorum suorum. Quoad decimas prædiales probatur: quia omnes fere Religiones hujusmodi privilegia à Pontificibus obtinuerunt, ut referunt Miranda *in manual. tom. 2. qu. 49. art. 12.* Tamb. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 15. quæst. 18. à n. 8.* Lezana *verb. decimæ. n. 2.* Rodr. *in coll. Bull. bull. 5. Martini V.* Jo. à Cruce

*supra l. 2. c. 9. dub. 4.* Raphael à Torre *2. 2. quæst. 87. disp. 1. num. 5. pagin. 575.* Barbosa *de jure Eccles. lib. 3. cap. 26. §. 2 à num. 21. & in cap. ex parte num. 3. de decim.* ubi ait, sic decisum fuisse à Sacra Rota *18. Dec. anno 1615.* & tenent communiter Doctores. Et merito: quia sic concessit Eugenius IV. Augustinianis, quod postea confirmavit Sixtus IV. in eorum Mari magno §. 12 *num. 29.* Clemens VII. Monachis S. Benedicti Vallisoletanis, & Sixtus IV Cistercien sibus, & idem Sixtus IV. Prædicatoribus, Minoribus, Carmelitis; Martinus V. Carthusianis, anno 1420. Gregorius XI. Mercenariis an. 1373. quod etiam Urbanus VIII. ann. 1634. Trinitarijs Excalceatis, & alij aliis concessere, ut potest videri apud citatos. Sed pro nobis Carmelitis extat notabile privilegium Sixti IV. confirmatis in Mari magno Ordinis, quod Innocentius IV. Clemens IV. Innocentius VI. & Alexander IV. antea concesserant, quod etiam ipse Sixtus IV. ampliavit, ut explicat Lezana *tom. 2. cap. 1. nu. 32.* & *tom. 3. verb decima num. 4.*

Nec de futuris prædiis Religiosi solvere decimas tenentur

73. Sed difficultas prima est, an ex vi dictorum, & aliorum privilegiorum, nunc de facto Religiosi non solum sint exempti à solutione decimarum de prædiis, quæ ante Concilium Lateranense possidebant; sed etiam de prædiis, terris, arboribus in futurum possidendis ab Eis? § Respondetur affirmative: & hoc non solum de novalibus intelligendum est, sed etiam de alijs ex prædiis, quæ proprijs laboribus, aut sumptibus excolunt, etiamsi antea ex eis decimæ solverentur: hæc est fere communis sententia, & probatur primo. Quia prædicta privilegia aliquid de novo concedunt, quod non erat ex jure communi concessum: quia si nihil aliud concederent, quam id, quod ex jure communi habebant Religiosi, frustanea essent, & nihil operarentur: sed ex jure communi habent Religiosi Privilegium non solvendi decimas ex novalibus, ut diximus, nec ex prædiis ante Concilium Lateranense possessis, quia *cap. Nuper* de his non loquitur; sed de possidendis post illud: ergo ut Privilegia Religionum (quæ fere omnia sunt revocatoria dicti *cap Nuper*) aliquid operentur, dicendum est extendi ad prædia in futurum possidenda, de quibus antea decimæ parochis solvebantur. § Secundo: quia plura ex illis expresse loquuntur de prædijs possessis, & in posterum possidendis, etiamsi ex eis antea solverentur decimæ; tale concessit Sixtus IV. in bulla, *dum attenta*, quæ est mare magnum Religionis Nostræ & Joannes XXII. in bulla 4. pro Præmonstratensibus, & Paulus III. & Gregorius XIII. pro Societate cum derogatione capitis *Nuper*, & multoties decisum fuisse à Sacra Rota testatur Lezana *tom. 5. in Mari magno Prædicatorum §. 26. nu. 7.* Et Sacram Congregationem Cardinalium sic declarasse testatur Bellarminus ad *c. 12. sess. 25.* Tridentini. Quare declarationes Sacræ Congreg. huic Doctrinæ contrariæ, quas affert Barbosa *in Collect. bullar. verb. decima*, intelligendæ sunt de Regularibus, non habentibus specialia privilegia, ut explicant

plicant authores infra citandi. § Tertio: quia licet in privilegijs hoc non diceretur expresse, sufficit, quod latè, & sine ulla exceptione concedant Regularibus exemptionem à solvendis decimis ex prædijs suis, ut intelligatur tam de prædiis illius temporis, quam de futuris, ut expresse dicitur *in c. Quia circa de privil in 6.* Ubi interrogatus Pontifex, an privilegium monachis concessum de retinendis decimis, extendatur ad possessiones acquirendas? Respondit affirmando: quia, (inquit) indiffinitè concedendo, subintellexisse videtur non solum decimas illius temporis, sed etiam futuri. Sic Bertrandus *volum. 6. consil. 15. à n. 5.* Palaus *tom. 2. tract. 10. disp. unica punct. 12. n. 6.* Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 19. n. 7.* Joan. à Cruce *in Epitom. status Relig. lib. 2. cap. 9. dub. 4. conclus. 2.* Filnet. *tract 28. cap. 8. qu. 11. n. 184.* Ant. à Spiritu S. *tract. 2. disp. 3. sect. 6. n. 160.* Lezana *to. 3. verb. decima n. 11.* Diana 10. *part. tr. 12.* & 2. Miscell. *resol. 52.* Leander à Sanctissimo Sacramento *in 5. Ecclesiæ præcepto tract. 6. disp. 6. quæst. 48.*

Quod Religiosi de agris per colonos excultis, decimas solvere tenentur aliqui opinantur

74. Secunda difficultas est, an de prædijs, terris, agris, aut possessionibus, quas alijs colendas tradunt, vel per arendatarios, aut colonos excolunt, religiosi, ipsi vel prædiorum coloni teneantur decimas parochis tribuere? § Affirmat teneri prima sententia: quia privilegium de non solvendis decimis, est personale datum Religiosis, non reale adhærens terris; alias si possessionibus adhæreret, cum Regulares eas vendunt aliis, cum dicto privilegio transirent ad emptores, quod apud omnes est falsum: ergo sicut quia privilegium est personale, non transit ad emptorem agrorum; ita neque ad arendatarium, aut colonum: & sic isti ex terris, quas excolunt, solvere decimas tenentur: quod multoties decisum esse à S. Rota testantur Trullench. *lib. 3. Decal. capite 3. dub. 11. n. 3.* Barbos. *de jure Eccles. lib. 3. cap. 26. §. 3. n. 40.* qui pro se adducit Suarez *De relig. tom. 1. tract. 2. cap. 19. n. 3.* Azor. *part. 1. lib. 7. cap. 27. quæst. 7.* Tamb. *tom. 1. disp. 15. quæst. 18. n. 5.* Sed certe hi autores, & decisiones Sacræ Rotæ non loquuntur de privilegijs extra jus Commune concessis Regularibus, & in corpore juris non insertis; sed de solis privilegiis in corpore juris insertis: & sic stando in terminis juris communis *in cap. ex parte de decimis*, fatemur colonos non eximi ab obligatione solvendi decimas, sed cum illa agros conducere, aut locatò, vel in emphyteusim recipere: quia dictum privilegium solum eximit agros, quos Religiosi proprijs manibus, aut expensis colunt. Cæterum ab hac obligatione eximuntur per alia privilegia in corpore Juris non inserta.

Ex agris à religiosis conductis, solvere decimas non tenentur Coloni.

75. Dicendum itaque est, neque Religiosos de prædiis, aut terris, quas aliis colendas tradunt; neque colonos, arrendatarios, vel illas colentes teneri parochis solvere decimas, de fructibus ex talibus prædijs perceptis; sed Colonos teneri ad eas solvendas Religiosis ex eorum terris conductis, quandiu sunt sub eorum dominio; nisi eas conducendo pretium augeant, ut absque onere solutionis decimarum illas recipiant,

quod est jam decimas virtualiter solvere. Probatur assertio: quia privilegium reale eximit à debito decimarum illorum prædiorum, quæ per alios coluntur, ut docet Glossa *in Clementin. 2. de decimis*, versu, *excolendas*, & ibi communiter Doctores: sed privilegium exemptionis à decimis solvendis, concessum Regularibus est reale afficiens ipsa prædia, & possessiones, & sic transit cum tali privilegio ad colonos, & arrendatarios: ergo, &c. Probatur minor: nam vel privilegia dicunt: *eximimus talem Religionem*, & illius prædia, possessiones (ut sunt plura, quæ infra dabimus) & sic planum est nedum personas, sed ipsas res, & prædia privilegiata manere: vel solum dicunt: *eximimus Religionem à solvendis decimis prædiorum suorum*; & tunc adhuc esset reale privilegium; quia si tunc deberent solvere coloni decimas, verè ipsi Religiosi solverent, & non esset exempta Religio: quia hoc ipso coloni detraherent de pretio locationis, & minorem redderent pensionem Religiosis, quam solverent, si decimas dare non deberent; & sic illa decima à colonis soluta, esset virtualiter à Religiosis exhibita: ergo ut verificetur Religiosos exemptos esse à solutione decimarum, exempta debent esse prædia, quamdiu sunt sub dominio Regularium, etiamsi per alios colantur: & solum desinent esse privilegiata talia prædia, hoc ipso quod alienentur, & transeant ad aliorum dominium per venditionem, aut donationem; quia tunc exempta non sunt à solutione decimarum: Proinde Religiosi non tenentur dare decimas etiam de terris aliis ad colendum traditis: Imò ipsi possunt percipere decimas, quas coloni tenentur Ecclesiæ solvere.

Privilegia dictam doctrinam confirmantia referuntur.

76. Totum hoc concessit Bonifac. VIII. Bulla 10. Cisterciensibus. Joan. XXII. Carthusianis, cum revocatione *cap. Nuper*. Sixtus IV. Carmelitis. Clem. VIII. Militiæ S. Jacobi, & Bonifacius VIII. præcepit Prælatis Ecclesiæ, ut habetur *in compend. Mendicant. titul. decimæ §. 17.* ut cum censuris inhibeant suis subditis, ne à fratribus Hospitalis S. Joannis decimas exigere de illorum terris præsumant, quas suis sumptibus, vel per suos arrendatarios, vel cultores ad tempus, & non in perpetuum excoli faciunt. Ac denique Paulus III. anno 1555. & sui Pontificatus anno 1. concessit Ordini S. Hieronymi idipsum, & Greg. XIV. & Innoc. IX. Conventui del Escurial, cum revocatione *cap. nuper*. Quod Clem. VIII. an. 1601. ampliavit pro toto Ordine, ut refert Hieron. Garcia *tom. 1. tract 8. difficult. 3. dub. 2. punct. 4. n. 10.* Unde Villalob. *tom. 2. tract. 33. difficult. 4. num. 5.* sic dicit: (Y concluye el P. Miranda, que comunmente hablando, todos los Religiosos el dia de oy tienen privilegios para no pagar diezmos. Y no obsta contra esto una declaracion de Cardenales, que trahe Marzilla; porque esa se ha de intender de derecho comun. De suerte que ni los Religiosos, ni los que arriendan sus campos estan obligados à pagar los diezmos al parrocho. Y dice Henriquez que asi se juzgo el anno de 83. en Salamanca: y tambien se juzgo en Baeza, y en Mur-

Murçia. Y da la razon diçiendo: que este privilegio de los diezmos no es personal, sino real, y assi passa con la misma cosa.) Idem, & eisdem ferè verbis testantur duo alij, qui in lingua Hispana scripsere. Joannes à Cruce *de privileg. lib. 2. cap. 9. dub. 4. conclus. 4.* Philippus à Cruce *tract. de decim. §. 2. num. 9.* Idem tenet Glossa *in Clement. Religiosi, de decimis, verb. excolendas.* Abbas *in cap. ex parte de decim num. 5.* Fagundez *lib. 2. cap. 4. num. 1.* Rodriguez *quæst Regul. tom. 2. quæst. 44. art. 4.* Raphael à Torre *2. 2. qu. 87. disp 6. fol. 580.* Castro Palao *tom. 2. tract. 10. disp. unic. punct. 12. num. 10.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. disput. 3. sect. 6. num. 161. & 163.* Diana *part. 10. tract. 12. & 2. miscell. resolut. 51.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 7 sect. 5. num. 176.* Peyrin. *tom. 1. privileg. Minim. constit. 2. Julij II. nu. 132.* Henriq. *lib. 7. de indulg. c. 27.* Tamb. *tom. 1. disp. 15. q. 18. n. 31.* Garcia, Villalobos *locis citatis.*

Privilegia supradicta ad prædia conducta, & locata à religiosis extenduntur.

77. Tertia difficultas est, an hujusmodi privilegia de non solvendis decimis extendantur ad prædia conducta, locata, vel in emphyteusim accepta ab ipsis Religiosis, quæ ipsi propriis manibus, aut sumptibus colunt, licet aliena sint, & à Monasteriis conducta? § Negat satis probabiliter prima sententia: nam privilegia supradicta solum concedunt Regularibus ut decimas solvere non teneantur de suis agris, vel de propriis prædiis: *sua* autem non sunt, aut *propria*, prædia conductitia, aut locata, aut emphyteutica; sicut domus à me locatò accepta non est mea, etiamsi in illa habitem: ergo, & ita declaratur ab Alexandro III. *in cap. dilecto, de decimis*, & sumitur *ex cap. ex parte eodem tit.* ergo licet hæc prædia locata, aut conducta propriis laboribus, aut sumptibus colant, decimas ex eis Ecclesiæ solvere tenentur: alias tot prædia alicujus territorij locari possent, ut omnino Parochiæ decimis sibi debitis defraudarentur. Ita Rebuff. *de decimis, quæst. 14. nu. 52.* Suarez *tom. 1. de Relig lib. 5. cap. 19. nu. 8.* Filliuccius *tract 27. cap. 8. quæst. 11. n. 184.* Palaus *tractatu 10. disput. unic. punct. 12 num. 8.* Barbosa *de jure Ecclesiast. cap. 26. §. 3. n. 20. & in cap. Dilecti, de decim.* Pelizz. *tom. 2. tract. 8. cap. 7. sect. 5. n. 175.* § Sed probabilius dicendum est, quod licet privilegia in corpore juris inserta non extendantur ad prædia conducta, vel locata, aut in emphyteusim accepta (quod sanè probant, & non amplius fundamenta contraria) alia tamen extra Corpus juris concessa ad illa extenduntur. Accipe privilegium Martini V. quod adducit Garcia *loco suprà citato n. 12.* ubi sic dicit: *De quibuscumque possessionibus, & prædiis, quæ in præsentiarum possidetis, & in futurum præstante Deo justis titulis poteritis adipisci, etiamsi ea ab alijs conducta; dum tamen illa vestris manibus, vel sumptibus exc. latu, seu pro sustentatione vestra excoli faciatis, decimas quibusvis Ecclesiis, locis, aut personis solvere minimè teneamini.* Idem concessit fratribus de Guadalupe Gregor. XI. & Paulus III. anno 1535. ut habetur *in compend. D. Hieronym. titul. decimarum exemption. §. 12. & 15. & 16.* Alia privilegia ab Authoribus hujus senten-

tiæ accipere potes, qui sunt: Fagundez *de 5. Eccles. præcept. lib. 2. c. 4. num. 1* Antonius à Spiritu sancto *suprà n. 162* Garcia *num. 12.* Peyrin. *constitut. 2. Julij II. §. 31. n. 133.* Leander à Sanctissimo Sacramento *de præcept. Eccles. tract. 6. disput. 6. quæst. 35. & 49.* Azor. *tom. 1. lib. 7. quæst. 6. §. 3.* Joannes à Cruce *in epitom. status Relig. lib. 2. cap. 9. dub. 4. conclus. 2.* Et quando privilegium dicit, non solvant ex prædiis, quæ habent, ad emptitia, & conductitia etiam extendi docent: Raphael à Torre *2. 2. tom. 1. quæst. 87. disp. 7.* Diana *10. part tract. 12. & in miscel. resol. 50.*

Moniales eximuntur à solutione decimarum.

78. Quarta difficultas est, qui Regulares dictis privilegiis exemptionis à decimis fruantur? § Respondetur, quod fruantur eis in præsentiarùm omnes exempti, etiam Moniales cujuscumque Ordinis; Tum, ob communicationem privilegiorum, quam *suprà cap. 1. num. 92*, diximus Eas habere, quam prodesse in hoc casu *num. 73.* statuimus; Tum etiam quia sic concessit Monialibus S. Claræ Bonifacius VIII. Bulla 3. & Leo X. Bulla *23.* & Clemens VIII. Paulus III. & Sixtus IV. ut refert Rodriguez *tom. 2. q. 44. art. 5. & tom. 3. quæst. 34. art. 15.* & Pius IV. à solutione decimarum Moniales cujuscumque Ordinis exemit, ut inquit Sorbus *in compend. verb. decimæ*: & ferè omnes Ordines habere similia privilegia, testatur Lezana *tom. 5. in Mari magno Augustin. §. 73. num. 29. & in Mari magno Minimorum, num. 107.* refert quandam decisionem Rotæ in Monialium favorem, in qua decidi-

tur, decimas, quas coloni tenebantur solvere Parocho, teneri solvere Monialibus. Unde præter citatos tenent hoc ipsum Portel. *in dubiis Regul. verb. decimæ, num. 3.* Cruz *lib. 2. c. 9. dub. 4. conclus. 5.* Antonius à Spiritu sancto *num. 164.* Villalob. *tract. 33. difficult. 4. num. 5.* à Torre *2. 2. quæst. 88. in princip.* Barbos. *lib. 3. de jure Ecclesiast. cap. 26. §. 3. num. 36. & in cap. ex parte 1. sub numero quinto*, ubi plures decisiones Rotæ circa hoc adducit.

De quibus bonis non tenentur Equites decimas solvere.

79. Equites verò Ordinum Militarium, quos veros Religiosos diximus esse *tract. 15. c. 1. n. 4.* nimirum illi, qui absolutam vovent castitatem, ut sunt D. Joannis, omnibus Religiosorum privilegijs hactenus recensitis fruuntur, ut est commune apud omnes. Illi vero, qui uxores ducere possunt, de quibus *loco citato* ex D. Thoma, & aliis probavimus non esse veros Religiosos, fruuntur privilegio exemptionis à decimis de prædijs, ac bonis suarum Commendatarum, quæ sunt bona Religionis, quæ ipsi donare, legare, aut alio quovis modo alienare non possunt. Ita eis concessit Martinus V. in Bulla *Militantis Ecclesiæ.* Greg. XIII. anno 1578. in Bulla *Ex Apostolicæ.* Honor. III. Sixtus IV. & Leo X. ut testatur Tambur. *tom. 2. disput. 24. quæst. 5. num. 79.* quæ non sunt revocata per *cap. nuper*: cum post illud plura prodierint, & praxis, ac consuetudo illud confirmet. At de bonis patrimonialibus, vel alio modo ipsis privativè competentibus, sive sint Equites Calatravæ, Alcantaræ, & Jacobi, sive quicunque alij, decimas tenentur sol-

tere Ecclesiæ, cui competunt. Tum, quia privilegia solum loquuntur de bonis Religionis. Tum, quia consuetudine sic jam habetur, à qua minimè recedendum est. Et sic Diana *10. part.* inter decisiones Rotæ, (quas in fine adducit) *decis. 7.* refert sic decisum fuisse à S. Rota in causa Toletana decimarum 21. Junij 1649. ubi per sacram Rotam judicatum fuit quendam Equitem de Calatrava teneri solvere decimas de patrimonialibus propter possessionem, & consuetudinem continuam, & nunquam interruptam, quam Curati habent accipiendi decimas à talibus Militibus, qui non probarunt sufficienter hujusmodi consuetudinem interruptam fuisse. Sic Britus de Locato *1. part. cap. 2. n. 23.* Llamas *3. part. §. 25.* Themudus *1. part. decis. 2. num. 63. & 3. part. decis. 260.* quos refert, & sequitur N. Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. disputatione quarta, sect. 1. num. 175. & num. 180.*

Modi, quibus supradicta privilegia amittuntur, recensentur.

80 Ultima difficultas est, quomodo amittantur supradicta privilegia exemptionis à decimis? § Respondetur primo, amitti per compositionem, aut conventionem, quæ conventio, & compositio consulitur, & approbatur *in cap. suggestum, cap. dilecti de decimis.* § Secundo per non usum, aut usum contrarium modo, & tempore, quo diximus *cap. 2. punct. 2.* deperdi, aut amitti per non usum privilegia. Sed notandum est hujusmodi privilegia non deperdi alicui Monasterio, etiam per non usum illorum in ipso; si in aliis Monasteriis ejusdem Ordinis, cui illa concessa sunt, fuerint in usu: nam per usum aliorum Monasteriorum, jus illius Monasterij præservatum censetur. Sic Lezana *tom. 3. verb. decimæ, num. 9.* Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 15. quæst. 18. n. 37.* ex varijs Rotæ decisionibus, & Panormitano. § Tertio si talia privilegia incipiant esse enormiter nociva Ecclesiæ, taliter, quod pro Ministris Ecclesiæ congrua non maneret sustentatio: quia ista ex jure Divino debetur; nec Pontifex privilegium potest concedere in præjudicium ejus *cap. Quid personale, de verb. signif. cap. dilecti, de decimis,* & ibi Glossa *verb. enormiter,* & omnes. Cæterum in dicto casu, quo privilegium cedat in enormem læsionem Ecclesiæ, non amittunt illud Religiosi ipso facto, nisi enormitas læsionis sit clara, & evidens: si vero non est clara, sed dubia recurrendum est ad Pontificem tanquam ad privilegii Authorem, ut declaret an privilegium enormiter lædat, vel non: nisi ad evitandas lites religiosi componantur cum parte læsa, quod melius erit. Barbos. *lib. 3. cap. 26. §. 3. num. 45.* Suarez *tomo primo, de Relig. tractatu secundo, libro primo, cap. 20. numero secundo,* Filliuccius *tract. 27. cap. 8. q. 10. n. 185.* Palaus *supra punct. 13. num. 2.*

PUNC-

## PUNCTUM III.

*De privilegio immunitatis concesso Regularium Monasteriis, Ecclesiis, ac domibus.*

Privilegium immunitatis, non ex jure divino aut naturali; sed ex jure humano habetur,

81. HOc privilegium non solum expeditum est pro Ecclesiis, ac domibus Regularium; sed etiam pro quibuscumque alijs locis sacris, ac Deo dicatis, ut in eis divina peragantur: & sic de omnibus hoc puncto loquimur. Nomine immunitatis illud privilegium intelligimus, quod habent Ecclesiæ fidelium, & domus Regularium, ut sint loca refugij, & quasi asyla eorum, qui commisso aliquo delicto, ad ipsas confugiunt, ne capiantur, incarcerentur, & puniantur. Talis immunitas ex jure divino aut naturali non habetur; sed ex jure positivo Ecclesiastico, ac civili. Non quidem ex jure divino positivo: nam nullibi in sacra Scriptura habetur: nec ex divino naturali; quia actio extrahendi ab Ecclesia facinorosum, ut delicta puniantur ex se justa est, cum ad justum finem ordinetur; & sic secluso alio jure positivo licita: proindeque talis immunitas delinquentibus jure Divino naturali indebita est. Cæterum jus positivum, ut fideles majorem venerationem in loca sacra conciperent, statuit merito, minimè licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes violenter abducere: nec ob id Ecclesia sceleratis favere intendit, sed ut pia mater miseris, & jam in delicta lapsis, misericordiam impertiri. Ob idque talis immunitas jure civili conceditur *in C. toto titulo de his, qui ad sacrosanctas Ecclesias confugiunt.* Et jure Canonico, *cap. inter alia*, cum pluribus alijs, *de immunitate Ecclesiastica, cap. frater, cap. minor, cap. reum, cap. statuimus, & aliis 17. quæst. 4.* & in Tridentino confirmata est *sess. 25. cap. 20.* & à Gregorio XIV. in sua Constitutione incipiente: *Cum alias nonnulli.* edita 22. Maij anno 1591. Quod est conforme juri divino veteris legis, in quo & signatæ erant civitates refugij pro delinquentibus: & ipsum Salomonicum templum tali fruebatur privilegio, prout probabiliter colligitur *ex lib. Exodi 21.* & *3. Regum 1.*

Potest ex jure divino non habeatur, contra illud prævalere potest consuetudo, ad quam multoties Authores recurrunt, pro aliquibus casibus particularibus, si talis consuetudo legitima reconsuetudo sit, id est, toto tempore non interrupto ad eam introducendam necessario continuata, & cæteras habeat qualitates requisitas in *cap. fin. de consuetud. ad abrogandam legem Ecclesiasticam, aut contra Ecclesiam præscribendam*, de quibus latè egimus *tom. 3. de justitia, tract. 11. de legibus, cap. 6. à nu. 9.* Sed omnes consuetudines ante Concilium Tridentinum, & Constitutionem Gregorij XIII. adversus immunitatem Ecclesiatum introductæ, sublatæ sunt per Concilium *sess. 25. c. 20.* & per dictam Gregorianam Constitutionem: & sic attendendum est, an post Concilium ubi receptum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ptum est, & dictam Gregorianam Bullam ubi talis est admissa, & observata (quod ferè ubique esse, omnes infrà adducendi Authores asserunt, aut supponunt) introducta sit aliqua consuetudo pro his, vel illis usibus particularibus. Farinacius *in appendic. de immunit. cap. 2. num. 5.* Qui bene advertit, quòd cùm sit quid facti, consuetudo; non est in aliquo casu præsumenda, nisi legitimè probetur: nec credendum est Doctoribus de consuetudine testantibus, extra locum ubi degunt.

Ampliandum est privilegium immunitatis.

83. Illud ut certum judicamus, quòd hæc immunitas cum omni est amplitudine interpretanda, utpote causa pia, & favorabilis Ecclesiæ, & privilegium per modum legis in jure communi insertum, quod latam recipit interpretationem; maximè cùm nemini in particulari præjudicet. Sic Alexand. Ambros. *de immunit. Eccles. cap. 10. n. 7. vers. ac etiam.* Farinac. *in Appendic. c. 2. n. 21.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 1. n. 2.* Castro Palaus *tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 5. n. 3.* Quæ interpretatio fieri debet non juxta jus civile, (nisi in rebus in quibus immunitati favet, & ob id est ab Ecclesia receptum,) sed Canonicum: quia concernit materiam Ecclesiasticam, in qua jus civile nullam habet jurisdictionem, nisi ad fovendam dispositionem juris Canonici. § Quibus sic in communi statutis, ut materiam adeò necessariam, & controversam, ac ex se obscuram clariori stylo declaremus, punctum hoc in sex dividemus §§. In primo agemus de locis, quibus talis immunitas competit. In secundo de personis, quæ hoc frui possunt privilegio. In tertio de delictis, ratione quorum talis immunitas amittitur. In quarto de effectibus, quos talis immunitas secum affert. In quinto de peccato, quod illius violatores committunt, & pœnis contra illos sancitis. In sexto de modo, & ordine servando in tradendis delinquentibus, qui ad Ecclesiam confugiunt, illisque defendendis, quando ipsis suffragatur immunitas.

---

## §. I.

### *Quibus locis sacris hoc privilegium immunitatis conveniat?*

Ecclesia consecrata, benedicta, & divinis deputata gaudet immunitate.

84. IN primis omnes Ecclesiæ consecratæ, quæ loci sacerrimi meritò nomen accipiunt, tali gaudent immunitatis privilegio, & omnes aliæ Ecclesiæ benedictæ; quia etiam sunt loca sacra, religiosa, & perpetuo Deo dicata. Etiam Ecclesia non cõsecrata, aut benedicta, si obsequiis divinis dicata sit, & in ea divina officia celebrentur, ut habet expressè textus *in cap. Ecclesia, de immunit. Eccles.* Sed in Ecclesiis sæcularibus requiritur, quòd authoritate Episcopi sint erectæ, & fundatæ: in Regularibus autem id non est necessarium; cùm in aliquibus casibus possint Prælati ex privilegio, in eis primum lapidem imponere, easque benedicere: quæ proinde cum Deo loca sacra sint, nullis temerariis artibus profanan-

da, gaudent prædicta immunitate. Layman. *lib. 4. tract. 9. cap. 3. n. 2.* Lezana *tom. 2. verb. Ecclesia, nu. 5. & 9.* & *verb. immunitas, n. 2.* Bordon. *tom. 2. resol. 1. n. 2.* Peyrin. *cap. 4. num. 62.* § Nec ad hoc requiritur, quòd in ea Ecclesia Eucharistia servetur : quia talis conditio neque *in cap. Ecclesia,* neque in aliis assignatur; *sed in qua Divina Mysteria celebrantur:* Sufficit ergo, quòd talis locus sit ad divina celebranda assignatus : tametsi in eo Eucharistiæ præsentia non habeatur. Farinac. *in Appendic. de immunit. cap. 17. num. 254.* Palaus *supra punct. 6. num. 2.* § Nec requiritur, quòd de facto divina in ea celebrentur, sed sufficit si celebrari possint: quia hoc ipso est locus religiosus divinis obsequiis dicatus ; ideoque si sanguinis, aut seminis effusione polluatur, reconciliatione indiget, *cap. si Ecclesia, de consecrat. Eccles.* Farinac. *num. 258.* Suar. *tom. 1. tract. 2. de relig. lib. 3. c. 9. num. 2.* Azor. *p. 2. lib. 9. cap. 8. à nu. 2.* Bonac. *disp. 3. de 1. decalogi præcept. q. 7. §. 2. n. 2.*

Extensiones supradictæ doctrinæ.

85. Extenditur hoc privilegium ad Ecclesiam non perfectè constructam, in qua adhuc divina celebrata non fuêre, si tamen constructio continuatur: quia hoc ipso, quòd ad divina celebranda cœpta sit erigi, est locus divinis obsequiis deputatus. Abbas *in cap. Eccles. de immun. num. 5* Pellizzar. *tract. 8. c. 5. sect. 1. numer. 4.* Farinac. *num. 261.* Lezana *verb. immunitas, num. 2.* Sylvest. *immunitas 1. num. 2.* Bordon. *resol. 1. n. 2.* Palaus *num. 5.* § Extenditur etiam ad Ecclesiam interdictam, & pollutam, quæ nec ob interdictum, aut pollutionem immunitate privatur, nec ob id desinit esse locus sacer; nec jure habetur talis effectus pollutionis, aut interdicti, quod propterea hoc privilegio privetur locus cæteroquin immunis. Suarez *num. 6 & 9.* Bonacin. §. 1, *n. 3.* Layman. *num. 2.* Lezana *num. 2.* Palaus *num. 5. & 6.* § Extenditur etiam ad Ecclesiam dirutam, aut destructam: quia ratione loci, in quo ædificata erat, non desinit esse sacra, nisi authoritate superioris sit penitus eversa absque spe reædificationis: quia jam tunc desinit esse locus sacer, sitque profanus. Lezana *num. 2.* Barbosa *de jure Eccles. lib. 1, c. 3. num. 62.* Tuschus *verb. Ecclesia, concl. 9. nu. 10.* Sanchez *de matrimon. lib. 9. disput. 15. num. 37.* § Et non solum gaudet Ecclesia hac immunitate quoad totum corpus, & ambitum internum Ecclesiæ; sed quoad totam ejus fabricam internam, & externam, ita ut complectatur Capellas, sacristiam, parietes, turres, &c. quia est favorabile privilegium, & ampliandum. Et omnia hæc in lata Ecclesiæ significatione clauduntur, *l. pateant, C. de hù, qui ad Ecclesiam confugiunt.* ibi: *Quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, balneis, atque porticibus confugas interioris templi vice tueatur.* Idem habetur *cap. Frater, cap. si quis in atrio 17. q. 4.* Tuschus *verb. Eccles. concluf. 9 num. 3.* & *verb. immunitas, concl. 59. n. 5.* Bonacin. §. 2. *num. 5.* Suarez *à numero sexto.* Palaus *num. 8.* § Et sic confugiens ad atrium, vel portam Ecclesiæ, etiamsi clausa sit, securus erit, & in ipsa scala, seu gradibus atrii,

ex

ex declaratione sacræ Congregationis, quam adducit Barbosa *supra nu.* 66. Bordon. *tom.2.resolut.1. num.2.* Similiter existens supra tecta Ecclesiæ; quia verum est eum in Ecclesiæ situ existere: nam Ecclesia, sicut & quælibet alia domus ex solo, & tecto, ejusque superficie concava, & convexa constat. Unde sicut Sancti dicuntur esse in cœlo, licèt non circundentur ab eo, sed solum superficiem pedibus tangant; sic confugiens ad Ecclesiam, in Ecclesia dicitur esse, etiamsi supra tectum, aut turrim ejus existat. Farinac. *in Appendic. de immunit.cap.* 17.*n.*372. Suarez *nu.*9. Pellizzar.*tract.*8.*cap.*5.*sect.*1. *num.*4. Bonacina *num.*5. § Similiter in atrio Ecclesiæ, claustro, porticu, ambitu, dormitorio existens securus erit: quia vel sunt de fabrica Ecclesiæ, vel Ecclesiæ connexa, *cap.si quis in atrio, cap. frater. cap.si quis contumax* 17. *quæstione* 4.

Qualiter intra 40. passus per circuitum Cathedralis, & aliarum Ecclesiarum per 30. immunitas habeatur.

86. Et talis immunitas etiam extenditur ad confinia Ecclesiæ, *cap.sicut antiquitas, cap. diffinivit* 17.*quæst.* 4.& *ex l.præsenti, C.de hus qui, &c.* Nomine autem confinium intelligitur pro Ecclesia Cathedrali, seu majori, spatium 40. passuum per circuitum ejus; pro minoribus spatium 30. ut in prædictis textibus habetur: qui passus ab ostio Ecclesiæ, vel muro ejus enumerari debent: & quilibet passus constat ex 5. pedibus, & pes ex 15. digitis. Farinacius *cap.*18. *à nu.* 286. Suarez *lib.*3.*cap.*9. *n.*8. Sanchez *tom.*3 *consilior. moral.l.*6.*cap.*1. *dub.*7. *num.*3. Lezana *verb. immunitas, nu.*3. Sylvester *eodem verb.* 3, *num.*1, Tuschus *verb. Ecclesia concluf.*9.& 19.& *verb.immunitas concluf.*59. Navar.*in manual.cap.*25.*num.*18. Palaus *punct.* 6.*num.*11. § Et etiam domus Parochorum, vel Clericorum intra prædictos 40. vel 30. passus positæ gaudent prædicto immunitatis privilegio *ex cap.quisque* 17.*quæst.*4. ut testantur Navarr. Bonacin. Sanchez, & Lezana. § Sed hæc limitanda sunt, Primò ut intelligantur de circuitu Ecclesiæ non discontinuato, sed continuo. Unde si discontinuetur per domum alicujus sæcularis, vel per viam publicam intra prædictum spatium existentem, non talis domus, aut via tunc gaudet tali privilegio, *cap.diffinivit* 17.*quæst.*4. ubi dicitur in hoc triginta passuum numero absque domorum extranearum receptaculo progrediendi aditum obtinebunt. § Secundò ut intelligantur de Ecclesiis, quæ sunt extra murorum civitatis ambitum, non de Ecclesiis, quæ intra muros civitatis, aut villæ continentur, *cap.quisquis* 17.*quæst.*4. ibi: *Capellæ, quæ sunt intra ambitum murorum, castellorum, non ponuntur in hac* 30.*passuum observatione.* Et tradit Glossa *in cap.antiquitas, verb.passus* 17 *quæst.*4. Farinacius *num.*290. Bonacin. § 2. *num.*5. Pellizzar. *num.*4. § Tertiò, ut procedant de eo, qui jam ad Ecclesiam confugit, & ex illa progreditur per 30. vel 40. passus; non de illo, quem Ecclesia nondum recepit, *cap. definivit* 17. *quæst.* 4. & talis progressus debet esse ad requisitum naturæ usum, v. g. ad exonerandum ventrem, si non sit alius locus

cus opportunus intra terminos immunitatis, ubi: *Qualiter ad requisitum naturæ usum debitu exeant locu, & nullo teneantur eventu necessitudinis, qui Dominicis se defendendis commiserunt claustris.* § Quarto, ut dicta intelligantur de jure communi antiquo, non verò secundùm consuetudinem, quam esse omnino in contrarium, non potest negari, cùm id multi Authores de illa testentur. Suarez *tom.* 1 *de Religione, lib.* 3. *c.* 9. *num.* 8. Covar. *lib.* 1. *variar. c.* 20. *num.* 5. Bonac. *n.* 5. Sanchez *ubi proximè lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 7. Navar. *in summ. cap.* 25. *numer.* 18. Pellizzar. *num.* 4. Palaus *punct.* 6. *n.* 15 Farinac. *de carceribus, quæstione* 28. *num.* 12.

Xenodochia, Oratoria, & domus Episcopalis fruuntur hoc privilegio.

87. Extenditur deinde hoc privilegium, ad hospitalia authoritate Episcopi erecta, si in eis sit Capella, ubi divina celebrantur, *cap. de Xenodochiis* 3. *cap. ad hæc* 4. *de religiosis domibus.* Item ad Oratoria authoritate Episcopi constructa; non verò ad ea quæ privata authoritate erecta fuerint: quia quæ privata authoritate eriguntur, etiam privata authoritate converti possunt ad usus profanos, etiamsi de licentia Episcopi in eis celebretur: ergo non sunt loca sacra, quæ semel dicata divino cultui, non possunt privata authoritate redire ad usus profanos, *cap. ad hæc citat.* Pellizzar. *num.* 5. Fagundez 2: *præcept. Eccl. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 64. Covar. *lib.* 2. *variar. cap.* 20. *n.* 4. Suarez *cap.* 9. *num.* 10. Palaus *punct.* 6. *num.* 19. Farinacius *in Appendic. de immunit. c.* 17. *n.* 267. Qui rectè docent, tunc censeri Oratorium authoritate Episcopi erectũ: cum vel in eo Divina celebrantur omnibus ad ea audienda indifferenter admissis, vel cymbalum pendeat super tectum, & publicè pulsetur. Quia cum non concedatur hæc cymbali pulsatio privatis Oratoriis, *cap. patentibus, de privileg.* præsumitur authoritate Episcopi erectum, illud, in quo fuerit, & pulsabitur cymbalum. § Extenditur etiam ad cœmeterium Ecclesiæ *cap. final.* de immunitate Ecclesiæ. Quod non solum intelligitur de cœmeterio contiguo Ecclesiæ; sed etiam de separato, quod destinatum est ad sepulturam fidelium: quia hoc ipso præsumitur benedictum esse, & authoritate Episcopi consecratum. Farinacius *cap.* 17. *num.* 264. Lezana *verb. cœmeterium, num.* 3. & *verb. immunitas, num.* 2. Palaus *tom.* 2. *tract.* 11 *disput. unic. punct.* 6. *num.* 2. § Extenditur etiam ad tabernaculum sanctissimi Sacramenti, & ad sacerdotem Eucharistiam portantem: ad quem si reus confugiat, securus erit: quia licet hoc non habeatur ex jure, consuetudine tamen introductum est, quæ pietati favet, & devotioni, atque reverentiam erga hoc venerabile Sacramentum excitat. Pellizzar. *tract.* 8 *cap.* 5. *sect.* 1. *num.* 4. Suarez *lib.* 3. *c.* 8. *n.* 10. Farinacius *c.* 17. *n.* 275. Layman. *lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 3. *num.* 4. Lezana *verb. immunitas, num.* 2. Tuschus *verb. Ecclesia, conclusione* 10. *num.* 33. § Extenditur etiam ad domum, vel palatium Episcopi, *cap. id constituimus* 17. *qu.* 4. & hoc etiamsi Episcopus absens, vel mortuus fuerit, dummodo aliis non sit locata domus. Farin. *c.* 17. *n.* 270. Palaus *punct.* 6. *num.* 20. & hoc etiam-

amsi domus ejus intra spatium 40. passuum per circuitum Ecclesiæ Cathedralis non existat: quia in dicto capite expresè,& sine ulla limitatione domui Episcopali hoc conceditur privilegium. Lezana *num.* 2. Bonacin. *numer.* 8. Navarr. *in manual. c.* 25. *n.* 8 Suar. *c.* 9. *n.* 9.

Quomodo Monasteria quoad omnia illorum loca, hoc fruantur privilegio?

88. Denique hoc extenditur privilegium, non solum ad Ecclesias Regularium secundùm totum earum ambitum interiorem, & exteriorem: sed etiam ad domus, & Monasteria eorum secundùm totum ambitum, ut comprehendit claustra, sacristiam, dormitoria, officinas, hortos, viridaria, &c. quia licet hæc ad effectum pollutionis, & violationis non reputentur loca sacra, & Religiosa, bene tamen ad effectum immunitatis, tanquam Ecclesiæ adhærentia, ut habetur *in cap. si quis contumax, cap. frater, cap. Minor* 17. *quæst.* 4. *& l. pateant, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regular. quæst.* 75. *art.* 2. Diana *p.* 6. *tractat.* 1. *resolut.* 6. Pellizzar. *num.* 4. Bordon. *resolut.* 1. *num.* 6. Palaus *punct.* 6. *num.* 18. Farin. *de immunit. quæst.* 28. *num.* 268. Unde si quis confugiens ad Monasterium prosiliat intra muros illius, etiam in atrio Monasterii erit immunis, *cap si quis, cap. definivit, cap. id constituimus* 17. *quæst.* 4. est autem atrium prima pars domus, in quam collecta ex omni recto pluvia descendit. Etiam porticus constructa ante Ecclesiam, tali gaudet immunitate, *cap. si quis contumax* 17. *quæst.* 4. § Etiam domus nova, seu habitatio in recenti domo contigua Ecclesiæ incœptæ pro Religiosis fabricati, gaudet hac immunitate, quamvis ibi unus Religiosus solus habitet pro fabrica, nec clausura sit adhuc designata. Tum: quia fabrica cœpta pro finita habetur in favorabilibus. Tum etiam: quia in hoc comparatur Ecclesiæ, quæ quoad hoc sufficit, ut sit cœpta fabricari, ut diximus *numero* 86. & in præsenti tenent Bordon. *tomo* 2. *resolut.* 1. *numer.* 7. Pellizzar. *numer.* 7.

---

## §. II.

### *Quæ personæ prafato gaudeant immunitatis privilegio?*

Excommunicatus, interdictus, & omnes fideles hac possunt immunitate gaudere.

89. Dicendum est omnes fideles cujuscumque conditionis existant, & quantumvis gravia delicta commiserint, si ad loca sacra supra recensita confugiant, gaudent immunitate Ecclesiæ, præterquam in casibus in jure exceptis, de quibus *sequenti* §. dicemus, ut constat ex *cap. inter alia. de immunit. Eccles. cap. frater, cap. minor, cap. si quis contumax,* 17. *quæstione quarta.* Unde interdictus ab ingressu Ecclesiæ, suspensus, vel etiam excommunicatus; hac gaudet immunitate: quia neque interdictum, nec excommunicatio habent effectum istum in jure, privandi immunitate (non enim privant ingressu materiali Ecclesiæ, sed tantum formali ad assistendum divinis officiis, cùm tamen immunitas loco ipso sacro materiali conveniat)

cùmque aliàs excommunicatus ex se sit indignus hoc beneficio; tanto majorem Ecclesia ostendet pietatem, si illum tueatur, & defendat: neque enim in ejus defensione attendit ad delictum, & excommunicationem incursam, sed ad loci sanctitatem, & reverentiam. Pellizzar. *tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 28.* Diana *part. 6. tract. 1. resolut. 26.* Lezana *verb. immunitas, n. 5.* Sylvester *eodem verbo 3. quæst. 3.* Navar. *in manuali, cap. 25. num. 19.* Suarez *tom. 1. lib. 3. cap. 10. numer. 4.* Palaus *tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 7. num. 2.* § Neque etiam hoc privatur privilegio hæreticus, si ob alia crimina quam hæresis (nam quo ad hæresim excluditur ab Ecclesiæ immunitate, ut §. *sequenti* dicemus) puniendus esset: quia Ecclesia solum hæreticum, ut talem, privat hoc privilegio; non quia homicida, non quia latro, &c. sed quia hæreticus est: ad quam hæresim per accidens se habent alia crimina. Bonacina *disp. 3. q. 7. §. 3.* Suarez *num. 13.* Palaus *num. 4.* Sylvester, & Lezana *locis citatis*; licet oppositum sit satis probabile.

Quomodo infidelibus immunitas Ecclesiæ suffragetur?

90. Sed sunt aliquæ difficultates enodandæ. Prima, an immunitas Ecclesiæ prosit infidelibus, nimirum Judæis, Sarracenis, Idololatris, &c. Affirmat prima sententia: quia *in cap. Inter alia, cap. minor. cap. frater, cap. si quis intuitus, cap. si quis contumax, 17. quæst. 4.* omnibus indistinctè conceditur hoc privilegium, eò quòd non personis, sed loco, & ratione illius personis capacibus conceditur. Cùm ergo infideles capaces sint hujus indulti, asserendum est illis suffragari Glossa, & Innocentius in *cap. Inter alia, de immunitate Ecclesiar. verbo extrahendus.* Sylvester *in sum. verb. Immunitas 3. n. 2. versu secundum de pagano.* Tabien. *eod. verb. n. 3.* Armilla *num. 9.* Diana *p. 1. tract. 1. resol. 22.* § Secunda sententia absolutè negat: Tum, quia de his, qui foris sunt non curat Ecclesia: unde sicut nec potest illos judicare; sic nec defendere. Tum etiam, quia leges Civiles servandæ sunt, quoties Canonicis non contradicunt: sed nulla Canonica lex disponit de infidelibus, quod gaudeant, vel non immunitate: ergo standum est legi civili in *l. 1. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Ubi infideles, qui baptizati non sunt, excluduntur ab Ecclesia, si ad eam confugiant. Sic Farin. *in Appendic. de immunit. c. 5. nu. 71. & 79.* Covar. *2. variarum c. 20. num. 11.* Joannes Gutierrez *lib. 3. pract. quæst. civil. q. 7. n. 51.* § Sed dicendum est infidelem ad Ecclesiam confugientem gaudere immunitate illius, si verè velit converti; secus autem si nolit, aut simulet se converti velle. Utraque pars utriusque sententiæ relatæ argumentis probatur: & insuper, quia dignum est, ut Ecclesia defendat eum, qui illi servire cupit, & abjiciat qui renuit. Tunc autem verè, non simulatè converti velle censendus est infidelis, si ante patratum delictum, vel conceptum judicis timorem petiit baptismum, aut dedit signa conversionis: quia tunc confugiens, petensque baptismum, non censetur simulatè petere, sed ex animo, ex illaque voluntate, qua ante baptismum desiderabat, non ex ani-

mo

mo vitandi pœnam, & securus in Ecclesia existendi; cujus contrarium censendum est de eo, qui antea nec baptismum petierat, nec signa dederat conversionis, ut clarè videtur decidi *in dicta l.* 1. *C. de his, &c.* Lezana *tom.* 2. *verb. immunitas, n.* 5. Pellizzar. *tract.* 8. *c.* 5. *sect.* 1. *num.* 26. Layman. *lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 3. *n.* 12. Bonac. *quæst.* 7 *de immun.* §. 3. *nu.* 5. Palaus *sup. punct.* 7. *num.* 7. & 8. & ita declarasse sacram Congregationem refert Barbos. *de jure Eccles. lib.* 1. *capite* 3. *numero* 44.

An, si incarceratus fracto carcere ad Ecclesiam confugiat, illi prosit ejus immunitas?

91. Secunda difficultas est, an si incarceratus fracto carcere ad Ecclesiam confugiat, illi prosit ejus immunitas? § Respondetur affirmativè: quia in dictis juribus omnibus prodest immunitas, præterquam in casibus exceptis: sed fractio carceris, exitusque ab illo non est delictum exceptum ut §. *sequenti* videbimus: ergo, &c. Secus autem dicendum est de illo, quem Ministri, per locum sacrum, comprehensum ducerent ad carcerem, cui loci immunitas non prodest; quia ipse non confugit ad Ecclesiam, sed per eam vinctus trahitur. Lezana *num.* 19. Pellizzar. *n.* 33. Tuschus *verb. Ecclesia, conclusione* 10. *num.* 3. & *concluf.* 11. *num.* 28. Suarez *cap.* 11. *num.* 18. & 19. Bonacin. §. 2. *num.* 10. Palaus *punct.* 7. *num.* 10. At si captus à Ministris justitiæ, ex eorum se eripiat manibus, & ad Ecclesiam confugiat, gaudet illius immunitate: quia jam positus in libertate, ad Ecclesiæ patrocinium accessit: & hoc etiamsi per vim secum ministros raperet; quia semper verum est illum confugere ad Ecclesiam, & sic debet gaudere illius immunitate. Et idem dicimus de damnato ad mortem, si cùm ducitur ad supplicium, è manibus ministrorum se eximeret, & ad Ecclesiam confugeret. Gutierrez *practic. quæst. civil lib.* 3. *quæst* 4. *n.* 10. & *quæst.* 6. *num.* 4. & 5. Pellizzar. *nu.* 33. Tuschus *verb. Eccles. concluf.* 10. *num.* 21. 22. & 30. Palaus *punct.* 7. *n.* 11. & 12. Farinac. *in appendic. de immunit. c.* 15. *n.* 196. & 197.

Prodesse Clericis, & Religiosis immunitatem Ecclesiæ comparatione ad suos Prælatos aliqui dicunt.

92. Tertia difficultas est an Clerici, Religiosi respectu suorum Prælatorum gaudeant prædicto immunitatis privilegio? Dicimus respectu suorum Prælatorum; nam respectu judicum sæcularium, haud dubium est, cum ab eorum sint jurisdictione exempti: & sic duplici titulo nequeunt ab eis ex Ecclesia extrahi, scilicet ratione immunitatis loci, & ratione immunitatis personæ. Unde si ob aliquod gravissimum crimen personali immunitate exempti fortè non essent, sed possent à judice sæculari capi, si tale delictum non esset de exemptis in jure, quæ §. *sequenti* recensebimus, ratione loci essent immunes sicut alii; ne ipsi deterioris conditionis sint, ac sæculares. Maximè, quia in eo casu tanquam sæculares judicantur, qui ex vi delicti Curiæ sæculari traduntur: & ex ejus potestate nihilominus elabuntur per hoc, quòd confugiant ad locum Ecclesiasticâ immunitate gaudentem. Sic citandi pro utraque sententia Authores. Adhuc autem respectu suorum superiorum, gaudere immunitate suarum, & aliarum Ecclesiarum, necnon & aliorum

rum monasteriorum, præter sua, & cæterorum locorum sacrorum, si ad ea Clerici, aut Regulares confugiant, etiamsi apostatæ sint, aut si alia crimina perpetrarunt, ita ut ab eis extrahi, & puniri à suis Prælatis non possint, præterquam in casibus exceptis, tenet prima sententia, quæ probatur. Primò: Quia jura, quæ de immunitate loquuntur, generaliter, & absque ulla limitatione ad sæculares, loquũtur: ergo non debent Clerici, aut Religiosi ab eo privilegio excludi, aliàs essent quoad hoc deterioris conditionis, quàm laici. Secundò: quia hoc privilegium non conceditur personis, sed locis, seu personis propter loca: sed locus est communis tam Clericis, quàm laicis, imo magis proprius Clericorum: ergo omnibus in eo existentibus respectivè ad suos superiores prodest immunitas, & maximè Ecclesiasticis: quia Ecclesia multo magis tueri debet domesticos suos, quàm alios quoscumque extraneos. Sic Farinac. *de carceribus, quæst. 2. à num. 7.* & *in appendic. de immunit. cap. 2. num. 16.* Bordon. *tom. 2. resolut. 1. num. 18.* Tuschus *verb. Ecclesia, concl. 9. num. 17. & conclus. 11. nu. 27.* Gutierrez *supra quæst. 3. num. 1.* Barbos. *de jure Eccles. lib. 1. cap. 3. n. 137. & in collect. Bullar verb. immunitas*, affert declarationem S. Congreg. Episcop. & Regul. tenoris sequentis: *Immunitate Ecclesiastica gaudere debent Clerici, qui post delicta patrata, ad Ecclesias confugiunt, extra casus in Bulla Gregorii XIV. comprehensos, cum in hoc casu Abbatis opinio communiter sit reprobata.* Aliam declarationem refert Diana 5. *part. in collect. harum declarationum*; in qua dicitur non posse extrahi Clericos, præterquam in casibus degradatione dignis.

Clerici, & Religiosi ab Ecclesia extrahi possunt à suis Prælatis

93. Cæterum licet hæc sententia probabilissima sit, & stando in rigore juris verissima, maximè suppositis dictis declarationibus sacræ Congregationis, quæ procul dubio secundum rigorem juris communis loquuntur: nihilominus oppositum tenendum est secundum tenorem Bullæ Gregorii XIV. de qua diximus & §. *sequenti* dicemus latius, in qua hoc privilegium ad laicos limitatur: nam ibi dicitur: *Ut laicis ad Ecclesias, locaque sacra confugientibus*, &c. (& ideo licet sit hoc privilegium locis concessum, est comparatione ad judices sæculares, non ad Ecclesiasticos,) & maximè secundum rationabilem, & ferè communem, receptamque consuetudinem, oppositum tenendum est; passim enim videmus judices Ecclesiasticos, & Prælatos, delinquentes Clericos, & Religiosos ab Ecclesiis extrahere, & in carceribus recludere absque ullo scrupulo: nec ullus est ex reis, qui immunitatem proclamet, aut ratione illius se defendere prætendat. Tum: quia alias raro posset superior Clericorum, aut Regularium delicta punire, cum in Monasteriis, & Ecclesiis regulariter existant. Tum etiam: quia decens est ita fieri, quod sicut Princeps secularis potest exercere suam jurisdictiònem in locis sæcularibus sibi subjectis; ita etiam, quod Prælatus Ecclesiasticus eam possit exercere in locis sibi subjectis, qualia sunt Ecclesiæ;

siæ; ac proinde ex illis extrahere subditos. Nec in hoc læditur Ecclesiæ immunitas, cùm non extrahatur Clericus contra voluntatem Ecclesiæ, sed juxta illam; & nonnisi tunc immunitas lædatur, quando reus extrahitur contra voluntatem, & reverentiam debitam Ecclesiæ; quod etiam probatur exemplo immunitatis personalis, qua fruitur Clericus, quæ solum intelligitur respectu judicis sæcularis, & sic solum læditur si ab hoc vel capiatur, vel puniatur; non verò si à judice Ecclesiastico, & ab Ecclesia ad ejus punitionem constituto castigetur. Idem dicimus de immunitate Ecclesiæ locali, quæ solum læditur, si à judicibus sæcularibus contra voluntatem Ecclesiæ, delinquens extrahatur; non verò si à judicibus ab Ecclesia constitutis, pro suorum domesticorum punitione, extrahantur illi, quos extrahere possunt à locis sacris, cum utantur Ecclesiastica potestate, quæ extendi potest sicut ad personas Ecclesiasticas, ita etiam ad loca Ecclesiastica. Sic tenent Suarez *tom. 1. de Religione, tract. 2. lib. 3. cap. 10. num. 5. & 8.* Palaus *tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 7. num. 17.* Bonacin. *disput. 3. de 1. decalog. præcept. quæst. 7. de immunit. resolut. 56. num. 5.* Layman. *lib. 4. tract. 9. c. 3. numer. 11.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 28. à num. 14.* Sanchez *lib. 6. consilior. cap. 1. dub. 8. n. 6.* Sylvest. *verb. immunitas, num. 7.* Portellus *in compend, versu Ecclesiar. immunitas, resol. 56. num. 5.* Armilla *verb. immunitas, num. 10.* Rosella *eodem verb. num. 9.* Lezana *tom. 1, part. 1. cap. 18, num. 73. & tom. 2. verb. immunitas, num. 6.* Pellizzar. *tractat. 8. cap. 5. sect. 1. num. 29.* Rodriguez *tom. 2 quæst. Regul. quæst. 50. art. 4.* Genuensis *in praxi Episcop. cap. 22. n. 11. pag. 74.* & alii.

94. Quarta difficultas est, an supradicta immunitas prosit in causa civili? ut cum debitor à creditoribus timet comprehendi, & in carcerem trudi, an si talis debitor ad Ecclesiam confugiat ab ea extrahi non possit? § Affirmativè respondendum est, quidquid alii dicant. Tum, quia hoc ipso, quòd hæc immunitas delinquentibus, & reis jure Canonico concedatur, censetur etiam debitoribus concessa; aliàs Ecclesia nocentibus faveret, & innocentes excluderet. Tum etiam, quia licet jus Canonicum *reos* dicat non esse extrahendos, & *reorum* nomine propriè delinquentes intelligantur; etiam debitores possunt intelligi, qui sunt *rei* in judicio: & cum hoc sit privilegium favorabile, secundùm latitudinem suæ significationis debet extendi. Tum denique: quia jure civili *in l. præsenti, l. ultim. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, expressè hæc immunitas etiam debitoribus conceditur. Quæ leges, & constitutiones civiles cum non præjudicent, sed potius extendant, & augeant immunitatem Ecclesiæ, ab Ecclesiâ sunt receptæ, & approbatæ, necnon pro Canonicis habitæ, *cap. inter alia, de immunit. Eccles.* & in Trident. *sess. 25. cap. 20.* atque ita tenent Abbas *dict. cap. inter alia, num. 22.* Suarez *lib. 3. cap. 11. num. 3.* Farinac. *de carcerib. quæst. 28. num. 21. & in append. de immun. cap. 3. nu.*

In causa civili prodest immunitas Ecclesiæ confugientibus ad illam.

§7. Lezana *verb. immunitas, num. 16.* Guttier. *practic. quæst. civil. lib. 3. quæst. 1. per totam.* Pellizzar. *n.* 34. Palaus *punct. 8. num. 1.* Bonacin. §. 4. *num. 1.* & ita declarasse Sacram Congregationem in una Contr. 21. Julii 1627. & in alia Benevent. 10. Maii 1619. testatur Lezana *loc. cit.*

Negotiatores falliti, etiam fraudulenti decoctores immunitate non privantur.

95. Quæ doctrina extenditur etiam ad negotiatores fallitos, seu fraudulentos decoctores, illos nimirum, qui exercentes quæstuariam negotiationem lautè, & opiparè vitam degunt, & postea cùm non possint creditoribus satisfacere, ad Ecclesiam confugientes, plures creditores miserrimè fallunt. His non prodesse immunitatem Ecclesiarum statutum est à Catholicis Regibus nostris Ferdinando, & Elisabetha, & postea à supremo Imperatoris Caroli V. Senatu confirmatum, ut testatur Covarr. 2. *variar. cap. 20. num. 14.* quia hi videntur esse hostes reipublicæ, & quasi publici latrones, qui ut dicemus §. *sequenti*, non gaudent Ecclesiæ immunitate. Sic ipse, & plures ab eo citati: Sed hoc post Gregorianam Constitutionem sustineri non potest: quia in illa revocantur omnia privilegia, & indulta data principibus extrahendi delinquentes ab Ecclesia, & nominatim fraudulentos decoctores. Et ratio est: quia tales non privantur immunitate, neque ratione debiti; aliàs omnes debitores essent immunitate privati: neq; ratione delicti: quia non sunt depopulatores agrorum, aut latrones publici, qui stratas vias obsident, quos ab Ecclesia excludi dicemus §. *sequenti*. Et licet publicis latronibus æquiparentur, *in* privatione tamen immunitatis æquiparari non possunt, quia odiosa est præjudicans juri communi, & Ecclesiæ debitæ reverentiæ, & sic non est extendenda ad æquiparata. Pellizzar. *numero 34.* Farinacius *in Append. capite 3. numero 64.* Bonacin. §. 4. *initio.* Suarez *capite 11. numero 3.* Palaus *puncto 8. numero 6.* Lezana *verb. immunitas, numero 16.* licet istos (quia fraudulenti sunt) non esse multo tempore in Ecclesia tolerandos, nec posse bona in creditorum præjudicium ad eam deferre, declaraverit Sacra Congregatio, teste Diana *5. part. in collect. istarum declarationum.*

---

## §. III.

### *De criminosis, quibus Ecclesia immunitas non prodest.*

Quibus non potest immunitas Ecclesiæ recenseri.

96. PLura crimina in jure recensentur, ratione quorum, delinquentibus immunitas Ecclesiæ denegatur, ut videre est *in cap. inter alia, cap. ultim. de immunitate Ecclesiarum*, & aliis textibus. Quæ omnia Gregor. XIV. in sua Constitutione sæpius in hoc puncto citata congessit, & alia addidit. Verba Bullæ sunt ista: *Ad unam tantum formam reducimus, & moderamur, ut laicis ad Ecclesias, locaque sacra confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, & publicas stratas obsident, ac viatores ex insi-*

*dijs*

*diis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quive homicidia, mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei immunitas Ecclesiastica non suffragetur.* Ubi ut vides septem dumtaxat casus excipiuntur, in quibus immunitas Ecclesiæ, delinquentibus non opitulatur, de quibus suo ordine breviter discurremus.

Quis publicus latro dicatur, cui immunitas non proficit.

90. *Publici Latrones.* Ille dicitur publicus latro, qui palam, & publicè furatur, aut per insidias in via publica, aut in domibus privatorum violenter. Sed debet constare esse publicum latronem, ut immunitate privetur: nec sufficit præsumptio, aut dubitatio: quia solus nominatim excipitur vere publicus latro, non qui præsumitur esse talis. Publici autem tales reputantur vel publicitate juris, ut si hoc crimen aliquando fuerint in judicio confessi, aut propter ipsum damnati; aut notorietate facti, ut si ipsi in publicis viis deprædentur, vel pro latronibus communiter habeantur. Ludovicus Correa *in repetition. capite 3. numero* 17. Augustinus Barbosa *de jure Ecclesiast. capite 3. numero* 79. & 8. Joannes Baptista Lezana *tom. 2. verb. immunitas, num. 8.* Hinc fit alium quemcunque furem simplicem, etiam in Ecclesia, vel ab Ecclesia aliquid surripientem, non excludi ab isto privilegio, quia solum publici latrones excluduntur, & excipiuntur; & exceptio firmat regulam in contrarium. Sotus *libro 5. de justitia quæstione 3. articulo 5. versu porro autem* Palaus *tom. 2. tract. 10. disput. unic. punct. 9. numer. 3.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 10.* Lezana *num. 8.* Bonacin. *disput. 3. de 1. decalog. præcept. q. 7. de immunit. §. 4. num. 5.* Sanchez *tom. 3. consil. libro 6. cap. 1. dub. 8. num. 14.* Tuschus *verb. Ecclesia, concl. 10. num. 23.*

Qui vulgo dicuntur *Gitanos*, non gaudent immunitate Ecclesiæ.

98. *Viarum grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, ex cap. inter alia,* & Gregoriana Constitutione: ille autem dicitur viarum grassator, qui cum impetu graditur, ut viatores spoliet, vulneret, vel occidat. Sed solum comprehenduntur prædictâ Constitutione grassatores in viis publicis, & itineribus frequentatis; quia textus de istis solum expresè loquitur. Qui verò per insidias aggreditur, & non in loco, aut itinere publico, non privatur immunitate. Farinacius *in Append. de immunit. capite 12. numero 165.* Lezana *numero 9.* Barbosa *numero 84.* Bonacina *num. 6.* Palaus *num. 6.* Hinc fit illa genera hominum, qui vulgo dicuntur *Gitanos*, privata esse Ecclesiæ immunitate, quia communiter, ut publici latrones habentur; vel sunt grassatores viarum, qui itinera frequentata, & publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. Quis non videat illos homines talem vitam ducere, ob quam immunitate Ecclesiastica meritò debeant privari.

Depopulatores so-

99. *Depopulatores agrorum*, illi videlicet, qui alienos agros diripiunt, qui segetes, aut fructus devastant,

lum nocturni ab Ecclesia sint ejiciendi.

qui agros, vineas, aut oliveta destruunt. Sed est inter Doctores controversia, an debeat intelligi de nocturnis dumtaxat depopulatoribus, an verò de quibusvis, sive nocturni, sive diurni fuerint depopulatores? Aliquibus hoc secundum satis probabiliter asserentibus, quia in dicta Gregoriana Constitutione absolute *depopulatores agrorum* excipiũtur: quod de quibusvis nocturnis, vel diurnis intelligi debet, cùm absque limitatione loquatur. Sic Bonacin. *num.6.* Farinac. *cap.* 11. *num.*61. Barbosa *numer.*87. Lezana *num.*10. Aliis verò primum non minus probabiliter defendentibus, quia *in cap. inter alia, de immunitat. Ecclesiar.* depopulatores nocturni exprimuntur: & cum Constitutio Gregoriana ad confirmandum jus commune fit inducta, & ad tollenda contraria privilegia, cùm depopulatores agrorum nominavit, intelligentia est secundùm jus commune: aliàs ut juri communi derogaret, exprimere hoc debebat, diurnos depopulatores nominando. Sic Tuschus *verb. Ecclesia, concl.* 11. *num.* 10. Palaus *punct.* 9. *num.* 5. Pellizzar. *num.* 11.

Solum homicidium aut mutilatio in Ecclesia patrata, privant immunitate.

100. *Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum cœmeteriis committere non verentur.* Habetur *in cap. final. de immun. Eccles.* & in Gregor. XIV. Const. Et merito: quia indignum est, ut Ecclesia illi faveat, qui in Ecclesia, contra reverentiam illi debitam delinquit. Et licet hæc ratio decidendi videatur communis pro omnibus aliis delictis in Ecclesia commissis, ideoque graves authores asserant, non gaudere immunitate Ecclesiæ, qui in ea quælibet alia crimina perpetrant; quia semper verificatur esse indignum, quòd Ecclesia illi faveat, qui in Ecclesia deliquit: & quia legis auxilium frustra invocat, qui legem contemnit, *cap. quia frustra, de usuris.* Atque ita tenent Navarr. *in manual. cap.* 25. *num.* 20. Portellus *in dub. Regul. verb. Ecclesiæ immunitas. num.* 15. Covarr. 2. *variar. cap.* 30. *num.* 15. Suarez *lib.* 3. *cap.* 11. *nu.* 6. Bobadilla *in Politic. lib.* 2. *cap.* 4. *nu.* 24. § Nihilominus hæc solum probant, justissimè, quod constitutum est de homicidio, aut mutilatione, de aliis constitui posse, sed de facto non constat sic statutum, & cum agamus de lege pœnali immunitati Ecclesiæ præjudicanti, non est extendenda ad casus, in ea non expressos. Pellizz. *nu.* 37. Farinac. *cap.* 16. *num.* 208. Bonacin. §. 4. *num.* 12. Palaus *punct.* 9. *num.* 9. § Taliter autem homicida, aut mutilator, Ecclesiæ immunitate privatur, ut non solum privetur immunitate illius Ecclesiæ materialis, in qua deliquit, sed cujuscumque alterius; ut si in una delinquat, & ad aliam confugiat, ab hac extrahi possit: quia immunitas à qua est privatus, eadem est in omnibus Ecclesiis: & qui unam offendit, omnibus injuriam irrogavit, cùm una sit formaliter Ecclesia in toto orbe terrarum. Lezana *numer.* 11. Sanchez *dub.* 8. *numer.* 16. Pellizzar. *num.* 12. Bonac. §. 4. *numer.* 7. Sed qui in Ecclesia vulneraret, si ex tali vulnere mors non sequeretur, aut mutilatio, non privatur immunitate: quia vulnerare non

est

est occidere, aut mutilare : & solum occidentibus, aut mutilantibus talis est pœna jure statuta. Farinac. *cap. 16. num. 227.* Palaus *punct. 9. n. 10.*

Qui existens in in Ecclesia, alium extra Ecclesiam existentem occideret, non gauderet immunitate.

101. Sed est breviter duplex decidenda difficultas. Prima an si existens in Ecclesia, sagitta, plumbeo globo, sclopo, aliove instrumento alium feriat, & occidat, aut mutilet, qui extra Ecclesiam existebat, Ecclesiæ immunitate privetur? Negat prima sententia. Quia ille vere in Ecclesia non occidit, sed occisionem inchoavit. Pœna autem non imponitur ob actum inchoatum, sed perfectum : sicut non privatur immunitate, qui in Ecclesia evaginaret gladiũ, & adversarium insequendo extra Ecclesiam occideret, aut mutilaret. Sic Bonac. *quæst. 3. disp. 7. de immunit. §. 4. num. 8.* Fagundez *2. præcept. Eccles. lib. 4. cap. 4. num. 17.* & probabile dicit Pelizz. *tract. 8. cap. 5. sect. 1. numer. 13.* § Sed affirmativè respondendum est: quia qui in Ecclesia ponit causam, ex qua necessario sequitur occisio, in Ecclesia dicitur occidere, sicut qui in Ecclesia graviter vulneraret, etiam si vulneratus extra Ecclesiam moreretur, privaretur immunitate : quia in Ecclesia causam necessariam ex qua mors sequeretur, apponeret ; quod non accideret in eo, qui evaginaret gladium in Ecclesia, & extra Ecclesiam vulneraret. Sic Lezana *verbo immunitas, numer. 11.* Sylvester *eodem verb. 3. quæst. 6.* Palaus *punct. 9. num. 15.* Navarr. *cap. 25. numer. 21.* Suarez *lib. 3. cap. 11. num. 6.* Azor *2. part. lib. 9. cap. 9. quæst. 14. vers. tertio.* Covarr. *2. variar. cap. 10. num. 15.* Farinac. *cap. 16. num. 223.* Imo si aliquis extra Ecclesiam existens, eum qui est in Ecclesia occideret plumbea pila, sagitta, aut lapide, multò magis privandus esset immunitate : quia in delictis potius finis, exitus, & executio illorum attenditur, quàm initiũ: ergo si ob initium datum privatur, ut diximus ; multò magis ob finem & effectum. Sic citati. At si aliquem vi, dolo, aut fraude, ab Ecclesia extraxisti, & occidisti, non privaris illius immunitate : quia neque occidisti intra Ecclesiam, neque intra illam appotuisti causam necessariam occisionis, cum libere postea occideris. § Sed nota, quod licet Gregorius XIV. in sua Constitutione dixerit: *Qui homicidia, & mutilationes membrorum in Ecclesia, &c.* utendo conjunctione illa *&*, quod & habetur *in cap. immunitatem, de immunitate Ecclesiæ*, certissimum tamen est alterutrum sufficere, quia talis est praxis Ecclesiæ: aliàs qui occideret, & non mutilaret, prout fieri potest, non privaretur immunitate, quod est absurdissimum : & multoties dictio *&* in jure accipitur disjunctivè. Bonacina *num. 10.* Lezana *n. 11.*

Mandãs homicidium in Ecclesia, non privatur immunitate.

102. Secunda difficultas est, an mandans, aut consulens in ecclesia occisionem, illius immunitate privetur? Hoc bifariam fieri potest: Vel quia in Ecclesia existens dedit tale mandatum extra exequendum, quem omnes dicunt non privari immunitate. Vel quia intra, vel extra Ecclesiam existens dedit mandatum de occisione intra Ecclesiam exequenda. Hoc posteriori modo affirmat

privari prima sententia : quia quod per alium facis, per te ipsum facere censeris: & qui mandat homicidium, æque homicida est, ac exequens. Navarr. *cap.* 24. *num.* 21. Joan. Gutierrez *pract. quæst. civil. lib.* 3. *qu.* 2. *per totam.* Suar. *cap.* 11. *num.* 7. & 26. Farinac. *cap.* 16. *num.* 229. § Sed oppositum est tenendum, quemadmodum diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *de censuris, cap.* 1. *num.* 141. excommunicationem, aut aliam censuram latam contra aliquid facientem, non comprehendere consulentem, aut mandantem, nisi exprimantur : & in nostro casu hoc magis urget, quia nullus privatur immunitate, nisi in casibus in jure expressis, cum non sint verba legis pœnalis extendenda : præcipue ultra expressum in textu sensum, cum non sint extendenda ad ea, quæ immunitati Ecclesiæ præjudicant: at in jure non exprimitur mandans, aut consulens : sed occidens, vel mutilans, sub quo non intelligitur mandans, nisi in lata significatione, quæ non est admittenda in pœnalibus, & sic iste facere non propriè, sed impropriè dicitur ex juris interpretatione, quæ in pœnis non habet locum, nisi ab ipso jure facta sit extensio. Bonacin. § 4. *numer.* 9. Pellizzar. *num.* 16. Lezana *num.* 11. Palaus *punct.* 9. *n.* 17.

Quis proditor dicatur, ut immunitate Ecclesiæ privetur.

103. *Qui proditoriè proximum suum occiderit*, ut habetur in dicta Gregoriana, & *cap.* 1. *de Homicidio. Si quis per industriam proximum suum occiderit, & per insidias, ab altari avelles eum, & morietur.* Ille dicitur ex insidiis, & proditoriè occidere, qui occidit incautum nil tale præcaventem, aut præcavere debentem, quod Hispanè dicitur : *atraiçim alevosa mente, sinque tal recelase o pensase* Ut si occidat aliquem, cum quo amicitiam, aut societatem simulabat : vel etiam si occidat inimicum, cum quo reconciliatus credebatur; vel certè cui promissionem dederat de ipso non offendendo; talis est proditor: quia per illam promissionem sublata fuit inimico omnis occasio præcavendi. Pellizzar. *num.* 18. Palaus *nu.* 26. Farinac. *lib.* 2. *Consilior. consil.* 168. *num.* 75. § Similiter qui veneno aliquem occidit, proditoriè occidere censetur, & immunitate Ecclesiæ privatur. Suarez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 12. Lezana *tomo* 2. *verbo immunitas, numero* 12. Farinac. *in Append. de immunit. cap.* 9. *num.* 142. Pellizz. *num.* 18. Palaus *punct.* 9. *num.* 26. Quare declaratum merito est à Sacra Congregatione apud Franciscum Leonem *in thesaur. for. Eccles. part.* 1. *cap.* 13. *num.* 25. & Barbosam *in collectan. Bullar. verb. immunitas*, & apud Dianam 5. *part. in collect. illarum*, matrem occidentem filium infantem non gaudere immunitate; neque eum qui committit homicidium veneno ; aut mulierem, quæ malis medicamentis procurat abortum: isti enim occidunt omnino incautos, & nihil cogitantes, aut cogitare debentes. § Item si quis inimicum dormientem, aut alio modo incautum, à tergo, vel per insidias occidat, secundum aliquos immunitate privatur; quia ille dicitur occidere proditoriè, qui à tergo, vulgo *atraiçion*, aut per insidias, & industriam

ſtriam occidit. Covarr. 2. *variar. cap.* 20. *numer.* 7. Azevedo *lib.* 1. *titul.* 2. *num.* 11. *in conſtitut. Hiſpan.* Bobadilla *in Politic. lib.* 2. *c.* 14. *num.* 34. *& ſeq.* Sed probabilius eſt oppoſitum. Quia non quæcumque inſidiæ privant immunitate, ſed quæ proditionem conſtituunt: quia ſolum ab ea excluduntur, *qui proditoriè proximum occidunt*: ſed perſeverante inimicitia, inſidiæ non conſtituunt proditionem, quia ſemper inimicus habet fundamentum ſibi præcavendi. Unde ſibi imputare debet ſi incaute occidatur. Lezana *num.* 12. Pellizzar, *nu.* 17. Bonacin. *num.* 14. Palaus *num.* 28. Suarez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 12. & ita declaratum eſſe à Clemente VIII. in quodam Brevi Archiepiſcopo Panormitano directo teſtatur Diana 5. *part. in collectan. declaration.*

Pœnæ pro aſſaſſinis in jure poſitæ referuntur.

104. *Aut aſſaſſinii reum.* Aſſaſſini communiter accipiuntur pro his, qui pecunia, aliove pretio conducti aliquem Chriſtianum occidunt, vel occidi faciunt: & tales immunitate privantur in dicta Conſtitutione Gregorii XIV. *& in cap. pro humani, de homicidio in 6.* iſtæ pœnæ pro aſſaſſinis aſſignantur: *Statuimus, ut quicumque Princeps, Prælatus, ſeu quavis alia Eccleſiaſtica ſeu ſæcularis perſona, quempiam Chriſtianorum per prædictos aſſaſſinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, (quamquam mors forſitan ex hoc non ſequatur) aut eos receptaverit, vel defenderit, ſeu occultaverit, excommunicationis, & depoſitionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat ſententiam ipſo facto, &c.* Quô textu non privatur immunitate aſſaſſinus, ſed aliæ perſonæ per eum aſſignantur: at in Gregoriana Conſtitutione expreſſe excluditur ab ea, & ita habetur ex conſuetudine recepta, & ab omnibus authoribus communiter approbata. Suar. *lib.* 3. *cap.* 11. *nu.* 9 Lezana *verb. immunitas. num.* 13. Bonacin. *diſput.* 3. *quæſt.* 7. §. 4. *num.* 18. Gutierrez *practicar. quæſt. civil. lib.* 3. *quæſt.* 7. *à n.* 5. Farinacius *in appendice, de immunit. cap.* 8. *n.* 118. Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *diſp. unic. punct.* 9. *num.* 32. § Ut aliquis aſſaſſinii crimen incurrat, cui immunitatis privatio, & aliæ pœnæ ſint annexæ, non requiritur quod de facto pro occiſione hominis pretium accipiat; ſed ſufficit ſi ei promiſſum fuerit, & promiſſionem acceptaverit, ſive ſit pecunia in magna, ſive in parva quantitate: & ſive ſit pecunia, vel aliud pretio æſtimabile. Ut ſi quis occidat, quia accepit in promiſſis aliquam uxorem, aliquod officium, vel beneficium, aut quod pro eo apud Principem aliquis intercedere velit, aliudve ipſi præſtare, quod pretio ſolet æſtimari. Debet tamen promiſſio, aut datio pecuniæ, aut pretii eſſe pro ipſa occiſione. Si autem ſit pro expenſis itineris ad occidendum, aut occiſorem à morte, aliiſve damnis liberandum, non erit crimen aſſaſſinij, cui dictæ pœnæ ſunt aſſignatæ: quia ad crimen aſſaſſinii id requiritur, ut non gratis, ſed ob pretium occiſio fiat. Pellizz. *tract.* 8 *c.* 5. *ſect.* 1. *n.* 21. Lezana *n.* 13. Palaus, Bonacin. Farinac. *loc. cit.*

105. Porrò

Qui pretium pro occisione accepit, & non occidit, sed vulneravit, non privatur immunitate Ecclesiastica.

105. Porrò qui nulla interveniente promissione alium occidit spe complacendi amico, vel obtinendi aliquod præmium ab eo, vel succedendi in bona defuncti quidem, sed non committit crimen assassinii, & sic nec immunitate privatur. Palaus, Lezana, Pellizzar. Farinac. Bonacina *locis citatis*. Nec qui pecuniam ad vulnerandum quidem, sed non ad occidendum accepit: quia textus citati de interficientibus, non de vulnerantibus loquuntur. Atque idem dicimus de eo, qui pecuniam accepit ad occidendum, nec tamen occidit, sed tantùm vulneravit: quia non negatur immunitas nisi propriè committentibus crimen assassinii: sed qui accepta pecunia ad occidendum, non occidit, verè, & propriè crimen assassinii exterius non commisit: ergo Tum quia de mandante dicitur *in cap. 1. de homicidio in 6.* puniendum esse eisdem pœnis assassinorum, sive mors sequatur, sive non, quod de mandatario minime exprimitur: & sic mandatarius mortem non inferens relinquitur dispositioni juris communis. Farinacius *numero 123. in fine*. Pellizzar. *num. 20. versu suppono quinto*. Palaus *num. 38*. Unde qui mandat alium occidi sub promissione pecuniæ, etiam morte non sequuta, in ordine ad pœnas incurrit crimen assassinii, & immunitate privatur, quia respectu mandatarii exprimitur in jure pœnas assassinatus incurrere: *Quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur*. Lezana *numero 13*. Farinacius *cap. 8. num. 118*. Palaus *n. 39*. Pelliz. *num. 20. versu suppono sexto*. Etiam recipiens, defendens, occultans assassinum, immunitate privatur, si cognoscat eum assassinum esse, cui auxilium præstat, & illi quatenus assassino auxiliatur, ex dicto textu *Prout humani, de homicid. in 6*. Idem est de mediatoribus, seu complicibus, eo, quod ipsi etiam possunt dici rei assassinii. Peregrin. *tract. de immun. c. 7. n. 36*. Lezana *verb. immun. numer. 13*.

Fautores & auxiliatores hæreticorum, qualiter priventur immunitate.

*Crimen hæresis*. Ratione cujus, immunitate privantur hæretici; cùm sit omnium gravissimum crimen Ecclesiam Dei funditus evertens. Et idem est de recipientibus, occultantibus, defendentibus, aliove modo hæretico auxilium præstantibus, si quatenus hæreticus est ei opitulentur. Secus verò, si quia amicus, quia consanguineus ei auxilium præbeat; ut ob alia delicta quæsitus, liberetur. Si tamen ut hæreticus quæreretur, tunc is, qui quomodolibet ei auxilium præstaret, immunitate privaretur: quia licet ei in tali casu auxilium ferens, vere, & coram Deo hæreticus non esset; hæresis tamen suspicionem incurreret: at qui suspectus est de hæresi, ab Ecclesia extrahi potest, ut examini subjiciatur: ergo, Unde omnes de hæresi suspecti, sive quia auxiliatores hæreticorum, sive alio modo hæresis suspicionem incurrant, privantur immunitate. Lezana *n. 14*. Pellizzar. *num. 22*. Diana *part. 1. tr. de immun. resol. 38*, Farinacius *cap. 13. num. 135*, Bonac. *disputatione tertia, quæstione septima, §. 4. num. 21*. Palaus *n. 41*.

106.

Læsæ Majestatis crimen in personam Principis, privat immunitate.

106. Denique privantur immunitate ex supradicta bulla Gregor. XIV. *Rei læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis*, & nomine Principis illum communiter intelligunt Doctores, qui supremam habet potestatem, absque subjectione in temporalibus ad alterum Crimen autem læsæ majestatis in personam Principis est illius offensio: sub quo nomine venit quælibet læsio, ut percussio, vulneratio, incarceratio, insequutio, conjuratio, machinatio, seditio, aut conventicula proditoria, &c. Sufficit ergo, quod crimen inferatur in personam Principis per unam ex istis actionibus, ut læsæ majestatis reus immunitate privetur. Cæterũ si quis esset læsæ majestatis reus, non in personam Principis, sed vel in ejus statuam, in ejus consanguineos, ministros, consiliarios, &c. non privaretur immunitate: quia solum crimen læsæ majestatis in personam ipsiusmet Principis excipitur. Diana *resolut. 7. & 20.* Bordon. *tom. 2. resolut. 1. numero 24.* Lezana *num. 15.* Pellizzar, *num. 24.* Palaus *num. 42.* Farinacius *cap. 14. n. 140.* Qui etiam docent debere intelligi de Principe qui sit supremus Princeps respectu offendentis: ita ut ratione originis, aut domicilij subditus sit illius; aliàs non committet crimen læsæ majestatis, & colligi existimant *ex Clement. Pastoralis, § denique, & sequentibus, de sententia, & re judicata.* Sed huic doctrinæ acquiescere nunquam potuimus: quia Gregorius XIV. reum læsæ majestatis in personam Principis absolutè excludit. Qui autem mortem supremi capitis machinaretur, licet ejus subditus non esset, crimen gravissimum læsæ majestatis incurreret: ergo. Quis enim negabit esse reum læsæ majestatis quemdam, qui à dæmone seductus, vel forte ab aliquo alio incitatus (quod quando hæc scribimus passim per totam Hispaniam, non sine magno Hispanorum dolore circumfertur) mortem nostri Catholici Regis Caroli II. (cujus vitam ad totius sui Regni, & Ecclesiæ tutamen, utinam per plures, & plures annos Deus Optimus Maximus, ut enixe quotidie ipsum deprecamur, conservet) cum tredecim esset annorum, audaci, & temerario animo, prô nefas, per venenum porrectum procuravit? Huic pessimo homini Ecclesia opitulabitur? absit. Projiciatur ab Ecclesia; gladio, patibulo, aut igne plectatur, qui tantum nefas in Principem innocentissimum, cum totius Hispaniæ pernicie, vel cogitare fuerit ausus.

Non dantur casus præter supradictos privans immunitate.

107. Ex dictis sequitur, præter dictos casus, nullum alium dari, ratione cujus delinquentes, ad Ecclesiam confugientes, illius immunitate priventur: quia *in cap. inter alia 3.* conceditur immunitas quibuscumque delinquentibus, quantumcumque gravia crimina perpetraverint, nisi in illis casibus exceptis: & in Bulla Gregoriana, quæ expedita fuit, ut omnia ad unam formam redigerentur, expressè solum assignantur casus supradicti, & sic nullus alius adjungendus est, ex regula generali, quod exceptio firmat regulam in contrarium, in casibus non exceptis. Nec ratione

tione consuetudinis alij dantur casus excepti: quia omnes consuetudines derogantes immunitati Ecclesiæ sublatæ sunt per Tridentinum *sess. 25. cap. 20.* & per Gregorium XIV. in sua Constit. uti docent Bordon. *tom. 2. resolut. 1. num. 10.* Pell. *tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 36.* Diana *tom. 1. tract. de immunit. resolut. 1.* Lezana *tom. 2. verb. immunitas, num. 16.* Farinacius *in append. de immunit. cap. 2. num. 18.* Bonacin. *disp. 3. quæst. 7. de immun. §. 6. num. 4.* Palaus *tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 10. num. 2* § Sed neque etiam ex identitate rationis, imo neque ex majoritate alij casus excipiuntur, etiamsi casus sint graviores, & atrociores, quam excepti. Tum, quia non est facienda extensio ob identitatem rationis, quando talis extensio præjudicat causæ favorabili, uti est immunitas. Tum etiam: quia si ultra exceptos liceret alios excipere ob identitatem rationis, nihil firmum, & stabile esset circa hoc constitutum in jure, & passim judices sæculares, suam jurisdictionem extenderent, Ecclesiæ violarentur, & universa litibus, & scandalis paterent. Suar. *tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. cap. 11. num. 15. & 17.* Farinac. *cap. ultim. num. 353. & lib. 1. Consil. consil. 16. num. 14.* Joannes Gutierrez *Practic. quæst. civil. lib. 3. cap. 4. num. 12. & 17.* Barbos. *de jure Eccles. lib. 2. cap. 3 num. 117.* Lezana *num. 11.* Palaus *num. 3.* Pelliz. *num. 36.*

Casus omnes non excepti, in quibus

108. Hinc fit, nec violatores virginum, nec adulteros ad Ecclesiam confugientes privari illius immunitate, quia non sunt casus expresse excepti, & sic *in cap. de raptoribus 36. quæst. 1.* his conceditur immunitas. Nec simoniacus, nec Sodomita privatur, quia nullibi hoc crimen, etsi horrendum, & gravissimum excipitur. Nec sacrilegus, blasphemus, superstitiosus, nisi de suspicione hæresis sint examinandi: quia *in cap. inter alia*, & Bulla Gregorij, solum excipitur sacrilegium ob mutilationem, vel homicidium factum in Ecclesia, & sic alia sacrilegia non sunt excepta. Idem de perjuro, falso teste, & de incendiariis dicendum est, quia isti non excipiuntur. Et quamvis hoc crimen simile sit depopulationi agrorum, qui est casus exceptus, cum tamen non sit idem, sed diversum, exceptio unius, non est exceptio alterius quin potius firmat regulam in contrarium. Nec privantur immunitate fabricantes, aut falsificantes monetam: quia licet sit crimen læsæ majestatis, non tamen in personam principis, sed in ejus statuam: & sic non est de criminibus exceptis. Gutierr. *lib. 3. q. 4. per totam.* Palaus *punct. 10. per totum.* Farinac. *cap. 99. n 96. 9 1. & 105.* Lezana, Bordon. Bonac. *locis citatis.* Diana *5. part. tract. 1. resolut. 2.* Etiam ministri, quia violenter extrahunt ab Ecclesia confugientes ad illam, gaudent illius immunitate: quia talis casus non est de exceptis in jure; quamvis alias esset dignum illud crimen ut excipieretur; cum non deceat immunitatem prodesse illi, qui noluit eam prodesse alteri. Farinacius *num. 106.* Palaus *num. 10.* Pellizzar. *numero 35.* qui *num. 37.* sic merito dicit: (Quod autem ait Naldus *verb. Ecclesia num. 5.* ex Farinacio, furantem pix-

Immunitas delinquentibus prodest

dem

dem in qua asservatur Eucharistia, non gaudere immunitate, cum sacrilegus aperte delinquat in personam supremi Principis; adeoque committat delictum exceptum in Bulla Gregorij; mihi minus probatur, cum simus in materia pœnali, quæ non debet ampliari ultra verborum proprietatem, & Greg. in excipiendo hoc delicto loquatur de offensione corporali, illata Principi humano; non autem de injuria facta Deo, qualis est ea, de qua hic) hactenus ille.

## §. IV.

### *Quos effectus habeat immunitas Ecclesiæ hactenus stabilita.*

Reus ab Ecclesia per vim extractus, adhuc illius gaudet immunitate.

109. PRimus, & præcipuus hujus immunitatis effectus est, ut reus ad Ecclesiam confugiens, in ea capi, aut ab ea invitus extrahi non possit, *l. 2. C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt, cap. inter alia, de immun. Eccles.* Sed si ipse libere exeat, à judice capi, & incarcerari poterit, (quia jam non invitus extrahitur) nisi fortè necessitate aliqua coactus exeat. Unde si per vim ab aliquo extractus esset, non poterit à judice capi, sed Ecclesiæ restitui debet, quia extractio violenta reo præjudicare non potest. Et quamvis judex non esset hujus violentæ extractionis particeps; violaret nihilominus Ecclesiæ immunitatem, si reum sic extractum caperet: quia continuaret illam violentam extractionem, & reum Ecclesiæ non restitueret, in qua adhuc moraliter esse censetur, quandiu violenter ab illa extractus retinetur. Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 11. in resp. ad 2.* Farinacius *in appendice, de immunit. cap. 2. num. 5.* Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. unic. punct. 11. num. 2.* § At si blanditijs, vel dolosis verbis inductus reus à loco sacro exeat; potest capi à judice, & puniri, quia jam non est violenter extractus, & sola violenta extractio in juribus dictis prohibetur. Lezana *tom. 2. verb immunit. num. 18.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 38.* Bonacin. *disputatione tertia, quæst. 7. §. 2. versu sexto,* Fagundez *in 2. Ecclesiæ præcept. lib. 4. cap. 4.* Suarez *lib. 3. c. 18. n. 2.*

Fugientibus ad Ecclesiã alimenta non debent impediri.

110. Secundus effectus est, ne reus in Ecclesia existens, vinculis alligetur, vel alio modo personaliter vexetur: quia hoc esset ex loco sacro carcerem facere, quod prohibetur expresè, *cap. definivit, 17. quæst. 4.* ibi: *nec ipsi aliqua vis, nocibilitas, aut damnum inferatur.* Tertius, ne fugienti ad Ecclesiam impediantur alimenta, vestitus, & reliqua vitæ necessaria, *l. præsenti, C. de his, &c. enim dicto c. definivit;* hoc sicut etiam esset per indirectum à loco sacro extrahere. Unde fit teneri Ecclesiam, vel Monasterium, illi de necessariis providere, si alias ipse non habeat proprium, vel si habeat, eo uti non possit, *dicta l. præsenti, §. sane.* Tum ob illam regulam charitatis: *Si non pavisti, occidisti.* Tum etiam: quia debet Ecclesia reum non derelinquere cogatur, ne coactus inediâ se curiæ sæculari tradere cogatur, aut perire.

Azor. 2. *part. lib. 9. capite 9. quæst. 13.* Lezana *num. 23.* Farinacius *cap. 19. num. 209.* Palaus *punct. 11. num. 7.* § Quartus, ne bona delinquentis, quæ secum ad Ecclesiam tulerit, auferantur, *cap. definivit. 17. quæst. 4.* Si autem bona, quæ secum tulit, aut sint aliorum, aut aliis obligata, poterit à judice eis spoliari, quia hoc non esset ei nocumentum inferre; sed ne ipse alijs nocumentum inferat impedire, sicuti ob hoc ab eo arma prohibita tolli possunt. Suarez *cap. 12. num. 3.* Pellizzar. *num. 38.* Bonacin. *§. 5. versus, Tertius effectus.* Farinacius *num. 100.* Lezana *num. 18.* qui ita ait: (In quo tamen video sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium 14. Novembr. *1636*, præcepisse bona posita in loco immuni in præjudicium creditorum, deponi debere in loco non immuni, & die 9. Martii *1635.* præcepisse Vicario generali Mediolanensi, ne talia bona detineri permitteret in loco immuni in præjudicium creditorum. Item 12 Decemb. *1642.* præcepisse, ut ex quadam Ecclesia extraherentur bona, eo transportata in fraudem creditoris, consignanda tamen judici competenti.)

Qualiter in Ecclesia existens possit judicialiter condemnari

111. Quintus effectus est, ne reus dum in Ecclesia existit, damnetur ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem, ut ad exilium vel non triremes, servitutem, flagellationem, &c. *capite Inter alia, de immunit. cap. constituimus 17. q. 4.* Verum ex consuetudine videtur receptum, cum reus confugit ad Ecclesiam, quod judex in eum inquirat ac illum citari faciat, & si non compareat, in eum tanquam in absentem proferat sententiam: quam tamen non potest mandare executioni, ob Ecclesiæ immunitatem. Farinacius *quæst. 28. de carcerib. num. 77. in fin.* Pellizzar. *num. 38.* Palaus *num. 11.* § Sextus ut extractus extra casus in jure exceptos, ante omnia debeat Ecclesiæ restitui, *cap. miror. 17. quæst. 4.* ob regulam generalem, *quod spoliatus ante omnia est restituendus.* Necsatis facit judex juramentum faciendo de securitate rei, & quod eum corporaliter minime puniet: quia prius debet Ecclesiæ, quæ spoliata fuit, satisfacere. Suarez *lib. 3. cap. 13. num. 6.* Farinacius *in append. de immun. capite 2. num. 49.* § Sufficit autem, quod reus cuicumque Ecclesiæ restituatur, si in illa æque securus, ac in ea à qua extractus est, existat. Nec requiritur, quod tali materiali Ecclesiæ restituatur: quia hoc privilegium unicum est pro omnibus Ecclesiis. Unde sicut injuria uni facta, omnibus fit; sic satisfactio uni præstita, omnibus præstatur. Bonacin. *§. 5. circa finem.* Palaus *n. 13.* Pellizz. *n. 38.*

Nulla est extractio rei ab Ecclesia, & actus inde sequuti.

112. Septimus effectus est, quod si reus de facto ab Ecclesia extraheretur, talis extractio nulla esset, & omnes actus ex illa sequuti, ut expresse habetur in Bulla Gregoriana; quia reus in Ecclesia existens extra casus exceptos, est extra jurisdictionem judicis sæcularis, & sic cum eum invitum extrahit, non exercet in illum actum jurisdictionis sed tyrannidem. Unde omnia subsequentia sunt nulla: nec potest reum citare, interroga-

re,

re, torquere, aliudve in illum judiciale quidquam facere: quia hæc omnia prius jurisdictionem in reum exigunt, quam sacrilegâ, & injustâ capturâ non acquisivit. Suarez *lib. 3. cap. 13. num. 15.* Farinacius *cap. 20. num. 221.* Lezana *num. 18:* Pellizz. *num. 39.* Bonacin. *§. 5. num. 2.* Palaus *punct. 11. num. 14.* § Quod vero teneatur judex reo restituere omnia damna ex tali violenta extractione sequuta, quidam etiam affirmant, eo quod reus jus habeat ne in loco sacro capiatur, & sic peccat contra justitiam commutativam, illum extrahens. Suarez, Lezana, Palaus, Bonacina, *locis citatis.* Sed immerito: quia hoc privilegium non est reo concessum, sed loco sacro: estque locale, non personale. Unde reus nullum jus habet, ne in locô sacrô lædatur: & sic judex solum peccat peccato sacrilegij contra reverentiam debitam loco sacro, non peccato injustitiæ contra jus rei: quod expresse docuit D. Thomas *2. 2. quæst. 99. art. 2. ad 3.* Ubi ut probet posse dari sacrilegium, quod non sit simul injustitia, aut habeat aliam speciem peccati annexam, ponit exemplum in judice extrahente reum ab Ecclesia, his verbis: *Ad tertium dicendum, quod sacrilegium interdum invenitur separatum ab aliis peccatis, eo, quod actus non habet aliam deformitatem, nisi quia res sacra violatur: puta si quis judex capiat aliquem de loco sacro, quem in alijs locis licite capere posset.*

Non debet reus ab Ecclesia arcis defendi, sed censuris.

113. Octavus effectus est, ut si judex velit extrahere reum ab Ecclesia extra casus permissos, illi per vim resisti possit à Clericis, vel Religiosis: quia vim vi repellere licet. Sed hæc resistentia à personis Ecclesiasticis fieri non debet per arma, aut bellum; quia non est defendenda Ecclesia more castrorum, scilicet armis materialibus, quæ Ecclesiasticis sumere non licet, cum inde forsan majora scandala, & mala oriatura sint; sed armis spiritualibus; videlicet, excommunicatione, & alijs censuris, si ibi adsit, qui eas in sæculares fulminare valeat; & claudendo ostia, abscondendo reum, eumque de manibus ministrorum tollendo, illisque intimando pœnas, & censuras contra violatores Ecclesiæ in jure sancitas, & quælibet alia media apponendo ad tollendam vim absque bello activo. Fagundez *2. præcept. Ecclesiæ lib. 4. cap. 4. num. 59.* Pellizzar. *numero 38.* Bonacin. *§. 5. in principio.* Lezana *numero 22.* Si vero armis Ecclesiastici resisterent, & inde mors, aut mutilatio sequeretur, irregularitatem proculdubio incurrerent.

## §. V.

### *Quam pœnam & culpam incurrant, indebitè extrahentes delinquentes à loco sacro.*

Pœnâ mortis, & alijs, violans Ecclesiam est plectendus.

114. GRavissimam culpam mortalem sacrilegij committere violatorem immunitatis Ecclesiæ, nulli dubium est: quia divinam offendit majestatem, qui ejus domum violat, & profanat: & sic reputatur hoc crimen lælæ majestatis Divinæ: ob idque ex jure civili, pœna capita-

li, & ultimo supplicio punitur, *ex l. præsenti*, C. *de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* ibi: *Capitali, & ultimi supplicij animadversione plectendus.* Verum hæc pœna non videtur usu recepta, ut tradunt Suarez *lib. 3. cap. 13. num. 6.* Lezana *tom. 2. verb. immunitas, num. 21.* Bonac. *disput. 3. quæst. 7. §. 6. num. 5.* § Per jus autem Canonicum judicio Episcopi violatores immunitatis Ecclesiasticæ pœnitentia publica puniri possunt, nec non pecuniariâ pœnâ, in cultum Ecclesiæ violatæ applicandâ, aliquando triginta librarum argenti examinati, aliquando non genitorum solidorum, quamvis in hoc possit Episcopus justum sequi arbitrium proprium: pensata delicti qualitate, & conditione delinquentis, *cap. Si quis contumax 17. quæst. 4. virs. cum ponas*, quæ pœna antiquata non est, ut aliqui putant, sed in suo robore manet quia per Concilium Tridentin. *sess. 25. cap. 20.* & per Bullam Gregor. XIV. omnes pœnæ antiquis canonibus latæ adversus immunitatis violatores renovantur. Tuschus *verb. Ecclesia. concluf. 8. num. 11.* Farinacius *in append. de immun. cap. 20. num. 319.* Lezana *n. 21.* Bonac. *n. 5.*

Excommunicationem ipso facto incurrunt violatores Ecclesiarum.

115. Præter hanc pecuniariam pœnam, publicamque pœnitentiam imponendam sententia excommunicationis violatores Ecclesiasticæ immunitatis feriuntur, *cap. sicut antiquitus, cap. frater, cap. definivit 17. quæst 4.* Sed per hos textus non imponitur excommunicatio, latæ, sed ferendæ sententiæ: & sic ex vi illorum non sunt ipso facto excommunicati, sed excommunicandi illius criminis rei: Cæterum in bulla Gregorij, ipso facto talis excommunicatio assignatur, ibi: *declaramus ipso facto easdem censuras, & pœnas incurrere.* Et ita declaratum fuisse à Clement. VIII. & Paulo V. & Sacra Congreg. testantur Thesaurus *in Summ. verb. immunitas, cap. 1.* Bordon. *tom. 2. resol. 1. nu. 15.* Palaus *tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 12. num. 3.* Bonac. *§. 6. num. 5.* Pellizz. *tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 48.* Quas pœnas primo judex mandans delinquentem extrahi, aut extractum non restituens, incurrit. Deinde omnes ministri ad hoc concurrentes: & denique quælibet alia persona, etiam particularis, quæ quomodolibet ad talem extractionem adjuverit. Et non solum has pœnas incurrit, qui de facto extraxit; sed qui extrahere tentavit, si talis attentatio ad actum proximum extractionis redacta fuerit, ut si judex mandatum dedit, & mandatarius acceptavit, si Ecclesiam clausam tentavit aperire, vel delinquentem inde extrahere, etsi non potuerit: quia vel illum non invenit, vel repulsus fuit; tunc ob talem conatum dictas pœnas incurret: quia jam contra tenorem Constitutionis Gregorii extrahere tentavit, & in hac non solum effectus, sed etiam conatus punitur. Menochius *de arbitr. casu 350 num. 68.* Farinacius *cap. 20. num. 321.* Pellizzar. *num. 55.* Lezana *num. 21.* Palaus *num. 5.* Bordon. *num. 14.*

Non licet prohibere prædicta.

116. Sed quis possit absolvere ab hac excommunicatione, est inter Doctores non levis controversia, aliquibus illam esse Apostolicæ Sedi reser-

communicationem esse reservatam.

reservatam non sine magno fundamento asserentibus: quia Paulus II. *in extravaganti, de pœnitentiis, & remissionibus, cap. 3. inter communes*, inter casus Sedi Apostolicæ reservatos ponit offensam ecclesiasticæ libertati factam. Sed hoc nihil probat: quia aliud est violatio libertatis ecclesiasticæ, aliud violatio immunitatis. Libertas enim refertur ad personas, immunitas ad loca, & ideo censuræ latæ contra violatores libertatis ecclesiasticæ, non comprehendunt violatores immunitatis, ut docent Covarr. *2. variar. cap. 20. num. 1.* Marius Ital. *de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 6. §. 2.* Farinacius *in append. de immun. cap. 1. num. 4.* licet *cap. 20. num. 315.* esse hanc excommunicationem reservatam acriter defendat: quia in Bulla Gregoriana violantes immunitatem incurrunt censuras latas, adversus libertatis ecclesiasticæ violatores; sed in Bulla Cœnæ est lata censura excommunicationis reservatæ, adversus violatores libertatis: ergo etiam est pro immunitatis violatoribus. Sed neque hoc probat intentum: quia in Bulla Greg. solum renovantur, aut exprimuntur censuræ adversus violatores libertatis Ecclesiasticæ, non vero earum reservatio: & cum reservatio non censeatur adjecta nisi expresse inveniatur extensa, *ex cap. nuper, de sent. excomm.* per hoc quod violatores immunitatis feriantur censuris latis contra violatores libertatis, non sequitur, quod si hæ reservatæ sunt, etiam illæ reservatæ.

117. Quare in hac parte, ut certum judicamus Regulares Confessarios non posse vi suorum privilegiorum ab hac censura absolvere sæculares, nisi ad hoc ab Ordinario particularem habeant facultatem: quia eis sublata est quoad hoc omnis facultas à Clemente VIII. in decreto edito super casuum reservatione, ubi prohibetur omnibus confessariis, ne virtute privilegiorum absolvant à violatione immunitatis Ecclesiasticæ, in terminis Constitutionis Gregorij XIV. *Cum alias*, & tenent infra citandi. Et dixi *sæculares*, quia si forte Religiosi eam incurrerent, possunt à suis ordinariis confessoribus absolvi, ut testatur, & probat Bordon. *tom. 2. resolut. 1. num. 16.* Cæterum neque in dicto decreto Clementis VIII. nec in aliis juribus tollitur Ordinariis facultas absolvendi ab ista censura, vel ad id alium deputandi. Non in aliquibus juribus, quæ nulla dantur. Neque in dicto Clementis VIII. decreto, quia hoc non est contra Ordinarium sed contra simplices confessarios; neque in eo intendit Pontifex minuere Episcoporum facultatem, sed potius augere, ut ex Decreti constat tenore. Quare ab hac excommunicatione posse Episcopum absolvere, vel alium de ejus licentia, tenent Pellizzar. *tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 56.* Bordon. *sup.* Diana *parte 1. tractat. 1. resolut. 41.* Palaus *supr. num. 7.* Covatruv. *2. variar. cap. 6. numero 1.* Bonacina *disp. 3. quæstione 7. §. 6. nu. 8.* Naldus *in summ. verb. casus reservatio n. 1.* Megala *parte 3. lib. 4. de censur. capite 2. nu. 34.* Bossius *sect. 1. de jubileo casu 2. n. 11.* & alij.

Episcopus, & non alius potest à dicta excommunicatione absolvere.

118. Sed

Non violant immunitatem Regulares, qui ex justa causa à suo monasterio reos expellunt.

118. Sed si rogas an Regulares violent immunitatem, & subdantur præfatæ excommunicationi, alijsque pœnis, si reos ad eorum monasteria, aut Ecclesias confugientes expellant? § Respondetur affirmativè. Tum: quia sic habetur, *cap. miror. 17. quæst. 4.* & in Bulla Gregorij, in qua omnes, & quoscumque contra illius tenorem operantes præfatis pœnis addicit. Verum si à sua Ecclesia vel monasterio facinorosum expellant, non eo fine ut perdat hoc privilegium, & sic facilius incidat in manus justitiæ; sed ex eo præcise, quod est homo inquietus, injurius, & tædiosus Religiosis, vel quia immodestè se gerit quietem Religiosorum perturbando, damnumve illis inferendo, vel quia Religiosi ipsi legem aut Constitutionem habent, ut nisi per tot dies possint ad se confugientes retinere, uti nobis per nostras præcipitur *1. part. cap. 11. num. 3.* ibi: *delinquentibus tamen qui ad nos confugerint, ultra tres dies in domibus nostris non liceat permanere*, ne videlicet quies, & religiosa observantia ob talium consortium perturbetur; Tunc (id est in prædictis, & similibus casibus) nec religiosi immunitatem violant, nec pœnas dictas incurrunt, Tum: quia cum jus servandi propriam habitationem sine perturbatione sit naturale, præferri debet juri Ecclesiastico, quod habet reus confugiens ad Ecclesiam; ne alias quod Religiosis conceditur in favorem, retorqueatur in dispendium. Tum etiam: quia pœnæ imponuntur *præsumentibus*, quales sunt illi, qui temerè, & dolosè reos expellunt, uti pluribus citatis docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 32. num. 38.* ubi docet verbum *præsumere* importare temeritatem, malitiam, & dolum: sed Religiosi in prædictis casibus neque dolosè, neque temeratiè expellunt: ergo. Non dolosè: quia ille dicitur dolo agere, qui malo animo operatur, *leg. dolo ff. de dolo.* Nec dolosus dicitur utens jure suo. Sanchez *lib. 5. disp. 5. num. 33.* Neque etiam temeratiè: quia ex rationabili causa moventur, & agere temeratiè est agere sine rationabili causa, *l. eum, qui temerè ff. de judic.* & Gloss. *versu Porro in fin. Clementin. 1. de sum. Trinit.* Igitur cum dicti Religiosi non ejiciant malo animo, sed jure suo utantur expellendo, & fugiendo consortium malorum hominum infestorum, quos homines boni solent fugere; non agunt contra Gregorianam, nec immunitatem violant, nec pœnas illius incurrunt. Sic Pellizzar. *num. 51. qui citat* Pasqualig. Bordon. *num. 22. & 23.*

## §. VI.

### *Quomodo confugientes ad Ecclesiam tradi possint vel non judici sæculari, ab ipsô puniendi.*

Extra casus exceptos Clerici aut Religiosi tradendi non sunt.

119. CErtum est in casibus exceptis, de quibus loquuti sumus §. 3. tradendos esse judici sæculari delinquentes confugientes ad Ecclesiam, si ab eo requisiti fuerint Clerici, aut Religiosi; quia cum illis immunitas non prosit, nulla est causa quare retineri debeant. In casibus autem

laritatem, si reus occidatur, aut mutiletur.

tem non exceptis, non poterit Prælatus, reum Curiæ sæculari tradere ipso repugnante, quantumvis illa securitatem, aut etiam juramentum præstet de ejus impunitate; quia tunc gaudet delinquens immunitate, quæ præcipue consistit in eo, quod delinquens non possit invitus à loco Sacro extrahi, & judicari. Lezana *tom. 2. verb. immunitas, num. 22.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 5 sect. 1. num. 39. & 45.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. §. 7. num. 12.* Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. unic. punct. 13. num. 2.* Unde Ecclesiastici, vel Regulares tradentes reum Curiæ sæculari in casibus non exceptis, si inde mors, aut mutilatio ipsius sequatur, incurrunt irregularitatem; quia censentur morti, aut mutilationi illius cooperari. Rodriguez *tom. 2. quæst. 50. artic. 2.* Lezana *num. 22.* qui bene ait, Prælatos non defendentes reum, sed permittentes eum extrahi, incurrere hanc irregularitatem; quia ipsis ex justitia, & officio incumbit tueri immunitatem Ecclesiarum. § In casibus vero exceptis, attentâ Constitutione Gregorianâ, & consuetudine jam receptâ non exigitur juramentum à judice sæculari, de non puniendo reum, nec ipsi judices illud præstare tenentur, licet id exigatur, *cap. reum, cap. constituimus 17. quæst. 4.* Sed libere ipsis est tradendus, puniendus pro qualitate delicti, ac si ad Ecclesiam minime confugisset: quia nihil tale confugium reo prodesse potest in dictis casibus exceptis. Farinacius *in Append. de immunit. capite ultim. numero 343.* Bonacina §. 7. *in fine. numero 5* Lezana *num. 25.* Hæc autem traditio debet fieri de mandato Episcopi, vel ejus Vicarij, per aliquam Ecclesiasticam personam ab eo, deputandam, prius cognito per Episcopum, vel per deputatum ab eô, an reus verè excepta crimina commiserit, ut in dicta Gregorij XIV. Constitutione expresse habetur.

120. Ex quo sequitur, quod, spectato saltem juris rigore *in cap. desinivit. capite constituimus, capite reum 17. quæst. 4.* & maxime *in Bulla Gregoriana,* (ubi id expresse cavetur) non potest judex laicus adhuc in casibus exceptis extrahere delinquentem ab Ecclesia absque licentia Episcopi, vel ejus Officialis: sed ex recepta nunc consuetudine, & praxi communi possunt judices sæculares in casibus clare exceptis, inconsulto Episcopo reos ab Ecclesia extrahere; quia illi non gaudent immunitate Ecclesiæ, & sic nec ab ea defendi possunt, ut asserunt Suarez *lib. 3. cap. 13. n. 1.* Palaus *punct. 13. num. 4.* Azevedo *in Constitut. Hispan. lib. 1. titul. 2. leg. 3. num. 29.* Covarruv. *2. variar. cap. 20. numero 18. vers. 34.* Farinacius *de carcerib. quæst. 28. num. 75.* Sed si dubium sit, an casus sit exceptus, vel non; non poterit judex laicus vi inde extrahere reum; quia immunitas concessa est omnibus delinquentibus extra casus exceptos: ergo quoties non constiterit commisisse casum exceptum, illa spoliari non poterit. Decianus *tract. crimin. lib. 6. cap. 29. num. 2.* Farinacius *in Appendic. de immunit. cap. ultim. n. 370.*

Ex consuetudine, ad extrahendum reum ab Ecclesia in casibus exceptis, non requiritur licentia Episcopi

121. Sed ad quem judicem pertinebit cognitio, an casus sit exceptus, vel non? Respondetur hoc perti-

Cognoscere an casus sit

exceptus pertinet ad Episcopum.

nere ad Episcopum solum, vel ad alium ab eo deputatum, ut habetur in dicta Gregoriana ibi: *nisi cognito prius per Episcopum, vel per alium ab eo deputatum, an delinquentes, verè crimina excepta commiserint,* & habetur *cap. metuentes, cap. ad Episcopum 17. quæst. 4.* & ex jure civili, *l. Pateant, §. hoc vero C. de his, qui ad Eccles. confugiunt.* Quia causæ Ecclesiasticæ cognitio, qualis est immunitas Ecclesiarum, ad Ecclesiasticum Prælatum debet pertinere: neque ob id sequitur Episcopum in propria causa jus dicere: quia hic non agitur de causa illius, sed de causa communi Ecclesiæ. Pellizzar. *numero 40.* Lezana *numero 28.* Bonacina §. 7. *numero 2. vers. 3.* Farinacius *numero 366. & 367.* Azevedo *supra num. 20.* Gutierr. *practic. quæst. civilium lib. 3. quæst. 1. numero 5.* § Cum autem dicimus ad solum Episcopum, vel ejus deputatum pertinere, intelligi debet de vero Episcopo, non autem de inferiori: idque licet is sit Ordinarius, aut nullius diœcesis. Unde si contingat delinquentem se recipere in locum Sacrum exemptum, aut nullius diœcesis, facultas extrahendi illum, obtineri debet ab Episcopo viciniori; quia ita disponit Gregorius XIV. in sua citata Constitutione. Sede autem vacante adeundus est Vicarius capitularis, utpote succedens in omni jurisdictione Episcopi. § Quare hoc decidere, ad Episcopum, non vero ad Prælatos Regulares pertinebit: & sic solum ex ejus authoritate, & licentia poterit ex monasterio delinquens extrahi in casibus exceptis, ad effectum consignandi illum Curiæ sæculari, ut expresse dicitur in dicta Bulla. & ita tenent Bordon. *n. 7. & 8.* Barbos. *supra num. 156 & 157.* Lezana *num. 28.*

Examen faciendum ab Episcopo ut tradat reum judici sæculari.

122. Cæterùm licet ad hoc ut Episcopus, vel ab ipso deputatus tradat reum judici sæculari, debeat cognoscere, an ille commiserit aliquod ex delictis exceptis, & non teneatur stare processui facto à Curia sæculari, quia potest illum habere suspectum, utpote factum in causa propria ipsius contendentis; potest tamen illi stare, si prudenter credat esse legitime factum, & se posse uti illo ad suam conscientiam informandam. Palaus, Pellizzar. Lezana, Bordon. *locis citatis.* Regulariter autem loquendo Episcopus debet novas probationes facere, summarie tamen, & quam citius fieri potest expediendas, ac extra ordinem juris; cum totum hoc suo judicio, & arbitrio committatur. Porrò debet Episcopus de delictô commissô cognoscere non solum ex præsumptionibus, aut conjecturis rem probabilem efficientibus: quia Ecclesia jus habet tuendi omnes delinquentes ad se confugientes, nisi in casibus exceptis: ergo, dum certò non constiterit Episcopo casum esse exceptum, injustè illo jure privat Ecclesiam: Sed per præsumptiones, & probabiles conjecturas non sufficienter aut certò constat de delictô commissô, cum tales non sufficiant ad tollendum ab alio jus quæsitum, nec vincant præsumptionem ortam ex possessione immunitatis in jure fundatam: ergo, &c. Bonac. §. 7. *circa finem.* Farinacius *cap. ultim. n. 8. & sequent.* Palaus *n. 8.*

Pel-

Pellizzar. *num.* 40. Lezana *num.* 28.

123. Demum Episcopus non debet extrahere reum ab Ecclesia, vel monasterio Regularium, sine consensu proprij Prælati illius, cum iste sit talis loci patronus. Immo neque ipse Episcopus sine consensu Prælati Regularis extrahere potest ab Ecclesiis Regularium Clericum sibi subditum ad eas post delicta confugientem, etiamsi Clericus non gaudeat immunitate contra suum Episcopum juxta dicta §. 2. non quidem ratione immunitatis Ecclesiæ, quam supponimus non suffragari Clericis contra ipsorum Episcopum; sed ob exemptionem, quam habent monasteria, & loca Regularium: quia Episcopus nullam potest exercere jurisdictionem in loco exempto, cum locus exemptus comparetur loco extra territorium existenti, ut supra *n.* 3. dicebamus, *& jus dicenti extra territorium impune non pareatur.* Unde sicut Episcopus nequit punire ibi degentes, sic nec potest eos inde extrahere. Zespedes *de exemptione disput.* 228. *num.* 6. Pellizzar. *tract.* 8 *cap.* 5. *sect.* 1. *nu.* 44.

## PUNCTUM IV.

### *De privilegiis concessis Regularibus nova monasteria fundandi, & antiqua mutandi, transferendi, deserendi, vel etiam renunciandi.*

Varia privilegia antiqua recensentur.

124. Licet olim de jure antiquo non possent Religiosi mendicantes accipere nova loca, domus, seu monasteria, nec accepta deserere, aut in alium locum transmutare absque Sedis Apostolicæ authoritate, & licentia *c.* 1. *de excessibus Prælatorum in* 6. *Clement. unica de pœnis, & c. unico de Religiosis domibus in* 6. Nihilominus post istas Constitutiones nova, & diversa prodiere privilegia alia magis, alia minus ampla, & contra tenorem dictorum Canonum, concedentia Prælatis, ut absque licentia Pontificis, nova possint erigere monasteria. Et quidem aliqua illorum nec licentiam Ordinariorum ad hoc exigunt, ut est illud Sixti V. Bulla incipiente *Super Specula.* hanc facultatem Fuliensibus concedentis, & illud Julij II. Bulla incipiente: *Exponi nobis fecisti*, pro Prædicatoribus, ut habetur *in priv. mendicantium, verbo ædificare* §. 10. Alia sunt quæ licet Ordinarij licentiam exspectandam decernant; nullum tamen aliarum personarum cujuscumque Ordinis consensum exspectandum esse statuunt, ut est illud, quod Paulus V. nobis Carmelitis Excalceatis concessit in Bulla incipiente, *Ad Ecclesiæ militantis*, data Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, *die* 12. *Dec. an.* 1605. in qua indulgetur Superioribus, & Religiosis Carmelitis Discalceatis, ut ubique locorum in suo districtu monasteria erigere valeant de sola Ordinariorum licentia, nullo alio Regularium requisito consensu; & hoc motu proprio, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis. A quo benigno Pontifice, etiam Monachi S. Mariæ Fuliensis idem obtinuerunt Constit. 10. ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Ad Ecclesiæ. an.* 1608. & simile ab eodem Pontifice privilegium impetrarunt Patres Congregationis S. Pauli Decollati, ut habetur in ejus constit. 64 quæ incipit: *Ecclesiæ* 8. Maij. 1610.

Supradicta privilegia revocata sunt à diversis Pontificibus.

125 Cæterum hæc omnia privilegia, & concessiones erigendi nova monasteria, vel absque licentia Ordinarij, vel absque aliorum Ordinum consensu, revocata sunt à S. Congreg. sub Gregorio XV. die 17. Augusti 1621. & ab Urbano VIII. in sua Constitutione 27. quæ incipit: *Romanus Pontifex* die 28. Augusti an. 1624. ubi revocat, & annullat omnes licentias, & facultates à Prædecessoribus Suis concessas fundandi, erigendi, constituendi ubique locorum Domus, Monasteria, Conventus, Collegia, & alia Loca Regularia præter vel contra Sacrorum canonum, & Concilij Tridentini formam; prohibetque & interdicit Superioribus omnibus Regularium in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum quorumcumque, & excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis, ne licentiarum hujusmodi revocatarum, seu quovis alio prætextu, vel causa, etiam quamtumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domus, Conventus, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus & per omnia sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini formâ, nec non Constitutione Clementis VIII. quæ incipit: *quoniam ad institutam*. Romæ die 23. Julij anno 1603. expedita, ac decretorum de mandato ejusdem Clementis VIII. & Gregorij XV. desuper editorum attentô tenore recipere, erigere seu fundare audeant, vel præsumant: De quo Barbosa *lib. 2. de jure Eccles. cap. 12. nu. 15.* Tambur. *tom. 3. de jure Abbat. disput. 5. quæst. 1. num. 5.* Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 9. à num. 34.* & *tom. 3. verbo Monasteria Regular. num. 2.* quæ omnia ut clarius explicemus, punctum hoc dividemus in diversos paragraphos.

## §. I.

### *Quid requiratur ad erectionem novi monasterij ex Concilio Tridentino, nec non ex Clementis VIII. Gregorij XV. & Urbani VIII. Constitutionibus.*

Decretum Concilij Tridentini ponitur, & explicatur.

126. TRia his temporibus omnino servanda sunt, quæ pro erigendis novis monasteriis, decernuntur à Concilio Tridentino, Clemente VIII. Gregorio XV. quæque ab Urbano VIII. & Sacra Congregatione per proprias & speciales revocatorias, ampliata, & omnino servari præcepta fuerunt. Primum est, quod in erigendis novis Monasterijs, debeat primo Episcopi, in cujus diœcesi construenda sunt, licentia præcedere: prout habetur in Tridentino *sess. 25. de Regularibus c. 3. in fin.* ibi: *nec de cætero similia loca erigantur, sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.* Quod etiam habetur *c. 1. cum sequentibus 8. quæst. 2.* & *in cap. olim. 2. de privil. cap. authoritate eodem titul. in 6.* Hanc licentiam Episcopus electus, & confirmatus concedere potest, licet nondum consecratus sit, quia est actus jurisdictionis, & concedi non potest à Vicario Generali Episcopi, nisi ad hoc habeat expressam, & particularem facultatem: nec

nec à Vicario Capitulari sede vacante, quod ex diversis declarationibus Sacræ Congregationis, docet Novarius *in lucerna Regularium, verb. Monasterium n. 2.* Pellizz. *tract. 8, cap. 7. sect. 2 num. 33.* Lezana *tom. 3. verb. Monasteria Regul. nu. 3.* Barbos. *in collectan. Bullar. verb. Monasteria n. 1.* § Sed oppositum, nisi obstet Sacræ Congregationis declaratio, pluribus citatis docet Zespedes *de immunitate disp. 21. n. 3.* Quia Vicarius Episcopi vere est, & dici potest Ordinarius, sicut etiam Vicarius Capitularis: & addit hanc licentiam dari posse à quocumque habente jurisdictionem quasi Episcopalem; nam illi omnes jurisdictionem Ordinariam habent vel ex canone, aut consuetudine, aut privilegio, & sic veniunt nomine Ordinarij.

Decretum Clementis VIII. & Sacræ Congregationis sub Gregorio XV.

127. Secundo observandum est ab ipsis Ordinarijs, in concessione talis licentiæ, id, quod præcipit Clemens VIII. in Constitutione, *Quoniam ad instituta*, nimirum: *Locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cujuscumque Mendicantium Ordinis, in civitatibus, & locis Eorum Ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa, servatis servandis, cognita, constiterit, in eisdem civitatibus, & locis, novos hujusmodi erigendos conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse.* § Tertio observandum est decretum Sacræ Congregationis sub Gregorio XV. editum, in quo præcipitur, ne aliqua Monasteria de novo erigantur, *nisi in eis saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum, Congregationum, vel Societatum, non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis existentium vocati & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinariis locorum constiterit Religiosos Monasterij sic erigendi absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus antea in civitatibus, seu locis hujusmodi erectis, degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manu teneri, & ali posse. Si vero novi Conventus, Domus, Congregatio vel societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores (quorum & consensum requirant, ac adhibeant) hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut præmittitur, instituendis commode alere, & manu tenere valeant.*

Decretum Urbani VIII. circa eandem materiam.

128. Sed pro observantia prædicti decreti Gregorij XV. specialiter quoad prædictum numerum duodecim Fratrum Sacra Congregatio Concilij, in decretis de celebratione missarum editis sub Urbano VIII. an. 1625. hæc præcipit: *Deinceps vero Monasterium, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis, duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, ac consuetis eleemosynis, de-*

*tractu omnibus, ut supra, detrahendis, competenter sustentari valeant ad prascriptum decreti Felic. recordationis Gregor. XV. hac de re editi; Alioqui Monasteria, & Loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitaverint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.* § Hæc autem omnia confirmantur, & innovantur ab Urbano VIII. *in Constitut: Romanus Pontifex,* quæ habetur *tom. 4. Bull.* inter constitutiones ejusdem Urb. VIII. *nu. 2.* in qua revocat omnes, & quascumque licentias, & facultates religionibus quibuscumque concessas, ad erigenda nova monasteria absque supradictis conditionibus, & addit: *Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, cæterisque personis, ad quas spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, ac passivæ, necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon excommunicationis ipso facto, incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus; ne licentiarum, seu facultatum, per nos, ut præfertur revocatarum, & annullatarum, sive alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domus, & alia loca Regularia hujusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac attentis in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Conc. Trident. necnon Constitut. felicis recordationis Clem. VIII, quæ incipit: Quoniam ad institutam, ac decretorum de mandato ejusdem Clementis, necnon Gregorij XV. Pontificum prædecessorum desuper editorum servatâ forma recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incœpta finire, vel absolvere audeant, seu præsumant.*

129. Ex quo manifeste constat, Tria modo observanda esse in novis construendis monasteriis. Primum Episcopi diœcesani seu ordinarij loci expressam licentiam, secundum Tridentinum esse petendam. Secundo, vocandos esse Priores, & Procuratores, aliosque in eo interesse habentes, & requirendos juxta constitutionem Clem. VIII. an ipsis incommoda sint, & nociva, nova erigenda monasteria. Ac denique non esse construenda monasteria, nisi in eis ex redditibus & alijs consuetis eleemosynis commode duodecim religiosi sustentari possint, juxta decretum Congregationis sub Gregorio XV. confirmatum, & approbatum à Sacra Congreg. sub Urb. VIII. illa apposita pœna non observantibus: *ut Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni, talia Monasteria erecta absque eo quod duodecim fratres, in eis valeant habitare, & de facto habitent, subjecta esse intelligantur.* Quæ omnia manent in suo robore, & vigore, & tenentur ea Prælati Regulares observare sub peccato mortali, & sub pœnis in dicta Bulla Urbani VIII. contentis. Ita communiter Doctores Tambur. *tomo 3. disp. 5. quæst. 1. per totam*, Barbosa *de jure Ecclesiast. lib. 2. cap. 12. à n. 6.* Rodriquez *quæst Regular. tom. 2. quæst. 49. artic. 9.* Lezana

Quantum decretum supra relata omnino observari debeat.

*tom.* 1. *parte* 1. *c.* 9. *n.* 35. & *tom.* 3. *verb. Monasteria, n.* 3. Pellizz. *tract.* 8. *cap.* 7. *sect.* 2. *à numero* 90. Peyrin. *tomo* 1. *Privileg. Minim. in Constit.* Pyrrhi §. 9. *& tomo* 2. *in Constitutione* 6. *Gregorij XV,* Navarr. *in Manual. cap,* 27. *n.* 142. § Cæterum licet pœnæ impositæ per Constitutionem Urbani VIII. ipso facto incurrantur, ut constat ex verbis adductis; nulla tamen illarum reservata est; cum ibi de tali reservatione nullum verbum: inseratur proinde à suis superioribus & à quocumque Confessario Regulari habente facultatem absolvendi à Censurâ non reservata absolvi possunt, qui similes pœnas incurrunt; & aliquibus possunt relaxari Pellizzar. *num.* 89: *&* 103. Lezana *verb. Monasteria nu.* 11. Tambur. *num.* 15. Navarr. 144.

Novum monasterium fundari non potest quin duodecim Religiosos sustentare valeat.

130. Sed quantum attinet ad tertium requisitum, quod nova Monasteria etiam Mendicantium, minime erigantur, nisi in eis ex redditibus, & consuetis eleemosynis duodecim Religiosi valeant sustentari; notandum est, quod redditus, & eleemosynæ consuetæ tales esse debent, ut sufficiant ad sustentandos dictos duodecim Religiosos commodè, & decenter; ita ut victum, & vestitum juxta loci consuetudinem, & personarum ibi commorantium qualitatem (habita etiam ratione aliorum onerum, ad quæ tenetur Monasterium) habere possint; & quod hæc Religiosi non cogantur importuna mendicitate, aliove modo indecenti sibi comparare. Id enim voluit Greg. XV illis verbis: *congrue, & commodè manu teneri, & ali possunt.* Et illis: *commodè alere, & manu tenere valeant.* Quod idem habetur in decreto Urb. VIII. At vero si sit probabilis spes, ut redditus, & eleemosynæ in brevi augeantur, admitti poterit fundatio Monasterij, non habentis ab initio redditus, & eleemosynas sufficientes ad alendos commode duodecim Religiosos: quia ita præsumendum est de benigna Pontificis voluntate, ut tenet Pellizzar. *num.* 95. *&* 96.

Consensus aliorum Religiosorum requiritur ut conventus de novo fundetur

131. Et circa secundum, quod Ordinarius ad dandam prædictam licentiam erigendi novum Monasterium convocare debet Religiosos aliorum Ordinum illius loci, ut suum consensum præbeant: Notandum est primo. Quod si Episcopo constiterit nullum detrimentum ex tali Monasterio de novo erecto, aliis eventurum, non tenebitur modo dicto, aliorum Ordinum convocare Prælatos; hoc enim innuunt illa verba decreti Sacræ Congregationis à Greg. XV. & ab Urb. VIII. approbati: *Vel aliàs Ordinarijs locorum constiterit Religiosos Monasterij sic erigendi absque detrimento, &c.* Cespedes *cap.* 1. *disp.* 4. *n.* 4. Lezana *verb. Monasteria, n.* 7. Pellizz. *n.* 90. Immo ad construendum Monasterium, quod est certum de victu, vestitu, & c. ob redditus, quos habet, sufficere licentiam Ordinarij absque consensu aliorum Religiosorum, cum cesset finis Bullæ illum requirentis, docet ipse Cespedes *disp.* 8. *nu.* 1. ex Navarro, & ex utroque Pellizz. *n.* 90. *versu, Unde infert.* Addit etiam N. Lezana *n.* 7. & Pellizz. *versu Immo,* ex Venero *in examin. lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 8. Quod si Regulares alij erectioni novi monasterij contradicant absque

que ratione, vel (quod absit) ex mala voluntate, poterit Ordinarius non expectato illorum consensu concedere dictam licentiam. Imo addit Venerus hæc verba : (Episcopus solum tenetur in scriptis redigere ea, quæ ab unoquoque proferuntur, & dare terminum unicuique ad probandum: sed postea ipse solus poterit dare, vel denegare licentiam ædificandi absq; dependentia aliorum.) § Unde infert probabiliter Peyrin. *in formular. lit. Z. cap. 3. in Appendic. 5. n. 4* Quod si aliqua Religio fundare vellet monasterium in aliquo loco cum obligatione non quærendi eleemosynas (addit Lezana *nu. 6.* nec faciendi aliquid, ex quo aliquod detrimentum alijs Religiosis obveniret) non esset necessarium alias religiones convocare; nam cessat finis dictarum Constitutionum. (Unde video (ait Doctissimus Lezana *loco citato*) declarasse Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium 31. Januarij 1642. posse Fratres Reformatos S. Bernardi fundare Monasterium sine consensu aliorum Regularium ejusdem loci, dummodo habeant redditus sufficientes pro sustentatione duodecim Religiosorum sine quæstuatione.)

132. Notandum est secundo, Quod in dictis prohibitionibus non comprehenduntur hospitia: quia appellatione Monasteriorum, Domorum, aut habitationum, non venit hospitium; quia propriè ibi habitare non dicuntur Religiosi, ubi stanquam viatores existunt. Et tunc hoc maximè eveniret, si Religiosi in eo existentes, nec campanas pulsarent, nec eleemosynas quæritarent, Missas non reciperent, & Ecclesiam, in qua publicè celebrarent, non haberent. Has limitationes ponit N. Lezana *n. 6.* quia ex talibus hospitiis nullum aliis detrimentum infertur. Sed absque illis id docet Tamb. *tom. 3. de jure Abbat. disp. 5. quæst. 1. n. 10.* Riccius *in praxi decis. 652.* Peyrin. *tom. 3. privileg. Minim. in Constit. 3. alias 13. Urb. VIII.* Bordon. *in resolut. resol. 41. n. 6.* § An verò prædictæ solemnitates requirantur quando in eadem civitate fit mutatio Monasterij de uno loco in alium? dicemus §. 3. agentes de mutatione, vel translatione Monasteriorum. § Et an observandæ sint dictæ conditiones, quando aliquod Monasterium destruitur, aut deseritur, & postea recuperatur, aut reædificatur, §. 4. dicemus, de hac agentes materia.

133. Notandum est tertio. Quod ut novum Monasterium construatur debet Episcopus convocare non solum Religiosos in eodem loco degentes, sed etiam illos, qui degunt extra illum per quatuor millia passuum, quia sic habetur in decreto Gregorij XV. *n. 127.* relato. § Si vero Episcopus modo dicto non convocatis dictis Religiosis illius oppidi, & per quatuor millia passuum distantibus, licentiam construendi novum Monasterium concedat, renuentibus illis, & hi à tali licentia in sui damnum concessa appellent, (quæ appellatio solum ad Sedem Apostolicam fieri potest) tunc debet Episcopus suspendere executionem, & Pontifici remittere omnia, expectareque ut ipse in tali causa sententiam

Quid ut Episcopus alij non convocatis ad causam fundationis prædictæ

laritatem, si reus occidatur, aut mutiletur.

tem non exceptis, non poterit Prælatus, reum Curiæ sæculari tradere ipso repugnante, quantumvis illa securitatem, aut etiam juramentum præstet de ejus impunitate; quia tunc gaudet delinquens immunitate, quæ præcipue consistit in eo, quod delinquens non possit invitus à loco Sacro extrahi, & judicari. Lezana *tom. 2. verb. immunitas, num. 22.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 39. & 45.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. §. 7. num. 12.* Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. unic. punct. 13. num. 2.* Unde Ecclesiastici, vel Regulares tradentes reum Curiæ sæculari in casibus non exceptis, si inde mors, aut mutilatio ipsius sequatur, incurrunt irregularitatem: quia censentur morti, aut mutilationi illius cooperari. Rodriguez *tom. 2. quæst. 50. artic. 2.* Lezana *num. 22.* qui bene ait, Prælatos non defendentes reum, sed permittentes eum extrahi, incurrere hanc irregularitatem; quia ipsis ex justitia, & officio incumbit tueri immunitatem Ecclesiarum. § In casibus vero exceptis, attentâ Constitutione Gregorianâ, & consuetudine jam receptâ non exigitur juramentum à judice sæculari, de non puniendo reum, nec ipsi judices illud præstare tenentur, licet id exigatur, *cap. reum, cap. constituimus 17. quæst. 4.* Sed libere ipsis est tradendus, puniendus pro qualitate delicti, ac si ad Ecclesiam minime confugisset: quia nihil tale confugium reo prodesse potest in dictis casibus exceptis. Farinacius *in Append. de immunit. capite ultim. numero 343.* Bonacina §. 7. *in fine. numero 5* Lezana *num. 25.* Hæc autem traditio debet fieri de mandato Episcopi, vel ejus Vicarij, per aliquam Ecclesiasticam personam ab eo, deputatam, prius cognito per Episcopum, vel per deputatum ab eô, an reus verè exceptа crimina commiserit, ut in dicta Gregorij XIV. Constitutione expressè habetur.

120. Ex quo sequitur, quod, spectato saltem juris rigore *in cap. desinivit. capite constituimus, capite reum 17. quæst. 4.* & maxime *in Bulla Gregoriana,* (ubi id expressè cavetur) non potest judex laicus adhuc in casibus exceptis extrahere delinquentem ab Ecclesia absque licentia Episcopi, vel ejus Officialis: sed ex recepta nunc consuetudine, & praxi communi possunt judices sæculares in casibus clarè exceptis, inconsulto Episcopo reos ab Ecclesia extrahere; quia illi non gaudent immunitate Ecclesiæ, & sic nec ab ea defendi possunt, ut asserunt Suarez *lib. 3. cap. 13. n. 1.* Palaus *punct. 13. num. 4.* Azevedo *in Constitut. Hispan. lib. 1. titul. 2. leg. 3. num. 29.* Covarruv. *2. variar. cap. 20. numero 18. vers. 34.* Farinacius *de carcerib. quæst. 28. num. 75.* Sed si dubium sit, an casus sit exceptus, vel non; non poterit judex laicus vi inde extrahere reum; quia immunitas concessa est omnibus delinquentibus extra casus exceptos: ergo quoties non constiterit commisisse casum exceptum, illa spoliari non poterit. Decianus *tract. crimin. lib. 6. cap. 29. num. 2.* Farinacius *in Appendic. de immunit. cap. ultim. n. 370.*

Ex consuetudine, ad extrahendum reum ab Ecclesia in casibus exceptis, non requiritur licentia Episcopi

121. Sed ad quem judicem pertinebit cognitio, an casus sit exceptus, vel non? Respondetur hoc perti-

Cognoscere an casus sit

exceptus pertinet ad Episcopum.

nere ad Episcopum solum, vel ad alium ab eo deputatum, ut habetur in dicta Gregoriana ibi: *nisi cognito prius per Episcopum, vel per alium ab eo deputatum, an delinquentes, verè crimina excepta commiserint,* & habetur *cap. metuentes, cap. ad Episcopum 17. quæst. 4.* & ex jure civili, *l. Pateant, §. hoc vero C. de his, qui ad Eccles. confugiunt.* Quia causæ Ecclesiasticæ cognitio, qualis est immunitas Ecclesiarum, ad Ecclesiasticum Prælatum debet pertinere: neque ob id sequitur Episcopum in propria causa jus dicere: quia hic non agitur de causa illius, sed de causa communi Ecclesiæ. Pellizzar. *numero 40.* Lezana *numero 28.* Bonacina *§. 7. numero 2. vers. 3.* Farinacius *numero 366. & 367.* Azevedo *supra num. 20.* Gutierr. *practic. quæst. civilium lib. 3. quæst. 1. numero 5.* § Cum autem dicimus ad solum Episcopum, vel ejus deputatum pertinere, intelligi debet de vero Episcopo, non autem de inferiori: idque licet is sit Ordinarius, aut nullius diœcesis. Unde si contingat delinquentem se recipere in locum Sacrum exemptum, aut nullius diœcesis, facultas extrahendi illum, obtineri debet ab Episcopo viciniori; quia ita disponit Gregorius XIV. in sua citata Constitutione. Sede autem vacante adeundus est Vicarius capitularis, utpote succedens in omni jurisdictione Episcopi. § Quare hoc decidere, ad Episcopum, non vero ad Prælatos Regulares pertinebit: & sic solum ex ejus authoritate, & licentia poterit ex monasterio delinquens extrahi in casibus exceptis, ad effectum consignandi illum Curiæ sæculari, ut expresse dicitur in dicta Bulla, & ita tenent Bordon. *n. 7. & 8.* Barbos. *supra num. 156 & 157.* Lezana *num. 28.*

Examen faciendum ab Episcopo ut tradat reum judici sæculari.

122. Cæterùm licet ad hoc ut Episcopus, vel ab ipso deputatus tradat reum judici sæculari, debeat cognoscere, an ille commiserit aliquod ex delictis exceptis, & non teneatur stare processui facto à Curia sæculari, quia potest illum habere suspectum, utpote factum in causa propria ipsius contendentis; potest tamen illi stare, si prudenter credat esse legitime factum, & se posse uti illo ad suam conscientiam informandam. Palaus, Pellizzar. Lezana, Bordon. *locis citatis.* Regulariter autem loquendo Episcopus debet novas probationes facere, summarie tamen, & quam citius fieri potest expediendas, ac extra ordinem juris; cum totum hoc suo judicio, & arbitrio committatur. Porrò debet Episcopus de delictô commissô cognoscere non solum ex præsumptionibus, aut conjecturis rem probabilem efficientibus: quia Ecclesia jus habet tuendi omnes delinquentes ad se confugientes, nisi in casibus exceptis: ergo, dum certò non constiterit Episcopo casum esse exceptum, injustè illo jure privat Ecclesiam: Sed per præsumptiones, & probabiles conjecturas non sufficienter aut certò constat de delictô commissô, cum tales non sufficiant ad tollendum ab alio jus quæsitum, nec vincant præsumptionem oriam ex possessione immunitatis in jure fundatam: ergo, &c. Bonac. *§. 7. circa finem.* Farinacius *cap. ultim. n. 8. & sequent.* Palaus *n. 8.*

Pel-

Pellizzar. *num.* 40. Lezana *num.* 28.

123. Demum Episcopus non debet extrahere reum ab Ecclesia, vel monasterio Regularium, sine consensu proprij Prælati illius, cum iste sit talis loci patronus. Immo neque ipse Episcopus sine consensu Prælati Regularis extrahere potest ab Ecclesiis Regularium Clericum sibi subditum ad eas post delicta confugientem, etiamsi Clericus non gaudeat immunitate contra suum Episcopum juxta dicta §. 2. non quidem ratione immunitatis Ecclesiæ, quam supponimus non suffragari Clericis contra ipsorum Episcopum; sed ob exemptionem, quam habent monasteria, & loca Regularium: quia Episcopus nullam potest exercere jurisdictionem in loco exempto, cum locus exemptus comparetur loco extra territorium existenti, ut supra *n.* 3. dicebamus, *& jus dicenti extra territorium impune non pareatur.* Unde sicut Episcopus nequit punire ibi degentes, sic nec potest eos inde extrahere. Zespedes *de exemptione disput.* 228. *num.* 6. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 1. *nu.* 44.

## PUNCTUM IV.

### *De privilegiis concessis Regularibus nova monasteria fundandi, & antiqua mutandi, transferendi, deserendi, vel etiam renunciandi.*

Varia privilegia antiqua recensentur.

124. Licet olim de jure antiquo non possent Religiosi mendicantes accipere nova loca, domus, seu monasteria, nec accepta deserere, aut in alium locum transmutare absque Sedis Apostolicæ authoritate, & licentia *c.* 1. *de excessibus Prælatorum in* 6. *Clement. unica de pœnis, & c. unico de Religiosis domibus in* 6. Nihilominus post istas Constitutiones nova, & diversa prodiere privilegia alia magis, alia minus ampla, & contra tenorem dictorum Canonum, concedentia Prælatis, ut absque licentia Pontificis, nova possint erigere monasteria. Et quidem aliqua illorum nec licentiam Ordinariorum ad hoc exigunt, ut est illud Sixti V. Bulla incipiente *Super Specula.* hanc facultatem Fuliensibus concedentis, & illud Julij II. Bulla incipiente: *Exponi nobis fecisti*, pro Prædicatoribus, ut habetur *in priv. mendicantium*, *verbo ædificare* §. 10. Alia sunt quæ licet Ordinarij licentiam exspectandam decernant; nullum tamen aliarum personarum cujuscumque Ordinis consensum exspectandum esse statuunt, ut est illud, quod Paulus V. nobis Carmelitis Excalceatis concessit in Bulla incipiente, *Ad Ecclesiæ militantis*, data Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, *die* 12. *Dec. an.* 1605. in qua indulgetur Superioribus, & Religiosis Carmelitis Discalceatis, ut ubique locorum in suo districtu monasteria erigere valeant de sola Ordinariorum licentia, nullo alio Regularium requisito consensu; & hoc motu proprio, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis. A quo benigno Pontifice, etiam Monachi S. Mariæ Fuliensis idem obtinuerunt Constit. 10. ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Ad Ecclesiæ. an.* 1608. & simile ab eodem Pontifice privilegium impetrarunt Patres Congregationis S. Pauli Decollati, ut habetur in ejus constit. 64 quæ incipit: *Ecclesiæ* 8. Maij. 1610.

Supradicta privilegia revocata sunt à diversis Pontificibus.

125 Cæterum hæc omnia privilegia, & concessiones erigendi nova monasteria, vel absque licentia Ordinarij, vel absque aliorum Ordinum consensu, revocata sunt à S. Congreg. sub Gregorio XV. die 17. Augusti 1621. & ab Urbano VIII. in sua Constitutione 27. quæ incipit: *Romanus Pontifex* die 28. Augusti an. 1624. ubi revocat, & annullat omnes licentias, & facultates à Prædecessoribus Suis concessas fundandi, erigendi, constituendi ubique locorum Domus, Monasteria, Conventus, Collegia, & alia Loca Regularia præter vel contra Sacrorum canonum, & Concilij Tridentini formam; prohibetque & interdicit Superioribus omnibus Regularium in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum quorumcumque, & excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis, ne licentiarum hujusmodi revocatarum, seu quovis alio prætextu, vel causa, etiam quamtumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domus, Conventus, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus & per omnia sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini formâ, nec non Constitutione Clementis VIII. quæ incipit: *quoniam ad institutam.* Romæ die 23. Julij anno 1603. expedita, ac decretorum de mandato ejusdem Clementis VIII. & Gregorij XV. desuper editorum attentô tenore recipere, erigere seu fundare audeant, vel præsumant: De quo Barbosa *lib. 2. de jure Eccles. cap. 12. nu. 15.* Tambur. *tom. 3. de jure Abbat. disput. 5. quæst. 1. num. 5.* Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 9. à num. 34.* & *tom. 3. verbo Monasteria Regular. num. 2.* quæ omnia ut clarius explicemus, punctum hoc dividemus in diversos paragraphos.

---

## §. I.

### *Quid requiratur ad erectionem novi monasterij ex Concilio Tridentino, nec non ex Clementis VIII. Gregorij XV. & Urbani VIII. Constitutionibus.*

Decretum Concilij Tridentini proponitur, & explicatur.

126. TRia his temporibus omnino servanda sunt, quæ pro erigendis novis monasteriis, decernuntur à Concilio Tridentino, Clemente VIII. Gregorio XV. quæque ab Urbano VIII. & Sacra Congregatione per proprias & speciales revocatorias, ampliata, & omnino servari præcepta fuerunt. Primum est, quod in erigendis novis Monasterijs, debeat primo Episcopi, in cujus diœcesi construenda sunt, licentia præcedere: prout habetur in Tridentino *sess. 25. de Regularibus c. 3. in fin.* ibi: *nec de cætero similia loca erigantur, sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.* Quod etiam habetur *c. 1. cum sequentibus 8. quæst. 2.* & *in cap. olim. 2. de privil. cap. authoritate eodem titul. in 6.* Hanc licentiam Episcopus electus, & confirmatus concedere potest, licet nondum consecratus sit, quia est actus jurisdictionis, & concedi non potest à Vicario Generali Episcopi, nisi ad hoc habeat expressam, & particularem facultatem: nec

nec à Vicario Capitulari sede vacante, quod ex diversis declarationibus Sacræ Congregationis, docet Novarius *in lucerna Regularium, verb. Monasterium n. 2.* Pellizz. *tract. 8, cap. 7. sect. 2 num. 33.* Lezana *tom. 3. verb. Monasteria Regul. nu. 3.* Barbos. *in collectan. Bullar. verb. Monasteria n. 1.* § Sed oppositum, nisi obstet Sacræ Congregationis declaratio, pluribus citatis docet Zespedes *de immunitate disp. 21. n. 3.* Quia Vicarius Episcopi vere est, & dici potest Ordinarius, sicut etiam Vicarius Capitularis: & addit hanc licentiam dari posse à quocumque habente jurisdictionem quasi Episcopalem; nam illi omnes jurisdictionem Ordinariam habent vel ex canone, aut consuetudine, aut privilegio, & sic veniunt nomine Ordinarij.

Decretum Clementis VIII. & Sacræ Congregationis sub Gregorio XV.

127. Secundo observandum est ab ipsis Ordinarijs, in concessione talis licentiæ, id, quod præcipit Clemens VIII. in Constitutione, *Quoniam ad instituta*, nimirum: *Locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cujuscumque Mendicantium Ordinis, in civitatibus, & locis Eorum Ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa, servatis servandis, cognita, constiterit, in eisdem civitatibus, & locis, novos hujusmodi erigendos conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse.* § Tertio observandum est decretum Sacræ Congregationis sub Gregorio XV. editum, in quo præcipitur, ne aliqua Monasteria de novo erigantur, *nisi in eis saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum, Congregationum, vel Societatum, non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis existentium vocati & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinariis locorum constiterit Religiosos Monasterij sic erigendi absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus antea in civitatibus, seu locis hujusmodi erectis, degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manu teneri, & alì posse. Si vero novi Conventus, Domus, Congregatio vel societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores (quorum & consensum requirant, ac adhibeant) hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut præmittitur, instituendis commode alere, & manu tenere valeant.*

Decretum Urbani VIII. circa eandem materiam.

128. Sed pro observantia prædicti decreti Gregorij XV. specialiter quoad prædictum numerum duodecim Fratrum Sacra Congregatio Concilij, in decretis de celebratione missarum editis sub Urbano VIII. an. 1625. hæc præcipit: *Deinceps vero Monasterium, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis, duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, ac consuetis eleemosynis, de-*

*tractu omnibus, ut supra, detrahendis, competenter sustentari valeant ad præscriptum decreti Felic. recordationis Gregor. XV. hac de re editi; Alioqui Monasteria, & Loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitaverint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.* § Hæc autem omnia confirmantur, & innovantur ab Urbano VIII. *in Constitut: Romanus Pontifex*, quæ habetur *tom. 4. Bull.* inter constitutiones ejusdem Urb. VIII. *nu. 2.* in qua revocat omnes, & quascumque licentias, & facultates religionibus quibuscumque concessas, ad erigenda nova monasteria absque supradictis conditionibus, & addit: *Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, cæterisque personis, ad quas spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, ac passivæ, necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon excommunicationis ipso facto, incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus; ne licentiarum, seu facultatum, per nos, ut præfertur revocatarum, & annullatarum, sive alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domus, & alia loca Regularia hujusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac attentis in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Conc. Trident. necnon Constitut. felicis recordationis Clem. VIII. quæ incipit: Quoniam ad institutam, ac decretorum de mandato ejusdem Clementis, necnon Gregorij XV. Pontificum prædecessorum desuper editorum servatâ forma recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu inceptа finire, vel absolvere audeant, seu præsumant.*

129. Ex quo manifeste constat, Tria modo observanda esse in novis construendis monasteriis. Primum Episcopi diœcesani seu ordinarij loci expressam licentiam, secundum Tridentinum esse petendam. Secundo, vocandos esse Priores, & Procuratores, alioque in eo interesse habentes, & requirendos juxta constitutionem Clem. VIII. an ipsis incommoda sint, & nociva, nova erigenda monasteria. Ac denique non esse construenda monasteria, nisi in eis ex redditibus & alijs consuetis eleemosynis commode duodecim religiosi sustentari possint, juxta decretum Congregationis sub Gregorio XV. confirmatum, & approbatum à Sacra Congreg. sub Urb. VIII. illa apposita pœna non observantibus: *ut Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni, talia Monasteria erecta absque eo quod duodecim fratres, in eis valeant habitare, & de facto habitent, subjecta esse intelligantur.* Quæ omnia manent in suo robore, & vigore, & tenentur ea Prælati Regulares observare sub peccato mortali, & sub pœnis in dicta Bulla Urbani VIII. contentis. Ita communiter Doctores Tambur. *tomo 3. disp. 5. quæst. 1. per totam*, Barbosa *de jure Ecclesiast. lib. 2. cap. 12. à n. 6.* Rodriquez *quæst. Regular. tom. 2. quæst. 49. artic. 9.* Lezana

Quamvis decreta supra relata omnino observari debeant.

*tom.* 1. *parte* 1. *c.* 9. *n.* 35. & *tom.* 3. *verb. Monasteria, n.* 3. Pellizz. *tract.* 8. *cap.* 7. *sect.* 2. *à numero* 90. Peyrin. *tomo* 1. *Privileg. Minim. in Constit.* Pyrrhi §. 9. *& tomo* 2. *in Constitutione* 6. *Gregorij XV*, Navarr. *in Manual. cap.* 27. *n.* 142. § Cæterum licet pœnæ impositæ per Constitutionem Urbani VIII. ipso facto incurrantur, ut constat ex verbis adductis; nulla tamen illarum reservata est; cum ibi de tali reservatione nullum verbum: inferatur proinde à suis superioribus & à quocumque Confessario Regulari habente facultatem absolvendi à Censurâ non reservata absolvi possunt, qui similes pœnas incurrunt; & aliquibus possunt relaxari Pellizzar. *num.* 89: *&* 103. Lezana *verb. Monasteria nu.* 11. Tambur. *num.* 15. Navarr. 144.

Novum monasterium fundari non potest quin duodecim Religiosos sustentare valeat.

130. Sed quantum attinet ad tertium requisitum, quod nova Monasteria etiam Mendicantium, minime erigantur, nisi in eis ex redditibus, & consuetis eleemosynis duodecim Religiosi valeant sustentari; notandum est, quod redditus, & eleemosynæ consuetæ tales esse debent, ut sufficiant ad sustentandos dictos duodecim Religiosos commodè, & decenter; ita ut victum, & vestitum juxta loci consuetudinem, & personarum ibi commorantium qualitatem (habita etiam ratione aliorum onerum, ad quæ tenetur Monasterium) habere possint; & quod hæc Religiosi non cogantur importuna mendicitate, aliove modo indecenti sibi comparare. Id enim voluit Greg. XV illis verbis: *congrue, & commodè manu teneri, & ali possunt.* Et illis: *commodè alere, & manu tenere valeant.* Quod idem habetur in decreto Urb. VIII. At vero si sit probabilis spes, ut redditus, & eleemosynæ in brevi augeantur, admitti poterit fundatio Monasterij, non habentis ab initio redditus, & eleemosynas sufficientes ad alendos commode duodecim Religiosos: quia ita præsumendum est de benigna Pontificis voluntate, ut tenet Pellizzar. *num.* 95. *&* 96.

Consensus aliorum Religiosorum reconsensum quiritur ut conventus de novo fundetur

131. Et circa secundum, quod Ordinarius ad dandam prædictam licentiam erigendi novum Monasterium convocare debet Religiosos aliorum Ordinum illius loci, ut suum consensum præbeant: Notandum est primo. Quod si Episcopo constiterit nullum detrimentum ex tali Monasterio de novo erecto, aliis eventurum, non tenebitur modo dicto, aliorum Ordinum convocare Prælatos; hoc enim innuunt illa verba decreti Sacræ Congregationis à Greg. XV. & ab Urb. VIII. approbati: *Vel alias Ordinarijs locorum constiterit Religiosos Monasterij sic erigendi absque detrimento, &c.* Cespedes *cap.* 1. *disp.* 4. *n.* 4. Lezana *verb. Monasteria, n.* 7. Pellizz. *n.* 90. Immo ad construendum Monasterium, quod est certum de victu, vestitu, & c. ob redditus, quos habet, sufficere licentiam Ordinarij absque consensu aliorum Religiosorum, cum cesset finis Bullæ illum requirentis, docet ipse Cespedes *disp.* 8. *nu.* 1. ex Navarro, & ex utroque Pellizz. *n.* 90. *versu, Unde infert.* Addit etiam N. Lezana *n.* 7. & Pellizz. *versu Immo*, ex Venero *in examin. lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 8. Quod si Regulares alij erectioni novi monasterij contradicant absque

que ratione, vel (quod absit) ex mala voluntate, poterit Ordinarius non expectato illorum consensu concedere dictam licentiam. Imo addit Venerus hæc verba: (Episcopus solum tenetur in scriptis redigere ea, quæ ab unoquoque proferuntur, & dare terminum unicuique ad probandum: sed postea ipse solus poterit dare, vel denegare licentiam ædificandi absq; dependentia aliorum.) § Unde infert probabiliter Peyrin. *in formular. lit. Z. cap. 3. in Appendic. 5. n. 4* Quod si aliqua Religio fundare vellet monasterium in aliquo loco cum obligatione non quærendi eleemosynas (addit Lezana *nu. 6.* nec faciendi aliquid, ex quo aliquod detrimentum alijs Religiosis obveniret) non esset necessarium alias religiones convocare; nam cessat finis dictarum Constitutionum. (Unde video (ait Doctissimus Lezana *loco citato*) declarasse Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium 31. Januarij 1642. posse Fratres Reformatos S. Bernardi fundare Monasterium sine consensu aliorum Regularium ejusdem loci, dummodo habeant redditus sufficientes pro sustentatione duodecim Religiosorum sine quæstuatione.)

132. Notandum est secundo, Quod in dictis prohibitionibus non comprehenduntur hospitia: quia appellatione Monasteriorum, Domorum, aut habitationum, non venit hospitium; quia propriè ibi habitare non dicuntur Religiosi, ubi tranquam viatores existunt. Et tunc hoc maximè eveniret, si Religiosi in eo existentes, nec campanas pulsarent, nec eleemosynas quæritarent, Missas non reciperent, & Ecclesiam, in qua publicè celebrarent, non haberent. Has limitationes ponit N. Lezana *n. 6.* quia ex talibus hospitiis nullum aliis detrimentum infertur. Sed absque illis id docet Tamb. *tom. 3. de jure Abbat. disp. 5. quæst. 1. n. 10.* Riccius *in praxi decis. 652.* Peyrin. *tom. 3. privileg. Minim. in Constit. 3. alias 13. Urb. VIII.* Bordon. *in resolut. resol. 41. n. 6.* § An verò prædictæ solemnitates requirantur quando in eadem civitate fit mutatio Monasterij de uno loco in alium? dicemus §. 3. agentes de mutatione, vel translatione Monasteriorum. § Et an observandæ sint dictæ conditiones, quando aliquod Monasterium destruitur, aut deseritur, & postea recuperatur, aut reædificatur, §. 4. dicemus, de hac agentes materia.

133. Notandum est tertio. Quod ut novum Monasterium construatur debet Episcopus convocare non solum Religiosos in eodem loco degentes, sed etiam illos, qui degunt extra illum per quatuor millia passuum, quia sic habetur in decreto Gregorij XV. *n. 127.* relato. § Si vero Episcopus modo dicto non convocatis dictis Religiosis illius oppidi, & per quatuor millia passuum distantibus, licentiam construendi novum Monasterium concedat, renuentibus illis, & hi à tali licentia in sui damnum concessa appellent, (quæ appellatio solum ad Sedem Apostolicam fieri potest) tunc debet Episcopus suspendere executionem, & Pontifici remittere omnia, expectareque ut ipse in tali causa sententiam

Quid si Episcopus alijs non convocatis causa fundandi præbeat

tentiam pronuntiet; ut clarè habetur ex decreto sacræ Congregationis, jussu Gregorii XV. edito, & ex Bulla Clementis VIII. suprà relata, tenentque Venerus *lib. 6. c. 10. num. 11.* Joannes à Cruce *de privilegiis, lib. 2. cap. 9. dub. 1. num. 1.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 7. sect. 2. num. 90. versu si verò, & n. 94.* § Ac denique, si Episcopus absque forma in decreto Clementis VIII. & Constitutionibus Gregorii XV. ac Urbani VIII. præscripta licentiam concedat (præterquam in casibus *nu. 131.* exceptis) invalida est talis concessio: quia in Bulla Clementis VIII. decretum irritans continetur, quod nullitatem operatur, & omnia in oppositum destruit. Gratian. *lib. 3. disceptation. forens. cap. 527.* Tamburin. *tomo 3. de jure Abbat. disput. 5. quæst. 1. num. 11.* à Cruce *num. 1.* Cespedes *disput. 22. num. 1.*

134. Quartò notandum est, quòd forma hucusque præscripta pro fundatione novi Monasterii Virorum cum tribus conditionibus, *num. 129.* assignatis, servanda etiam est in erectione Monasterii novi Monialium; quia sic declarasse sacram Congregationem Concilii 19. Decemb. 1620. docet Barbosa *lib. 2. de jure Eccles. cap. 12. num. 7.* Tamburin. *de jure Abbatissarum, disput. 35. quæst. 1. nu. 4.* Lezana *tom. 3. verb. Monasteria, nu. 5.* Unde non licet Ordinariis licentiam dare ædificandi dicta Monasteria Monialium, nisi vocatis prius, & auditis Prælatis locorum ubi erigenda sunt, & aliis interesse habentibus. § Imò Ordinarius in erectione alicujus novi Monasterii Monialium, debet audire, consensumque petere Abbatissarum, seu Priorissarum, & Prælatorum aliorum Monasteriorum Monialium in eodem loco, vel in circuitu quatuor milliarium degentium. Quod denotare videntur illa verba Clementis VIII. *aliisque interesse habentibus.* Nam habentes in hac re interesse, sunt Priorissæ aliarum Monialium, & aliæ præfatæ Personæ, uti docet Cespedes *disput. 353. num. 1.* § Sed nota circa erectionem Monasteriorum Monialium dari quandam declarationem Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quam refert Barbosa *loco citato, num. 10. & in collectan. Bullar. verbo Monasteria Monial. num. 10.* tenoris sequentis: *Monasteria Monialium non erigantur, nisi Ordinariis locorum consentientibus, & nisi in his dumtaxat locis, quæ muro unita sunt, & in quibus adest Presbyterorum Sæcularium, vel Regularium copia ad audiendas earum confessiones; nisi in facultatibus habeant Moniales, ut Confessarium aliunde ascitum sustentare valeant.* Cui consonat Tridentinum *sess. 25. de reformat. cap. 5.* ubi Monasteria Monialium extra urbis vel oppidi mœnia constituta, intra urbes, vel oppida frequentia jubet transferri; & ideo consequenter prohibet ne extra mœnia, aut extra urbes, & oppida ædificari possint: nam licèt Gregorius Papa *in cap. luminoso 18. quæst. 2.* illa in solitudinibus condi permiserit: modò tamen ex Tridentini & Sacræ Congregationis decreto extra civitatem construi prohibentur: ne malorum hominum prædæ, & aliis fa-

cinctibus sint absque custodia exposita. Barbosa *loco citato.* Ugolin. *de potestate Episcopi, c. 21. in princip. num. 1.* Venerus *in examine Episcop. libro 6. cap. 21. num. 13.* Lezana *verb. Monasteria. num. 10.*

Licentiam Pontificis ad fundationem novi Monasterii requiri aliqui dicunt.

135. Restat modò gravem enodare difficultatem. An nimirum modò præter tres conditiones *num. 129.* assignatas requiratur etiam ad hoc ut Religiosi nova Monasteria construere possint, sedis Apostolicæ authoritas, & facultas? § Multi affirmativè respondent. Quia in supra relata Constitutione Urbani VIII. dicitur: *Ac servata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum forma*: Sed in sacris Canonibus *cap. 1. de excessibus Prælator. in 6.* & *cap. unic. de Religios. domibus, eodem libro*; exigitur licentia Papæ: ergo modò post tale decretum Urbani præter supradictas conditiones, licentia Summi Pontificis est obtinenda. Atque ita declarasse sacram Congregationem refert Barbosa *in declarationibus ad cap. 3. sess. 25 Concilii*, per hæc verba: *Monachi non possunt ædificare Monasteria in Parochia, in qua ea non habent, sine cognitione, & licentia Papæ.* Atq; ita tenent Hieronym. Rodriguez *in compend. resolut. 55. num. 22.* Campanile *in diversor. juris Canonic. rubric. 12. cap. 18 num. 8.* Barbosa *de jure Eccles. lib. 2. c. 12. num. 11.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 7. sect. 2. num. 92.* Tamburin. *de jure Abbat. disp. 33. quæst. 1. num. 3.* & *tom. 3. de jure Abbatum, disput. 5. quæst. 1. numer. 3.*

Verior sententia judicamus.

136. Sed oppositum probabilius judicamus. Quia Pontifex Urbanus VIII. solum videtur loqui in ea Constitutione de illis Religiosis, qui facultates, seu licentias ad fundanda Monasteria non servata debita forma, post Concilium Tridentinum, & Clementis VIII. obtinuerunt, de quibus mentionem fecimus *nu. 124.* non de illis, qui ante Concilium privilegia, & indulta ad id obtinuerunt: quales sunt Minimi ex Julio II. & Carmelitæ ex Sixto IV. prout refert Casarrubius *in compend. privilegiorum Mendicantium verbo ædificare, num. 18* & 20. quibus privilegiis non derogat Concilium, sed solum præcipit, quod Monasteria non erigantur absque Episcopi Diœcesani licentia. Unde relinquit, quoad non expectandam Sedis Apostolicæ licentiam, in suo robore privilegia antiqua. Sacræ autem Congregationis declaratio, estò authentica sit, (de quo non constat) vel loquitur in aliquo casu particulari, ideoque non derogat omnibus: *quia res inter alios acta, aliis nocere non debet.* Vel certè loquitur spectato jure communi antiquo; non verò supposito privilegiis ante Concilium obtentis, & ab ipso non revocatis: & ita videtur praxi, & consuetudine receptum. Lezana *tom. 3. verb. Monasteria, num. 4.* Noster Thomas à Jesu *super Regul. Carmelitar. part. 3. cap. 2. glossa 2. § pro cujus.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disput. 23. sect. 5. num. 33.* Rodriguez *tom. 2. quæst. Regul. quæst. 49. artic. 3.* Sorbus *in annotat. ad compend. Mendicant. §. 20.* Cespedes *cap. 1. de exempt. disput. 2. n. 4.* Bruno Cassaing. *de privileg. tract. 4. cap. 6. propos. 12.*

negativa.

§. II.

## §. II.

### *Qualiter in erigendis novis Monasteriis servanda sit certa distantia inter unum Monasterium, & aliud?*

Privilegium cannarum explicatur.

137. QUamvis privilegia, quæ dicuntur *cannarum*, quibus certa distantia assignatur, quæ intercedere debet inter novum fundandum Monasterium, & alia jam fundata videantur inutilia his temporibus, quandoquidem ob decreta adducta, & explicata §. *præcedenti*, nulla Monasteria de novo construi possunt, nisi ex consensu Priorum, seu procuratorum aliorum Conventuũ ejusdem oppidi, vel per quatuor milliaria ab eo dissitorum, quod est majus spatium, quàm illud, quod per dicta privilegia conceditur. Nihilominus, quia dicta privilegia utilia sunt; tum in casibus illis de quibus locuti sumus *num.* 131. in quibus Episcopus absque aliorum Religiosorum consensu licentiam concedere potest. Tum etiam in casibus, in quibus dicta decreta per abrogationem, vel dispensationem, vel consuetudinem, vel per alium quemcumque modum desinunt obligare; Sciendum est, nomine *cannarum* intelligi mensuram octo palmorum mensuræ Hispanicæ. Miranda *in manual. tom.* 1. *quæst.* 33. *art* 4. Barbosa *de jure Eccles. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 75. & illud spatium *cannarum* mensurandum est à janua antiquæ Ecclesiæ, ad alteram recenter ædificatæ, licet aliunde horti essent contigui, ut ex declaratione Pontificis facta in quadam lite inter Fratres Minores, & Prædicatores Burdigalæ testatur Bruno *tract.* 4. *cap.* 6. *propos.* 13.

Diversa cannarum privilegia recensentur.

138. Quibus suppositis, plura circa præsens extant privilegia. Nam Clemens IV. ut refert Portellus *in dubiis Regularibus, verbo Monasterium, num.* 1 concessit Minoribus, nereliqui Mendicantes, aut quæcumque aliæ Religiones in paupertate fundatæ possent ædificare Monasteria intra spatium 300. Cannarum ab ipsorum Conventibus, mensurandarum per aerem, ubi aliàs rectè mensurari loci dispositio non permitteret. Consimile privilegium concessit idem Clemens Ordini Fratrum Prædicatorum, ut testatur Joannes à Cruce *de privileg. lib.* 2. *cap.* 9. *conclus.* 3. Atque idem Clemens IV. concessit Carmelitis Nostris, ut constat ex mari magno Carmelitarum Bulla 42. ne alii Ordines Mendicantes, Eccl si s, vel Monasteria ædificare, recipere, aut inhabitare possent juxta loca prædicti Ordinis intra spatium 140. cannarum mensurandarum per aera, ubi aliàs non permitteret loci dispositio alio modo mensurari, decernens, quidquid secus factum fuerit, irritum, & inane fore. Quod privilegium confirmavit, & innovavit Sixtus IV. in eodem mari magno *num.* 23. prohibitionem illam extendens non solùm ad Mendicantes, sed etiam ad quoscumque alios Religiosos, & Ecclesiasticas personas. Casarrub. *in compend. privileg. Mendicant. verb.*

*verb. ædificare, num. 16. & 19.* Lezana *tom. 3. verb. Monasteria, num. 19.* Item ex concessione Urbani IV. nulla ædificia construi possunt intra unum milliare ab Abbatiis, & locis Ordinis Cistercienſium, ſub excommunicationis pœna (quæ non est latæ, sed ferendæ sententiæ) ut habetur *in compend. Cistercienſium verbo ædificare, §. fin. & ex privileg.* Sixti IV. pro Carthusianis statutum est, ne intra dimidiam leucam à terminis possessionis ipsorū, alicui religioni liceret quodlibet ædificium construere, vel possessiones acquirere. Casarrub. *nu. 20.* § Sed Minimi habuerunt facultatem fundandi Monasteria etiam non distantia à Monasteriis aliorum Ordinum per 140. cannas à Julio II. ut testatur Peyrin, *tom. 1. privileg. Minim. in constitut. 7. Julii II.* quod etiam Jesuitæ obtinuerunt per privilegium à Gregorio XIII. Portel. *in dub Regul. verb. Monasterium, num. 3.* Barbos. *de jure Eccles. lib. 2. cap. 12. n. 17.* Miranda *tom. 1. quæst. 33. art. 4.*

Modo prodest privilegium cannarum etiam in civitatibus magnis.

139. Sed circa hæc notandum est primò, Quod licèt in civitatibus non sint in usu prædicta privilegia cannarum, cum plura diversorum Regularium reperiantur Monasteria valde conjuncta, & vicinissimè ædificata, & ita decisum fuisse sæpius à Sede Apostolica testetur Sorbus *in annotationibus ad compend. privileg. Mendicant. verbo ædificare, §. 1.* Peyrin. *tom. 1 privileg. Minimor. in Constit. 7. Julii II. num. 1.* Nihilominus si Regulares, quorum interest, velint reclamare allegantes prædicta privilegia; omnino audiendi sunt: ut multories se Romæ vidisse practicari testatur Lezana *tom. 3. verb. Monasteria, numero 20.*

Privilegium dictum per communicationem prodest aliis.

140. Secundò est notandum, in his omnibus privilegiis reperiri communicationem privilegiorum, quam cómuniter habent Regulares. Quod etiam dicimus de privilegio illo Julii II. pro Minimis relato, & de privilegio Gregorii III. pro Patribus Jesuitis, (licèt in eo dicatur illis esse singulariter concessum, & aliis incommunicabile; ob idque ipsi contendant aliis Religionibus minimè cōmunicari posse) secundùm à nobis dicta *hoc tractatu cap. 1. num. 107.* & modò tenet Bruno *tract. 4. cap. 6. propoſit. 13. verſu Poteſt primo.* Lezana *loco citato, num. 20.* Qui addit in tali privilegio Gregorii XIII. nullam inseri clausulam incommunicabilitatis. Quantum mihi constat, neque video quo fundamento hoc dicatur (inquit Lezana) cum potius videam in Bulla *Salvatoris* quæ est ejusdem Gregorii *in 2. tom. Bullarii inter Constitutiones ipsius, num. 39.* prædictum privilegium, quod à Pio IV. erat ipsis concessum ab eodem Gregorio confirmari sine dicta restrictione, quod aliis Religiosis communicari non posſit.) § Imò secundùm ea, quæ *loco citato num. 103.* diximus, si aliqua Religio ex Mendicantibus, cui prius concessum est privilegium cannarum, vellet fundare Monasterium juxta Monasterium alterius, cui solum per communicationem tale privilegium convenit, potest hæc defendere se contra illam privilegio illo cannarum alteri concesso; quia per commu-

municationem fiunt privilegia ita propria communicantis independenter ab alia, ac si ipsi essent speciali-ter primò concessa. Rodriguez *quæstion. Regul. tom. 1. quæst. 49. art. 5.* Confect. *in summ. privileg. Mendicant. tit. 18. num. 1.* Lezana *tom. 1. part. 2. cap. 1. num. 57.* & *tom. 3. verb. privileg. Regular. num. 24.* § Sed in praxi hoc observatur, ut secundum illam regulam juris: *Qui prior est tempore, potior est jure*, faveatur Monasterio prius erecto; ita quod illud, quod de novo est construendum, semper debeat per prædictas cannas ab antiquiori distare.

## §. III.

### *Qualiter, & quo jure possint Regulares sua Monasteria mutare, seu de uno in alium locum transferre.*

Sine licentia Pontificis potest Monasteriũ de uno ad alium locum transferri.

141. Asserendum est, quod licèt ex jure antiquo in *capite primo, de excessibus Prælatorum in 6. Clement. cupientes, de pœnis,* & *cap. unico, de Religios. domibus in 6.* non liceret Mendicantibus Monasteria mutare sine Sedis Apostolicæ licentia, nisi mutatio in eremos facienda esset: nihilominus ex privilegio possunt Prælati Regulares hoc tempore transferre Monasteria fundata in locis sterilibus, & inaquosis, vel saluti, aut eorum observantiæ Regularium minus idoneis, & proportionatis, ad alia loca magis idonea, cum suis redditibus, fructibus & proventibus, & bona sua secum ferre, & vendere ædificia, & fundum, præter Ecclesias. Ita concessit Benedictinis Vallisoletanis Pius II. Bulla 6. apud Rodriguez *in Bullar.* Idem concessit Sixtus V. 7. Kalend. Decembris anno 1580. Abbati generali Congregationis S. Benedicti Regnor. Portugal. prout refert Hieronymus Rodriguez *in compend. quæst. Regular. resol. 55.* Portel. *in dubiis Regular. verbo Monasteria, num. 7.* Idem concessit Sixtus IV. Minoribus in Bulla incipiente, *Regimini*, apud Emanuelem Rodriguez *in bullario*, *Bulla 14. ejusdem* §. 35. Idem Sixtus IV. concessit idem Prædicatoribus Bulla 14. & Alexander IV. *Bulla 7.* ut Joannes à Cruce refert *de privileg. lib. 2. cap. 9. dubio 1. conclus. 2.* & Minimis Julius II. in Constitutione incipiente *Virtute*, §. 2 apud Peyrin. *tomo 1. privileg. Minimorum, in Julio II. num. 2.* & his privilegiis uti possunt non solum præfatæ Religiones, quibus concessa sunt; sed aliæ, quæ cum ipsis habent communicationem privilegiorum. Lezana *tomo 3. verb Monasteria, nu. 38.* Confectius *in summa privileg. titul. 48. capite 3.* Miranda *supra quæstione 33. artic. 2.*

Possunt qui ad alium locum transferuntur, omnia sua bona secum portare.

142. Sed notandum est primò. Quod ex vi istorum privilegiorum possunt tam Religiones, quibus conceduntur, quam communicantes cum illis in privilegiis, omnia bona mobilia, etiam pretiosa secum ferre, calices, paramenta, & reliqua omnia, quæ in priori habebant Monasterio, & materiam ipsam ædificatorum

Conventuum, ligna, lapides, &c. & cymbala, horologia, & altarium imagines, & reliqua omnia, quæ in antiquo Monasterio erant, ad novum transferre possunt, absque eo, quòd Ordinarii in hoc se possint ingerere, ut patet ex supradictis privilegiis. Sed Ecclesias debent relinquere integras, quas nullo modo profanare, aut usibus profanis laicorum addicere possunt: *Quia semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum*, ex regula *semel juris in 6.* & ut dicitur in *cap. ligna, de consecrat. dist. 1. Ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Eccl siam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus; in laicorum verò usum non debent admitti.* § Secundò notandum est hujusmodi Monasteria, seu loca Regularium derelicta, non esse in habitacula sæcularium, vel laicorum convertenda, nec cum sæcularibus commutanda, vel eis quovis commercio vendenda: uti cavetur *in cap. Nemini, cum sequentibus 16. quæst. 7. cap. qua semel 16. quæst. 3.* Quamvis magnæ alicujus necessitatis ergo, & rationabili existente causa, de consensu Episcopi possit Monasterium deseri, vel destrui, & profanis usibus addici. Ad quod refert Naldus *in summ. verb. Ecclesia, nu. 23.* declarationem quandam S. Congregationis, in qua habetur, quod Ordinarii arbitrio relinquitur, quando Ecclesiæ dirutæ converti possint in privatas domos, aut loca publica; sed ad usus sordidos deputari non debent; & pecunia ex ipsis comparata, est convertenda in bona stabilia Ecclesiæ, vel eroganda in alios pios usus. Hieronym. Rodriguez *in compend. quæst. Regular. resolut. 55. num 7.* Barbosa *lib. 2. de jure Ecclesiast. cap. 12. num. 59.* Miranda *quæst. 33. artic. 1. conclus. 1.* § Tertiò notandum est, Quòd quando Monasterium de uno in alium locum transfertur, non amittit jura, & privilegia, quæ habebat; sed post translationem retinet eadem privilegia, & jura: quia Ecclesia, Civitas, Castrum, Collegium, ac alia loca, si Superioris authoritate in alium locum transferantur, adhuc sua jura, privilegia, & exemptiones retinent, uti docet Glossa *in cap. privilegium, de Regul jur. in 6.* ergo idem dicendum est de Monasterio. Tamburin. *tom. 3. de jure Abbatum, disp. 5. q. 6. n. 1.*

143. Cæterùm restat quandam resolvere quæstionem: An nimirum solemnitates, & conditiones *supra n. 129.* recensitæ, requisitæ pro fundatione novi Monasterii, requirantur, quando jam fundatum de uno in alium locum transfertur; & singulariter an debeat Ordinarii licentia præcedere, & consensus aliorum Ordinum in eodem loco, vel per circuitum quatuor milliarium degentium? § Pro quorum decisione notandum est ex sapientissimo nostro Lezana *verbo Monasteria, num. 38.* hujusmodi mutationem, seu translationem Monasteriorum tripliciter posse contingere: Primò quidem, ita ut acquiratur novum Monasterium, & non deliquatur antiquum: & talis modus cum potius sit acquisitio novi Monasterii, quam mutatio; eadem for-

Triplex modus quo translatio fieri potest explicatur.

forma, & solemnitas pro illo requiritur, quam requiri diximus §. 1. pro nova erectione Monasterii. Secundo modo ita ut deseratur antiquum Monasterium, & non acquiratur novũ: & hoc modo certum est non requiri prædictas conditiones, ut ex se constat. Tertio modo ita ut deseratur antiquum Monasterium, & in eodem oppido novum ædificetur, & de hoc modo procedit quæstio, ad cujus resolutionem supponitur, quod de novo erigendum sit & ædificandum in oppido, vel propè istud, necnon pro casu quo aliis posset præjudicium afferri: cujus sublato periculo, ut si ad locum transferretur, patet quid dicendum. § Item supponitur, quòd translatio fiat de uno loco in alium intra eandem, vel propè eandem civitatem, villam, vel oppidum, si enim translatio fieret ex una civitate, aut oppido, ad aliud, vel aliam, procul dubio requirerentur ad illam omnes conditiones, & solemnitates desideratæ in decretis Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. de quibus §. 1. loquuti sumus: quia in illis est sermo de novorum Conventuum erectione, ut ex verbis ipsorum liquido constat. Quãdo autem Monasterium transfertur de una civitate ad aliam, propriissime dicitur, ibi de novo erigi Monasterium, imò novum absolutè ædificari: ergo. Maximè, quia in tali mutatione, seu translatione, potest & debet attendi ratio motiva, propter quam Pontifices prædicta edidêre decreta, quæ fuit cavere, ne damnum seu præjudicium aliis Monasteriis inferatur. Videatur Riccius *in decis. Curiæ Neapolitanæ decis.* 168. Cherubin. *in compend. Bullarii, in Constitut.* 99. *Clementis VIII. sibol.* 1. § Quare dubium solum procedit, quando jam fundatum in illo oppido Monasterium deseritur, & intra illud, vel propè illud, ad alium locum transfertur.

144. In quo, aliorum placitis relictis, asserimus nullam ex dictis conditionibus ad talem translationem requiri (quamvis consultius sit illas adhiberi) nisi fortè ratione propinquitatis ad aliud Monasterium, juxta quod de novo transfertur, inferret præjudicium: quia tunc istud privilegio cannarum uti posset, ad talem erectionem impediendam. Quòd autem solemnitates prædictæ, ut sunt licentia Episcopi, & aliorum Religiosorum consensus non requirantur, Probatur primò: quia in privilegiis *supra numero* 128. adductis conceditur nobis Carmelitis Discalceatis à Paulo V. facultas ædificandi cum licentia Ordinarii non exspectato aliarum Religionum consensu, & à Sixto V. aliis, aliis Julio II. quod etiam absque licentia Ordinarii, possint ubique locorum Monasteria erigere: & hoc nobis concessum fuit cum revocatione decreti Clementis VIII. in Bulla, quæ incipit: *Quoniam ad institutam, & Capitis primi, de excessibus Prælatorum in 6.* quæ privilegia licet (ut nos diximus *num.* 125.) revocata, & cassata sint ab Urbano VIII. non extenditur tamen illa revocatoria Urbani, nisi ad erectionem, vel fundationem novi Monasterii,

In translatione Monasterii nec licentia Ordinarii, nec aliorum Religiosorum consensus requiritur.

sterii, domus, aut Collegii. Sed quando de uno in alium locum transfertur Monasterium jam fundatum, intra eandem urbem, non dicitur novum Monasterium de novo erigi: ergo pro tali casu relicta sunt in suo robore dicta privilegia, & minimè revocata. § Secundò (quo præcedens probatio magis roboratur) quia in Constitutionibus, & Decretis Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. nullum est verbum denotans, sub eis comprehendi mutationem, seu translationem istam, de qua loquimur: quia solum est in eis sermo de novorum Conventuum erectione, ut patet ex verbis ipsorum *supra* §. 1. adductis: cùm tamen de illa expressa mentio fieri deberet: quia sæpius circa ipsam multæ lites, & controversiæ Romæ apud sacram Congregationem excitantur & agitantur.

Ulterius dicta assertio probatur.

145. Tertiò eadem assertio probatur: quia in translatione unius Monasterii de uno loco in alium intra eandem civitatem, villam, aut oppidum, non militat ratio illa motiva: quâ moti sunt Pontifices ad talia decreta edenda, quibus cavetur ne multiplicatis fundationibus per novas erectiones Monasteriorum, Conventibus, & Ecclesiis antiquis, aliquod præjudicium fiat. Hæc enim ratio cessat in nostro casu: quia jam supponitur fundatum in urbe Monasterium, & Regulares Monasterii, quod mutatur, sive transfertur, habent jus ad commorandum, permanendum, & quærendas eleemosynas, Missas, & alia, in dicta civitate, vel oppido: ergo. § Quartò denique: quia sic declarasse sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium die 13. Septembris anno 1641. pro Patribus Capucinis, testatur Noster Lezana *tomo tertio, verbo Monasteria, numero 33.* ubi dicit sacram Congregationem declarasse mutationem hitus Conventus non esse novam erectionem, nec comprehendi Constitutionibus Apostolicis super erectione novorum locorum editis. Sic Rodriguez *tomo secundo, quæst. Regular. quæstione 49. articulo 9.* Lezana *loco citato, & tomo primo, capite nono, numero 35.* Miranda *in Manuali, tomo primo, quæstione 33. articulo secundo.* Diana *tertia parte, tractatu secundo, resolutione 136.* Peyrin. *tomo secundo, privileg. Minimor. in Constitut. 6. Gregorii XV. & tomo tertio, capite undecimo, numero decimo octavo,* Tamburin. *tomo tertio de jure Abbat. disputatione quinta, quæstione prima, numero nono, & decimo quarto.* Barbosa *de jure Ecclesiastico libro secundo, capite duodecimo, numero sexto,* alter Rodriguez *in compend. resolutione 55. numero quarto.* Pellizzar, *tractatu octavo, capite septimo, sectione secunda, numero nonagesimo primo.* Celpedes *de exempt. disputatione septima.* Navarr. *titul. de ædificatione Monaster. super Bulla Urbani VIII. num. 7.* & alii.

§. IV.

## §. IV.

### *An, & quomodo Regulares deserere possint Monasteria ædificata?*

Monasteria dimitti possunt sine licentia Sedis Apostolicæ.

146. EGimus §. *præcedenti* de mutatione Monasteriorum, & de derelictione Monasterii cum translatione illius ad aliud locum: modò de omnimoda illius derelictione, absque eo, quòd ad alium locum saltem intra eandem urbem transferatur, agendum est; Et quidem hanc quoque ex jure communi antiquo esse prohibitam Mendicantibus facere absque expressa licentia Sedis Apostolicæ, constat *ex capite primo, de excessibus Prælatorum in 6. cap. unico, de Religios. domibus eodem libro*, sicut etiam ex *Clementina cupientes, de pœnis.* Sed extat circa hoc privilegium Sixti IV. concessum Fratribus Minoribus, quod refert Confectius in *collectan. litterarum Apostolicarum Bulla 12.* & Casarrubius *in compend. verbo ædificare, numero octavo*, his verbis: *Idem Sixtus concessit Generali Fratrum Minorum de observantia licentiam, & facultatem, ea loca, quæ Fratribus suis minus commoda esse cognoverit, dimittendi in manibus Ordinariorum locorum, & illa liberè deserendi prout eis visum fuerit expedire.* Etiam Urbanus VIII. concessit Ordini Minorum per Bullam relatam à Peyrin. *tom. 3. privil. c. 12.* Quòd Generalis dicti Ordinis supprimere possit Conventus tenues; eorum bona transferendo cum oneribus annexis, in Conventus majores. Aliam concessionem similem priori Sixti IV. factam à Sixto V. Generali Ord. S. Bened. in Portugal. refert Rodrig *quæst. Regul. tom. 2. q. 49. art. 2.* quæ privilegia aliis communicantur Religionibus, cum istis communicationem habentibus, ut notat Confectius *in sum. privil. tit. 18. cap. 3.* Lezana *tom. 3. verb. Monasteria, n. 43.* §. Casu autem quò Monasterium aliquod deseratur à Regularibus, & Religiosi illius trā ferātur ad aliud Monasterium, bona Monasterii derelicti acquiruntur Monasterio, ad quod Religiosi transferuntur. Si tamē cōtingat Monasterium penitus destitui, & Religiosos peste, bello, aliave ratione omnino extingui; tunc bona Monasterii subjacent liberæ dispositioni Papæ. Miranda *to. 1. q. 34. art. 3* Rodrig. *u. 3. q. 5. art. 4. & 6.* § Videātur à nobis dicta §. *præcedenti, n. 142.*

Quomodo Monasteria relinquenda, sint dimittenda in manibus Ordinarii?

147. Sed quia in privilegiis *num. præcedenti* adductis ponitur illa clausula: *Dimittendi in manibus Ordinariorum locorum*: Notandum est cum Lezana *verbo Monasteria, num. 44.* Pellizzar. *tract. 8. c. 7. sect. 2. n. 108. versu an autem regulares.* esse talia Monasteria derelinquenda in triplici differentia. Alia sunt, quæ ab oppidis, vel urbibus concessa fuêre Regularibus: & de istis procedit illa clausula, quòd quando deseruntur, in manibus Ordinariorum dimittantur: quia ad illos jure communi pertinent jura Ecclesiarum, & locorum piorum. Alia sunt, quæ ipsi Regulares eleemosynis acquisitis, vel propriis redditibus construxerunt, quæ non debent deseri in manibus Ordinariorum;

rum: sed possunt illa Regulares vendere, alienare, ac commutare, servata solemnitate pro bonis immobilibus alienandis præscripta, de qua latè egimus *hoc tomo tract. 15. de statu Religioso, cap. 7. punct. 2.* Nullo enim jure habetur, quòd dicti Religiosi teneantur ea, quæ sua sunt ab ipsis justè acquisita, Ordinario tradere. Alia denique sunt, quæ sunt juris Patronatus alicujus Patroni ratione fundationis, constructionis, aut dotationis; & tunc distinguendum est, Vel enim tales Patroni in contractu fundationis retinuerunt sibi dominium illorum locorum, in casu, quo Religiosi illa derelinquerent, vel non? Si primum; ad Patronos pertinent talia Monasteria, seu loca derelicta. Si secundum; idem dicendum est de illis, ac de locis, & Monasteriis ex eleemosynis acquisitis, ac redditibus Religiosorum erectis; de quibus ad ipsos pertinet Religiosos, modo quo libuerit, disponere. Addit Lezana *dicto num. in fine.* (Id tamen animadvertendum pro Fratribus minoribus, quòd cùm ipsa bona in communi non possideant, sicut aliæ Religiones ea possident; ideo hujusmodi monasteria, seu loca Regularia vel ab illis, ex eleemosynis constructa, vel à Patronis concessa, transeunt in dominium, & proprietatem Sedis Apostolicæ: & ita posse illos uti privilegio adducto, prædicta monasteria in manibus Ordinariorum deserendi; siquidem ipsamet Sedes Apostolica hoc illis concedit in eodem privilegio. Rodriguez *supra art. 7. §. Quantum autem.* Quod intellige tantum, quantum ad Ecclesias, & oratoria, & cœmeterium: nam quantum ad dormitorium, & officinas, seu loca alia monasterii, ea pertinent ad Patronos, seu fundatores, prout expresè habet Nicolaus III. *in cap. exiit, de verborum significatione.*)

147. Verum est modò difficultas an si Regulares sponte omninò reliquissent aliquod monasterium, & postea illud recipere vellent, necesse sit observare solemnitates, *numer. 129.* assignatas? Diximus sponte: quia si per vim, aut metum injustè illatum, Regulares sua loca, vel monasteria deserere cogantur, ut contigit in derelictione monasteriorum in partibus hæreticorum, in Anglia, Hybernia, Saxonia, &c. & contingere posset tempore belli, pestis, aut alterius damni imminentis, ad illa recuperanda non requiri prædictas solemnitates omnibus est notum. Tum, quia decreta illa, & Constitutiones, ut ex ipsis constat, solum loquuntur de nova erectione monasteriorum, nō autem de recuperatione illorum, quæ per vim, aut metum ab illis fuerunt ablata, vel ab eis deserta. Tum etiam: quia semper illorum dominium mansit apud Religiosos: qui licet per illam injustam ablationem, vel etiam derelictionem belli tempore privati fuerint illorum possessione, non tamen dominio: sicuti qui tempore tempestatis projicit bona sua in mare, eorum dominium non amittit, nec ab aliis ipso invito illa occupari possunt. § Quod verum habet, nisi monasterium, v. g. penitus eversum sit tempore belli, ita, quòd nec

Si monasterium involuntariè deseratur, ad ejus recuperationem solemnitates prædictæ non requiruntur.

nec fundamenta illius remanserint: nam tunc Episcopi licentia requiritur ad ejus erectionem, ob decretum Concilii Tridentini; quia sic ædificatio reputatur nova; non tamen vocandi sunt de necessitate alii Religiosi, aut consensus eorum expectandus; cùm damnum, aut præjudicium, quod illis fit non sit novum, sed jam antiquum. Si tamen penitus eversum Monasterium non fuerit, quia videlicet ejus fundamenta remanent, cùm non sit nova ædificatio, sed veteris reparatio; nec Ordinarii licentia requiritur. Cespedes *disp.* 10. & 13. *nu.* 3 Pelliz. *num.* 91.

Nec ut monasterium spontè relictum resumatur, requiruntur dictæ solemnitates.

148. Quæritur autem modò, quando Monasterium spontè à Religiosis relinquitur, & postea volunt ipsimet regulares recuperare, quid juris? affirmant in tali casu requiri solemnitates assignatas in Tridentino, & Constitutionibus Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. nimirum ut licentia obtineatur Ordinarii, & habeatur consensus aliarum Religionum; eò, quòd in ista reassumptione Monasterii militet eadem ratio, ac in ejus nova erectione. Cespedes *disputat.* 7. Cherubin. *in compend. Bullar. in Clement. VIII. Constitut.* 99. Peyrin. *tom.* 2. *privileg. Minimor. in constitut.* 6. *Gregorii XV. num.* 2. Pellizzar. *supra num.* 91. § Qui tamen oppositum tenet *eadem sectione secunda, num.* 108 *versu, At difficultas*, cum Lezana *verbo Monasteria*, *num.* 46. Rodriguez *quæst.* 49. *art* 9. Miranda *citat. quæst.* 33. *art.* 5. *conclus.* 1. Et merito: quia illud non est novum, sed antiquum Monasterium: & decreta supradicta de novis loquuntur erectionibus Monasteriorum, in quorum erectione prima, superatum est illud incommodum, quod aliis ex tali recuperatione sequi poterat, ita ut jam non sit incommodum, aut detrimentum novum, sed antiquum. Nisi fortè ex tali erectione aliis contingat detrimentum supervenire novum præter id, quod antiquitus erat: quia tunc necessarium erit servare dictas solemnitates, eo quòd in tali casu militet eadem ratio, & intentio Summorum Pontificum.

---

## §. V.

### *Qualiter Regulares unire possint duo, aut plura Monasteria, & unum alteri incorporare.*

Privilegia concessa Regularibus, ut unum Monasterium alteri possint incorporare.

149. CUm ob tenuitatem reddituum, vel eleemosynarum defectum, vel certè temporum inopiam, non possunt in Monasteriis ali quibus commodè, & Religiosè Regulares vitam transigere, diversa Pontifices concessere privilegia Prælatis, ut unum alteri unire possint, & redditus, bona, ac proventus unius ad aliud transferre, extat ad hoc privilegium Joannis XXIII. concessum Cisterciensibus Abbatibus in Capitulo Generali Congregatis. Quod refert Rodriguez *in Bullar. tom.* 1. *Joan XXIII. Bull.* & Joannis à Cruce *de privileg. Regul. lib.* 2. & est, ut asserunt, tenoris sequentis: *Ut quæcumque Monasteria dicti Ordinis, tam Mo-*

*nachorum, quàm etiam Monialium, quorum facultates, fructus, & proventus non sufficiunt ad sustentationem tot Regularium Personarum in eisdem Monasteriis, quot in eis pro augmento Divini cultus, ac Missæ, & aliis Divinis officiis celebrandis secundùm ejusdem Ordinis statuta requiruntur, aliis Monasteriis Religionis, & Ordinis prædictorum pro commodiori sustentatione degentium in eisdem, & quando pro statu, & quiete hujusmodi personarum id noveritis expedire, cum omnibus juribus, & pertinētiis suis, unum videlicet, alteri Monachorum, & aliud alteri Monialium Monasteriis ejusdem Ordinis. Diœcesani loci, aut cujuscumque alterius super hoc licētia minime requisita, liberè & licitè valeatis incorporare, non obstantibus, &c.* Simile huic est privilegium Pii II. cōcessum Priori Conventus Vallisoletani, quod refert Rodriguez *in Bull in Pio II. Bulla* 10. & Pey in. *tom.* 1. *privileg. Minimor. in Constitut.* 2. *Julii II. n.* 80. quæ ita habet: *Duo vel tria Monasteria sive domus dicti Ordinis, in quibus propter exiguitatem fructuum, reddituum, vel provētuum, tres, vel quatuor Monachi sustentari nequeunt; Abbatum, & Prælatorum dictorum Monasteriorū, expresso ad id interveniente consensu uniendi, annectendi, & incorporandi, ac in aliquo ipsorum Monasteriorum, sive domorum, Monachos usque ad numerū duodecim constituendi, & deputandi..... necnon fructus & proventus, ac redditus prædictorum omnium Monasteriorum, ut præmittitur uniendorum, quos pro expressis haberi volumus pro sustentatione Monachorum, in magis accommodis domibus, & Monasteriis commorantium deputandi, plenam, & liberam tenore præsentium concedimus facultatem, non obstantibus, &c.*

150. Etiam Urbanus VIII. Bulla supra relata *n.* 146. facultatem concessit Generalibus Minorū Conventualium, & Minimorum supprimendi, & extinguendi Conventus tenues, & pauperes; & eorum bona, & onera in alios Conventus transferendi. Et Innocentius VIII. concessit Prædicatoribus, quòd Conventus non valens sustētare octo religiosos, possit alteri incorporari per Vicarium Congregationis, seu Provincialem cum Diffinitoribus; dummodo hoc fine scandalo fiat, & in Ecclesia loci incorporati non cesset cultus Divinus. Alia diversa privilegia refert Tābur. *tom.* 3. *disp.* 8. *per totam.* Sed in istis, & aliis privilegiis communicant aliæ Religiones, quæ communicationis habent privilegium; cùm non sit ratio quare in aliis, & non in istis talis communicatio suffragetur. Lezana *tom.* 3. *verbo Monasteria, n* 41. Sed ad talem reunionem faciendam, nec Episcopi licentia requiritur: quia in primo privilegio expressè excluditur, & in aliis taci è, quando in eis, Prælatis libera, & absoluta facultas ad hoc conceditur: Neque consensus, aut beneplacitum Patronorum, qui prædicta Monasteria ædificarunt, aut dotarunt: quia de his nulla fit mentio in dictis privilegiis, quamvis obligationem imponant, ut constituatur de redditibus Monasterii uniendi Capellanus, qui exequatur onera à Patronis annexa fundationi; & ut cætera onera Conventus incorporati, cum

Alia ad id privilegia recensentur.

cum redditibus, & proventibus transeant ad Monasterium, cui ille unitur. Pelliz. *tract. 8. c. 7. sect. 2. n. 109.*

Bona Monasteriorũ monialium, quæ deseruntur, fratribus sui Ordinis applicantur.

151. Sed notandum est bona Monasteriorum Monialiũ, quæ omnino destituuntur, applicanda esse Monasteriis Fratrum, quibus dictæ Monniales erant subjectæ, ut concessit nobis Carmelitis Sixtus IV. in Bulla: *Dum attenta meditatione*, quæ est Mare Magnum Ordinis, illis verbis: *Cùm aliquando contingat Monasteria Monialium dicti Ordinis Monialibus destitui, adeo, ut de eorum reformatione spes nulla superſit, convenientiusque sit, quòd illorum sic destitutorum bona ad ipsos Fratres deveniant, quorum erant curæ commissa, quam ad alios, illa, quæ sic destituta extant, & destitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus, perpetuis usibus Fratrum domibus dicti Ordinis eisdem destitutis Monasteriis propinquioribus applicamus. Ita ut fratres ipsi possint de illis, & de eorum Monasteriorum structuris, & ædificiis, pro eorum voluntate disponere Proviso, quòd illorum Ecclesiæ, & Oratoria ad profanos usus non redigantur, sed in illis quandoque Divina officia celebrentur.* Hæc ultima clausula est conformis sacris Canonibus, *cap. quæ semel 19. q. 3.* juxta supradicta *num. 142.* Dictam Sixti IV. Bullam referunt Pellizzar *sup. n. 108.* Lezana *tom. 1. p. 2. c. 25. n. 48.* & *tom. 2. c. 19. n. 50.* Idem concessisse eundem Sixtum IV. Bulla 33. Prædicatoribus testatur ex illis Frater Joannes à Cruce *de privileg. lib. 2. c. 9. dub. 2. concl. 2.* ubi addit eundem Sixtum IV. Bulla 14. Minoribus concessisse, bona Monasteriorum Monialium destructorum ipsis subjectarum, licet non sint sui Ordinis, applicanda esse Minoribus Monasterii vicinioris.

## PUNCTUM V.

*De privilegiis eligendi judicem conservatorem, Regularibus concessis.*

Quid sit Conservator, & ob quã rationem sit concessus?

152. Conservator, ut in præsenti accipitur: *est judex à Papa delegatus, ad tuendos Regulares ab injuriis illis illatis, & illorum bona, jura, & privilegia defendenda.* Dicitur *delegatus*: quia Conservator ex jure communi non est judex Ordinarius, cùm jurisdictio illi concessa, non competat ratione officii, sed ratione delegationis. Quod intelligendum est, nisi in Bulla conservatoria expressè concedatur, ut Conservator tanquam judex Ordinarius procedat: quòd Conservatoribus Religionum, ob earum privilegia competere, infrà dicemus. Dicitur à Papa *delegatus*, vel constitutus: quia solius Summi Pontificis est, hos judices Conservatores instituere, seu ad illos instituendos facultatem præbere: quod nec Nuntius, nec Legatus à latere facere potest. Additur denique: *ad tuendos. &c.* quia hic est finis per se intentus in constitutione Conservatorum; ob idque *defensores* etiam vocantur; Cũ enim Religiosi in suis causis cum sæcularibus personis, & aliis extraneis, nullum habeant judicem præter Summum Pontificem, ad quem immediatè recurrere magni

est detrimenti, & incommodi tam pro ipsis, quàm pro aliis, qui cum Regularibus, quãdoque lites habent, ideo Summi Pontifices, ut hujusmodi incommodis occurrerent, pro eisdem Regularibus judices Conservatores statuere, qui eos defenderent à manifestis injuriis: & ex hoc Conservatores vocantur, *cap. 1. & final. de Officio judicis deleg. in 6.* Materiam istam pro praxi adeo necessariam aliqui nimis breviter percurrunt, alii latissimè pertractant; media via incedimus, in tres §§. Punctum istud dividentes. In primo privilegia eligendi Conservatores proponemus, & modum, & formam talis electionis explicabimus. In secundo qualitates pro eligendis in Conservatores in jure, & privilegiis requisitas. In tertio amplitudinem potestatis, ac jurisdictionis illorum ponderabimus.

---

## §. 1.

*Diversa proponuntur privilegia, pro Conservatoribus eligendis, & quomodo designati teneantur electionem acceptare, necnon modus, quo eligendi sunt, explicatur.*

Privilegia pro eligendis judicibus conservatoribus,

153. Omnes Regulares utriusque sexus habent à Sede Apostolica facultatem nominandi, ac designandi judices Conservatores, qui ipsorum publicent privilegia, ac eisdem Religiosis efficacis defensionis præsidio assistant, & faciant eos gaudere privilegiorum suorum pacifica possessione, non permittendo per alios quoscumque eos molestari, & adversus molestatores per censuras procedendo; etiamsi opus fuerit invocando auxilium brachii sæcularis. Sic enim concessit nobis Carmelitis Sixtus IV. in celebri ille Bulla: *Dum attenta*, quæ est Mare Magnum Ordinis, & idem eundem Sixtum IV. concessisse quatuor Ordinibus Mendicantibus, testatur Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quæst. 65. art. 5.* Specialiter hoc habent Patres Dominicani à Pio V. Bulla incipiente: *Ad hoc nos Deus*, in compend. Prædicatorum, ut testatur M. Fr. Joannes à Cruce *tract. de privileg. lib. 2. cap. 10. initio*, & Julius II. in Bulla. *Alias venerabilem*, anno 1507. edita. Idem concessit idipsum Ordini Minimorum, teste Laurent. Peyrin. *tom. 1. privileg. Minimor. ad Constitut. Julii II. num. 4.* Idem eisdem Minimis concessit Clemens VII. Bulla *Conquestionem*, anno 1524. Amplissimam etiam circa hoc concessionem fecit Greg. XIII. Societati Jesu in Bulla: *Æquum reputantes*, quæ est inter Bullas hujus Pontificis *in 2. tom. Bullar. num. 1.* De aliis etiam privilegiis circa hoc Ordinibus concessis, latè agit Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg. 106. à num. 5.* Sed hæc modo recensuimus, quia ad illa multoties toto hoc puncto recurremus. § Porrò in omnibus dictis privilegiis, & aliis, quæ prætermittimus, communicant omnes Religiones, quæ privilegium habent communicationis cum aliis, uti docet Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 3. nu. 17. & part. 5. cap.*

propo-nuntur.

*cap.*10.*num.*5. & supponit Ioannes à Cruce *lib.*2.*cap.*10. *per totum*, ac sic esse decisum à Sacra Congregatione testatur Barbosa *in collect.bullar. verb. Conservator.*

Conservatores electi tenentur suam electionem acceptare.

154. Conservatores autem electi à Regularibus ex vi horum privilegiorum, nisi Religiosi fuerint, tenentur sub peccato mortali hoc munus acceptare ; ob speciale mandatum Summorum Pontificum, qui id ipsis præcipiunt sub gravissimis pœnis. Nam Julius II. id præcipit sub pœna excommunicationis. Pius V. idem jubet sub excommunicationis, & suspensionis pœna, latæ sententiæ soli Papæ reservatâ. Rodriguez *qq. Regul. tom.*1.*quæst.*65.*art.*4. Pellizzar. *tract.* 8.*cap.*8.*sect.*4.*num.*97. Pottel. *in dub. Regul. verb. Conservatores, num.*3. N. Antonius à Spiritu sancto *tract.* 2.*de privileg. disp.* 1.*sect.*4 *num.*268. Peyrin. *tom.*1.*privileg. Minimor. Constitut.* 4.*Julii II. num.*30. Lezana *tom.*1.*parte* 3.*cap.*10.*num.*18. § Diximus *nisi Regulares fuerint.* Nam isti ex privilegio speciali ipsis concesso , non tenentur acceptare judicaturas , vel commissiones à Sede Apostolica injunctas. Ita concessit Carmelitis Sixtus IV. Bulla 37. Prædicatoribus Honorius V. Bulla 6. Minoribus Gregorius IX. Bulla 2. & Cœlestinis, ac Benedictinis Eugenius IV. illis in Bulla 7. istis in Bulla 9. ut testatur Doctissimus Dominicanus Joannes à Cruce *tract.*1.*de privileg. lib.* 2. *cap.* 10.*dub.*1. *concluf.*3. § Nobis autem Carmelitis Excalceatis prohibetur Conservatoris judicis vice fungi, nisi ex mandato expresso Summi Pontificis, sub pœna privationis officii, & vocis, ac loci per sex menses , in nostris constitutionibus, ab Alexandro VII. confirmatis 3.*part.cap.*13.*numero* 5.

Semel uno electo Conservatore, non potest pro illa causa alius eligi.

155. Semel autem designato Conservatore pro una causa, eoque acceptante, non potest alius pro eadem causa nominari : quia jam talis nominatus authoritatem habet à Sede Apostolica pro illa causa. Qua privari non potest , nisi gravi ratione de novo urgente, ut si nominatus, infirmitate, aut alia justa causa impediatur à prosecutione talis causæ ; vel si nolit, aut malitiose in ea procedat. A Cruce *dub.*1.*concl.* 4. Lezana *numer.* 19. Antonius à Spiritu sancto *num.* 208. Rodriguez *tom.*1.*quæst.*65. *art.* 1. § Ex privilegiis autem supra relatis, specialiter ex privilegio Pii V. Bulla 28. pro Prædicatoribus, & Gregor. XIII. Bulla 18. pro Jesuitis, quilibet Conservatorum potest prosequi articulum per alium inchoatum, licet qui inchoavit , nullo sit Canonico impedimento præpeditus.

Judex Conservator Regularium potest aliis suas vices committere.

156. At ipse judex Conservator licèt ex jure communi non possit alterum subdelegare *ex cap. final. de officio deleg. in* 6.*ut num.*152. dicebamus, exceptis citationibus, & sententiarum denuntiationibus, nisi aliter eis committatur ; Sunt enim judices delegati, & tales ut in dicto *cap. final.* dicitur: *Vices suas nulli committere possunt , nisi hoc eis competierit ex beneficio litterarum.* Nihilominus attentis supra relatis privilegiis , id manifeste potest: quia in eis conceditur facultas ad delegandum suam jurisdictionem & au-

& authoritatem, ut patet ex Bulla Sixti IV. pro Carmelitis, illis verbis: *per se, vel alium, vel alios, &c.* & Clementis VII. pro Minimis: *per vos, vel alium, seu alios.* Quod idem concessit Gregorius XIII. pro Jesuitis: imo ibi expresse eos judices Ordinarios appellavit, & merito; Nam dantur ad universitatem causarum, ut patet ex illis verbis Sixti IV. pro Carmelitis: *In quibuscumque causis per eos promovendis*, quacumque ratione. Quod idem indulsit Clemens VII. Minimis, Pius V. Dominicanis, & Gregorius XIII. Jesuitis; judex autem ad universitatem causarum, Ordinarius est, ut tradit Glossa *cap. cùm causam, de appellationibus*; & sic potest subdelegatos creare, aliisque suas vices committere; dummodo isti habeant omnes condi iones, quas pro judicibus Conservatoribus necessarias esse dicemus §. *sequenti.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 8. sect. 4. num. 81. & 106.* Peyrin. *tom. 1. privileg. Constit. 5. Gregor. IV. §. 1. num. 2.* Tambur. *de jure Abbatum, tom. 3. disp. 17. quæst. 1. nu. 6.* Bordon. *tom. 3. resolut. 95. num. 9.* Moneta *de Conservatorib. cap. 7. quæst. 2. num. 58.* Rodriguez *tom. 1. quæst 65. art. 10.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg. 106. num. 2. & 3.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10. num. 25. & 26.* qui benè advertit hinc sequi non esse necessarium, quòd in citatione inserant litteras Conservatorias; sed sufficere si instar aliorum judicum Ordinariorum, de eis constet in actis Notarii Curiæ ordinarii.

Morte Pontificis non expirat facultas Conservatoris.

157. Licèt dentur plures authores asserentes officium Conservatoris extingui, & expirare per obitum Papæ concedentis, quoad negotia non cœpta; eo, quòd Bonifacius VIII. *in cap. final. de offic. judicis delegati in 6.* dicat: *Officium quorumcumque Conservatorum, quoad non cœpta negotia per obitum concedentis expirare*: quam Constitutionem Gregorius XV. in Bulla, quam multoties hoc puncto infra adducemus, innovavit, & confirmavit, quod est conforme juri communi, secundum quod facultas delegati, re integra, seu in causa non cœpta, amorione, aut morte delegantis expirat. Ita Chokier *de jurisdict. Ordinar in exempt. part. 1. quæst. 39 num. 14.* Barbos. *de offic. & potest. Episcop. allegat. 106. num. 50.* § Nihilominus si attendamus ad privilegia supra adducta Religionum, non cessat munus Conservatorum ob mortem Pontificis, quia eliguntur virtute concessionis factæ Religioni, quæ est perpetua, & ideo etiam talis facultas, & privilegium est reale, non Personale. In illo autem *cap final.* sermo est de Conservatoriis personalibus, concessis privatis personis; non de realibus concessis Religionibus, quæ sunt perpetuæ. Rodriguez *tom. 1. quæst. 65. art. 6.* Miranda *in Manual. tom. 2. quæst. 47. art. 6.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10. num. 20.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. disput. 1. sect. 4. num. 209.*

Modus quo se debent Conservatores habere,

Sed inquires primò: quando, & quomodo Conservatores judices Regularium in cognoscendis causis ipsorum, possunt adhibere Assessorem, Notarium, & testes? Respondetur ex Pellizzar. *sup. num. 112.* N. Lezana

in assumendis Assessoribus, Notariis & testibus.

zana *num.* 77. quod Bonifacius VIII. *in citato cap. final. de offic. deleg in 6.* quod confirmatur, & innovatur per Constitutionem Gregorii XV. infra adducendâ observare jubet id, quod ipse alias præceperat de judicibus delegatis observari, *in cap. statutum de rescriptis in 6.* ubi sic dicitur: *Assessorem autem, ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeat, quòd conscientia relinquatur ejusdem, sibi nequaquam adjungat; alioqui de suo proprio teneatur providere eidem. Si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, ei de competenti salario, providè moderando ab eo, faciat à partibus communiter provideri. Notarium verò, vel Notarios in causa sibi commissa scribentes, qui plurimum in exigendo salario metas rationis excedunt (ut ad ipsius spectat officium) prudenter refrænet. Nec cum ipsis, aut cum Assessore prafato lucrum participet ullo modo. Si quid autem contra Constitutionem præsentem receperit, ad ipsius restitutionem integrè teneatur, nulla eorum quibus restitutio facienda fuerit remissione nullatenus profutura eidem. Proferendo quoque testimonio (prætextu cujus aliqui alios fraudulenter interdum à judicibus vocari procurant, ut eos laboribus, & expensis fatigent, aut extorqueant aliquid ab eisdem,) nullum ullatenus convocet, nisi quando conditio, & status causæ requirent. Sed nec tunc (nisi à producente) competentes vocato pro testimonio, veniendo, & redeundo faciat ministrari expensas. Quidquid autem contra prænissa, vel eorum aliquid contigerit attentari, sit ipso jure irritum, & inane.* Hactenus Pontifex Bonifacius.

158. Inquires secundò ad quem pertinet Conservatorem nominare, seu designare? Aliqui dicunt hoc privative non competere Prælatis, sed ipsis cum suo capitulo, seu communitate, cujus consensu debet eligi, seu designari, quia eligitur in favorem totius Monasterii: ergo ad ejus electionem totus Conventus debet cõcurrere, secundùm illam regulam: *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.* Sic Bordonus *tom. 3. resolut. 95. num. 16.* Pellizzar. *tr. 8. cap. 7. sect. 4. num. 86.* § Verum licet hoc ita sit stando in jure communi; nihilominus secundum privilegia superius relata, quæ amplissima sunt, possunt omnes Prælati, etiam locales, imo singuli Religiosi particulares, nominare sibi judices Conservatores, uti ex concessione Sixti IV. pro Carmelitis. Pii V. pro Prædicatoribus, Julii II. pro Minimis, & Gregorii XIII. pro Jesuitis, probant Lezana *supra num.* 80. Antonius à Spiritu sancto *numero* 198. Joannes à Cruce *libro 2. cap. 10. initio.* § Electus autem in Conservatorem tenetur ostendere Ordinario suam facultatem; quia sic decrevit Gregorius XV. in sua Constitutione illis verbis: *Ejusque electionis, seu assumptionis documentum penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur.* Lezana *num. 85.* Peyrin. *tom. 2. privileg. Minim. constit. 5. Gregorii XV. num. 39.*

Eligere Conservatorem pertinet ad Prælatum Regularem.

159. Inquires tertiò, quæ forma adhiberi possit ac debeat à Regularibus, ad eligendum, vel restituendum judicem Conservatorem? Respondetur, quod sub his, vel similibus verbis

Forma eligendi judicem Conservatorem

mutatis aliis mutandis, talis electio, seu constitutio fieri potest. Quæ proponit Laurent. Peyrin. *in suo formulario, in litt. C. cap.* 20. (Frater, N. Ordinis, N. Generalis (vel si Prior fuerit, Conventus N. Prælatus) Domino N. salutem in Domino. Sedes Apostolica Regularium Personarum, quæ relicto sæculo Dei sese obsequio manciparunt, quieti, ac tranquillitati consulere cupiens, ad ea, quæ Religiosum eorundem propositum impedire possunt, removenda solicitè semper, ac paternè intendit. Contuens igitur refrigescente charitate sic complurium iniquitatem abundare, ut succensa, veluti ignis, eorum impietas, contra Ecclesias, ac Regulares Personas eo validius inflammetur, quo eas infirmiores esse, vel qui easdem tueantur rariores cernit comperiri: hujusmodi molestatoribus, præsumptoribus, atque injuriosis hominibus sese opponere, eorundemque temeritatem compescere, quam maxime cupiens, Viros gravitate, authoritateque præcellentes, necnon in Ecclesiastica dignitate constitutos, qui eas ab apertis injuriis & vexationibus tuerentur in Protectores, Conservatoresque eligendi facultatem, gratiosè concessit, ac liberaliter impertivit. Quo sane beneficio nostræ Provinciæ (vel nostri Monasterii) fratres frui peroptantes, Vestræ Dominationis pietati, virtuti, doctrinæ, ac zelo, necnon in agendis prudentiæ summopere fidentes, unanimi voce, ac suffragio pro tali negotio Conservatorem libentissimè elegerunt: quatenus videlicet juxta Canonicas sanctiones, sibique ab Apostolica Sede concessa privilegia, efficacis suæ defensionis præsidium, ut res postulaverit, eidem præstare, ac exhibere non dedignetur. Quamobrem præsentium tenore, ac vi, præfatam Dominationis Vestræ electionem notam facimus, eandemque quantum officii nostri ratio postulat laudamus, approbamus, & confirmamus cum omni ea authoritate, & potestate, qua juxta Canonicas Sanctiones, & nostri Ordinis privilegia, Regularium Ordinum Conservatores frui valent, ac gaudere. In quorum fidem, &c.

## §. II.

### *Quas qualitates debeant habere, qui secundùm prædicta privilegia, & sanctiones Apostolicas institui possunt Judices Conservatores?*

160. QUæcumque persona in Ecclesiastica dignitate constituta potest eligi in Judicem Conservatorem; uti ex omnibus privilegiis §. *præcedenti* relatis constat. Cùm autem Dignitas sit administratio rerum cum jurisdictione, in quo differt *à Personatu*, qui est præeminentia, seu præcedentia sine jurisdictione: ideo omnes illi, qui talem administrationem, cum jurisdictione habuerint, eligi poterunt in Conservatores: ut Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, Abbates, qui om-

Qui possunt eligi in Conservatores recipiuntur.

omnes in dictis privilegiis exprimũtur, imo etiam Domini Cardinales, qui quamquam specialiter non nominentur in illis, cùm tamen habeant maximam Dignitatem, inter Dignitatem Ecclesiasticam habentes, debent numerari. Lezana *tom. 1. part. 3 cap. 10. num. 12.* Moneta *de Conservatoribus, cap. 5. quæst. 3. num. 3.* Peyrin. *tom. 2. privileg. Minim. in Constit. 5 Gregorii XV. §. 2. num. 12.* § Etiam Vicarii Generales Episcoporum, & eorum Officiales Generales ubilibet constituti, possunt ex vi prædictorum privilegiorum judices Conservatores esse, ut expresse habetur in illis. Etiam Archidiaconi, Archipresbyteri, Præpositi, Decani Ecclesiarum; siquidem hi omnes habent Dignitatem Ecclesiasticam. Imo Canonici cujuscumque Ecclesiæ Cathedralis esto Canonicatus, nec Dignitas, nec Personatus esset. Nam in Bulla Sixti IV. pro Carmelitis, Clem. VII. pro Minimis, Pii V. pro Dominicanis, & Gregorii XIII. pro Jesuitis expresse dicitur posse Canonicos Ecclesiarum Cathedralium in Conservatores nominari.

Canonici Ecclesiarum Collegiatarũ non possunt institui Conservatores.

161. Canonici verò Ecclesiarum Collegiatarum licet forsan possent olim propter aliqua Regularium privilegia in Conservatores eligi; modò tamen id fieri non potest, sed necesse est tales Canonicos Ecclesiarum Cathedralium esse: quia Clemens VIII. in Constitutione facta anno 1592. quæ habetur *in tom. 3. Bull. inter Constitutiones hujus Pontificis, num. 3.* & apud Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg. 106. num. 54.* declaravit nullas esse omnes, & quascumque in judicem Conservatorem deputationes eorum, qui qualitates non haberent requisitas à Bonifacio VIII. in Constitutione, quæ incipit *statutum*, & habetur *in cap. 11. de rescript. in 6.* Inter quas una est: sancimus igitur, ut nullis nisi Dignitate præditis, aut Personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causæ authoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorũ ejusdem de cætero committantur. Idem præstat Gregorius XV. in Constitutione, incipiente *Sanctissimus*, anno 1621. edita, quæ habetur *in 4. tom. Bullar. inter Constitutiones hujus Pontificis, num. 9.* & apud Peyrin *tom. 2. privil. Minim. inter Constit. hujus Pontif. num. 5.* & apud Bordon. *tom. 3. resolut. 95. num. 4.* Barbosa *jup. num. 55.* & hic Pontifex etiam renovat Constitutionem dictam Bonifacii VIII. quæ incipit *Statutum*, & revocat omnia privilegia, concessiones, & indulta in contrarium. Et ita tenent Bordon. *supra numer. 15.* Peyrin. §. 2. *num. 10.* Barbos. *allegat. 106. num. 12.* Moneta *de Conservator. cap. 5. quæst. 8. à num. 118.* Lezana *sup. num. 52.* § Priores tamen, Archipresbyteri, vel aliis dignitatibus dictarum Collegiatarum insignes Viri eligi poterunt in Conservatores: quia illi sunt Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ. § Et etiam eligi poterunt in Conservatores, Personatus habentes, etsi Dignitatem non habeant: quia licet in virtute privilegiorum §. *præcedenti* propositorum non possint, possunt tamen ex vi

trium modo propositarum Constitutionum Bonifacii VIII. Clementis VIII. & Gregorii XV. cum in eis expresse dicatur, *vel personatum obtinentes.*

Non potest esse Conservator sui Conservatoris.

162. Nemo autem potest esse Conservator sui Conservatoris, ex jure communi; quòd aliqui Prælati non attendentes, munus Conservatorum ad invicem exercebant. Nec habere quis potest pro Conservatore eum, qui est sub ejus jurisdictione, dominio, vel districtu Ecclesiastico, vel temporali, Regibus, & Regnis exceptis. Quod totum deciditur *in cap. ultim. de officio & potestat. judic. delegat. in 6.* Barbosa *numer.* 14. Lezana *numer.* 21. Pellizzar. *tract. 8. cap. 7. sect. 4. numer. 91.* § Controversiæ autem ortæ inter Conservatores, & Ordinarios super competentia jurisdictionis, per arbitros in forma juris electos decidendæ sunt, & interim in causa non est procedendum: sic enim statuitur in Tridentino *sess. 14. cap. 5.* & in Constitut. dicta Gregor. XV. sic habetur: *Si qua verò inter judices Conservatores hujusmodi, & locorum Ordinarios controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos super jurisdictionis competentia fuerit judicatum.*

Prælati Regulares possunt instituì Conservatores.

163. Cæterum nunc est prima difficultas; an Prælati Regulares immediati, ut Priores, Guardiani, &c. possint eligi in judices Conservatores? Respondetur, posse, tam ex jure communi, quàm ex privilegiis: quia sunt Personæ in Dignitate constitutæ; est enim Dignitas eorum munus, cum habeant administrationem, cum jurisdictione, tam in foro interno, quàm externo. Quibus accedit, quòd in privilegio Clementis VIII. pro Minimis, prædictæ litteræ Conservatoriæ dirigantur etiam ad Priores. Rodriguez *quæstionum Regularium tom. 1. quæstione 65. art. 3.* Peyrin. *tom. 2. privileg. Minimor. in Constitut. 5. Gregorii XV.* §. 2. *numer. 11.* Tambur. *tom. 3. disputat. 17. quæst. 4. num. 1.* Bordon. *tom. 3. resolut. 90. num. 15.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10 num. 14.* Pellizzar. *num. 90.* Fragoso *2. part. libro 4. cap. 12.* §. *1. num. 3.* Joannes à Cruce *dub. 1. conclus. 2.* Antonius à Spiritu sancto *sect. 4. n. 201.* Imo etiam Vicarii Conventuum nõ habentium Priores, possunt eligi, quia sunt in Ecclesiastica Dignitate constituti. Joannes à Cruce, cum Sylvestro *verb. delegatus, n. 3.* Rodriguez *art. 5.* § Et idem, quod de Prælatis diximus, dicimus de Diffinitoribus; licet enim Eorum munus non sit dignitas, quia non habent administrationem, est tamen *Personatus*, quia habent præeminentiam, seu præcedentiam: *Personatus* autem honore illustres, ut diximus *n. 160. in fine.* instituì possunt Conservatores. Lezana *in Consiliis, consil. 40. n. 86.* & hic *c. 10. n. 51.* Ant. à Spiritu S. *n. 202.* Sed illi Regulares, qui Superiores, Vicarii, seu Priores claustrales vocantur, quique in suis Monasteriis habent supra se alium Superiorem, nequeunt Conservatores instituì, ut rectè docet Tambur. *sup. q. 4. n. 7.* citatis Rodrig. Miranda, Moneta, & Peyrin.

164.

Decretũ Concilii Tridentini de eligendis judicibus synodalibus.

164. Secunda difficultas est, an præter supradictas conditiones requiratur, ut illi eligantur in Conservatores, qui prius fuerint electi in judices Synodales in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis secundum præscriptum Concilii Tridentini *sess. 25. de reformat. n. cap. 10.* Pro quo supponendum est dictum Concilii in eo loco hæc habere: *Statuit sancta Synodus in singulis Conciliis Provincialibus aut diœcesanis, aliquot personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit statutum, & alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam post hac causæ Ecclesiasticæ ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus deleganda, committantur. Et, si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio capituli alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem, aut Diœcesanam Synodum: ita ut habeat quæque Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas Personas, ac ut supra, qualificatas, quibus hujusmodi causæ à quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur.* Hactenus Concilium. Et tales designatæ à Synodo Personæ judices synodales appellantur. Quæritur ergo modò, an instituendi in judices Conservatores, debeant esse ex his, qui in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis in judices synodales assignantur, & non alii?

Secundum Constitutiones Clementis VIII. & Greg. XV. non possunt eligi in Conservatores nisi judices synodales.

165. Ad hoc dicimus omnino hoc requiri secundùm Constitutiones Clementis VIII, & Gregorii XV, quas *n. 161.* adduximus: quia in illis cum revocatione omnium in contrarium privilegiorum, decernitur prædictos Conservatores debere esse ex iis, qui electi sunt, & designati in judices synodales in Conciliis Provincialibus, ac Diœcesanis juxta decretum Concilii Tridentini: & si quæ litteræ aliter expediantur, illæ ac deputationes ejusmodi omnino, & exinde sequenda nullius sunt roboris, vel momenti. Addit Gregorius XV. *Qui secus, quam juxta formam superius præscriptam, Conservatores hujusmodi cum effectu eligere, seu electis, aut deputatis uti ausi fuerint, Regulares quidem voce activa, & passiva sint ipso jure privati, adeo, ut habilitationem à nemine præterquam à Romano Pontifice consequi valeant: &, prædictorum omnium Conventus, ac Monasteria, ac loca hujusmodi, eorumque Persona, ac bona careant Conservatore ad annum, ita ut illorum causa interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci, ac definiri debeant.* Et ut ex his Personis dentur plures, qui in Conservatores eligi valeant, sic prosequitur: *Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, ac diœcesanis quamplures Personas ex habentibus qualitates, in prædicta Constitutione ejusdem Bonifacii contentas, & alioqui ad id aptas designare procurent. Et, si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram Provincialem, aut Diœcesanam Synodum.*

Aliud decretũ circa hoc à Gregorio XV. editum, refertur.

166. Et ut certo constare posset de Conservatoribus à Regularibus electis, ad tollendas omnes fraudes, quæ in hoc possent accidere, addit idem Gregorius XV. *Ut Regulares, ac persona hujusmodi in Italia infra duos, extra Italiam infra sex menses à die publicationis in urbe præsentis Constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere Conservatores, juxta formam superius propositam, ejusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus hujusmodi, penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur; alioquin eo termino elapso quamdiu Conservatores secundùm formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur: Quodque Conservatores hujusmodi semel legitimè deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, ac locorum Ordinariis, prout eisdem Regularibus libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis amoveri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant.* Postea nihilominus declaratum est à Sacra Congregatione prout refert Barbosa *in collect. Bullar. verb. Regulares* 1. Lezana *num.* 58. & Antonius à Spiritu sancto *num.* 205. Regulares, qui in tempore eis à Gregorio XV. præfixo Conservatores eligere non curaverint, dicto tempore elapso, quandocumque eis libuerit, eos eligere posse. Ita omnes, qui post dictas Constitutiones Clementis VIII. & Gregor. XV. scripsere, ut videre est apud Lezanam, Bordon. Peyrin. Barbos. Monetam, & alios.

Ex consuetudine Hispaniæ nullibi ab Episcopis videamus synodales judices deputari, quin potius ad causas, & casus particulares passim eligantur, qui habent qualitates de jure communi, nimirum qui sint in Dignitate Ecclesiastica, vel Personatu constituti, quorum munus finita causa exspirat, & si nova suboriatur, novus vel idem instituitur; non videntur dictæ Constitutiones Clementis VIII. & Gregorii XV in hac parte usu receptæ in Hispania. Quin potius contrario usu abrogatæ, ut videtur tenere Diana, quem refert, & sequitur N. Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. de privileg. disp. 1. sect. 4.* Peyrin. *ad Constit. 5. Gregorii XV. § 1. num. 1.* Lezana *in Consiliis consil. 40. num. 88. & num. 110. fine*, ubi refert quãdam Bullam Innocentii X. die 14. Maii expeditam anno 1648. in qua hoc punctum videtur decisum; & ideo modò in Hispania eligi possunt in Conservatores, qui conditiones supra relatas habuerint, etiamsi non sint ex judicibus synodalibus: nec necessarium erit ad quinquennium esse dictos conservatores electos: sed eligi, & institui poterunt prout casus, & necessitates occurrentes postulaverint; dummodo conditiones supradictas habuerint, & ea quæ dicemus §. *sequenti* observaverint.

ne in Hispania possunt institui Conservatores, qui non sunt judices synodales.

* * *

§. III.

## §. III.

### *Ad quid se extendat Potestas, & Jurisdictio Judicum Conservatorum.*

Amplissima Cōservatorum jurisdictio declaratur.

168. CONservatorum jurisdictio, & authoritas tanta est, ut impediri non possit ab Ordinariis, Nunciis, aut Legatis etiam de latere; sed in causis eisdem commissis majores sunt prædictis Ordinariis, aut Legatis, ut colligitur *ex cap. 2. de potest. jud. deleg. in 6.* Quare contra prædictos, & etiam contra Nuncios Apostolicos, tueri se poterunt Regulares, per suos Conservatores. Sanchez *tom 2. consil. lib. 2. cap. 9. dub. 6. nu. 4.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10. nu. 34.* & possunt Conservatores procedere per censuras Ecclesiasticas, excommunicationem, interdictum, & suspensionem contra sibi inobedientes. Tum ex jure communi, *cap. sane 2. de potest judicis deleg. cap. authoritate, de privileg in 6.* Tum etiam: quia sic habetur expressè in privilegiis Conservatoriis Religionum, ut patet ex Bulla Sixti IV. pro Carmelitis, Clementis VII. pro Minimis, Pii V. pro Dominicanis, & Gregorii XIII pro Jesuitis. Et ita docent Azor. *tom. 2. lib. 5. cap. 35. quæstione* 10. Barbos. *de offic. & potestat. Episcop. allegat.* 106. *num. 36.* Peyrin. *tom. 2. privileg. Minimorum, Constitut. 5. Gregorii XV.* §. 6. *num. 45.* Bordon. *tom. 3. resolut. 95. n.* 14. Pellizzar. *tractat. 8. cap. 7. sect. 4. n.* 119. & 133. Qui advertunt, quòd quando contra Episcopos procedendum est, adhibere debent diligentiam, ut cum omni modestia, patientia, & reverentia se gerant. § Et notandum est cum Lezana *num. 86.* Joanne à Cruce *lib. 2. cap. 10. dub. 4. conclus. 2.* quòd si Conservator nolit facere fidem Ordinario de suis litteris, non potest eum nolentem exequi suam sententiam, excommunicare. Quia delegatus nullam potest habere supra Ordinarium jurisdictionem, nisi quando iste est illi rebellis. Non tamen dicitur rebellis, dum petit fidem de ejus Commissione: quia sic perendo utitur jure suo, *cap. in jure, de officio delegati.*

Contra quos possit Conservator procedere.

169. Quare Conservator Religionum potest procedere contra Episcopos, Archiepiscopos, Nuntios Apostolicos, & etiam contra alios Religiosos, & contra quoscumque Ecclesiasticos, & contra Collegia, Universitates, & Communitates, habentes etiam facultatem eligendi Conservatorem; & contra quascumque personas, ut in supradictis privilegiis habetur. Et potest appellatione quacumque postposita, procedere per censuras Ecclesiasticas, quoties opus fuerit, & usque ad invocationem brachii sæcularis, ut patet ex privilegiis citatis. Nec potest ab Ordinario impediri, sub privatione Officii, & exercitii, jurisdictionis ipso facto incurrenda. Et irritum est omne quodcumque in contrarium attentatum, ut Cistercienſibus concessit Martinus V. & habetur in ipsorum compendio *titul. Bulla Conservatoria*, §. 1. & tenet Joannes à Cruce *supra conclus. 2.* Cæterum ab ejus sen-

sententia appellari potest, cùm vel causa est dubia, vel ad infligendam pœnam procedit; non tamen cum res est notoria: quia in notoriis non admittitur appellatio. Farinacius *in praxi criminali, quæst. 21. à num. 118. usque ad 128.* Barbos. *de officio & potestat. Episcop. allegat. 106. num. 33.* Sed tunc ad solum Romanum Pontificem est appellandum: quia Conservator est delegatus Papæ. Barbosa *num. 4.* Tuschus *verbo Conservatores, conclus. 760. num. 6.* Imo si conservatores contra Regulares procedant, limites suæ facultatis excedendo, recusari poterunt: ex textu *in cap. si quis contra Clericum, de foro compet. cap. secundo requiris, §. 3. de appellationibus.*

Conservatores possunt familiares Religiosorum defendere.

170. Jurisdictio Conservatorum, non solum extenditur ad defensionem Religiosorum, sed etiam familiarium, & servorum eorundem; si juxta Tridentin. *sessio. 24. cap. 11. In Monasteriis actu serviant, & intra eorum septa ac domos resideant, subque eorum obedientia vivant;* possunt ergo ad defensionem istorum procedere in manifestis injuriis, ac violentiis, & servata forma præscripta in Constitutione Gregorii XV. de qua statim. Ita concessit Pius V. pro Dominicanis illis verbis: *Adversus inferentes eis, aut eorum procuratoribus, agentibus, servitoribus, & familiaribus in præmissis eorundem alicui molestias, vel injurias, aut gravamina, &c.* Et idem habetur in Bulla Gregorii XIII. pro Jesuitis. Villalobos 2. *part. tractat. 35. difficult. 6. num. 9.* Pellizzar. *num. 129.* Lezana *num. 65.* Antonius à Spiritu sancto *num. 219.* & possunt etiam procedere ad defensionem syndicorum, & procuratorum eorundem Fratrũ; non ut sunt singulares personæ, sed ut sunt eorum officiales, idque in casibus specialibus, spectantibus ad eorum officium, Sic concessit Clemens VII. Minoribus in Bulla, quæ incipit; *Dum consideramus,* apud Casarub. *in Compend. verb. procuratores, num. 13.* & Rodriguez *tom. 3. qq. Regul. q. 39. art. 4.*

Ad quas causas se extendat Conservatorum potestas ex privilegiis.

171. Sed loquendo de rebus, causis, aut negotiis, ad quæ Judicum Conservatorum jurisdictio se extendit, sciendum est, quod inspectis, & attentis Regularium privilegiis, illorumque tenore, ac verbis, cognoscere olim poterant Conservatores de omnibus causis tam civilibus, quàm criminalibus, seu mixtis, tam de eis, in quibus Regulares erant Rei, quàm de eis, in quibus erant Actores, & de quibuscumque injuriis, molestiis, violentiis, tam manifestis, quàm non manifestis Eis irrogatis sine judiciali indagine, vel cum illa, prout res, & causa postularet, ut dicta privilegia legenti liquido constabit; specialiter consideranti illud Sixti IV. Carmelitis concessum, in quo mandat Conservatoribus, *ne permittant eos indebitè molestari, aut eis gravamina, injurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari,* & postea ait: *In quibuscumque causis per eos movendis, ac quacumque ratione, vel causa,* & addit: *ac etiam summariè, & de plano absque strepitu, & figura judicii.* Et Bullam Clementis VII. pro Minimis, in qua idem eisdem Conservatoribus præcipit,

cipit, his verbis : *Ne permittatis eosdem super libertatibus, privilegiis, indultis, rebus, & bonis prædictis, ab eisdem, & quibuslibet aliis indebite molestari, vel eis gravamina, vel damna, seu injurias irrogari, aut coram quibuscunque judicibus Ordinariis, vel Delegatis, etiam Apostolicis, quavis occasione, vel causa, etiam criminali eosdem Fratres trahi, &c.* & postea addit : *in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura judicii ; in aliis verò prout qualitas eorum exiget.* Quod idem habetur in Bulla Pii V. pro Dominicanis, & in Bulla Gregorii XIII. pro Jesuitis, sub illis verbis: *De quibusvis molestiis, damnis, injuriis tam præsentibus, quàm futuris.* Et addit, quòd absque judiciali indagine, & cum illa procedere possint, prout qualitas rerum postulaverit; & in quibuscumque causis tam civilibus, quàm criminalibus, & mixtis: etiam in eis, in quibus Regulares Actores fuerint. Quæ omnia ad intentum ponderant Farinacius 2. *parte, decis. 616. numer. 3. & 4.* Peyrin. *tom. 2. Constitut. 5. Gregorii XV.* §. 6. *à numer.* 34. Pellizzar. *tract. 8. cap. 7. sect. 4. numer.* 120. Sorbus *in Compend privileg Mendicant. verb. Conservatores.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap* 10. *n.* 22. Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 106. *à n.* 33.

Qualiter per Gregorium XV. jurisdictio Conservatorum limitetur.

172. Cæterum licet hæc ita sint, secundùm privilegia Regularibus concessa; illa tamen postea variè alterata, & immutata fuêre à Sede Apostolica: specialiter à Gregorio XV. in Constitutione multoties citata, quæ incipit, *Sanctissimus*, anno 1621. & habetur 4. *tom. Bullar.* inter Constitutiones hujus Pontificis *numero* 9. ubi circa prædictorum Conservatorum authoritatem, & jurisdictionem, hæc decernit : *Ut coram ipsis Conservatoribus Regulares, ac Persona suprascriptæ conveniri quidem, aut trahi debeant ; sed alios convenire, aut trahere non possint ; ita ut memorati Conservatores, in causis, in quibus Regulares, & alii Actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant. Sed in iis tantum, in quibus Rei extiterint. Nec extra civitates, aut Diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant.* § Quæ limitatio jurisdictionis Conservatorum cùm nimis dura videretur, & Regulares quidem coram prædictis Conservatoribus conveniri, aut trahi deberent; ipsi autem non possent alios trahere, aut convenire, ita ut in causis, in quibus Regulares essent Actores, nullam prorsus jurisdictionem haberent : sed tantum in illis, in quibus Rei existerent, Supplicatum fuit, ab ipsis Sacræ Congregat. ut decideret hoc dubium. *An per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares, & alios à manifestis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur; dum à suis possessionibus dejiciuntur, & propriis bonis frui, aut uti impediuntur?* Cui dubitationi Sacra Congregatio anno 1624 sic respondit : *Ejusmodi verbis minimè sublatam esse facultatem, quam habebant Conservatores defendēdi Regulares à manifestis injuriis, ac violentiis.* Quæ resolutio habetur *in* 4. *to. Bullar.*

inter Constitutiones Gregorii XV. post 9. § Unde secundum dictam Constitutionem Gregorii, & Congregationis Sacræ declarationem solum possunt modò cognoscere Conservatores Regularium de illis causis, in quibus Regulares Rei fuerint, & in eis in quibus Actores fuerint, quoad injurias tantùm, & manifestas violentias, secundùm formam, *cap. finali, de offic. & potest. judic. deleg. in 6.* innovatam à Gregorio XV. ita docent Bordon. *tom. 3. resolut. 95, à nu. 6.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10. num. 62.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 7. sect. 4. nu. 120.* Moneta *de Conservatoribus, cap. 7. quæst 6. num. 343.* Peytin. *tom. 2. in Constit. 5. Gregorii XV. §. 6. num. 50.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. de privileg. disp. 1. sect. 4 num. 212.* § Illa autem dicitur manifesta injuria, quæ per facti evidentiam ita notoria est, ut examinatione non indigeat: vel si indigeat, probari tamen posset clare, & certitudinaliter per multos testes, & negari non posset. Violentia verò dicitur, injuria cum vi, & impetu, personis, vel rebus facta. Tuschus *verb. manifestum, conclus. 75. num. 7. & verbo violentia, conclus. 214.* Menochius *in Prælud. de recuperanda possessione. à n. 38.*

Ad quantam loci distantiam, jurisdictio Conservatorum extendatur.

173. Ex quibus sequitur resolutio aliquarum difficultatum. Primò quid dicendum sit ad illam quæstionem, videlicet, ad quantam loci distantiam se extendat judicum Conservatorum authoritas? Respondetur enim, quòd attentis privilegiis Gregorii XIII. pro Jesuitis, & Clementis VII. pro Minimis, poterant extra civitates, & diœceses, in quibus deputati fuerant, contra delinquentes procedere: dummodo id non foret ultra tres diætas. Est autem una diæta, iter unius diei, id est 20. milliarii, quæ computanda sunt non ab urbibus, vel ædificiis; sed à terminis diœcesis, intra quam Conservator existit, ita Joannes à Cruce *de privileg. lib. 2. cap. 10. dub. 3. num. 2.* Peyrin. *§. 6. num. 46.* Antonius è Spiritu sancto *num. 217.* Lezana *num. 27.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 65. articulo 7.* Portell. *in dub. Regular. verb. Conservator, num. 5.* Unde poterant Prælati Regulares ex vi suorum privilegiorum eligere sibi Conservatores, non solum in Diœcesibus, in quibus erant Conventus illorum existentes; sed etiam extra eas degentes, dummodo reus intra tres dietas citari posset. § Cæterum ex jure communi *in cap. ultimo, de offic. judic. delegat. in 6.* quod innovatum fuit à Gregorio XV. in Constitutione sæpius citata, non possunt hoc tempore suum munus exercere, nisi intra civitates, & Diœceses, in quibus deputati fuerunt. Moneta *cap. 7. quæst. 2. num. 61.* Lezana *num. 64.* § Quamvis sit probabile, nihil in hac parte innovatum fuisse à Gregorio XV. si dicatur in ea solum prohibuisse, ne Conservatores suum munus exerceant extra civitates, & diœceses, in quibus deputati sunt, ita quòd non possint suum munus exercere, cùm à civitatibus, & diœcesibus, in quibus deputati sunt, abfuerint; poterunt tamen tunc alteri existenti in loco, in quo ipsi deputati sunt, suum officium delegare. Ita

Pey-

Peyrin. & Lezan. quos refert, & sequitur N. Antonius à Spiritu sancto *tract 2. disput. 1. sect. 4. num. 218.* Item Moneta, Sorbus, Rodriguez, quos refert, & sequitur Tamburin. *de jure Abbat. tom. 3. disput. 17. quæst. 1. num. 6.* § Sed notat bene Joannes à Cruce *dub. 3. concl. 3.* Quod quando Conservator Regularium non valet tutè accedere ad loca, in quibus morantur, qui sunt citandi, monendi, vel prohibendi; possunt ista efficere per edicta publica, affigendo illa in locis publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ex ipsis ad ipsorum citatorum, monitorum, vel prohibitorum notitiam pervenire valeant: ut concessit Societati Jesu Gregorius XIII. & Pius V. Ordini Prædicatorum.

Post Constitutionē Gregorii XV. possunt Cōservatores procedere in causis, in quibus Religiosi sunt actores: &c.

174. Sequitur secundò, quid dicendum sit ad illam quæstionem, an Conservatores Regularium post Constitutionem Gregorii XV. possint procedere, cùm ipsi Regulares sunt Actores, in causis civilibus eorum, contra eos qui aliquam pecuniæ summam, vel aliquam aliam rem ipsis debent ex locationibus, legatis, testamentis, &c. quando debitor nō vult solvere id, quod tenetur? § Respondetur enim, quòd nisi fuerit injuria, aut violentia manifesta, non poterunt, propter illa verba Gregorii: quòd *Conservatores in causis, in quibus Regulares actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant.* Cæterum hoc non tollit, quo minus Regulares possint agere coram Conservatoribus suis contra prædictos propter manifestas injurias, seu violentias, quas manifeste faciunt, qui solvere ea, quæ certo tenentur, nolunt. Et tunc tales Conservatores, contra hujusmodi debitores possunt procedere: etiamsi Regulares Actores fuerint; propter declarationem Sacræ Congregationis *supra num. 172.* adductam: Quæ declaravit, posse Conservatores defendere Regulares *à manifestis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus dejiciuntur, & propriis bonis frui, aut uti impediuntur.* Quod sane accidit quando non vult debitor solvere quod tenetur: quia tunc ne creditor fruatur, aut utatur propriis bonis, impedimentum apponit. Sic Joannes à Cruce *dub. 5. conclus. 2.* Lezana *num. 61.* Antonius à Spiritu sancto *num. 215.* Bordon. *resolut. 95. nu. 1.* Pey. in. §. 6. *num. 50.* Moneta *cap. 7. quæst. 8 num. 394.* Diana *3. part. tract. 1. resolut. 2.*

Quomodo Conservatores cognoscere possint de his, quæ judicialem indaginem requirunt?

175. Sequitur tertiò, quid dicendum sit ad illam quæstionem, an Judices Conservatores post Constitutionem Gregorii XV. cognoscere possint de his, quæ judicialem requirunt indaginem, nempe cognitionem causæ, ejusque examinationem prop er illius dubietatem? Pro cujus resolutione supponimus, in causis Regularium, tam iis in quibus Actores fuerint, quàm iis in quibus fuerint Rei, posse, & debere Conservatores procedere de plano, & sine strepitu, & figura judicii: quia ubi agitur de causis Regularium apud eorum Prælatos, & Conservatores, servari non debent apices juris, nec subtilis illius forma, quæ in aliis causis præscribi-

tur; ut habetur *in cap. Qualiter, & quando, de accusatoribus*, & in singulorum Ordinum Constitutionibus hoc caveri solet, *ut apud nos 3. part. Constitut. cap.* 10. *num.* 8. § Et isto supposito ad quæsitum negativè respondetur: maximè si Regulares Actores fuerint: quia Gregorius XV. decernit non posse Conservatores procedere in causis, in quibus Regulares Actores fuerint. Et licet ex declaratione Sacræ Congregationis procedere possint in causis manifestarum injuriarum, etiamsi in illis Actores fuerint Regulares, hoc tamen est ideo, quia in manifestis judicialis indago non requiritur; maximè, quia Sacra Congregatio dum concedit Regularibus, in manifestis posse coram Conservatore agere, subdit: debere servari formam præscriptam ab Innocentio IV. *in cap. 1. de offic. deleg. in 6.* ubi dicitur: non posse Conservatores ad ea, *quæ judicialem indaginem exigunt*, suam extendere potestatem. Lezana *num.* 63 Pellizzar. 114.

Quid facere debeat Cōservator, ut debite procedat.

176. Cæterum in cognoscendis injuriis, aut violentiis manifestis, possunt Conservatores illam indaginem adhibere, quæ in notoriis solet communiter usurpari: quia cui committitur in notoriis facultas, debent ea committi, sine quibus jurisdictio nequit exerceri; Sed non potest Conservator in notoriis procedere, nisi de rei notorietate notitiam capiat, & ad ferendum testimonium testes cogat, si fortè delictum sit aliis notorium, & non ipsi: aliaque iis similia præster, quæ aliquam important judicialem indaginem: ergo, &c. Peyrin. *tom.* 2. *Constitut.* 5. *Gregorii XV. numer.* 40. Moneta *cap.* 7. *quæst.* 3. *num.* 90. & 93 Pellizzar. *numero* 116. Lezana *num.* 62. § Quare ut Conservator procedere valeat, necessarium est, quod ante omnia appareat injuriam, seu violentiam fuisse manifestam, & notoriam: quia ubicumque jurisdictio alicui competit respectu alicujus certæ qualitatis, ante omnia debet illi de illa qualitate constare. Si tamen de illa tali notorietate dubitet, vel clare de ea non appareat, poterit summarie examinare an injuria, vel violentia de qua agitur, notoria sit, & super ea probationes recipere ad fundandam suam jurisdictionem: ita quòd si eam notoriam esse reperiat, in sua jurisdictione procedat: alias se incompetentem pronuntiet. Barbos. *de offic. & potest Episcop. alleg.* 106 *num.* 20. Lezana *num.* 62. Pellizzar. *num.* 117. Peyrin. *tom.* 3. *privileg. cap.* 11. *num.* 10.

Pœnæ aliquotæ pro Conservatoribus excedentibus suam jurisdictionem & pro aliis, &c.

177. In fine hujus puncti rogabis, quas pœnas incurrant Conservatores, qui limites suæ jurisdictionis excedunt, & qui talem excessum procurant, vel certè impediunt, ne suum munus, in his, quæ possunt exerceant? § Respondetur, Conservatores scienter excedentes suæ jurisdictionis meras incurrere suspensionē ab Officio Conservatoris per annum: ut habetur *in cap final. de offic. deleg. in 6. & jure Hispan. in l. 1. titul. 5. lib. nova recopilat.* privantur temporalitatibus, & connaturalitate illorum regnorū. § Cæterum cùm in dicto *cap. finali* dicatur: *scienter*, sequitur non incurri prædictas pœnas ab his, qui ex ignoran-

tantia etiam crassa excedunt, juxta à nobis dicta *tom.2. tract.10.de Censur.cap.10.n.187.* Sed in foro externo, ut scienter fecisse convincatur, debet probari: quia juxta regulam *juris 48. præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* § Pars verò, quæ procuravit, quòd judices Conservatores excedant, effectu procurationis sequuto, qui est excessus de facto exercitus à Conservatore, excommunicationis pœnam incurrit, à qua absolvi non potest, *nisi ei, quem sic fatigavit indebitè, primò satisfaciat integraliter de expensis*, ut habetur dicto *cap. final.* Sed talis excommunicatio non incurritur nisi à parte procurante: id est ab eo, qui in judicio est Actor, vel Reus, non à tertia persona: quia textus solum de parte Procurante loquitur. Navarrus *in Manual.c.27.nu. 125.* à Cruce *dub.7. concl.2.* Lezana *tom.7 1.* Rodriguez *tom.1. quæst.65. art. ultim.* § Impedientes demum, vel molestantes Conservatores Regularium ne suum exerceant Officium, incidũt in excommunicationem, vel suspensionem à divinis latæ sententiæ: ex concessione Pii V. pro Dominicanis. Sed pœna prædicta lata sub illa disiunctione, excommunicationis, vel suspensionis, in hoc sensu intelligitur: ut delinquens unam dictarum Censurarum determinatè incurrat, quam ipse elegerit. Bonacina *disp. 1. de Censuris quæst.1. punct.7. num.1.*

## PUNCTUM VI.

*De Privilegiis Regularium, virtute quorum possunt in suis Ecclesiis sepelire eos, qui in eis eligunt sepulturam.*

Quid in hoc pũcto sit agendum supponitur.

178. Diversa sunt privilegia Regularibus cõcessa circa materiã hujus puncti. Alia circa electionẽ liberam sepulturæ, quæ ab extraneis sæcularibus, laicis, & Ecclesiasticis, potest eligi in Ecclesiis, capellis, claustris, &c. Alia circa modum, quo Regularium sepultura debeat executioni mandari. Alia circa exemptionem solutionis portionis Canonicæ, & quartæ funeralis ex his, quæ relinquuntur ab illis, qui apud eos eligunt sepulturam. Alia circa res, & quantitatem, ex quibus solvi debeat quarta funeralis, ab eis, qui solvere tenentur. Quare punctum hoc in sex paragraphos dividemus, ut in eo distinctius procedamus. In primo agemus de his quæ pertinent ad sepulturam in communi, à quibus eligi potest, & in quo loco debent sepeliri, qui eam non elegerunt. In secundo de his qui ex jure, Ecclesiastica sepultura privantur. In tertio de privilegiis Regularium sepeliendi in suis Ecclesiis illos, qui in illis sepulturam elegerint. In quarto de portione canonica, & quarta funerali erit sermo, quæ sint? Et à quibus solvi debeant? In quinto & sexto de privilegiis exemptionis à solutione quartæ funeralis aliquibus Religionibus concessis.

## §. I.

*Quid sit sepultura Ecclesiastica? à quibus eligi possit? & quando non eligitur quo in loco assignanda vel concedenda?*

Qualis locus dicatur sepultura Ecclesiastica?

179. SEpultura Ecclesiastica, de qua agimus in præsenti, *est locus concavus in Ecclesiastico cæmeterio factus, in quo corpus Catholici conquiescit.* Seu ut dicitur in *l.1.titul.13 partit.1. es logar sennalado en el cementerio para soterar el cuerpo del home muerto.* Dicitur *in cæmeterio*, nomine cujus veniunt Ecclesia, Capellæ, Claustra, Cæmeteria, & omnia alia loca consecrata, aut benedicta, & ad sepulturam fidelium ex designatione Ordinariorum deputata. Si quis tamen extra hæc loca sepultus esset, ibi dicitur habere sepulchrum, sed non sepulturam Ecclesiasticam. Unde sepultura Ecclesiastica locus est Religiosus: quem supra *num.*88. diximus gaudere immunitate Ecclesiæ: qualis non est sepultura in Oratorio particulari constructa; sed debet esse vel in Ecclesia, vel in Cæmeterio ab Episcopo ad hoc designato ad effectum gaudendi immunitate Ecclesiastica: ut ibidem diximus. Cæterum Regularibus concessum est in jure, *cap. Nimis iniqua, cap. Nimis grave, de excessib. Prælator.* ut in suis Oratoriis habeant cæmeteria, in quibus suos Confratres tumulare possint, etiam tempore interdicti: uti docet Hostiensis *lib.3. sub titul. de sepult. num.2. & 3.* § Decrevit autem Ecclesia Christianos in Ecclesiis, vel juxta ea sepeliri debere, ut fideles ad Ecclesias venientes, & in eis sepulchra aliorum aspicientes, proprii finis memoriam habeant, & Deum pro defunctis exorare, reminiscantur: & major hæc cura esset orandi pro defunctis; licet olim non permitteretur quisquam intra Ecclesiam sepeliri, sed omnes prope illam in cæmeteriis, præter Reges, Reginas & eorum filios, aliasve insignes personas, ut videre est *in l.reg.*11. *tit.*13. *partit.*1. sepeliri deberent. Hodie tamen omnibus id conceditur, ut experientia comprobatur.

Quando committatur simoniacam sepulturam vendendo?

180. Sed ex modò dictis, quod sepultura sit locus Religiosus, insurgit dificultas, an sit Simonia vendere sepulturas, vel jus, ut tali loco aut parte Ecclesiæ nullus præter illum, qui emit, aut ejus successores sepeliatur? § Ad quam respondetur sub distinctione, vel enim loquimur de illo loco, seu parte terræ, quæ nec benedicta est, nec deputata ad sepulturam, licet alias esset deputanda; & de hoc loco non est dubium posse absque labe Simoniæ vendi, etiamsi forte essent in eo aliqua cadavera tumulata; sicut terra, & situs, in quo Ecclesia erigenda est, pretio potest comparari: est enim locus profanus; quia licet secundum jus civile, locus in quo aliquis sepultus est, per solam illationem mortui primitùs efficeretur Religiosus *l. in tantum, ff. de rerum divisione*; jure tamen Canonico locus Religiosus non est, nisi jam deputatus, & consecratus saltem, aut sit benedictus *cap. ad abolendum.* de sepultu-

turis. Unde priusquam consecretur aut saltem benedicatur, cum aliis locis profanis vendi potest, cùm nullam habeat spiritualitatem annexam. Sanch. *tom.1.consil.lib.2.cap.3.dub.14.num.1.* Bonac. *de Simonia quæst.4.§.6.num.1.* Bordon. *tom.3.resolut.51,n75.* Sotus *lib.9. de justitia qu.7. art.1.* Lezana *tom.3.verbo sepultura n.14.* § Vel loquimur de illo loco seu parte terræ ut est consecratus & benedictus, & tunc si talis locus benedictus, vel consecratus, ac proinde jam ad sepulturam destinatus, ratione consecrationis, aut benedictionis venderetur, aut pluris venderetur, esset Simonia contra Jus divinum & naturale, cùm res spiritualis venalis redderetur. D. Thomas *2.2.quæst.10. art.4.ad 3.* At si sepultura tali modo benedicta, non ratione benedictionis, sed ratione terræ, aut soli, in quo sita est, venderetur; non esset quidem simonia contra Jus Divinum & naturale, sicuti nec talis simonia est calicem vendere ratione materiæ, ex qua factus est, est tamen contra jus Ecclesiasticum; & sic malum, quia prohibitum, *cap. Abolendæ, de sepultur. cap. non satis, cap. audivimus de simonia.* Sanchez, Lezana, Bonac. Layman. *lib 4. tract.10. cap. ultim. §.4. nu. 36.* Suarez *tom.1. de Relig. lib.4. de simonia cap.14. num.29.* licet alii oppositum non improbabiliter dicant. § Porrò pro tali loco sepulturæ possunt stipendia recipi, non ut pretium illius, sed ut eleemosyna, ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ necessaria, sicuti pro Missis recipi possunt, vel pro conservatione fabricæ, & pro augmento Cultus Divini: quia æquum est, quòd defuncti, qui in templo inhabitant, ad ejus reparationem & ornatum concurrant: vel quia expensæ in ea factæ exiguntur præscindendo à spiritualitate. § Etiam pro loco honoratioris sepulturæ plus accipi potest: ut si concederetur in Capella majori, in meliori, commodiori, & digniori loco: quia solùm venditur honor, ut pendet ex hominum æstimatione, qui per accidens rei spirituali conjungitur. Sanch. *n.3.* Lezana *num.14.* Joannes de la Cruz *in director. præcept.7. quæst.4. dub.9.* Diana *part.2.tract.15.resolut.57.* Villalobos *tom.2.tract.37.difficult.12.n.3.* Ledesma *in summ.2. part.tract.12. conclus.34.* Bordon. *tom.1.resolut.51 num.76.* § Etiam potest recipi pretium pro perpetuo jure sepulchri, id est, pro ea obligatione, ut nullus præter eum, vel ejus successores in tali loco admittatur: quia tale jus quid temporale est, & per accidens conjunctum spirituali. Cruz, Sanchez, Suarez, Villalob. Bordon. & Ledesma *hoc num. citati.*

181. Idem quod dictum est de sepulturis, cum proportione dicendum est de Capellis, quæ solent Sæcularibus dari pro loco sepulturæ. Dum semel tamen alicui est tradita Capella, & ab eo pretio debito soluta, cum pacto, ut nullus alius præter eum, ejusve successores in tali loco sepeliatur; ullo modo alius in tali loco sepeliri potest; quia est pactum justum, & sic omnino observandum; nisi justa aliqua superveniret causa; v. g. si sepeliendis sepulturam propriam

Idem quod dictum est de sepulturis, est circa capellam sentiendum.

priam non haberet, & non esset in Ecclesia, vel Cæmeterio locus communis; quia hoc est facere eleemosynam extremè indigenti, quæ de bonis alterius, etiam invito domino fieri potest. Sic Panormitan. *in cap. abolendæ. de sepultur. num. 5.* Lezana *num. 15.* Bordon. *num. 79.* Peyrin. *tom. 1. privileg. Minimor. in Constitut. 26. Leonis X. num. 22.* § Sed quid si post obitum Fundatoris Capellæ, vel emptoris sepulchri alii hæredes, aut successores illius non fuerint superstites, poteritne Prælatus, in eo loco alium extraneum permittere sepeliri? § Respondetur affirmativè. Quia extinguitur illud jus, quod prædicti habuerunt cùm jam frustraneum sit, & ad nihil ipsis deserviens, & redit libere ad Ecclesiam; ac proinde illud aliis potest concedi. Tum etiam: quia loci Sacri, qualis est sepultura, nequit Sæcularis dominium habere, *l. Quæ de tota. ff. de rei vindicat.* Sed est quasi usufructuarius, habens jus ad usum pro se, suisque successoribus, ut eis invitis, nullus ibi possit sepeliri: sed usufructuario extincto, ususfructus redit ad proprietarium: ergo, &c. Sic Bordon. *num. 72.* Vuald. *de portion. Canon. cap. 10. num. 6.* Sylvest. verb. *sepultur. quæst. 6.* Laciorius *titul. 2. cap. 9. num. 25.* Sanchez *supr. num. 4.* Lezana *num. 15. & tom. 1. part. 2. cap. 11. num. 23.* Peyrin. *num. 49.* Portel. *in respons. moral. part. 2. casu 20. n. 1.* Interim tamen insignia, inscriptiones, aut alia ad memoriam Patroni aut fundatoris ibi inscripta, delenda non sunt; quia sunt monumenta ad perpetuam rei memoriam facta causa honoris, *l. 2. §. monumentum. ff. de relig. & sumptib. funer.* Sic omnes citati.

182. Omnis homo, vir vel mulier, cùm ad pubertatem pervenerit, sibi eligere poterit sepulturam ubi voluerit, etiamsi sit sub patria potestate; idque facere poterit absque licentia parentis: ut de filiis expresse habetur, *cap. licet pater, de sepultur. in 6.* de uxore, quæ potest sepulturam eligere absque consensu mariti, *cap. de uxore. de sepulturis.* Item servi possunt sine licentia dominorum eligere sepulturam, *juxta l. regni 3. lib. 4. titul. 5 novæ recopilat.* Unde quilibet, sive Clericus, sive laicus, uxor, filiusfamilias, servus, &c. jus habet ad eligendum sibi sepulturam: & quam elegerit, in ea est omnino tumulandus, ut tenet communis praxis Ecclesiæ, & concors Doctorum est judicium. § Potest denique pater, imò & mater, parente mortuo, pro filiis impuberibus sepulturam eligere, sicut potest pro eis testari (est enim electio sepulturæ, quasi quædam species testamenti) & sic tenet communis consuetudo fere ubique introducta: & sic declarasse Sacram Congregationem testatur Lezana *tom. 5. in Mari Magno Prædicatorum §. 28. num. 85.* Et ab eadem Sacra Congregatione 22. Februarii 1641, (ut testatur idem Lezana *tom. 3. verb. sepultura num. 4.*) ordinatum fuit, ut Episcopus Placentinus mandaret restitui à quodam Curato suæ diœcesis Patribus Minoribus cadaver cujusdam puellæ, cui pater elegerat sepulturam in Eorum Ecclesia; juberetque omnes re-

Liberum est unicuique eligere sepulturam.

refundi Eleemosynas funeris. Sic ipse, & Portellus *in respons. moral. tom. 2 casu 63.* Diana *p. 5. tract. 3. resolut.* 108. Pasqualig. *tom. 2. decis. 193. n. 3.* N. Antonius à Spiritu sancto *tract 2. de privileg. disp. 3 sect. 4. n. 125.* Villalob. *tract. 31. difficult. 2. n. 2.*

Quomodo electio sepulturæ sit probanda?

183. Et si fortè quæras, quomodo electio sepulturæ probetur? Respondetur hoc fieri posse, vel oretenus, vel per scripturam. Si primo modo fiat, duo aut tres testes sufficiunt: quia pro causis piis tot testes sufficiunt, *cap. cum testis, de testibus.* Item sufficiũt quicumque testes, ut familiares, servi, mulieres, & ex jure inhabiles ad testificandum: tales enim in causis piis admittuntur, licet etiam sint testes singulares, probantes pro diverso tempore. Peyrin *tom. 2. cap. 4. nu. 52.* Barbosa *ad cap. in omni. de testib. num. 55.* Lezana *verb. sepultura, n. 11.* Bordon. *resolut. 51. num. 207.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 5 sect. 4. nu. 144.* Genuensis *cap. 76. num. 8.* Pasqualig. *dec. 406* Bordon. *num. 207.* Molfesius *tom. 2. tract. 13. cap. 8. num. 32.* Diana *5. parte tract. 3. resolut. 106.* § Quin etiam Religiosus potest esse testis idoneus de sepultura electa in propria Ecclesia: quia Religiosum in causa suæ Ecclesiæ ferre posse testimonium, habetur *in cap. super prudentia 14. q. 2. cap. insuper. cap. Nuntius de testibus.* Nec ob id in propria causa dicitur testificari: quia causa Ecclesiæ, non est causa singulorum, sed totius corporis Ecclesiæ, *cap. Qui manumittitur 12. q. 2.* & testis interessatus non repellitur, quando non agitur principaliter de ejus interesse; ut probat Jason. *l. si quis nec causam. ff si certum petatur.* Rota *volum. 4. n. 11. decis. 144.* Bordon. *supra n. 210.* Pellizzar. *n. 144.* § Probatur porrò electio sepulturæ per scripturam, ut vel per testamentum, vel per codicillum; quæ licet aliàs invalida sint, tenet nihilominus electio sepulturæ; vel per scedulam manu propria subscriptam, vel subscriptam per duos testes ex iis, quos diximus sufficere. Lavorius *titul. 2. cap. 11. num. 18.* Pasqualig. *decis. 405. & 406.* Antonius à Spiritu sancto *num. 117.* Bordon. *num. 207.* Peyrin. Molfesius, Diana *locis citatis.* § Imo si aliquis habens alibi sepulturam, construit in aliqua Ecclesia Capellam cum sepultura, eo ipso eam sibi videtur eligere ad effectum ut ibi sepeliatur. Sic Antonius à Spiritu sancto, Peyrin, Pellizzar.

In quo sepulchro sepeliendus sit qui non elegit sepulturam?

184. Quando quis absque sepulturæ electione moritur, sepeliendus est in sepulchro suorum Majorũ, *cap. 1. & ibi Glossa de sepultur. in 6. cap. Hebron. cap. Placuit 13. quæst. 2.* nisi sit alia alicubi consuetudo legitimè introducta, quæ observari debet. Quod si Majores sint dispersi, & in diversis Ecclesiis sepulti, si Pater, & Avus sint in una, & reliqui Majores in alia sepultura sepulti, in illa tumulari debet: quia sepultura mortuorum se habet sicut domicilium inter vivos: sed domiciliũ acquiritur ratione Patris, & Avi: ergo etiam illa: Et quia major semper præsumitur affectus ad immediatos parentes, quam ad ascẽdentes alios remotiores. At si Pater sit in uno loco, & reliqui Majores in alio, in isto sepeliri debet: quia textus

dicit *in sepulchro Majorum*, & non parentis, ut notat Glossa *in cap. is, qui de sepultur.* Si ita Majores dispersi fuerint, ut Pater sit in uno loco sepultus, Avus in alio, Proavus item in alio; is qui absque sepulturæ electione moritur, sepeliendus in parochia nonnullis esse videtur, quia Majores non censentur habere sepulchrum. Sed ex consuetudine sepeliendum esse in sepulchro Patris tenent Sylvest. *verb. sepultura, qu. 6.* Gregorius Lopez, Joannes, Andreas, quos refert & sequitur Villalobos *tract. 31. difficult. 2. n. 4.* Diana *part. 5 tract. 3. resolut. 108.* § Si Pater, & Mater sint in uno sepulchro, & in alio reliqui Majores: ex vi juris communis sepeliendus foret in isto, quia textus dicunt *majores ab antiquo*; & tamen nihilominus ex consuetudine in illo esse sepeliendum tenent citati. § Uxor, quæ absque electione sepulturæ decedit, si ejus maritus jam fuerit mortuus, sepelienda est in sepulchro ultimi mariti, etiamsi post viduitatem ad domum Patris, vel alium locum translata fuerit. *Cap. is qui, § mulier, de sepultur.* quia domicilium, & honorem ab ultimo marito participat, *l. Fœminæ, ff. de sent.* Si ante maritum mulier decedat, standum est consuetudini. Quod si hactenus nulla circa hoc fuerit introducta, & maritus jam sibi sepulturam præparaverit, in illa est tumulanda: eò quòd una caro cum eo judicetur. Et hoc colligitur *ex Cap. Unaquæque 13. q. 2.* Sed si præparatum sepulchrum Maritus non habuerit, & tamen significaverit, se velle in sepulchro Majorum sepeliri, in eo etiam mulier sepelienda est; & prædictis omnibus deficientibus, est in suo proprio tumulanda; quod si neque hoc habeat, nec aliquod eligat; in parochia, quæ illi Sacramenta ministrabat, erit sepelienda: ita sentiunt Molfesius *tom. 2. tract. 13. cap. 8. numer. 22.* Sylvest. *sepultura, quæst. 6.* Villalob. *difficult. 2. n. 9.* Diana *part. 5 tract. 3. resolut. 108.*

185. Filii naturales absque electione sepulturæ decedentes, nisi in dignitate sint constituti, in sepulchro Patris sepeliri debent: spurii in sepulchro Matris, nisi fœmina sit illustris: adoptivi si vivente patre moriantur, in sepulchro Patris adoptantis; si post obitum ejus moriantur, in sepulchro Patris naturalis. Sylv. *q. 8.* Villalob. *num. 6.* § Illi verò qui nec Majorum, neque prædictorum habent sepulchra, nec electionem sepulturæ fecerunt, in parochia sepeliendi sunt, in qua recipiebant Sacramenta; *cap. ex parte, cap. in nostra. de sepultur.* Quod si duarum esset aliquis Parochianus, daretur locus prævention. *Cap. duobus de rescriptis in 6.* Et, si non daretur prævention, & lis esset exorta, erit Episcopi partes componere, & ad concordiam reducere. Sed si quis in urbe domicilium habens, causa recreationis, aut negotiationis in alio oppido existat, & ibi moriatur; non in loco ubi decedit, sed ubi domicilium habet, sepeliendus est, si ad eum absque periculo asportari valeat. *Cap. is qui. de sepultur. in 6.* § Episcopi aliique Ecclesiarum Prælati, nisi eligant sepulturam, in Cathedrali, cujus Præpositi sunt,

Eadem materia continuatur.

sunt, sunt sepeliendi. Clerici in Ecclesia ubi beneficiati, quando ipsi sepulchra Majorum non habent, ut colligitur ex textibus citatis. § Peregrini, qui non habent Majorum sepulturam, vel si habeant, nequeunt ad illam deferri; casu quô certam non elegerint, sepeliendi sunt in parochia, à qua ipsis ministrabantur Sacramenta: quia actualis habitatio in tali parochia pro domicilio ad hoc haberi, docet Abbas *in cap. 1. de sepulturis.*

Non possunt Religiosi eligere sibi sepulturam.

186. Religiosi autem cum velle, & nolle non habeant, eligere sibi nequeunt sepulturam: sed in Monasterio, in quo moriuntur, sepeliendi sunt; *Cap. ultim. de sepulturis in 6.* Si tamen extra claustra decedant, & ad Monasterium possint deferri, ad illud deferendi sunt, etiam Parochis inconsultis. Et, sic declarasse Sacram Congreg. refert Lezana *tom. 1. part. 1. capite 12. num. 41.* Quod si moriantur remotè à Monasterio, non electa sepultura, si in eo loco non sit Monasterium sui Ordinis, sepeliendi sunt in Ecclesia parochiali, in cujus districtu decesserunt, instar sæcularium in itinere morientium. Rodriguez *tom. 3. quæst. 60. art. 3.* Diana *part. 5. tract. 3. resolut. 110* Sanch. *lib. 5. in Decalog. cap. 14. num. 4.* Qui advertunt in tali casu teneri Monasterium, expensas factas pro Religiosi sepultura, solvere, *ex leg si quis sepulchrum ff. de Religiosis & sumptib. funeral.* § Novitii cum adhuc velle, & nolle habeant, sicut dimisso habitu possunt ad sæculum reverti, ita sibi eligere sepulturam extra Monasterium valent, Sanch. *num. 14.* Bordon. *num. 162.* Villalobos *num. 13.* Sed si non eligant, de rigore juris in Majorum sepulchro essent tumulandi: & si illud non habeant, in parochia Monasterii, id est, in qua illud situm est. Ex consuetudine tamen, & ex privilegiis Religionum, si electa sepulchra non habeant, vel non electa sepultura decedant, sepeliendi sunt in Monasterio, etiam si moriantur in domibus parentum, vel alio loco, ad quem retento habitu, & cum licentia Superioris, curationis, vel alterius rei causa delati fuerant. Ita Sanchez *nu. 10.* Pellizzar. *num. 153.* Bordon. *num. 162. & 171.* Villalob. *num. 13.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 39. art. 4.*

Familiares Religiosorũ in Monasterio sunt sepeliendi.

187. Sed circa prædicta est duplex difficultas. Prima, an servi, familiares, & commensales Religiosorum, qui non eligunt sepulturam, debeant in parochia, vel in Monasterio sepeliri? Respondetur sepeliendos esse in Monasterio, etiam repugnantibus Parochis: ut constat ex diversis privilegiis, Regularibus concessis. Quorum tria in medium proferam. Primum est Clementis IV. pro Minoribus: quod refert Cassarub *in compend. verb. sepultura num. 2.* his verbis *Clemens IV. concessit fratribus Minoribus, ut eos qui in suis immorantur obsequiis, possint, cùm decesserint, in cœmeteriis suarum Ecclesiarum sepelire. Secundum est Pauli IV. pro Societate,* relatum in Bullario ipsius fol. 34. sub hoc tenore: *iis verò, qui in Ipsorum Præpositorum, & Sociorum moriuntur obsequiis, cuncta libere ministrare possint Sacramenta, & ipsos cùm decedunt, in suis cœmeteriis*

*terius sepelire.* Tertium est Sixti IV. in Bulla, *Dum attenta*, quæ est Mare Magnum Carmelitarum, ubi famulis,& familiaribus Eorum,idem concedit sub hac forma, *his verò qui vestris immorantur obsequiis,cuncta libere ministrare positis Ecclesiastica Sacramenta,& ipses cum decedant, in vestris Cæmeteriis sepelire.* Sed hæc ita limitantur à Tridentino *sess.* 25. *cap.* 11. ut hoc tempore tantùm intelligantur de illis, qui tres conditiones habuerint copulative, videlicet: *quod actu inserviant: quod intra septa Monasterii resideant: ac sub Religiosorum obedientia vivant*; sub obedientia inquam servili, quam habent servi respectu Dominorum suorum, ut explicat Suarez *tom.*4. *de Religione, tract.*10. *lib.*9. *cap.*4. *num.*11. Et quando dicta privilegia concedunt facultatem ministrandi prædictis Sacramenta, debet hoc intelligi de Confessione,Eucharistia,& Extrema Unctione; non autem de Baptismo,aut Matrimonio, ut docet Lezana *tom.*1. *part.*2. *cap.*13. *à num.*13. Igitur posse Regulares, hæc habentes privilegia, & cum illis communicantes in eis familiares, & servos modo dicto illis inservientes in propriis Ecclesiis, etiam Parochis inconsultis sepelire, docent communiter Doctores, quos superfluum erit recensere. Videantur tamen Lezana, & Suarez, *locis citatis.* Pellizz. *tract.*8 *cap.*5. *sect.*4. *num.*145 Villalob *difficult* 2. *num.*15. Bordon. *tom.*3. *resolut.*51. *num.*163. Rodriguez *tom.*2. *qq. regul. quæst.*67. *articulo* 2.

An Prælati Regulares possint sibi eligere sepulturam?

188. Secunda difficultas est, an Prælati Regulares possint sibi eligere sepulturam? Respondetur,quòd aliqui affirmant posse extra Ordinem eligere,quia *in cap. final. de sepultur. in* 6. solum excipiuntur Religiosi, quo nomine non veniunt in odiosis Prælati;& maxime quia ratio ibi assignata,nimirum, quod non habent velle, & nolle,illos non comprehendit;ipsi enim in aliquibus velle, & nolle habent. Ita docent Pasqualig *decis.*384 Pellizz. *num.*126. Rodrig. *tom.*3. *qu.* 60. *art.*1. Sed immerito: nam sub nomine Religiosorum etiam Prælati Regulares in dicto Capite comprehenduntur: neque enim est odiosum negare sepulturam illis,quià Religione eam deputatam habent, & quorum velle,ac nolle coarctatur intra limites suæ jurisdictionis eorum. Cæterùm intra eandem Religionem possunt respective ad sua quasi territoria eligere sepulturam,Prior,sc. in loco totius Conventus in quo voluerit,Provincialis in Monasterio,in quo maluerit,suæ Provinciæ, & Generalis intra totam Religionem ubi ipsi placuerit: quia ut diximus,velle proportionatum suæ jurisdictioni habent; quæ sicut extenditur pro Prioribus per totum Conventum, pro Provincialibus per totam Provinciam,&c. Ita etiam potestas eligendi sepulturam eidem jurisdictioni commensurari debet. Bordon. *num.* 158. *&* 115.

Prælati Regulares possint sibi eligere sepulturam

Pœna contra inducentes ad promis-

189. Mortaliter peccant Parochi, & Religiosi,qui aliquem in sepultura,in qua ex jure sepeliri prohibetur, sepelire audent; & hoc ob damnum, & injuriam illatam Ecclesiæ, cui debe-

sionem electionis sepulturæ in suis Ecclesiis.

bebatur illud cadaver, & ideo tenentur restituere corpus, si petatur: & omnes proventus ex funere perceptos. Ita docet Abbas *cap. cum liberum, de sepultur.* Sylvest. *sepultura, qu.* 11. Cæterum contra eos, qui alios inducunt ad jurandum, vovendum, vel promittendum, quod in eorum Ecclesiis velint eligere sepulturam, vel jam electam non mutare, hæc statuit Bonifacius VIII. C. 1. *de sepultur. in 6. Universis Religiosis, & sæcularibus, Clericis cujuscumque status, & conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ, districtissime prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Nos enim si secus actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis statuentes ut hi, qui sic elegerint, nec apud electas Ecclesias ullatenus sepeliri, nec alibi, ne contra votum, juramentum, aut promissum hujusmodi à se factum, materiam habeant veniendi, possint eligere sepulturam. Sed contradictione quacumque cessante, sepeliantur omnino apud alias Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si alias sepultura non electa, forsitan decessissent. Si verò iidem Religiosi, vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis, vel cœmeteriis præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum corporum, si petantur, quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum, pervenerint quomodolibet ad eosdem, intra decendium integraliter faciendum, ipsos obligatos esse censemus. Quæ nisi fecerint, Eccl. sias ipsæ, apud quas sepulti fuerint, necnon & cœmeteria eadem ex tunc eo ipso sint, & tamdiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plena omnium prædictorum.* Quæ constitutio confirmata fuit à Clemente V. in Clement. *cap. cupientes, de pœnis.* Addita excommunicatione latæ sententiæ, Papæ reservata contra sic inducentes.

Qui sint illi, qui contra decreta superius adducta non operantur?

190. Cæterum contra hæc decreta non operantur, nec pœnas in eis impositas incurrunt, qui simpliciter alium inducunt ad eligendam in sua Ecclesia sepulturam, absque juramento, voto, vel promissione sub fide data de illo: quia textus loquuntur de his, qui ad jurandum, vovendum, vel promittendum inducunt. Nec qui inducerent ad eam eligendam in testamento, vel codicillo; quia hoc non est votum, aut juramentum. Neque qui inducerent etiam cum voto, & juramento ad eligendam sepulturam in alienis Ecclesiis, non in propriis: quia Pontifex solum loquitur de inducentibus ad eligendas sepulturas in propriis Ecclesiis. Nec sæculares laici, aut Confratres, aliquos inducentes, etiam cum juramento, aut promissione, ad eligendam sepulturam in suis Ecclesiis; quia jura solum loquuntur de Clericis, & Religiosis, sub quo nomine non veniunt laici, aut Confratres. Diana 5. *part. tract.* 3. *resolutione* 101. Villalob. *tract.* 31. *difficult.* 2. *num.* 18. Rodriguez *tomo* 3. *quæst.* 81. *art.* 7. Bonacina *de Cens. extra Bull. disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 4. Bordon. *tom.* 3. *resolut.* 51. *num.* 181. An-

tonius à Spiritu sancto *tract. 2. disput. 3. sect. 4. n. 121.* Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 9. num. 25.* & *tom. 3. verb. sepultura, num. 7.* § Incurrunt autem inducentes dictas pœnas, sequuto voto, juramento, aut promissione de eligenda sepultura in Ecclesia Religiosi inducentis, etiam non sequuto effectu sepulturæ; quia in ordine ad illas solum apponitur pro effectu inductionis, & votũ, vel promissio, & non actualis sepultura; sic citati. § Cæterum si in eadem Ecclesia, in qua ut sepulturam eligeret, aliquis inductus fuit, erat alias de jure sepeliendus, inductus non perdit jus ut ibidem sepeliatur, nec inducens contra dicta jura operatur: quia cessat finis, propter quem edita fuit talis Constitutio, quæ emanavit in favorem illius Ecclesiæ, in qua ille erat de jure sepeliendus; & ob id non debet retorqueri in ejus detrimentum. Hieronym. Rodriguez *in compend. resolut. 128. num. 6.* Portel. *verbo sepultura, num. 4.* Sylvest. *verb. excommunicatio 7. num. 49 §. 3.* Pellizzar. *num. 148.* Bordon. *n. 185.*

Exhumare cadavera gravissimum est peccatũ.

191. Qui corpus jam sepultum exhumaret in eum finem, ut expoliaret, gravissimum peccatum committeret: & ideo *in l. 3. ff. de sepulturarum violat. & l. reg. 14. titul. 7. partit. 1.* conceditur consanguineis jus, adversus hujusmodi hominem propter injuriam & offensam agendi. Cæterum ad restitutionem eorum, quæ abstuleri, non tenebitur; cùm talia pro derelictis habeantur, sub terra procul dubio consumenda. Villalobos *tom. 2. tract. 31. difficult. 6. num. 1* Sed sepulchra violantes: scilicet illa frangentes, deformantes, aut cadavera spoliantes, infamiam incurrunt; & consequenter irregularitatem, *cap. infames, quæst. 1.* Deinde non possunt etiam corpora exhumari sine licentia & consensu Episcopi, ut transferantur de uno loco in alium, vel ut à Curia sæculari recognoscantur; ut habetur *in Cap. Corpora Sanctorum, de consecrat. distinct. 1. l. nemo hominum, C. de Relig. & sumptibus funer.* Quod intelligit ut de corporibus perpetuæ sepulturæ traditis; non de illis, quæ per modum depositi, in aliquo loco sunt sepulta: ut tradunt Lezana *num. 21.* Villalob. *num. 4.* Hieronym. Rodriguez *in compend. resolut. 227. nu. 25.* Et subintelligitur quando non adest necessitas inde corpora extrahendi, v. g. ad Ecclesiæ, vel Capellæ renovationem, vel ad alium justum & pium effectum. § Sed Prælati Regulares ex privilegio Leonis X. possunt in suis Ecclesiis, & Capellis exhumare corpora defunctorum, & ad alias sepulturas in eisdem Ecclesiis transferre, cum consensu eorum, quorum interest, etiamsi ibi essent perpetuo sepulta; quod licet vivæ vocis oraculo fuerit concessum, ante Gregor. XV. jam tamen insuper per Bullas est confirmatum, ut constat ex dictis *cap. præcedenti, num. 61.* & proinde in suo robore manere, tenent Rodriguez & Navarrus, quos refert, & sequitur Lezana *tom. 5. in Mari Magno Carmelitarum. nu. 346.* Diana *2. part. tract. 2. resolut. 120.* Antonius à Spiritu sancto *supra num. 127.* Villalob. *difficult. 6. num. 5.* Cespe-

pedes *de exempt. disput.* 249. Pellizz. *tract. 8. cap. 1. sect. 4.* Qui duo ultimi addunt, quod in illo casu, quo corpus exhumari deberet, ut à Curia sæculari inspiceretur, ad capiendam informationem de homicidio, posset Prælatus Regularis ex vi hujus indulti Leonis X. licentiam præbere, etiam Episcopo inconsulto: quia cùm is concesserit facultatem exhumandi cadaver, pro casu quò est transferendum ad alium locum; à fortiori concessit, ut possint Regulares exhumare cadaver ad breve tempus, quale requiritur, ut inspiciatur.

## §. II.

### *Quibus ex jure neganda sit sepultura Ecclesiastica?*

Enumerantur hi, qui jure privantur sepultura.

192. IN Rituali Romano à Paulo V. composito, & ordinato *folio* 144. recensentur omnes, qui ex jure sunt Ecclesiastica sepultura privati; dum statuitur non esse concedendam Ecclesiasticam sepulturam Paganis, Judæis, Infidelibus, Hæreticis; eorum fautoribus, Apostatis à fide, schismaticis, publicis excommunicatis majori excommunicatione, interdictis nominatim, & iis qui sunt in loco interdicto, eo durante; seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam, nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ; morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa, Manifestis, & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt; illis, de quibus constat publicè, quod nec semel in anno susceperint Sacramenta Confessionis, & Communionis saltem in Paschate, & absque ullo signo contritionis obierint. Infantibus item mortuis absque baptismo. Sed additur: *Ubi verò in prædictis casibus, dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.* Et merito sane supradictis negatur Ecclesiastica sepultura; quia hæc solum illis concedenda est, qui capaces sunt orationum, suffragiorum, & precum, quæ in Ecclesia fiunt à fidelibus; sed illorum incapaces sunt, qui in peccato mortali (ut de supradictis præsumitur) decesserunt, ergo, &c. § Ad supradictos casus omnes alii reducuntur, qui in jure possunt reperiri, & præsertim ad illum de manifestis peccatoribus, sub quo nomine comprehenduntur sacrilegi, adulteri, usurarii, blasphemi, Religiosi proprietarii, &c. § Manifestus autem peccator dicitur ille, cujus grave peccatū constat ex publica ejus confessione, vel ex evidētia facti quatenus mali, quod nullâ tergiversatione celari, nec explicari potest aliter, quàm sub ratione mali fi publicè fiat, ut nimirū corā populo vidente, & sciente tale factum, esse delictum grave, sitque proinde notum majori urbis parti. Nec tamen ad incurrendam privationem Ecclesiasticæ sepulturæ requiritur talibus esse assuetum peccatis, sed sufficit si semel deliquerit: quia per unicum actum verificatur quòd aliquis sit *Peccator*, & fiat dignus excludi ab æterna beatitudine. Ita Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 91 num.*

*num.*32. Megala *lib.*3. *de censur. cap.*1 *num.*28. § Porrò in his casibus etiam Religiosi, & Moniales quantumvis aliàs exemptione gaudeant, privantur Ecclesiastica sepultura: quia Paulus V. loquitur de omnibus Christi fidelibus, cujuscumque status, conditionis, & ordinis; sub quo verborum tenore potuit comprehendere etiam Regulares, cùm sit omnium superior & Legislator.

Quid in dubio faciendum?

193. In dubio autem an cadaver sepeliendum sit in Ecclesia, an extra? procul dubio debet in Ecclesia sepeliri, ut colligitur *ex Cap. non aestimemus* 13. *quæst.* 3. *Cap sacris* 12. *de sepulturis.* Et id quidem merito, quia jus possidet, ut sibi sepultura sacrâ concedatur: & in dubio melior est semper conditio possidentis. Proinde ita sentiunt D. Antonin. *part.*3. *tit.*20. *cap.*5. §. 9. *in fine.* Lavor. *tit.*2. *cap.*12. *in fine.* Bordon. *resolut.*51. *numer.* 196. Sed sive res certa sit, sive dubia, nemo est privandus Ecclesiastica sepultura, & extra eam sepeliendus, nisi prius per sententiam Ordinarii constet, esse reum talis criminis, quod sit obnoxium privationi Ecclesiasticæ sepulturæ, & dignum tali pœna, decessisse: quia illa privatio sepulturæ est pœna gravissima, cùm privetur aliquis per eam aliorum orationibus, & suffragiis, multisque subsidiis spiritualibus: sed pœna etiam privativa non incurritur, nisi post sententiam judicis, saltem declaratoriam criminis, etiamsi incurri in jure dicatur ipso facto, nulla exspectata judicis sententia, ut diximus *tract.* 11. *de legibus, cap.*2, *num.* 59. ergo, &c. Itaque sic docent Bordon. *suprà num.*125. Pellizzar. *tract.*8. *capite* 5. *sect.*4. *num.*148. § Sed solus Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis, hic venit nomine Ordinarii, ad effectum ferendi prædictam sententiã, etiamsi cadaver deferendum esset ad Ecclesiam Regularium: quia cum initium sepulturæ sit elevatio cadaveris, quæ spectat ad Parochum; consequens est, quòd solus Episcopus, qui est ejus superior, ferat in hac materia sententiam. At si cadaver fuerit Religiosi, de quo dubitatur, an sit capax sepulturæ, non amplius hoc pertinet ad Episcopum, sed ad superiorem Religionis localem: quia initium, medium, & finis sepulturæ ad eum spectat; & ideo tali negotio expediendo, non erit superioris Prælati judicium exspectandum. Ita Bordon. *num.*126. *&* 127.

194. Cæterum descendendo ad casus particulares, à Paulo V. recensitos, prætermissis Judæis, Paganis, Hæreticis, &c. & eorum receptoribus, & auxiliatoribus, de quibus ibi expressè fit sermo, *& in cap. Ecclesia, de Consecrat. dist.*1. *Cap. sanè* 24 *quæst.*2. asserendum est, quòd pueri non baptizati, etiamsi sint filii Christianorum, extra Ecclesiam sunt sepeliendi; & hoc non in pœnam criminis personalis, cùm tale non habuerint, sed quia peccato originali infecti obierunt, & sic à regno Cœlorum excluſi supponuntur: proindeque orationum, & suffragiorum incapaces censendi sunt. Secus dicendum est de infantibus mortuis in utero matris defunctæ adhuc existentibus; quia tales

Quales non sepeliendi

tales, non censentur Personæ moraliter distinctæ à matre. Secus dicendum etiam de pueris, de quibus dubitatur an sint, vel non sint baptizati: quia ut dicebamus, in dubio, tradendus est defunctus Ecclesiasticæ sepulturæ: ac demum de Catechumenis, qui licet non sint baptizati baptismo aquæ; præsumuntur tamen baptizati fuisse baptismô flaminis, & in voto baptismum fluminis recepisse, nisi fuerint tales, qui cùm possint recipere Baptismum fluminis, eum tamen recipere neglexerunt: quia præsumuntur in peccato mortali decessisse, ut colligitur ex Concilio Braccharensi, *cap. 34. & 35.*

Excommunicatus & interdictus privantur sepultura Ecclesiastica.

195. Excommunicatus denuntiatus, qui antequam absolveretur, defunctus est, non potest in loco sacro sepeliri, etiamsi dederit signa contritionis, & doloris: quia æquum non est, quòd cum mortuo communicemus, quem vivum vitare tenebamur, ut habetur *Cap. sacris, de sepulturis,* & aliis textibus à nobis *tom. 2. tract. 10. de Censuris, cap. 3. num. 73.* adductis. Ubi etiam diximus hoc intelligendum esse de excommunicatis vitandis, & non de toleratis. Quod si in loco sacro sepultus fuerit vitandus excommunicatus, exhumandus est, & foras projiciendus, si ab aliis corporibus discerni possit, ita habetur *dicto Cap. sacris, citat.* Et, Ecclesia solemni aspersione reconcilianda est, & purganda, quia polluta fuit, ut constat *Cap. consuluisti, de Consecrat. Ecclesiar. in 6.* Si dederit signa pœnitentiæ ante mortem, absolvendus est antequam sepeliatur, *cap. à nobis 1. de sententia excommunicationis.* Si verò contingat ante absolutionem sepeliri, non est exhumandus, sed absolvendus; dum tamen hæredes prius petierint absolutionem, juxta Glossam *Cap. ad hæc. de privileg. Cap. si civitas, verbo sepeliri, de sententia excommunicationis in 6.* § Interdicti portò personaliter & specialiter, non possunt in sepultura sacra sepeliri; uti in dicto decreto jubet Paulus V. & ita habetur in *Clementin. 1. de sepulturis, cap. Episcoporum, de privilegiis in 6.* Nec tempore interdicti localis, in loco interdicto generaliter, vel specialiter, possunt cadavera sepeliri, uti constat ex *Cap. quod inter, de pœnitentiis & remissionibus,* & ex *Cap. Episcoporum, de privilegiis in 6.* Qualiter autem Clerici possint sepeliri in loco sacro tempore interdicti localis, & Religiosi illi, qui Bullam cruciatam receperunt, & de aliis huc spectantibus, latè diximus *tract. 10. de Censuris, citato, cap. 6. punct. 6. per totum.*

Qui in duello moritur, extra Ecclesiam sepeliendus est.

196. Item qui in duello moritur privatur Ecclesiastica sepultura, etiamsi cum signis doloris, & contritionis obierit, ut in dicta Constitut. Pauli V. habetur, & in Tridentino *sess. 25. cap. 19. de Reformat.* necnon in aliis textibus: Et hoc non solum intelligendum est de provocante, sed etiam de admittente, nisi in illis casibus, in quibus diximus *tom. 2. tract. 10. de Censuris, cap. 4. punct. 3. per totum,* duellum posse honestari, & licitum reddi: quod quidem tunc merito concessimus; & nunc quoque libenter concedimus. Ratio autem dictorum in hoc numero est, quia in

duello morientes, in graviſſimo decedunt peccato. Tum etiam: quia ſunt excommunicati per Tridentinum, & alios textus. Verum difficultas eſt inter Doctores, an qui in duello vulnerati, decedunt poſtea extra locum duelli, privandi ſint Eccleſiaſtica ſepultura, etiamſi doloris ſigna dederint: imo etiam ſi Sacramenta receperint. Aliqui id affirmant: quia per illud *in duello* ſecundùm illos non denotatur locus materialis conflictus, ſed quod in duello vulneratus ex eodem vulnere deceſſerit. Sic Bordon. *reſol* 51. *num.* 111. Lavor. *tit.* 12 *num.* 16. Peregrin. & Sanctius citati à Diana ſtatim adducendo. Sed nos cùm hæc ſit pœnalis lex, & reſtringenda, locum duelli, locum ipſius conflictus interpretamur. Unde ſi quis vulneratus in duello fuerit, & poſtea extra locum duelli moriatur, privandum eum non eſſe Eccleſiaſtica ſepultura judicamus, ſi cum ſignis pœnitentiæ decedat. Sic aliis citatis, Diana *part.* 2. *tract.* 16. *reſol.* 52. *& p.* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 192. §. *verum.* & *p.* 5 *tract.* 2. *reſol.* 99. §. *notandum.* & *p.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 44. Imo etiam Portel. *in reſponſ. moral. p.* 3. *caſu* 10 *num.* 3. quem videtur ſequi Diana *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 192. ſic interpretatur illud *in duello*, ut ſignificet idem, quod in ipſo conflictu duelli: quia qui ſic moritur, decedit evidenter in peccato mortali; quod tamen dici non poteſt de eo, qui finito conflictu, in loco duelli, cum ſignis doloris, & pœnitentiæ moritur, qui licet excommunicatus ſit, non tamen eſt vitandus, cùm non ſit nominatim denuntiatus, nec proinde de illorum numero, quos privari Eccleſiaſtica ſepultura diximus *tract.* 10. *cap.* 3. *n.* 37.

197. Ad hunc caſum duelli reducitur caſus illius, qui in torneamentis moritur: qui privatur Eccleſiaſtica ſepultura, *cap. Eccleſia, de conſecratione, diſtinct.* 1. *cap. ſanè* 24. *q.* 2. quod intelligendum eſt de torneamentis periculoſis, & non extendendum ad caſum, quo quis in ipſo loco torneamenti quidem vulnus accipiat, ſed poſtea peracta pœnitentia moriatur: Cujus tamen oppoſitum tenent Lezana *verb. ſepultura, num.* 15. Sylveſt. *eodem verbo, quæſt.* 9. Villalob. *tract.* 31 *difficult.* 3. *num.* 2. Sed quia hoc tempore tale genus torneamenti vix eſt in uſu, in eo non eſt immorandum. § Etiam uſurarius manifeſtus niſi pœniteat, & reſtituat quæ per uſuras acquiſivit, vel cautionem de reſtitutione præſtet, privandus eſt Eccleſiaſtica ſepultura, *Cap. quia. de uſuris, cap. quamquam eod. tit. in* 6. Sed circa hoc vide quæ diximus *tom.* 3. *tract.* 14. *de contract. cap.* 3. *punct.* 14. *per totum.* §. Deinde etiam Religioſi proprietarii debent privari Eccleſiaſtica ſepultura, *Cap. Monachi* 2. *de ſtatu Monach.* ibi: *Qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres recipiat ſepulturam. & Cap. cùm ad Monaſterium. eod. tit.* ibi: *Quod ſi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipſa cum eo in ſignum perditionis extra Monaſterium in ſterquilinio ſubterretur.* Quæ quomodo intelligenda ſint diximus *tom.* 3. *tract.* 13. *de reſtit. cap.* 6. *num.* 8. Alia circa hoc ipſum vi-

Morientes in torneamentis ſicut etiam uſurarii, Religioſi proprietarii, privantur Eccleſiaſtica pul

videri poterunt apud Dian. *p.4. tract. 4. resol.23.* Bordon. *resol.51. num.131* Portel. *verb. sepultura, n.11.*

Peccator publicus privatur sepultura Ecclesiastica.

198. Peccatores publici, & manifesti in quocumque genere peccati, nisi dederint signa pœnitentiæ, non sunt sepeliendi in loco sacro, quia absque pœnitentia in peccato mortali præsumuntur decessisse, ut in dicto Pauli V. decreto habetur, & cõmuniter à Doctoribus asseritur: Signa autem pœnitentiæ, aut contritionis, (quæ quoad præsens idem esse judicatur) cum qua peccator præsumitur decessisse emendatus, est petitio veniæ, desiderium Confessarii externo signo expressum, tunsio pectoris, genuflexio, invocatio Dei, B. Virginis, & Sanctorum, suspiria ad Deum, deosculatio rei sacræ, & similia; dummodo in his casibus, ac de his signis habeatur probatio per unũ testem. Lavor. *tit.2 cap. 12. num.21.* Lezana *verb. sepultura, num.25.* Naldus *in summ. eodem verbo num. 6.* Ex quo infertur quòd extra locum sacrum sepeliendæ sunt meretrices, cõcubinarii, usurarii, & omnes qui in flagranti delicto occiduntur, nisi quis attestetur eos signa pœnitentiæ ante mortem dedisse; & ideo in *Cap. fures, de furto*, cuidam latroni, qui fuerat in flagranti occisus, sepultura negatur. Unde probat etiam Navarr. *in dicto cap.* & ex illo Villalob. *difficult.3 num. 10.* quod si maritus uxorem aut adulterum in flagranti delicto adulterii occidat, non sint isti in sepultura Ecclesiastica sepeliendi. Sed Doctissimus Noster Lezana *num.23.* ita loquitur circa hunc casum. (Peccatores autem, seu illi qui existimantur in peccato mortali decessisse, & tamen non constat certò impœnitentes mortuos illos fuisse, quales sunt qui mortui fuerũt in torneamẽtis taurorum, & adulteri deprehensi in adulterio, ac idcirco interfecti à marito, quamvis nulla signa contritionis dederint, in loco sacro sepeliri debent, uti docet Joannes Sanctius *in selectis disput. 36. nu.3. & 4.*) Idem habet Mendoza *2.2. disp.76. sect.1. §.21.* asserens quemlibet peccatorem publicum morientem absque signis doloris, dummodo non constet evidenter impœnitentem fuisse mortuum, in sepultura sacra posse tumulari; quia potuit salvari per confessionem occultam; quod etiam videtur amplecti Diana *5. part. tract.3. resolut.99.*

Qui saltẽ semel in anno nõ fecit confessus, nec in Paschate communicavit, non est sepeliendus in loco sacro.

199. Privantur etiam Ecclesiastica sepultura, qui semel in anno proprio sacerdoti confiteri, & Eucharistiæ Sacramentum in Paschate sumere, notoriè, & absque probabili excusatione intermiserunt, ut habetur in dicto Decreto Pauli V. *& in Cap. omnis, de pœnitentiis, & remissionibus.* Qui tamen in anno unum ex his Sacramentis recepit, non debet Ecclesiastica carere sepultura: quia præsumitur bonus fidelis; vel si esset occultus peccator, carere non deberet, quia textus de notorio loquitur; idque meritò statuitur ne ex carentia sepulturæ manifestetur peccator occultus. Sic Lavorius *capite 12. num.22.* Bordon. *resolut.51. nu.115.* Sed notandum est, quod non statim, ac publicè scitur aliquem in Paschate

non communicasse, denegandæ est ei Ecclesiastica sepultura; quia forte alicui occultè confessus fuit, qui ob aliquam urgentem causam, illi ne communicaret, præcepit; cùmque in dubio nullus præsumendus sit, suam spiritualem salutem negligere, ille quoque credendus est se dignum reddidisse Ecclesiasticâ sepulturâ ut probat textus *in cap. sancimus 8. quæst. 7.* Proinde docet bene Navarrus *locis citatis*, & ex eo Villalob. *difficult. 3. n. 10.* quòd semper delinquens excusandus est, quantum fieri potest: & aliqua excusatione rationabili inventâ, liberandus est ab infamia criminis, & sepulturæ sacræ tradendus: quod in hoc, & in aliis casibus enumeratis, necnon præcipue in sequenti semper est præ oculis habendum,

Occidentes seipsos ex desperatione, nō sunt sepeliendi in loco sacro.

200 Qui seipsum ex desperatione occiderit, in loco sacro sepeliendus non est, juxta ordinationem Pauli V. & idem habetur *in Cap. ex parte 1. de sepulturis.* & *Cap placuit, 23. quæst. 5.* Sed hoc intelligendum est de eo, qui ex desperatione, vel iracundia deliberata se occidit; non verò de illo, qui ex insania vel furore rationem absorbente, aut etiam casu, vel ex ignorantia, putando se in eo obsequium præstare Deo, sibi vitam ademit: Nec de eo, qui se volens occidere, antequam moriatur signa aliqua pœnitentiæ dedit. Unde si quis intra cubiculum clausus, reperiatur suspensus, sed genibus flexis, sive coronam vel imaginem præ manibus habens, in loco sacro sepeliendus est; quia præsumitur mortuus cum signo pœnitentiæ. Ita Lavor. *tit. 2. cap. 12. num. 31.* Portel. *verb. sepultura, num. 1.* Bordon. *n. 110.* Neque ex eo, quòd aliquis suspensus reperiatur, aut gladio confossus, aut in puteum demersus, vel in flammam projectus, aut ex culmine præcipitatus, desperate decessisse est præsumendus; quia fortasse ab alio fuit occisus, & ut tegeretur crimen, illo, vel alio modo fuit projectus; vel sanè ratione privatus, & phrænesi captus id fecisse judicandus est: amor enim vitæ non ita facilè vincitur, nec est credibile aliquem nisi insanum, ob quodvis malum vitandum, malum omnium gravissimum, cujusmodi est vitæ privatio, & æternæ salutis dispendium voluisse ex seipso amplecti. Unde nisi ex evidentissimis signis, aut conjecturis constet, aliquem à se, & non ab alio occisum fuisse, idque ex iracundia, aut desperatione deliberata, nō verò ex errore, aut ex insania, vel alia passione rationem penitus absorbente, tradendus est sacræ sepulturæ: quia si in omnibus causis criminalibus probationes evidentissimæ requiruntur, ut reus etiam auditus condemnetur, *l. sciant cuncti, ff. de probationibus,* & *Cap. sciant cuncti 11. quæst. ultim.* quanto magis in ista, in qua agitur de condemnatione rei ipso inaudito, qui pro se nihil opponere potest. Item nisi evidentissimè probetur oppositum, semper reus de quo in præsenti agitur, excusandus est. Sic Villalob. *tract. 31. difficult. 3. num. 4.* Navarr. *consil. 9. de sepult. lib. 3.* Rodriguez *tom. 3. quæst. 71. artic. 1.* Joannes Sanctius *in select. dub. 36. n. 14.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 5. sect. 4. nu. 148.* Diana *part. 5. tractatu 3.* re-

*resolut.*100. & *part.*6. *tract.*7. *resolut.*47.

Peccat mortaliter, qui privatũ sepultura à jure, tumulat,

201. Sed inquires, quale peccatum committant, & quas pœnas incurrant, sepelientes defunctum in loco sacro, qui dictis casibus prohibitis est obnoxius. Respondetur, quòd Parochi, vel Religiosi aliquos sepelientes, qui ex juris statuto privati sunt sepultura, mortaliter peccant: quia in re gravi faciunt contra Ecclesiæ prohibitionem; quam ob rem etiam pœnas recensendas incurrunt, & tenentur restituere corpus, & quidquid ratione illius perceperunt; ut constat ex *Cap. cùm liberum, de sepultur.* & ita docent Sylvest. *quæst.*9. Angelus *verbo sepultura, num.*39. Barbosa quem refert, & sequitur Lezana *tom.*3. *verb. sepultur. num.*24. Porrò si quis ex supradictis, in loco sacro fuerit sepultus, exhumandus est, si discerni possit ab aliis fidelibus, aliàs non, *Cap sacrũ de sepultur. Cap. Ecclesiæ* 1. & 2. *distinct.*4 *de Consecrat.* Imò si cadaver sepultũ fuerit intra Ecclesiam Regularium, potest Episcopus illius exhumationem illis præcipere, si illi denegari debuerat sepultura, quia publicè excommunicatus, usurarius, interdictus, quia ipsis ita conceditur, abrogatis omnibus privilegiis in contrarium *in Clementin. eos, de sepulturis.* Sed si ob alios casus sit illi sepultura indebitè concessa, & si Prælatus exterrare corpus teneatur, & foras projicere, id Episcopus præcipere non potest ob exemptionem ab ejus jurisdictione Ecclesiæ regularis, ratione cujus se habet, ac si extra Diœcesim esset sepultum cadaver, Pelliz. *supra n.*176. Sylvest. *verb sepultura, n.*16.

Duplex excommunicatio contra sepelientes in loco sacro privatos Ecclesiastica sepultura.

202. Præter hæc duplex assignatur in jure excommunicatio contra sepelientes in loco sacro eos, qui indigni sunt sepultura Ecclesiastica. Prima habetur *in cap. quicumque 2. de hæreticis in 6.* ubi sic dicitur: *Quicumque hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumpserint Ecclesiastica tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se noverint subjacere; nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & projiciant hujusmodi corpora damnatorum.* Secunda habetur *in Clementina* 1. *de sepultur.* his verbis: *Eos qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu clavium Ecclesiæ, in cœmeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis à jure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos scienter sepelire præsumunt; decernimus ipso facto, excommunicationis sententia subjacere. A quæ nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi, eis quibus per præmissa, fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem.*

Qui incurrant duplicẽ suprapositam excommunicationem?

203. Neutra tamen ex his duabus excommunicationibus incurritur ab iis; qui in aliis casibus hoc paragrapho assignatis tradunt sepulturæ Ecclesiasticæ, aliquem ea privatum, sed primam tantùm incurrunt, qui hæreticos, eorum fautores, receptatores, &c. sepeliunt. Secundam, qui tempore interdicto, vel nominatim inter-

dictum, vel publicè excommunicatum, aut usurarium manifestum sepeliunt. § Sed cùm in utriusque excommunicationis formula dicatur: *Qui scienter præsumpserit cum temeritate*; ideo scientia, præsumptio, & temeritas copulativè requiruntur ad eas incurrendas; tunc igitur quis temerarie sepelire dicitur alium, cùm sciens defunctum declaratum fuisse indignum sepulturâ; nihilominus illum sepelit in loco sacro, vel de facto in eo sepelivit: quamvis ignorantia, & inadvertentia excuset, ut patet ex à nobis dictis *tom. 2. tract. 10. de censuris, cap. 1. num. 198.* § Nomine autem *Ecclesiæ*, in prima excommunicationis formula, & cœmeterii in secunda, venit Ecclesia vel cœmeterium, vel quicumque alius locus ex designatione Ordinarii, ad sepulturam fidelium designatus, eò quòd mens legislatoris sit, ut similes peccatores careant Ecclesiastica sepultura, qualis est illa, quæ construitur in Ecclesiis, cœmeteriis, &c. ut notat Gloss. *in dicta Clemen. 1. de sepult. verb. cœmeterium.* § Demum per *sepelientes*, qui in prædictis textibus dicuntur incurrere excommunicationem, non tantùm intelliguntur funus comitantes, nec tantùm Clerici canentes, crucem portantes, campanas pulsantes, vel corpus ad sepulturam deferentes; nec solum illi, qui propriis manibus corpus defuncti attollunt, in sepultura deponunt, & terra cooperiunt, ut plures probabiliter asserunt; sed etiam mandantes, & procurantes, quod defunctus in loco sacro sepeliatur, & ad id authoritative concurrentes, uti cum citatis Hugol. Palao, Conincho, Suarez, Trullenchio, Diana, diximus *tract. dict. de censuris, c. 3. punct. 7. à n. 78.*

## §. III.

### *An, & quomodo eligentes in Ecclesiis Regularium sepulturam, possint ab eis sepeliri?*

204. LIberum est omnibus Christi fidelibus, sive Clerici sint, sive laici eligere sibi sepulturas in Ecclesiis Regularium; & sive eligant illas, sive non eligant, si tamen in Monasterio suorum majorum habeant sepulchra, in eis poterunt Regulares ipsos sepelire, tam cum habitu Religionis, quam absque illo Ita habetur tum ex Jure Communi, *in Cap. ubicumque 13. quæst. 2.* & in *Cap. Agapitus 16. quæst 1.* & *in Clementin. Dudum de sepulturis.* Tum etiam ex privileg. Clementis IV. Martini IV. Bonifacii VIII. Sixti IV. Pii V. Clementis V. & aliorum: ut videre est apud Casatrubios *in compend. privileg. Mendicant. verb. sepelitio, & sepultura, num. 8. & 13.* Barbosa *de Jure Ecclesiast. lib. 2. ca. 10. num. 21.* Lezana *tom. 1. part. 7. c. 1. num. 21.* & prædicta electio sepulturæ, nec à Parochis, neque ab Episcopis, neque à quocumque alio impediri potest. Riccius *in praxi, part. 4 resolutione 293.* Hieronym. Rodrig. *in compend. qq. Regul. resol. 128.* Bordon. *tom. 3. resolut. 51. num. 7.* § Quæ privilegia, & jura etiam concessa cen-

Privilegia concessa Regularibus ad sepeliendum in sua Ecclesia eligentes sepulturas sibi in eadem.

censentur Monialibus, ita ut quicunque, sive vir, sive fœmina in earum Ecclesiis, vel cœmeteriis, sed extra earum clausuram, sepeliri valeat. Ratio est: quia in pluribus ex dictis privilegiis expresè nominantur. Tum etiam: quia communicant in privilegiis cum Religiosis sui Ordinis, ut diximus *cap. 1. num. 91.* Ac deinde: quia ita tenet praxis, & consuetudo totius Ecclesiæ. Tum denique; quia sic declaravit sacra Congregatio sub Gregor. XV. Ideoque sic tradunt Portel. *verb. sepultura, num. 14.* Bordon. *num. 83.* Lezana *tom. 1. part. 2. cap. 1. n. 31.* Antonius à Spiritu sancto *supra n. 123.*

Parochi peccant mortaliter, qui impediunt, quò minus fideles apud Regulares sepeliantur.

205. Ita liberum est unicuique in Monasteriis regularium eligere sepulturam, ut, ne à tali electione fideles retrahantur, minimè possint Parochi plus exigere pro associando corpora, in Ecclesiis Regularium tumulanda, quam si ad Parochiam ducerentur. Et ideo communiter Doctores asserunt peccare mortaliter Parochos peccato Simoniæ & injustitiæ talia exigentes, & teneri ob id damnis, quæ Regularibus inde proveniunt, satisfacere. Tum quia talis exactio moralis violentia est, retrahens fideles, ne in Regularium Ecclesiis sepeliantur. Tum etiam: quia id prohibitum est ipsis *in Cap. audivimus 41. de simonia, Cap. non sunt 8. Cap. cum in Ecclesia, eodem titulo.* Tum denique; quia Clemens VIII. in Bulla quæ incipit: *Expositum*, apud Rodriguez *in Bullar. fol. 1205.* sub excommunicatione Papæ reservata, præcepit Parochis Indiarum, ne plus petererent pro associando corpora, in Ecclesiis Regularium sepelienda, quàm pro illa deferendo ad Parochiam accipere solent. Quam Constitutionem confirmavit Urbanus VIII. litteris datis in forma Brevis 11. Maii anno 1638. in quibus locorum Ordinariis commisit, ut providerent, & decernerent; *Ne Parochi plus percipere possent ex sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quàm ex eis, quæ fiunt in propriis sæcularium Clericorum.* Unde constat & peccare mortaliter, & incidere in excommunicationem positam à Clemente VIII. omnes Parochos ubivis locorum, contra dictas Constitutiones plus exigentes; eò tamen, quòd licèt sit pro Indiarum Parochis expresè posita, est per modum declarationis juris Pontificii, & naturalis expedita, ne videlicet aliquis ultra id, quod sibi debetur, exigat, & sic obligare ubique, tenent Portellus *in additament. verb. sepultura, num. 2.* Lezana *tom. 3. verb sepultura, num. 5.* Peyrin. *tom. 3. cap. 4 num. 8* Antonius à Spiritu sancto *num. 133.* Pellizz. *supra n. 173.*

Aliqua circa dicta notantur

206. Sed circa dicta nota primò: Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium declarasse die 1. Februarii 1640. ut testatur Lezana *supra*, quod quando Parochi non interveniunt associationi corporis defuncti, qui eligit sepulturam in Ecclesia Regularium; possunt quidem habere emolumenta, quæ illis propter jus Parochiale obveniunt; sed non illa, quæ dantur propter associationem. § Nota secundò: quòd secundùm Decretum Urbani VIII. Con-

Constit. 21. confirmantis ex certa scientia Constitutionem Pauli V. ut refert Peyrin. *in additament. ad Constitutionem Leonis X. cap. 4. num. 7.* hæredes defuncti non tenentur convocare ad associandum corpus, tot Clericos, quot Regulares, nec prius totum Capitulum, quàm Religiosos, nec dare tot intortitios Parocho, quot Regularibus; sed convocare posse Clericos sibi bene visos, & cuilibet dare ceram sibi bene visam; & eodem decreto revocantur quælibet instituta, & consuetudines, seu abusus, circa hoc in aliquibus partibus vigentes. § Nota tertiò id quod ait Pellizzar. *tract. 8. cap. 5. sect. 4. n. 144.* Bordon. *tom 3. resol. 51. num. 87.* Lavor. *titul. 2. de funer. cap. 14. num. 44.* melius esse, ex multis capitibus, eligere sepulturam in templis Religiosorum, quàm in aliis. Tum ob frequentiorem Divinorum Officiorum celebrationem, quæ in Ecclesiis Regularium peragitur: ad quam attenditur *in Cap. fraternitatem 3. de sepulturis*, ibi: *Fraternitatem tuam non credimus ignorare mortuorum sepulchra, & cœmeteria apud illas Ecclesias, & Monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus Religiosorum Fratrum Conventus sunt constituti, & orationes, atque Missarum solemnia, tam pro vivis, quàm pro defuncto frequentius celebrantur*: ergo frequens divinorum Officiorum celebratio, quæ principaliter peragitur in Ecclesiis Regularium, arguit esse utiliorem, & meliorem sepulturam apud ipsos, ut dicit ibidem *Glossa*, verb. *frequentius*. Tum etiam ex majori frequentia populi concurrentis ad audienda Divina Officia, in eisdem templis Regularium, quæ multum prodest fidelibus vivis & defunctis, juxta Glossam *Cap. cum gratia 13. quæst. 2.* Omitto quod decentius, quòd cum majori devotione, ac reverentia in Ecclesiis Regularium funeralia fiant officia, & quòd exactius oneribus impositis fiat satis, quia hæc & similia omnibus patulo constant. Ad alia transeamus.

207. Cæterum quoad modum, quo se debent gerere Regulares cum Parochis circa sepelienda corpora in suis Ecclesiis, sciendum est Sixtum Regulam IV. in Mari Magno pro Carmelitis, res cum concessisse, quod fratres ipsi, nullius Parochi super hoc petita licentia, Parochias, quando in quibus prædicta corpora existunt, aliqui cum cruce processionaliter ingredi sepelire possint, & corpora ipsa levare, & ad dictas suas Ecclesias sepelienda deferre, ubi in eorum hoc fieri consuetum fuerit, & ubi Presbyteri pro levando corpore requisiti, sine jd facere recusáverint. Idemque concessit pro Dominicanis Pius V. in Bulla: *Ad hoc nos Deus*, apud Confectium *pag. 218.* Sed verò circa hoc observari debet Decretum Leonis X. in Bulla, *Dum intra*, in Concilio Lateranensi editum, in quo dicitur: *Parochias autem cum cruce ad levanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum, & locorum eorundem, suam elegerint sepulturam, intrare non possint, nisi prius prænonito, & requisito, ac recusante Parochiano presbytero, & tunc sine ejus, ac Ordinarii præjudicio* (intelligo quoad quartam Canonicam, & funeralem, quando eum solvere tenentur.) *Nisi eisdem fratribus super hoc antiqua*

*tiqua consuetudo, qua fit in viridi observantia, & cum pacifica possessione, suffragetur.* Insuper ut omnia firma essent, & omnes lites, & controversiæ, & altercationes, circa hoc omnino cessarent, Sacra Congregatio, die 12 Januarii 1614 declaravit, & statuit: *Quibusvis Regularibus, quorumcumque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, nullo modo licere, etiam speciali alicujus consuetudinis pretextu, Parochias cum cruce processionaliter, aut alias, ad efferenda, & levanda defunctorum funera, intrare, vel illa levare, & efferre, nisi vocato, & exspectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem præsente; si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat; vel nisi requisitus venire expressè omnino recuset.* Alias etiam declarationes apud Authores statim citandos passim reperies. Quare hoc omnino observandum est; quòd Parochus vocetur & exspectetur, atque eo præsenti, & non aliter corpus levetur. Sed si ipse aut nolit levare corpus defuncti, qui in Ecclesia Regularium sepulturam elegit, vel aliàs resistit, impedit, aut retardat, possunt Regulares sine ejus interventu, imo eo nolente, & contradicente corpora levare, & processionaliter ad suam Ecclesiam deferre. Ita docent Lezana *tom. 5. in Mari Magno Carmelitarum, num. 346. & tom. 1. part. 2. cap. 1 num. 31. & tom. 3. verb sepultura, num.* 4. Peyrin. *tom. 1. privileg. Minim. in Constitut. 26. Leonis X, §. 16. num. 20.* Barbosa *de officio Parochi, cap. 26. nu, 66. & in collect. Bullar. verb. sepultura. & de Jure Ecclesiast. lib. 2. cap. 10. num.* 22. & 23. Bordon. *tom. 3. resolut. 51. num. 34.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2 disp 3. sect. 4. num. 126.* Lavor. *tit. 2. de funer. c. 3. num. 207.* Portel. *tom. 1. casuum, casu 66. per totum.*

208. Possunt verò Regulares, vel associati Parocho, vel eo nolente comitari sine ipso, cum cruce tendere ad locum, ubi est corpus defuncti, & illud processionaliter deferre ad Ecclesiam suam, neque illud tenentur prius deferre ad Ecclesiam Parochialem; sed recto tramite possunt ad suam Ecclesiam deducere, uti ex declaratione Cardinalium docet Peyrin. *in additament. ad Const. Leonis X. cap. 5.* Lezana *in Mari Magno Carmelit. num. 346. & in Mari Magno Prædicat. num. 8.* qui etiam *tom. 3. verb. sepultura, num. 18.* affert etiam declarationem sacræ Congregationis, ex qua habetur, quod quando cadavera sepeliuntur apud Regulares, ad ipsos spectet declarare, an per civitatem, an per aliam viam sint deportanda?

Qui eligunt sepeliri cum habitu Religionis, cum eo sunt sepeliendi.

209. Qualiter autem possint fideles cum habitu Religionum sepeliri constat ex concessione facta à Sixto IV. Minoribus, quæ incipit: *Apostolica mansuetudinis.* apud Casarrubios *in compend. verbo habitus, num. 8.* in qua indulget omnibus, & singulis utriusque sexus Personis in habitu Fratrum sepeliri volentibus, ut possint ita sepeliri, inhibens Curatis, & Ecclesiæ Rectoribus, sub excommunicationis pœna Summo Pontifici reservata, ne taliter sepeliri volentibus, quovis modo impedimentum afferant; sed permittant illos pa-

teater ad Ecclesiam, & locum sepulturæ in habitu hujusmodi deferri. Idem concessit idem Sixtus IV. pro Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla, quæ appellatur *aurea* apud Confectium *in collectan. litterarum Apostolicarum, in Sixto IV. num. 3.* Et idem Carmelitis concessit in Mari Magno Eorum, in quo omnes aliæ Religiones habentes communicationis privilegium, communicant. Addit autem idem Sixtus IV. in privilegio illo pro Minoribus, ne ex illorum corporum delatione ad alia loca prædictis Fratribus injuria irrogaretur, alia apud Fratres prædictos sepeliri debere, etiamsi defuncti, ante mortem alibi sepulturam sibi elegerint; & prohibet ne contrarium fiat nisi de assensu, & licentia Fratrum prædicti instituti, in illo loco in quo defuncti decesserunt. Idem concessit idem met Pontifex in Mari Magno pro Carmelitis: & in Bulla aurea pro Prædicatoribus, & Minoribus, ut refert Casarrubios *supra num. 9.* Rodriguez *tom. 2. quæst 76. artic. 8.* Bordon. *tom. 3. resolut. 51. numer. 58.* Lezana *verbo habitus, num. 6.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 5. sect. 4. num. 171.* Deinde idem Sixtus IV. in relata Constitutione statuit, ut hi, quibus committitur potestas dandi habitum, teneantur denunciare decedentibus, eos cùm obierint debere sepeliri in Ecclesiis Fratrum, quorum habitum petunt, ac recipiunt. Propter quod sacra Congregatio, ut testantur Barbosa, & Peyrinis apud Lezana *verb. sepultura, num. 17.* cum à Fratribus Minoribus per modum dubii peteretur, an in eorum Ecclesiis sepelienda essent cadavera eorum, qui dicto habitu induti ex hac vita migrarent; Respondit, id fieri debere, si eorum Guardianus, aut alius superior, habitum hujusmodi suscipientes prænonuerint eorum cadavera propter habitus concessionem ac receptionem apud ipsos Fratres, quorum habitum gestarent, esse sepelienda.

Sepelisunt eadem cum habitu religionis eligere potest, ubi voluerit sepulturã.

210. Sed hæc postremò revocata sunt tum ex consuetudine dicta, quia videmus plures alibi sepeliri quàm in Ecclesia Regularium, etiam cum habitu illorum. Tum etiam in Concilio Lateranensi à Leone X. in Bulla *Dum intra mentis*, ubi dicitur: *Volentes quoque sepeliri habitu eorundem Fratrum, & interea tamen in claustro non degentes, sed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi eligere possunt.* Unde modo cum habitu sepeliri volentes, possunt eligere sepulturam in quacumque Ecclesia voluerint: neque eos necessarium erit præmonere, quòd in Ecclesia Fratrum quorum habitum gestaverint, debeant sepeliri. Ita Rodrig. & Casarrub. *sup.* Lezana *verbo habitus, num. 6.* Bordon. *resol. 35. num. 69.* Villalob. *tract. 31. difficult. 5. n. 2.* § Habitus autem, cum quo aliquis sepeliendus est, à nemine potest concedi, nisi à superiore illius Conventus, cujus est habitus, & non per quemcumque alium, quàvis authoritate aut Prælatione fulgentem, ut constat ex dicta Bulla *aurea* Sixti IV. & habetur apud relatum Confectium *supra in Sixt. IV. num. 3.* Casarrub.

rub.*num.*11. Rodrig.*art.* 9. Lezana *num.*7. Villalob.*num.*2. § Porrò licèt ægrotus dum viveret, habitum non petierit, possunt nihilominus ejus hæredes petere illum, quia faciunt rem gratam animæ defuncti: & idem est, ac si ipse defunctus illum petiisset: quia hæres reputatur una, eademque persona cum defuncto, §. 1. *de auth. de jurejur. leg. fin.* C. *de impuberibus.* § Indulgentias denique quas lucrantur, qui cum habitu Religiosorum petunt sepeliri, vide apud Rodrig. *sup. art.* 10. Casarrub.*num.*6.7.& 8. Bordon.*resol.*35.*num.*68. Lezana *verbo habitus, num.*8. Villalob. *difficult.*5.*numer.*4.

Omnia officia funeralia facienda sunt à Religiosis.

211. Quæres primò à quo fieri debeat officium super cadavera tumulanda in Regularium Ecclesiis? § Respondetur, omnino debere fieri ab ipsis Regularibus, vel ab aliis de eorum consensu; non autem à Parocho, nec à Canonicis, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili in contrarium, ut declaravit sacra Congregatio in una Sulmonensi 8. Augusti 1629. & in pluribus aliis casis & casibus, ut testatur Barbosa *de Offic. Parochi, cap.*27.*num.* 82. Peyrin.*tom.*1.*privil. Minim. constit* 2.*Julii* II. §. 21. *num.*7. § Imò dum cadavera in prædictis Ecclesiis sepeliuntur, non potest Parochus, se in aliquo intromittere, nec aliquos actus ibi exercere, ut declaravit sacra Congregatio apud Lezan *tom.* 5.*in Mari Magno Eremit. S. Augustini.* Qui eodem *tom.*5. *in Mari Magno Prædicator.*§,43.*num.* 134. testatur declarasse Sacram Congregationem, non posse parochos, hæredes defunctorum eorum, qui in Ecclesiis Regularium volunt sepeliri cogere, ut in suis parochiis celebrari curent aliquas missas, vel novenalia pro prædictis defunctis. § Et quidquid à fidelibus Monasteriis Religiosorum offertur, Regularibus ibi servientibus debet obvenire: nec super hoc ab Episcopo, vel aliis presbyteris possunt Religiosi molestari, ut expressè habetur, *Cap.*1.*de statu Monach. & Cap. nimis iniqua, de excessib. Prælat.* Imò si Parochi celebrent in Ecclesiis Religiosorum, non possunt sibi usurpare oblata, ut concessit Cisterciensibus Bonifacius VIII. Bulla 9. (Ex quo patet (inquit Doctissimus Magist. Joannes à Cruce *lib.*2.*cap.*9.*dub* 5.*conclus* 4.) non posse Parochos sibi postulare candelas, aut alia, oblata in Ecclesiis Religiosorum à mulieribus puerperis suos filios Domino præsentantibus, quæ aliqui Clerici perperam, & contra dicta decreta, & privilegia sibi usurpare contendunt.)

Quando aliquis apud moniales exemptas sepelitur, ab eis, vel quibus ipsæ commiserint, facienda sunt funeralia officia.

212. Quæ hucusque dicta sunt de Regularibus, etiam de Monialibus exemptis sunt intelligenda. Nam etiam illæ exemptæ sunt à jurisdictione Parochorum, & aliorum pro materia funeralium; ita quod intra earum Ecclesias quoties cadavera defunctorum in eis sepelienda sunt, sine earum consensu nec Canonici, nec Clerus possint peragere officia defunctorum, aut reliqua quæ in hujusmodi ministerio fieri solent; sed vel ab eis sint facienda quibus ipsæ sub sunt, vel ab aliis, quibus ipsæ moniales libere commiserint. Tum propter

ea, quæ supra *num.* 204. diximus. Tum etiam, quia id expressè declaravit Sacra Congregatio in quadam lite, Parmæ exorta inter Carmelitas Discalceatos ad S. Antonium de Padua ex una, & Rectorem S. Spiritus ex alia parte, ut testatur Doctissim. Parmensis, Franciscus Bordonus *tomo 3. resol. 51. num. 213.* in hæc verba: *Die 19. Martii 1639. S. C. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, uti alias sæpius censuit, quoties cadavera defunctorum, ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, Officia mortuorum, ac reliqua, quæ in hujusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus obiri, ac peragi debere.* Cosm. Cardin. de Torres, P. Fagnanus, die 19. Martii 1639 Eadem quoque Sacra Congregatio censuit supradictum decretum habere locum etiam in Ecclesiis *Monialium Ordinis Mendicantium.* Et ita etiam tenent Bordon. *ubi supra.* Pellizzar. *tract. 8. sect. 4. num. 154.* Anton. à Spiritu sancto *tract. 2. disp. 3. sect. 4. n. 131.*

Sæcularis in Monasterio moriens, in eo sepeliri potest.

213. Inquires secundò, an cadaver alicujus sæcularis, negotii causa hospitantis apud Religiosos, si is ibi in febrim incidat, & moriatur, sepultura non electa, sepeliendum sit apud eosdem Regulares; an verò in parochia in qua situm est Monasterium. Respondetur, quòd sepeliri debet in Monasterio, in quo sæcularis ille decedit. Constat hoc ex *Cap. 1. 16. q. 1.* ubi dicitur: *Mortuum non sepeliant nisi Monachum in Monasterio secum commorantem, vel si fortuito quemquam advenientium Fratrum ibi mori contigerit.* Ubi ut benè ponderat Bordon. *resol. 51. num. 168.* nomine *Fratrum* non veniunt Monachi Conversi, quia isti sub primo vocabulo comprehenduntur, alias non possent in suis Monasteriis sepeliri, nisi solum Monachi Clerici; sed nomine Fratrum intelliguntur peregrini, sive Clerici sint, sive laici, eò, quòd omnes fideles ad invicem fratres sint, secundùm illud Chrysostom. Homil. 25. in Epistol. ad Hebræos: *Fratrem in hoc loco, omnem fidelem intellige, non monachum tantum. Quid est autem quod facit fraternitatem? nisi lavacrum regenerationis, quod facit vocare Deum Patrem.* Tum etiam, quia in tali casu Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis recipere debent à Regularibus, cum Parochus intra claustrum, nullum Sacramentum conferre, & nullum actum jurisdictionis exercere valeat: sed jus sepulturæ pendet ab administratione Sacramentorum; & ideo in jure, & privilegiis utrumque munus administrandi sacramenta, & concedendi sepulturam eidem competit, uti ex privilegiis supra *num.* 204. relatis cernitur, præsertim ex jure, uti constat *ex cap. ex parte, cap. in nostra, de sepult.* idemque docet Glossa *cap. ubicumque. in initio, 13. q. 2.* Sylvest. *verb. sepult. q. 8. §. 2.* ergo si prædicto sæculari in monasterio debent sacramenta administrari, in eo procul dubio, si absque electione sepulturæ decedat, debet sepeliri. Imo hoc ipso, quod infirmitate correptus in Monasterio inde noluerit asportari, virtualiter elegit, & voluit, si tunc more-

re-

reretur, in eo sepeliri. Sic Peyrin. *tom. 1. privileg. Minimor. ad constitut. 1. Julii II. num. 94.* referens Rodriguez, de Graffis, & Reginald. ita etiam tenent Samuelius *de sepult. tr. 1. controvers. 15. num. 4.* Lezana *tom. 3, verb. sepultura, à num. 30.* Bordon. *resol. 51. n. 169.*

Similis præcedent casus resolvitur.

214. Similis præcedenti est alia quæstio, quam excitat dictus Franciscus Bordon. *nu. 216.* an nimirum Religiosi possint præmunire sacramentis, & sepelire in sua Ecclesia famulum conductum pro fabrica Monasterii, si is ceciderit, & postmodum in Conventu mortuus fuerit? § Ad quam respondet, quòd licèt illi possint Religiosi Sacramenta ministrare; tamen non possint eum in sua Ecclesia, nisi prævia ejus electione, sepulturæ tradere; & hoc ad Parochũ pertinere ait, eò quod iste jus habeat sepeliendi in sua Ecclesia suos subditos, ubicumque moriantur, sepultura non electa, vel nisi ipsi alibi habeant Majorum suorum sepulturam, *cap ex parte, cap. in nostra.* § Sed nescio an consequenter id asserat Bordonus, qui in præcedenti casu inde probat, illum, qui curationis causa ad Monasterium se recepit, vel in eodem hospitatus infirmatur & moritur, ibi sepeliri debere, quia à Religiosis debet Sacramenta recipere, & quia de jure Canonico certissimum est, quod quis humari debet, ubi sacramenta recipit, si absque electione sepulturæ moriatur, ut probat Samuelius *sup. num. 55.* ex Glossa *cap. dudum, de sepulturis in 6.* Ac demum quia jus sepulturæ, ut dicebamus, pendet ab administratione Sacramentorum, ut tenet Sanchez *de Matrimonio, lib. 3. disput. 25. num. 17.* Barbos. *de officio Paroch. part. 3 cap. 26. num. 34.* Lezana *sup. n. 74.* § Interea cum dicto Bordon. convenimus in eo, quod dicit *num. 67.* Quod ille, qui omnia sua bona reliquit Religioni per donationem, aut testamentum, si sepultura non electa moriatur, nec alibi habeat Majorum suorum sepulchrũ, sepeliendus est, ubi Regularibus, quos instituit hæredes, placuerit; quia hæres succedit in omne jus defuncti, *l. Haredem. ff. de regul. jur.* Cum ergo defunctus habuerit jus eligendi sibi sepulturam, hoc jus transit in ejus successores.

## §. IV.

### *De portione Canonica Episcopis debita, & quarta funerali solvenda Parochis.*

Quæ sit portio canonica, quæ non est in usu in Hispania?

215. CUm sepultura connexa est solutio portionis Canonicæ, quæ sic dicitur, quia est à sacris Canonibus sancita; & hæc est in duplici differentia: alia Episcopalis, & est illa portio, vel quantitas, quæ debetur Episcopis, ab omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis ex legatis, & donationibus causa mortis eisdem Ecclesiis, & aliis locis piis relictis, uti constat ex *Cap. de his 20. quæst. 1.* & *Cap. constitutum 16. qu. 1.* Item *Clement. dudum de sepult.* Porrò illa Episcopis à sacris Canonibus assignatur ratione

ne oneris, quod in administratione Episcopatus sustinent, & in recognitionem superioritatis, & ob communicationem, quæ est inter Episcopum, & Ecclesias sibi subditas: præsertim verò ob pabulum spirituale, quod fidelibus subditis præbet. Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 86, num. 1. & 7.* Hæc aliquando erat tertia pars, aliquando quarta, & ob id quarta Canonica dicebatur legatorum, & aliorum, quæ Ecclesiis relinquebantur. Sed in hoc standum est consuetudini, ut decernit Innocentius III. *in cap. requisiti. de testam. & ultim. volunt.* Cæterum vix in Hispania esse in usu, & consuetudine hanc solvere portionem Canonicam Episcopis, testatur idem Barbosa *de Jure Ecclesiast. lib. 3. cap. 19. numer. 10.* Hieronym. Garcia *in Politic. Regul. tom. 1. tract. 8. difficult. 3. dub. 3. punct. 1. num. 2.* Idem quoque de Diœcesi Salmantina, qui in ea scripsit, testatur Villalob. *part. 2. tract. 31. difficult. 7. num. 1.* Sicut nos qui etiam in eadem scribimus, idem testamur, postquam enim per viginti quatuor annos in ea commorati sumus, nunquam audivimus aut peti, aut solvi talem portionem Canonicam.

Portionem Canonicam solvere, non tenentur Regulares exẽpti.

116. Sed esto in suo vigore, & observantia esset solutio hujusmodi portionis Canonicæ, Monasteria tamen Regularium exemptorum tam virorum, quàm mulierum eam solvere non tenerentur. Tum propter extravagant. *Inter cunctas, §. de quibuscumque, de privileg.* Ubi postquam Pontifex dixit teneri Regulares Parochis, & Rectoribus Ecclesiarum quartam funeralem (de qua postea) solvere, addit: *Ultra portionem autem hujusmodi nihil valeant Parochiales, Rectores, Curati, & Prælati exigere à supradictis; neque illis dicti Fratres amplius impendere sint adstricti, neque à quoquam possint aliqualiter coerceri.* Tum etiam: quia textus adducti *numer. praced.* quibus talem portionem Episcopis solvi decernitur, loquuntur de legatis, & aliis donationibus relictis propriis Episcoporum Ecclesiis, ob curam illarum, & ob superioritatem in illas: quæ omnia cessant in monasteriis exemptis, quorum Ecclesiæ nec sunt propriæ Episcoporũ; neque isti illarum curam gerunt, neque in eas habent aliquam jurisdictionem, vel superioritatem. Tum denique: quia dantur circa hoc plura Regularium privilegia. Nam ita concessit Julius II. Dominicanis, & Minoribus, ut refert Rodriguez *tom. 3. qq. Regul. q. 46. art. 1.* Eugenius IV. Benedictinis, ut refert Garcia *sup. n. 5* & Sixtus IV, Carmelitis, ut in eorum Mari Magno videre est, & ita refert Lezana *tom. 1. part. 2. cap. 1. num. 3. & tom. 2. verb. Canonica portio, numer. 7.* qui etiam addit cum expressa revocatione Clementinæ *Dudum*, tale privilegium fuisse concessum, alia quoque dantur privilegia, quæ idipsum concedunt; quare nostram sententiam tenent Sylvest *verbo Canonica portio, q. 3.* Rodriguez, Lezana, & Garcia *locis citatis*, Barbos. *cap. 19. cit. num. 11.* Miranda *in Manual. tom. 2. quæst. 48. art. 2.* Lavorius *titul. 2 cap. 17. num. 81.* Bonacin. *tom. 2. disp. 3. de contract. q. 22. punct. 3. num. 2.*

Tam-

Tamburin. *de Jure Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 16. num. 4.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. disp. 3 sect. 4. num. 120* Joannes à Cruce *lib. 2. cap. 9. dub. 5. num. 1.* Bruno Cassaing. *2. p. tract. 8. cap. 4. propos. 1.* & alii communiter.

Portionem parochialem, quæ dicitur quarta funeralis, omnes solvere tenentur.

217. Alia est portio Canonica, quæ dicitur Parochialis, seu funeralis: & est illa portio, quæ debetur Ecclesiæ Parochiali, seu Rectori illius de funeralibus, & legatis relictis Ecclesiæ, apud quam Parochianus elegit sepulturam, & de omnibus, quæ obveniunt ratione funeris, seu in die funeris, ut patet ex pluribus textibus sub titulo de sepulturis, citatis, & ex aliis infra adducendis. Hæc aliquando fuit tertia pars, aliquando dimidia; sed frequentius quarta: ob idque *quarta funeralis* communiter dicebatur, ut constat ex Clement. *Dudum, de sepult.* & ex *Extravagant. Comm super cathedram, de sepultur.* Verum quoad hoc standum est omnino consuetudini legitimæ introductæ, ut probat Glos. *cap. 1. de sepult. versicul. tertiam partem,* § Hujus portionis solutio est magis in praxi, quàm solutio Episcopalis, & secundùm jus commune eam tenentur solvere omnes Regulares quantumvis exempti; nisi speciali privilegio à solutione quartæ funeralis eximantur, ut constat ex dicta *Clement. Dudum, & ex Extravag. super Cathedram,* in qua revocantur omnia privilegia, & omnes Constitutiones, & pacta in contrarium. Sic tenent saltem quoad Viros, omnes Doctores: sed aliqui absolvunt Moniales à tali obligatione, quia textus solum de Religiosis viris loquuntur, & aliunde lex pœnalis est, ergo non debet extendi ad moniales, nisi exprimantur. Sic Azor *part. 2. lib. 9. cap. 13. quæst. 5.* Navarr. *in lucern. regular. verb. quartæ, num. 1.* Nihilominus contrarium est omnino tenendum, uti ex Trident. & Bulla Pii V. infra adducenda colligunt Barbosa *de Jure Eccles. lib. 3 cap. 24. num. 13. & 14.* Garcia *tract. 8. difficult. 4. dub. 3. punct. 2. num. 6.* Portel. *in dubiis Regul. verb. portio Canonica, num. 8.* Lezana *verb. Quarta funeralis.* Hieronym. Rodriguez *in compend. resol. 18. n. 17.*

Qualiter privilegia de non solvenda quarta funerali possint prodesse.

218. Diximus *nisi speciali privilegio, &c.* quia plures Religiones habent tale privilegium speciale, & ideo istæ non tenentur solvere prædictam quartam funeralem; sicut nec illæ, quæ cum istis communicant in privilegiis, licè in hac parte communicationem generalem privilegiorum non suffragari, aliqui contendant hac ducti ratione: quia privilegia, quæ sunt in tertii præjudiciũ, (ut est istud de exemptione à solutione quartæ funeralis, quod cedit in detrimentum Parochorum) non videntur communicari; & præsertim quia pro hac opinione diversas decisiones affert Barbosa. Sed pro nobis alias adducit Bonacina *tom. 2. disp. 3. quæst. 22. punct. 2. num. 3.* Tamburin. *tom. 1. disp. 15. quæst. 16. num. 8.* Aliàs Molfesius *part. 2. Summ. tract. 13. c. 9. n. 28.* Lezana *verb. quarta, nu. 3.* Alias Quaranta *in compend. privileg. mendic. verb. quarta Episcopal. n. 26.* Garcia *supra n. 8.* § Verum quidẽ est id, *quod loco à nobis supra citato,* docet Barbosa.

bosa. Quod ut privilegium in hac parte vim habeat, debet derogare in specie *Clementin. Dudum*, quia hæc est Conciliaris, utpote in Concilio Viennensi edita; sed ut diximus *cap. præced. num.* 41. Concilio generali non derogatur, nisi de illo expressa mentio fiat, ergo, &c. Nec tamen illud admittimus, quod aliqui dicunt, non suffragari ad hunc effectum privilegia, in quibus inserta reperitur clausula: *salva justitia Ecclesiarum Parochialium*, vel similis alia, existimantes quòd hac vel illâ posita censeantur Summi Pontifices non voluisse concedere dictam exemptionem: quia aliàs non maneret salva justitia Ecclesiæ Parochialis: Quin potius oppositum sentiendum ducimus, cùm in privilegio adest expressa exemptio à solutione quartæ funeralis, cum revocatione Clementin. *Dudum*: quia dicta clausula non debet præcisè intelligi prout in privilegio sonat, sed debet sic explicari, salvâ justitiâ Ecclesiarum, &c. quoad alia in privilegio non expressa, & cum illo compatibilia. Tambur. aliis citatis *disp.* 15. *q.* 18. *n.* 12.

## §. V.

### *Privilegia, quibus Carmelitæ Discalceati à solutione quartæ funeralis eximuntur.*

Ferè omnes Authores pro hac materia, ut dicemus §. *sequenti*, quia tamen nobis in diversis Hispaniæ oppidis multoties lites intentatas fuisse novimus, quæ nec hodiedum extinctæ sunt, ideo ut præmanibus habeant Religiosi nostri privilegia eis nominatim concessa, quibus ab importunis exactionibus Parochorum se valeant liberare, placuit in præsenti ea sigillatim recensere. Vix enim ex scriptoribus agentibus de hac materia, & textum Concil. Trident. infra adducendum, explicantibus, aliquem reperimus, qui specifice Carmelitas Discalceatos nominando, eos à solutione quartæ funeralis non liberet. Vidimus autem non paucos, qui sunt Villalob. *tom.* 2. *tract.* 31. *difficult.* 7. *num.* 9. Joannes de la Cruz *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 5. *concluf.* 2. Lezana *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 12. *& tom.* 3. *verbo quarta funeralis, n.* 3, *& tom.* 5. *in Mari Magno Carmelit.* §. 18 *num.* 353. Antonius à Spiritu sancto *sect.* 4. *num.* 138. Urbanus *tract.* 2. *part.* 2. *cap.* 5. *Regul.* 10. *fol.* 168. Hieronym. Garcia *tom.* 1. *tract.* 8. *difficult.* 3. *dub.* 3. *punct.* 2. *num.* 10. Rodriguez *quæstionum Regularium, tom.* 1. *quæst.* 39. *art.* 2. Bassæus *verbo quarta Parochialis, num.* 4. Tambur. *tom.* 1. *disput.* 15. *quæst.* 18. *numer.* 15. Barbosa *de Jure Ecclesiast. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 13. Naldus *in Summa, verbo sepultura, num.* 1. Bruno 2. *part. tract.* 8. *cap.* 2. *propos.* 1. & alii omnes, qui dicunt Monasteria fundata circiter quadraginta annis ante Tridentinum non teneri solvere quartam funeralem, & istos Authores infra dabimus.

Reti dicit Carmelitas Discalceatos non teneri solvere quartam funeralem.

219. Licèt diversæ Religiones diversis fruantur privilegiis

220. Probatur primo ex privile- Privi-

gium Nicolai V. in favorem Carmelitarum omnium refertur

glo Nicolai V. Pro omnibus Carmelitis concesso, quod in nostro compendio habetur *fol.* 49. & quod referunt Miranda *tom.* 2. *quæst.* 4. *art.* 6. *concluf.* 4. Rodriguez *tom.* 1. *quæstionum Regularium, quæst.* 39. *art.* 1. Casarub. *verbo Canonica portio, num.* 5. ubi ait: *Ista est melior, & copiosior concessio, qua sit in omnibus privilegiis Fratrum Mendicantium in materia ista.* Porrò prædictus Pontifex cum expressa revocatione Clement. *Dudum*, sic ait: *Vobis, & dicto Ordini vestro perpetuo concedimus, ut de illis, quæ vobis pro fabrica Ecclesiarum, & Conventuum vestrorum, seu pro Ecclesiasticis ornamentis, luminaribus, anniversariis, septimo, vigesimo, trigesimo, & aliis Divinis cultibus, pitantiis, indumentis, calceamentis emendis, celebrandis, & habendis in eisdem, necnon annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ domus, prædiaque cum hortis, & aliis locis Ordinis ejusdem obligata noscuntur per Christi fideles eleemosynæ pietatis intuitu, sive in funeralibus, oblationibus, sepulturis, ultimis voluntatibus, legatis, aut alias quoquo modo concessis aut donatis bonis, nulli Canonicam portionem aliquam teneamini exhibere, aut ad id valeatis coarctari, &c.* & hanc concessionem amplissimè confirmavit Sixt. IV. in Bulla *Dum attenta*, quæ est Mare Magnum Ordinis nostri. Idemque concessere Carmelitis Julius II. & Clemens VII. ut refertur in Bulla Clementis VIII. infra producenda, quæ est illa, in qua ille summus Pontifex pro nobis Carmelitis Discalceatis prædicta omnia confirmavit.

221. Secundo probatur ex tribus amplissimis privilegijs nobis Discalceatis Carmelitis concessis, pro exemptione à quarta funerali. Primum est Clementis VIII. in Bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem.* Romæ expedita apud S. Marcum, die 5. Junij 1595. Pontificatus sui anno 4. & habetur *in Compendio privilegiorum Ordinis folio* 188. *&* 189. ubi inter alia dicit: *Ipsos vero Conventus, seu Fratres ad hanc ipsam portionem, seu quartam solvendam minimè tenerì in vim privilegiorum, per plures Romanos Pontifices, præsertim felicis record. Nicolaum V. Julium* II. *& Clementem VII. qui Fratres Carmelitas, & alios Mendicantes ab hujusmodi solutione liberos esse voluerunt. Quibus privilegiis ipsi fratres* (de nobis loquitur) *quibus illa etiam quoad quartam funeralium nos ipsi confirmavimus*) *exemptionem possint prætendere.* Et postea subjungit: *Nos igitur ex Venerabilium Fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacri Concilij Tridentini interpretum sententia, Ordinem prædictum Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, ejusque Conventus, Cœnobia, & Fratres universos, quippe qui Carmelitanæ Religionis privilegiis à diversis Pontificibus concessis, etiam ex speciali nostra confirmatione, seu communicatione fruuntur, ad solutionem quartæ funeralium hujusmodi teneri nolumus, sed liberos esse & fore decernimus, cum uti proponitur dicta Religio ante annos quadraginta ante confirmationem Concilii Tridentini, à prædictis Nicolao V. & Julio* II. *ab ea solutione fuerit exempta, ideòque ad eam minime teneatur; sicque per quoscumque Judices Ordinarios,*

Aliud privilegium Clement VIII. pro Carmelitis Discalceatis

*& delegatos, etiam causarum Apostolici Palatij Auditores sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & diffiniri debere volumus ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis Authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Omnibusque, & singulis Parochis, & aliis quibuscumque personis, ne dictos Fratres super præmissis quoquo modo molestare audeant, seu præsumant interdicimus, & inhibemus, &c.* & concludit : *non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quibusvis statutis, ac consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Aliud privilegium ejusdem Clem. VIII. pro Discalceatis Carmelitis.

222. Secundum est ejusdem Clementis VIII. in Bulla incipiente: *Quod semel ab Apostolica Sede*, Romæ expedita apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 24. Martij anno 1597. & Pontificatus sui anno 6. habetur *in Compend. Privilegiorum Ordinis fol. 199.* & in Bullario Rodriguez *Bulla 26. ejusdem Pontificis*, in qua pro dirimenda controversia ad judicium contradictorium devoluta, & orta inter Rectorem domus S. Joseph Carmelitarum Discalceatorum, & Rectorem Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ del Pino ejusdem civitatis super quarta funerali; Summus Pontifex primo refert declarationem Cardinalium de non solvenda quarta funeralium à dictis Fratribus Carmelitis Discalceatis; & postea semetipsum illam confirmasse affirmat : ac demum Fratres ipsos Carmelitas Discalceatos à solutione quartæ funeralis eximit, & litem dirimit, prædicto Rectori S. Mariæ del Pino perpetuum silentium imponendo, ac hujus brevis executionem Episcopo Barchinonensi committendo.

Aliud privilegium Pauli V. pro Discalceatis Carmelitis.

223. Tertium est Pauli V. in Bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem.* Romæ expedita apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 20. Augusti 1605. Pontificatus Ejusdem anno 1. quæ habetur in Compendio Ordinis *folio 333.* ubi relata à Summo Pontifice declaratione S. Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini interpretum asserente, Monasteria ædificata quadraginta annis ante Concil. Trident. & post ipsum quadraginta annis, & citra erecta, non teneri solvere quartam funeralium, si sint illius Ordinis, cui à Sede Apostolica ante quadraginta annos indultum fuit, ut eandem quartam non teneantur solvere, addit Paulus V. *Volumus, mandamus, decernimus, & declaramus omnia, & singula hujus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Monasteria seu domus in quibuscumque mundi partibus à quadraginta annis ædificata* ( uti sunt omnia Carmelitarum Discalceatorum Cœnobia) *illorumque Conventus, & Fratres nullo modo, nullave ratione teneri ad solutionem dictæ quartæ funeralium; nec ob non solutionem hujusmodi aliquas sententias, censuras, & pœnas incurrere posse.* Et concludit: *Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac quibuscumque clausulis, & decretis in genere, ac in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, illorumque*

*que totis tenoribus specialis, & specifica, expressa, & individua; non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes eisdem expressè derogamus, &c.*

Decretum Concilij Tridentini adducitur, & explicatur.

224. Sed quia in dictis privilegiis fit mentio Concilij Tridentini, quod solent pro se adversarij nostri afferre; cum tamen nostram assertionem manifestè confirmet, illius verba proponemus, ut ex ipsis justitia causæ nostræ luce manifestior appareat. Dicit ergo Concilium *sess. 25. cap. 13. Decernit Sancta Synodus, ut quibuscumque in locis jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit: ex quocumque privilegio, aliis Monasteriis, hospitalibus, ac quibuscumque locis piis concessa, eadem post hac, integro jure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persolvatur, non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari Magno nuncupatis, & aliis quibuscumque.* Porrò decretum istud quatuor virtualiter includit: Primum, est quod Monasteria quæ 40. annis ante Concilium solita erant solvere quartam funeralium, teneantur etiam nunc eam solvere, non obstantibus quibuscumque privilegijs. Secundum, quod Monasteria fundata ante Concilium, quæ solita non erant dictam quartam solvere per quadraginta annos, neque hoc tempore teneantur ad illam solvendam. Tertium, quod Monasteria fundata ante Concilium citra 40. annos non teneantur ad eam; siquidem Concilium loquitur solum de Monasteriis fundatis ante Concilium, ultra quadraginta annos, non citra. Quartum denique est, quod Monasteria fundata post Concilium (talia sunt omnia Monasteria Carmelitarum Discalcearorum) & in posterum fundanda, non teneantur solvere dictam quartam, eo, quod nullo modo in decreto Concilij comprehendantur; siquidem Concilium solum loquitur de fundatis ante ipsum, & quæ solita erant eam solvere, quod minimè verificatur de Monasteriis fundatis, aut fundandis post Concilium. Sic Communiter Doctores explicant hoc decretum. Villalob. *tom. 2. tract. 31. difficult. 7. num. 9.* Hieronym. Garcia *tom. 1. Politic. Regular. tractatu 8. difficult. 3. dub. 3. punct. 2. num. 9.* Tambur. *tom. 5. disputatione 15. quæst. 18.* Pellizzar. *tractatu 8. cap. 5. sect. 4. num. 161.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. disputatione 3. sect. 4. num. 138.* Miranda *tom. 2. quæst. 48. art. 8. & 14.* Lezana *tom. 3. verb. quarta funeralis, num. 5.* Rodriguez *tom. 1. quæstionum Regularium, quæst. 39. art. 2.* Naldus *in Summ. verb. sepultura, num. 1.* Portel. *in dub. Regul. verb. Canonica portio, n. 1.* Joannes à Cruce *de statu Relig. lib. 2. c. 9. dub. 5.*

225. Et quod ita sit Concilium intelligendum, præter Doctorum authoritatem communiter sic interpretantium, præter privilegia supra relata Clementis VIII. & Pauli V. in quibus ita intelligi debere decernitur; constat ex Bulla Pij V. pro omnibus Mendicantibus expedita; incipiente:

Bulla Pij V. etsi mendicantium, revocata non est à Gregorio XIII

*Etsi Mendicantium*, anno 1567. quæ habetur *tom. 2. Bullar. inter Bullas hujus Pontificis, num. 41.* in quâ dicit: *quartam autem funeralem de qua Concil. Trident. sess. 25. cap. 13. nequaquam solvere teneantur Monasteria, quæ à quadraginta annis citra fundata existunt, postquam Concilium confirmatum est; quia Concilium ipsum loquitur tantum de Monasteriis ultra quadraginta annos ante fundatis, quæ ipsam quartam solvere consueverunt.* Nec talis Bulla Pij V. quoad hanc partem revocata fuit per aliam Gregorij XIII. quæ incipit: *In tanta*, & habetur *tom. 2. Bullarij inter Constitutiones illius, num. 9.* Nam Gregorius XIII. solum per suam Bullam (esto publicata fuerit, de quo aliqui dubitant) *In tanta*, revocavit dictam Bullam Pij V. *Etsi Mendicantium*, quatenus plura indulta continebat contraria Concilio Tridentino, non verò illam revocavit secundum quod ipsum Concilium, & mentem illius declarabat; quia cum ad supremum Pastorem pertineat hæc dubia, & controversias decidere, in quantum erat declaratoria Concilij eam in suo robore reliquit. Sic Peyrin. *tom. 2. privileg. Minimor. in Constitut. 7. Pij V. num. 3.* Barbos. *de jure Eccles. tom. 2. lib. 3. cap. 24. num. 14.* Diana *3. part. tract. 2. resolut. 107.* Garcia, Joannes à Crucè *ubi supra* Portel. *in respons. casuum, part. 2. casu 26. num. 6. & 7.* Tambur. *sup. num. 7.* Rodriguez *tom. 1. quæstione 39. art. 2.* Lezana *tom. 1. part. 1 cap. 3. num. 12. & part. 2. cap. 1. à num. 29. & tom. 3. verb. quarta funeralis, num. 6.* Rota *in una licen. quart. funeral. Luna 15. Januarij 1618.* coram Domino Decano Coccino, quam affert ad longum Tambur in *tom. 3.* & est in Ordine 84. *num. 6.* & quod plus est, Paulus V. quadam Bulla expedita anno 1607. quæ est 32. apud Cherubin. approbat declarationem Pij V. tanquam conformem menti Tridentini. Et ipse Pius V. id ipsum confirmavit in alia Bulla incipiente: *Ad hoc nos Deus*, quæ habetur *2. tom. Bullarij Cherubin. sub numero 41.* in quâ similia concedunt-tur.

226. Præterquam quod multoties à Sacra Congregatione Cardinalium Concilii interpretum, illudipsum declaratum fuerit, Concilium eodem modo ac illud S. Pius V. iterum pluribus declarationibus id explanavit. Et ut alias prætermittamus, unam adducemus, quam refert Farinacius *in 4. volumin. decisi. num, pagin. 115. colum. 1.* per hæc verba: *Congregatio Concilij censuit non comprehendi Monasteria ædificata à quadraginta annis citra, aut quæ in dies ædificantur; præsupposito, quod hujusmodi Monasteria sint ejus Religionis, cui à Sede Apostolica indultum sit, ut quartam funeralem non teneatur Episcopo solvere.* Aliam declarationem ad instantiam, & favorem Conventus S. Dominici de Napoles Ordinis Minorum editam refert Quaranta *in Summ. Bullar. verbo privilegium Regular.* & Lezana *tom. 1. cap. 3. num. 13.* Aliam refert Tambur. *tom. 1. disp. 15. quæstione 16. num. 15.* & aliæ plures videri poterunt apud Rodriguez *tom. ... quæstione 8. art. 9. & quæstione 43. art. 7 & quæstione 39. art. 2.* Molfesium *2. part. Summ. tractatu*

Sacræ Congregationis declarationes Rotæ.

13. cap. 9. n. 30. Rursus id etiam à Sacra Rota decisum fuisse testatur Barbosa *de Officio, & Potest. Episcopi, alleg. 86. num. 17.* Tambur. *tom. 1, disput. 15. quæstione 17. num. 7.* Et cum utraque Bulla Pij V. supra relata: *Etsi Mendicantium: & ad hoc nos Deus*, expresè Moniales nominet, illas etiam exemptas esse à solutione quartæ funeralis, omnes communiter docent.

Plures sententiæ in favorem Carmelitarum Discalceatorum de non solvenda quarta funerali.

227. Cum ergo habeant Discalceati Carmelitæ exemptionem à solutione quartæ funeralium, tum ex privilegiis antiquis Nicolai V. Sixti IV. Julij II. & Clement. VII. toti Ordini Carmelitarum concessis, & à Clemente VIII. pro nobis specialiter confirmatis, & innovatis; tum etiam ex specialibus Clementis VIII. & Pauli V. nobis Discalceatis concessis; tum deinde ex Concilio Tridentino, & repetitis Pij V. Constitutionibus; tum præterea ex Declarationibus S. Congregationis Cardinal. & S. Rotæ decisionibus; tum denique ex communi Doctorum sententia de hac re scribentium: mirum est nonnullos Parochos harum Apostolicarum Constitutionum minus peritos, non sine conscientiæ gravamine (peccant enim in hoc mortaliter, ut prædicti Authores loquuntur) velle adhuc illos molestare, & cum tumultibus, & litibus cogere ad dictæ quartæ portionis solutionem. Cæterum in hac parte in judicio contradictorio... semper victi, & condemnati fuere. Omittimus sententias diffinitivas multoties pro nobis promulgatas Abulæ, Segoviæ, & aliis partibus. Quinque referam, quas hic Salmanticæ obtinuimus in favorem hujus Collegii, in quo, licet indigni Rectorem agimus, & earum transumpta fideliter authenticata in archivo hujus domus asservamus. Prima emanavit 22. Aprilis, anno 1598. contra Parochos, & Beneficiatos S. Poli. Secunda die 19. Martij an. 1619. contra Rectores, & Clericos S. Blasii, & S. Thomæ. Tertia 21. Maii 1622. contra Clericos, & Beneficiatos S. Isidori, & S. Martini. Quarta 28. Martij anno 1624. contra Regale Capitulum S. Marci. Quinta 3. Novembr. an. 1628. contra totam Ecclesiam Cathedralem, & capitulum illius: ob idque tanquam in negotiô, quod jam in rem judicatam transiit, pacifice hoc privilegio fruimur, nec ullus est, qui audeat contra illud jam reclamare.

## §. VI.

*Quæ Religiones sint à solutione quartæ funeralis exemptæ? & quid teneantur solvere, quæ illam reddere tenentur?*

Per hoc quod unum Monasterium quartam funeralem solvat, alia ejusdem Ordinis privile-

228. Dicendum est omnes sacras Religiones exemptas, vel per communicationem (quam in hac materia suffragari diximus *n. 218.*) vel propter specialia privilegia illis concessa, ex vi illorum (nisi alias obster decretum Tridentini; de quo statim) exemptas esse à solutione quartæ funeralis. Diximus ex vi privilegiorum, quia in pluribus locis ex immemorabili consuetudine, aut pacto, vel ex negligentia, aut ignoran-

gium non amittunt.

rantia juris proprij Monasterii illam solvere vidimus. Sed illud ad memoriam reducendum duximus; & hoc tractatu multoties indicavimus; quod licet in uno vel alio Conventu solvatur hæc quarta funeralis, vel ob non usum sui Privilegij, vel per usum, aut consuetudinem juri contrariam, hoc tamen in nullo præjudicare potest exemptioni aliorum illius Ordinis cœnobiorum, respectu quorum adhuc in suo vigore persistit. Imo etiam prædictis Monasteriis vim, & vigorē resumere poterit, quoties Regulares, qui ex negligentia aliave ratione (præter pactum expressum, quo tali privilegio cesserunt) contra illud operati fuerunt, voluerint usum eorum reassumere: quia cum in reliquis Conventibus sit in suo vigore: tale privilegium; ob communicationem quâ omnia & singula privilegia cum illis participant, illis quando voluerint, poterit adhuc prædictum privilegium suffragari. Miranda *tom. 2. quæst. 48. art. 15.* Bruno *2. part. tract. 8. cap. 2. propos. 1. prope finem.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 8. art. 2. & tom. 3. quæst. 51. art 5.* Suarez *de legib. lib. 8. cap. 35. num. 20.* Abbas Felinus, & Hieronym. Rodrig. apud Lezan. *tom. 5. in Mari Magn. Carmelitar. num. 351.*

Privilegia eximentia Regulares à solutione quartæ funeralis

229. Igitur hoc indultum concesserunt Gregorius XI. Martinus V. & quidem iste Sixtus IV. cum derogatione Clementinæ *Dudum*, Minoribus, & Prædicatoribus. Insuper ipse Sixtus IV. apud Confectium *pagina 66.* pro curatis cogentibus Regulares ad eam solvendum imposuit pœnam excommunicationis, & privationis suorum Beneficiorum, & aliorum, cum inhabilitate ad eadem, & alia in posterum obtinenda. Julius item II. & Julius III. idem concesserunt pro Minoribus, & Eugenius IV. pro Benedictinis S. Justinæ, ut refert Rodriguez *in Bullar. Bulla 12.* Tambur. *tom 1, disputat. 15. quæst. 17. num. 6.* ubi etiam aliud refert Julij II. pro Congregatione Vallisumbrosæ, idem quoque concessit pro Minoribus Leo X. Bulla, quæ incipit: *Exponi nobis*, & Alexander VI. Bulla, quæ incipit: *Sacra Religionis*, necnon Paulus IV. *Ex Clementi*, cum revocatione Clementinæ *Dudum*. §. Quæ omnia intelliguntur, cum temperamento posito à Tridentino *sess. 25. cap. 13.* de quo diximus, *num. 224.* nimirum, quod Monasteria fundata ante Tridentinum, quæ per quadraginta annos ante illud solita erant solvere, non obstantibus dictis privilegiis illam solvere in posterum teneantur. Illa verò, quæ vel ante quadraginta annos non solvebant, vel citra quadraginta annos fundata sunt, minimè solvere teneantur, uti ex declaratione Pij quinti, & S. Congregationis, & communi Doctorum placitu ibidem explicuimus.

Quidem jure solvendum sit pro quarta funerali

230. Quid autem solvendum sit pro quarta funerali ab his, qui ex consuetudine, contractu, aliove modo illam solvere tenentur, est non modica inter Doctores dissensio. Dicemus quid ex jure & quid ex privilegijs habeatur; supponendo, quod semper in hac parte standum est consuetudini, ratione cujus in aliquibus plus, in alijs minus solvi consuevit.

Cle-

*Clement. Dudum, & extravag. comm. super cathedram, de sepult.* hæc circa solvenda ratione portionis funeralis disponunt Pontifices : *Ut dictorum Ordinum Fratres de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscumque relictu, ad quoscumque usus, etiamsi Canonica portio dari non consueverit, Parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis largiri integre teneantur.* Et explicans Benedictus XI. *in Extravag. 1. de privilegiis*, quid nomine *funeralium* intelligatur, dicit: *Funeralia intelliguntur hoc casu, quæ cum funere deferuntur: de Candelis vero, quas Fratres portant, portio non petatur.* Et hoc ultimum statuit etiam Sixtus IV. in Mari magno Prædicatorum: *Neque in aliquo casu* (inquit Pontifex) *de candelis, quæ ad manus fratribus dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur.* Lezana *tom 1. part. 2. cap. 1. num. 48.* Barbosa *de jure Eccles. last. lib. 3. cap. 24. num. 39.* Garcia *in Politic. regular. tom. 1. tractatu 8. difficult 3. punct. 2. num. 2.*

Quid ex privilegiis solvendum sit ratione quartæ funeralis.

231. Ex privilegiis autem hæc litimata sunt. Nam Sixtus IV. in Bulla *Dum attenta*, quæ est mare magnum Carmelitarum, hæc dicit: *Et si forte per nos aut Sedem Apostolicam de piè legatu, dispositis, vel relictis decima, vel alia portio, seu quarta alteri piè, vel non pie causæ ex quavis causa hactenus concessa foret, vel in posterum concedi, aut solvi, aut dari contigerit, fratres prædictos, ac eorum domos, ac ejus legata, & relicta, aut alias in eorum favorem disposita in concessione, & mandatis hujusmodi, decernimus non includi, nisi de ipsis fratribus, & præsenti decreto, & voluntate nostra specifica mentio fiat.* Et Joannes XXII. Nicolaus V. Eugenius IV. & Clemens VIII. pro nobis Discalceatis Carmelitis concessere non teneri illam reddere portionem, de his, quæ relinquuntur à fidelibus pro ornamentis, missis, anniversarjis, pro cultu divino, vestitu, ac victu Fratrum; quod communiter dicitur non teneri quidquam solvere ex his, quæ relinquuntur *ad usus privilegiatos.* Quod etiam concessit Sixtus IV. bull. 14. pro Minoribus, & bulla 33. pro Prædicatoribus; quod non teneantur solvere decimam de missis, candelis, quæ dantur in manibus Religiosorum, aut de aliis relictis pro ornamentis, libris, & aliis. Joannes à Cruce *lib. 2. cap. 9. dub. 5. concluss. 3.* Miranda *tom. 2. quæst. 48. art. 2.* Garcia *num. 3.* Sed ubi hoc clarius habetur, est in bulla Pij V. *Etsi Mendicantium* multoties citata, ubi sic dicitur: *& ubi solvi consuevit, id tantum cera, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferre contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur; non autem de Missis, seu legatis, vel aliis, fratribus ipsis, seu monialibus hujusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis solvi debet : sicque intelligi decretum Concilij Tridentini quoad quartam hujusmodi solvendam debere decernimus: neque ad quartam, seu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, & pannorum, & aliorum, quæ dictis Ecclesiis relinqui, vel dari contigerit, etiam si pro victu fratrum, aut alias relinquantur, aliquid contribuere teneantur.* Similia verba habentur in alia bulla ejusdem

dem Pij V. *Ad hoc nos Deus*, quam supra retulimus; & ita in praxi deberi observari communiter tenent Doctores. Covar. *ad cap. ultim. de testam. in 6.* Garcia *num. 3.* Azor. *part. 2. lib. 9. cap. 14. quæst. 13.* Lezana *verb. quarta funeralu, num. 7.* Bordon. *tom. 3. resol. 51. num. 22.* Sylvester *verbo canonica portio, fine.* Uterque Rodriguez Manuel. *tom. 3. qq regul. quæst. 43. art. 1.* Hieronym. *resol. 18. num. 3.* Portel. *in resp. mor. part. 2. casu 12. num. 2.* Villalob. *tract. 31. diffic. 7. num. 8.* Barbosa *supra cap. 24. num. 36.* Crux *lib. 2. cap. 9. dub. 5. conclus. 3.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 5 sect. 4. num. 160.* Et alij qui afferunt plures declarationes Cardinalium, plures in diversis tribunalibus sententias, plures circa hoc in favorem regularium Rotæ decisiones, quæ videri poterunt in Diana *p. 7. in fine inter decis. Rotæ.*

Solum ex his quæ funus cómitantur, dicenda quarta funeralis.

232. Quare juxta superius dicta, ac secundum concessionem Pontificum, declarationes S. Congregationis, Rotæ decisiones, & communem Doctorum sententiam, quando solvere tenentur regulares quartam, non debet esse nec de legatis, missis, anniversariis, &c. sed de his solum, quæ funus comitantur: ob idque quarta funeralis dicitur, ut de vino, tritico, pane, cereis, quæ corpus comitantur, vel circa illud in tumulo apponuntur, vel de his, quæ circa crucem, aut cadaver deferri solent, & de his quæ offeruntur, dum corpus in Ecclesia tumulatur. Sed circa hoc consuetudo, ut diximus est observanda, si sit rationabiliter introducta. § Sed nota, quod quando defunctus, qui eligit sepulturam apud regulares, legavit aliquid Ecclesiæ parochiali, in qua sepeliendus erat; censetur illo legato satisfacere velle parochiæ, ejusque Curatis ob ea, quæ ipsis ratione quartæ funeralis debebantur. Unde in eo casu non teneri quidquam ex relictis monasterio, ratione quartæ funeralis, detrahere, etiam qui quartam solvere tenentur; docent Lezana *sup. n. 10.* Bordon. *n. 36.* & alij quos refert Barbos. *tom. 2. de jure Eccles. lib. 3. c. 24. n. 18.*

CA-

# CAPVT IV.

## *De particularibus Regularium privilegiis in Ordine ad seipsos, & ad saculares.*

POSTQUAM egimus *cap. præcedenti*, de particularibus privilegijs ex parte materiæ, quæ licet sint privilegia communia; tamen sunt de materiis determinatis; nunc agendum venit de particularibus privilegiis ex parte personæ, quæ nimirum non omnibus, sed aliquibus competunt particularibus, & tamen non ob id desinunt esse privilegia realia, & fiunt personalia, quia non loquimur de privilegiis particularibus convenientibus ratione personarum; sed ratione munerum, aut officiorum, ut de illis, quæ conveniunt Prælatis, Prædicatoribus, Confessoribus, &c. De his ergo *in præsenti cap. agimus*. Quod continet quatuor puncta.

PUNCT. I. *De potestate, quam habent Prælati Regulares ad absolvendum, & dispensandum ex jure Ordinario, & privilegiis*, n. 1.

§. I. *De facultate absolvendi à casibus reservatis Prælatis religionum conveniente remissivè.* ibidem.

§. II. *An ignorantia excuset à reservatione incurrenda?* n. 9.

§. III. *Qualiter dubium circa reservationem peccati, vel censuræ excuset à reservatione?* n. 14.

§. IV. *De facultate Prælatorum ad dispensandum in irregularitatibus remissivè?* n. 24.

§. V. *Qualiter Prælati cum suis subditis in legibus, & præceptis Ecclesiasticis valeant dispensare remissivè*, n. 30.

PUNCT. II. *De Privilegiis Regularium in ordine ad audiendas confessiones suorum religiosorum, aliorum, & sacularium*, n. 40.

§. I. *Quod regulares, suis non obstantibus privilegiis, tenentur, ab Episcopis approbationem habere, ut validè, & licitè possint audire confessiones sacularium*, n. 41.

§. II. *De illis, qui possunt sibi confessarium eligere ab Episcopo non approbatum*, n. 49.

§. III. *Posítne Episcopus cum limitatione Regulares approbare? vel, illis idoneis repertis, approbationem non impertiri?* n. 60.

§. IV. *An Regularis pro una diœcesi approbatus, ad audiendas in aliis sæcularium confessiones, nova indigeat approbatione?* n. 71.

§. V. *An Regulares semel ab Episcopo approbati, possint iterum ad examen vocari, vel ab eo illorum licentia suspendi, donec iterum præsententur, & approbentur?* n. 79.

§. VI. *Qualiter unius Ordinis Religiosi possint extranei, sive Religiosi sint sive sæculares, confiteri?* num. 89.

§. VII. *An possint regulares uti privilegio Bullæ Cruciatæ ad eligendum confessorem extra suam Religionem?* n. 95.

§. VIII. *De Privilegiis Confessorum Regularium, in ordine ad absolvendum proprios religiosos, à casibus reservatis,* n. 107.

§. IX. *De facultate, quam habent Confessarij regulares dispensandi super votis, & irregularitatibus suorum Religiosorum,* n. 113.

§. X. *A quibus casibus, & censuris reservatis possint Regulares Confessarij sæculares absolvere?* n. 117.

§. XI. *Possintne modo Regulares confessarij à casibus, & Censuris Bullæ Cœnæ occultis sæculares absolvere?* n. 124.

§. XII. *In quibus irregularitatibus, & pœnis possint Religiosi cum sæcularibus dispensare?* n. 132.

PUNCT III. *De Privilegiis regularium circa receptionem, & administrationem aliorum Sacramentorum, & missæ celebrationem: remissive* n. 140.

PUNCT IV. *De Privilegiis, & obligationibus Concionatorum regularium,* n. 141.

## PUNCTUM I.

### *De potestate, quam habent Prælati regulares ad absolvendum, ex jure ordinario, & privilegiis.*

PLURA, quæ à nobis in hoc puncto agenda erant, in diversis locis hujus operis, jam examinavimus secundum quod materiæ ipsæ postulabant: ob idque illa de novo in præsentiarum discutere, erit actum agere, & ne de aliis, quæ alibi non sunt attacta sermonem faciamus, impedire. Vel certe volumina multiplicanda forent, quod plures faciunt, iterum atque iterum eandem rem discutientes. Sed ne materia, quæ hujus loci tam propria est, relinquatur intacta, propter illa, quæ in alus locis stabilita reliquimus brevi calamo in præsenti eandem percurremus; quid tenendum sit in singulis punctis statuentes, & ad locum, in quo de illis actum est, Lectorem remittentes.

§ I.

## §. I.

### *De facultate absolvendi à casibus, & censuris Prælatis religionum conveniente remissivè.*

Qui veniant nomine Prælatorum, & quis jurisdictionem spiritualem, & temporalem administrationem habeant.

1. CErtissimum est in religionibus Prælatos, & Superiores reperiri, qui illas regant, dirigant, & gubernent. Quia secundum illud Salomonis dictum Prov. 11. *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Et horum aliqui sunt Prælati Superiores, ut Generales, Provinciales, &c. Alij inferiores, qui dicuntur immediati Prælati, qui præsunt immediatè, & proximè in Monasteriis, ut Priores, Guardiani, Rectores, &c. & quicumque alio nomine nuncupati. Et omnes isti non solum habent in subditos suos dominativam potestatem, qualem habet pater familias in subdi os, sed etiam potestatem jurisdictionis Ecclesiasticæ, qua possunt ligare, & solvere, & sic præcepta, & censuras ponere, & ab eis, atque à peccatis, & aliis pœnis, vel obligationibus subditos suos absolvere. Unde tam Generales, quam Provinciales, nec non & Priores habent jurisdictionem quasi Episcopalem, in sibi subjectos, ut sumitur *ex c. Abbatis. de Priv. in 6.* & docent communiter Doctores: & merito. Quia postquam religiosi exempti sunt à jurisdictione Episcoporum, loco illorum succedunt prælati, cum illa jurisdictione, quam habebant Episcopi erga illos. Cum ergo omnes supradicti sint veri prælati jurisdictione ordinaria fungentes, quoties in præsenti de potestate, aut privilegiis prælatis convenientibus egerimus; intelligendum est de omnibus supradictis respectivè ad suos subditos, nisi aliud exprimatur. Et quod de istis dictum fuerit, intelligendum est de eorum Vicariis: quia omnem potestatem, & jurisdictionem, quam habet Generalis, habet illius Vicarius, qui in ejus locum succedit; & idem est de Vicario Provincialis, & de Vicariis, seu præsidentibus domorum, quando in tali monasterio non habent alium Superiorem; omnes enim isti sunt vere Prælati, & jurisdictione ordinaria funguntur; non vero Superiores, vel illi, qui ut coadjutores Prælatorum, & domorum eliguntur, nisi quando in domibus præsident absentibus prioribus per diem naturalem; quia tunc tam ipsi, quam alij præsidentes monasteriorum habent eandem potestatem commutandi, dispensandi, vel irritandi vota, absolvendi à reservatis, dispensandi super irregularitatibus, legibus, & cætera faciendi, quæ Prælatus si præsens esset, facere poterat: quia sicut eis committitur gubernatio talis monasterij, & administratio illius temporalis; sic etiam jurisdictio spiritualis, quam habebat ille, in cujus locum succedunt, & cujus vices gerunt. Hæc obvia, & communia apud authores reperies: & ob id ab eorum citatione abstinuimus. Vide Lezanam *to. 1. c. 18. à n. 1.* Suarez *to. 4. de rel. tr. 8. l. 2 c. 1. 2. & 13 & 22* Rodr. *qq. reg. qu. 17. art. 6. & qu. 20. art. 2. & 3.* Navarr. *comm. 2. de reg. à n. 63. & com. 3. à n. 40.* Jo. à Cruce *l. c. 6 dub. 6.* Ant. à Spir. S. *tr. 2. disp. 1 sect. 1. à n. 4.*

4. Peyrin. *tom. 2. de Prælat. quæst. 1. cap. 4. §. 4. n. 74.* Delbene *tom. 2. cap. 15. dub. 7. à num. 34.*

Ab omnibus casibus, à quibus possunt Episcopi suos, possunt Prælati suos subditos absolvere.

2. Cum ergo omnes Prælati habeant quasi Episcopalem jurisdictionem respectu subditorum, ab omnibus casibus, & censuris possunt suos subditos absolvere, à quibus Episcopi possunt respectu suorum inferiorum, ut late probavimus *tom. 2. tract. 10. de Censur. punct. 6. à num. 72.* & præter citatos docent Lezana *tom. 1. cap. 8. num. 31.* Fragoso *tom. 2. lib. 11. disp. 24. §. 14. num. 13.* Candidus *tom. 1. disp. 3. art. 2. dub. 2. distinct. 3.* Magister Hinojosa *in direct. disquisit regular. verbo absolutio num. 1.* Magister Donatus *1. p. praxis tract. 13. quæst. 17. num. 25.* Quot autem, & quales sint casus, & censuræ, à quibus possunt Episcopi suos subditos absolvere, *loco citato* latè diximus *punct. 5 per totum* ¶ Unde possunt Prælati regulares ab omnibus casibus, & censuris, quæ Papæ non sint reservatæ, & etiam à censuris ab homine latis, etiam specialibus, & per sententiam specialem publicè declaratum, subditos absolvere, uti ex privilegiis Pauli V. Sixti IV. & Eugenij IV. docent Pellizzar. *tract. 9. cap. 3. sect. 5. num. 202.* Lezana *num. 37.* Fragoso *n. 31.* Candid. *tom. 2. disquisit. 24. art. 41 dub 10.* ¶ Possunt etiam absolvere suos subditos ab omnibus casibus, & censuris Apostolicæ sedi reservatis, exceptis his, quæ in bulla cœnæ continentur, uti ex privilegio Sixti IV. & Gregorii XIII. diximus *n. 70.* Etiam possunt ab illis casibus, & censuris, quæ continentur in Bulla Cœnæ, hæresi excepta, ut latè probavimus *num. 76.* Sed licet plures authores, quos *num. 75.* dedimus, etiam ab hæresi occulta posse dictos Prælatos absolvere dicant; oppositum tenendum est, ut *n. 76.* diximus. Etiam possunt Provinciales, Priores conventus, illorumque Vicarii in eorum absentia absolvere suos subditos ab excommunicatione contracta ob percussionem gravem, etiam publicam, vel alterius religiosi, vel etiam clerici sæcularis, ut ibi *n. 69.* ex privilegiis Bonifacij IV. & Clementis VIII. probavimus, pluribus citatis authoribus.

A quibus casibus Episcopi reservent, ibi, per totum sine fine communi vertitur. Confessarius regularem absolvere rei-

3. Et si petas an possint prælati (& idem est de reliquis regularium confessariis) suos subditos, vel sæculares absolvere à casibus, vel censuris, quas Episcopi sibi in specie reservent? Hanc difficultatem retigimus *tract. 10. de Censuris, c. 2. n. 40. & 70.* & in utroque loco partem affirmativam cum pluribus authoribus probabilem judicavimus. Sed eam libuit iterum ad examen reducere propter novas difficultates in præsentiarum occurrentes. Et non est difficultas respectu religiosorum subditorum; quia cum respectu istorum habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, ab his casibus, à quibus possunt Episcopi suos subditos, possunt & Prælati suos religiosos absolvere: maxime quia respectu religiosorum non sunt reservati. Quia cum reserventur ab Episcopo solum respectu inferiorum Episcopi obtinent reservationem. Unde si forte religiosi in casum aliquem ab Episcopo specifice reservatum incidant; à quolibet Confes-

fessario possunt ab eo absolvi, à quo possunt à cæteris non reservatis, quia respectu Religiosi verè non erat reservatus. ¶ Etiam supponimus posse Prælatos, & reliquos confessores Regulares absolvere sæculares à censuris latis ab Episcopis per sententiam generalem, si reservatæ non sint, ut diximus *tract. 10. de Censur. cap. 2. nu. 51.* quia tales censentur esse à jure. Undè sicut ab omnibus censuris à jure latis, si non sint reservatæ, possunt omnes confessores absolvere, qui possunt absolvere à peccatis mortalibus, ut latè ibidem probavimus *num. 44.* De censuris verò ab Episcopo latis per modum sententiæ specialis, quæ non sunt specificè reservatæ, jam diximus ibi *num. 50.* Qualiter possint ab eis absolvere confessores ordinarii. Etiam posse ab omnibus casibus reservatis in jure Episcopis Regulares confessores absolvere sæculares, compertum est, ut diximus *tract. 6. de pœnitentia, cap. 13. num. 25.* Quia in decretis infrà allegandis, solùm casus ab Episcopis specialiter reservati excipiuntur: ergò qui à jure reservantur Episcopis, non manent exclusi; sed juri communi, seu privilegiorum dispositioni relinquuntur: secundùm quæ possunt Regulares ab omnibus casibus, & censuris, quæ non sunt Papæ reservatæ, absolvere, Sic præter Authores ibi citatos Diana *3. part. tr. 2. resolut. 13. §. Nota.* Aversa *part. 8. tract. 7. resolut. 71.* Donatus *in additionib. ad Praxim. tom. 4. tract. 4. quæst. 30. nu. 3.* Ludovicus à Cruce *in Expositione Bullæ Cruciatæ, disput. 1. cap. 3. dub. 5.* Cespedes *de Exemptionib. cap. 6. dub. 112.* Lezana *1. p summ. cap. 19. num. 16.* & *tom. 3. verbo, Casus, num. 5.* & omnes, qui dicunt omnes casus, & censuras occultas non esse Papales, quia in Trident. *sess. 24. cap. 6.* ab Episcopis relaxari possunt: ob idque posse Regulares, & virtute Cruciatæ toties quoties absolvi, ut tenent Sanchez, Trullench. Diana, Leander, Mendus, quos *tract. 10. de censur. cap. 2. num. 87.* adduximus. Et insuper Magister Acazius de Velasco *tom. 1. resolut. moral. verbo, Absolutio. resolut. 5. & 7.* Matthæus de Moya *selectar. quæst. tract. 3. disput. 8. quæst. 6. num. 16.* & triginta Authores, quos refert, & sequitur Thomas Hurtado *tom. 1. resolut. moral. tract. 5. cap. 4. resol. 17. §. 2.* & *tom. 2. tract. 12. cap. 1. nu. 1036.*

Posse Regulares à casibus, quos sibi Episcopi in specie reservât, absolvere, aliqui dicunt.

4. Quare in præsenti solùm est difficultas de casibus, quos sibi Episcopi specificè reservant. De quibus plures, & graves Authores dicunt posse Regulares confessarios absolvere sæculares; illos verò Authores dedimus *tract. 10. de censuris, cap. 2. num. 39. & 70.* Et præter illos tenent hoc ipsum Leander *tom. 4. tract. 2. disput. 17. quæst. 79.* Thomas Hurtado *tom. 1. resolut. moral. tract. 5. cap. 4. resolut. 16. num. 127.* Acacius de Velasco, *supr. resolut. 8.* Mendo *in Bullam disp. 27. cap. 4.* Bruno *par. 1. tract. 5. cap. 2. propos. 2.* Quintanadvennas *tom. 1. singular. tract. 3. singular. 14.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 66. art. 2.* & probant tum ex jure communi *in Clementina Dudum, & Extravaganti, Inter cunctas:* ubi privilegium Regularium ad absolvendum

à casibus Episcopis reservatis insertum esse in corpore juris, docet cum D. Antonino, Tabiena, & Armilla, Rodriguez *loco citato*. Tum etiam, ex aliis privilegiis, quæ nos adduximus *tom. 1. tractat. 6. de pœnitentia, cap. 13. num. 24.* ¶ Et dicunt non esse contra hoc, decretum Congregationis Cardinalium sub Urbano VIII. die 17. *Novembr. anno* 1628. in quo omnia revocantur privilegia Regularium ad absolvendum à casibus, vel censuris, quæ sibi Episcopi specialiter reservant: ob quod decretum nos *loco citato* de pœnitentia *numero* 24. ab hac sententia recessimus.

Non esse contra dicta decretum Urbani VIII prædicti Authores sentiunt.

5. Tum etiam: quia plura ex privilegiis, in quibus nititur hæc sententia, inserta sunt in corpore juris, ut diximus, nisi specificè exprimantur, ut diximus *cap. 2. hujus tractatûs, numero* 40. Cùm ergò in revocatione dicti decreti jus commune non exprimatur, privilegium antiquum in suo robore manebit. ¶ Tum etiam: quia declarationes Cardinalium, etsi magnam authoritatem habeant, maximè quando à Pontifice sunt approbatæ, & confirmatæ, ut est ista, de qua loquimur, vim non habent nisi tantùm opinionis probabilis, ita ut non tollat probabilitatem oppositæ sententiæ. Undè inquit Magister Acacius de Velasco, Episcopus Oriolensis, *loco citato*, *numero* 40. [Siento que no tiene fuerça de ley, ni que es necesario el seguirlas, sino que podra seguir libremente lo contrario el que tubiere bastante fundamento para haçerlo. Y con el podra seguramente apartarse de la declaracion de los Eminentissimos Señores Cardenales, arriba referida.] Et de ista sub Urbano VIII. de qua modò loquimur, & posteà de isto decreto Congregationis de mandato Urbani VIII. edito, & approbato, *num. 6. in fine*, hæc ait: [Y se ha de advertir, que la confirmacion Pontificia deste, y de los demas decretos, no añade a la declaracion de los Eminentissimos Cardenales, mas que confirmar su probabilidad.] Idem habet Bruno Cassaing *loco citato*. Quibus consentit Delgadillo, *tom. de Pœnitent. cap. 21. dub. 21.* dicens præfatam declarationem jussu Urbani VIII. editam, & alias hoc modo à Pontifice approbatas, [esse magnæ authoritatis; non tamen sufficere ad tollendam probabilitatem sententiæ, quam tot gravissimi Authores docent.] Sed circa hoc videantur à nobis dicta *tom. 3. tract. 11. de legib. cap. 3. à nu. 28.* ¶ Tum denique: quia prædicta declaratio Sacræ Congregationis, & decretum in ea contentum non fuit saltem in Hispania promulgatum, nec Regularibus sufficienter intimatum; ita ut possit eorum privilegia revocare, quibus poterant ab Episcopis reservatis absolvere, ut docent Thomas Hurtado, *num. 127.* Leander *quæst. 78. §. tertiò probo.* Velasco *resolut. 8. num. 8.* Mendo *in Cruciat. disputat. 23. cap. 4.* Ut autem hujusmodi decreta obligent, requiritur ut in singulis Diœcesibus, & Provinciis promulgentur, tradunt Doctores, quos *tom. 3. tract. 11. de legibus, capite 1. numero 84.* dedimus. Et tenent Medina,

Medina, Sotus, Victorellus, Angelus, Molina, quos refert, & sequitur Diana 1. *parte tract.* 10. *resolut.* 8. Trullench. *in Cruciat. lib.* 1. §. 7. *dub.* 9. *num.* 20. Quintanadvennas *tom.* 1. *singular. tract.* 3. *singul.* 15. *num.* 3. & probabile putant Layman, Becan. Lessius, Vazquez, & Granad. apud Dianam *loco citato*, & ipsemet Diana *part.* 7. *tract.* 10. *resolut.* 29. affert privilegium Gregorii XIII. in Bulla: *Aequum reputamus*, qua concedit Societati, ut nullius privilegii revocatio eis præjudicet, nisi sit illis intimata per trinas distinctas litteras eundem tenorem continentes, tribus distinctis vicibus. Videantur à nobis dicta *cap.* 2. *hujus tractatûs à num.* 54.

Decretũ Alexãdri VII. stat in oppositum, & illud declaram⁹.

6. Propter hæc, hanc opinionem esse valdè probabilem, asseruimus, eamque ut talem sequuti sumus *tom.* 2. *tract.* 10. *de Censuris, cap.* 2. *num.* 40. & 81. nisi obstaret novissimum decretum Alexandri VII. *die* 24. *Septemb. anno* 1665. damnans ut scandalosam hanc propositionem: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ eorum ad id facultate.* Et non loquitur Pontifex de casibus à jure reservatis Episcopis, sed de reservatis ab homine, seu de illis, quos Episcopi sibi specificè reservant: quia solùm ut scandalosam damnat opinionem, cui innixi Regulares, non obstantibus decretis Clementis VIII. pro Italia, & Urbani VIII. adhuc privilegiorum prætextu à casibus, quos Episcopi sibi reservant, absolvebant. Nec etiam in dicto decreto Alexandri VII. tollitur, quòd confessores electi virtute Bullæ Cruciatæ possint absolvere à casibus etiam ab Episcopis reservatis, secundùm ea, quæ diximus *loco citat. de Censuris, num.* 92. Quia in isto decreto, in nullo vult Pontifex Bullæ Cruciatæ præjudicare, in qua conceditur, quòd de casibus Pontifici reservatis semel in vita, & semel in morte, & de aliis quomodolibet à jure, vel ab homine reservatis, toties, quoties confessarius electus possit absolvere: quia solùm ad Mendicantes dicta prohibitio dirigitur, qui prætextu privilegiorum id posse affirmabant. Nec in ea mentio aliqua privilegii Bullæ Cruciatæ invenitur, prout par est, ut indulta quotannis in ea concessa, revocarentur. Maximè, quia privilegia Bullæ Cruciatæ conceduntur per modum contractûs, quæ revocari nequeunt modo communi; sed ex gravissima causa concernente bonum commune, & satisfactâ parte, prout diximus *hoc tract.* c. 2. *n.* 30.

Objectiones contra decretũ Alexandri VII. diluũtur.

7. Sed quia per prædictum Alexandri VII. decretum illæ, & aliæ usque ad 45. propositiones ut scandalosæ prohibentur, multoties ab aliquibus dubitatum, quâ vim obligandi habeat saltem in Hispania. Et ratio dubitandi illorum erat, quia in Hispania authenticè promulgatum non est, nec Regularibus intimatum, prout necessarium erat, ut eorum privilegia revocaret. Undè sicuti lex Pontificia non obligat, nisi sit sufficienter, & authenticè promulgata;

gata, ad quam promulgationem secundùm probabilem multorum sententiam requiritur, quod in singulis provinciis,& diœcesibus publicetur, quos dedimus *tract.11.de legib.cap.1.num.8.* ita neque istud decretum Sacræ Congregationis à Pontifice approbatum obligabit, nisi dicto modo publicetur: quod in pluribus diœcesibus factum esse audivimus; in aliis verò ignoramus: quod proindè non obligavit maximè inquantum est revocatorium privilegiorum Regularium, quod, ut diximus *hoc tract. cap.2. à num.45.* deberet privilegiatis notificari.

Refelluntur supradictæ evasiones contra decretum Alexandri VII.

8. Sed contra hoc stat, quòd hic discursus falso nititur fundamento: quia, ut diximus *loco citato de legibus, num.86.* ut leges Pontificiæ obligent, non requiritur promulgatio in singulis provinciis,& diœcesibus; sed sufficit quòd ex mandato Sanctissimi ad Valvas D. Petri affigantur. ¶ Deindè, licèt ut revocatio privilegiorum quasi ab homine facta petat, quòd nominatim privilegiato intimetur modo, quo diximus *hoc tract. cap.2.num.47.* at revocatio generalis facta à jure per legem, vel decretum generale à Principe sancitum, aliam non petit publicationem, aut intimationem, quàm illam petit lex ut obligationem pariat, ut ibi *num. 46.* declaravimus. Undè cùm dictum decretum S. Congregationis ab Alexandro VII. approbatum sit per modum legis, omnia in oppositum privilegia revocantis; non petit aliam publicationem, aut intimationem, quàm lex ipsa Pontificia exigeret. ¶ Denique: quia licèt dictum decretum Alexandri VII. ut prohibet quòd contraria opinio doceatur, aut practicetur, nequiret vim legis obtinere in singulis provinciis, nisi in eis,& singulis earum diœcesibus promulgaretur, prout de aliis legibus Pontificiis docent plures Doctores, ut diximus. Nihilominus ut est declaratio Pontificis in materia doctrinæ ad mores spectantis, & qualificatio, aut censura propositionum, quæ ut scandalosæ, temerariæ, vel erroneæ condemnantur,& ut talis locum ubique terrarum habeat, & omnes obliget, sufficit, quòd undecumque certa moraliter notitia dicti decreti Pontificis habeatur; ita, ut nulli liceat dubitare talem esse propositionē, qualis damnatur à Pontifice. Quemadmodum si Pontifex propositionem ut hæreticam annotaret, ut omnes obligaret talis declaratio, sufficeret quòd ad illorum notitiam talis censura quomodolibet perveniret; etiamsi publicationem ad legem requisitam non haberet. Idem ergo dicendum est, cùm à Pontifice ut scandalosæ, erroneæ, aut temerariæ aliquæ propositiones censurantur: quod fecit Alexander VII. de 45. propositionibus, quæ in illo decreto continentur.

§. II.

## §. II.

### *An ignorantia excuset à reservatione incurrenda?*

9. Dubiolum hoc hîc obiter excitamus, ubi de casibus, & censuris reservatis loquimur: quia pro praxi valdè necessarium duximus. Quæritur ergò, an qui ignoret aliquem casum, aut censuram esse reservatam, illius reservationem incurreret, ita ut solùm à Prælato, vel ab habente facultatem dispensandi in casibus reservatis posset absolvi? Pro resolutione primò supponendum est, ignorantiam censuræ reservatæ posse haberi dupliciter. Primò, si ignoretur esse censuram tali, vel tali crimini annexam. Secundò, si cum scientia censuræ detur ignorantia illius reservationis. Ignorantia primo modo etiamsi culpabilis sit, omninò liberat à reservatione: immò & à censura ipsa incurrenda; ut si scias ingressum in monasterium Monialium esse lege Ecclesiasticâ prohibitum, ignoras verò tali culpæ annexam esse censuram, & si ingrediaris, & peccas contra legem, eris à censura immunis, uti ex communi sententia diximus *tom. 2. tract. 10. de Censur. cap. 1. num. 193.* Undè fit in hoc casu peccatum illud, cui erat annexa prędicta censura, non manere reservatum: quia vel peccatum ratione censuræ annexæ reservatur; & sic tantùm censura est, quæ reservatur, non verò peccatum, ut volunt Durandus, & Cajetanus apud Suarez *disp. 29. sect. 2. nu. 8.* & tenent expresè Trullench. *in Praxi Sacrament. lib. 4. cap. 10. dub. 2.* Antonius à Spiritu sancto *tom. 1. Direct. Confess. num. 5. disp. 14. num. 950.* Vel certè si tam peccatum, quàm censura reservata sunt immediatè, semper ratione censuræ peccatum ipsum reservatur, ut in casibus Summo Pontifici reservatis docent Suarez *loco citato.* Sanchez *in summ. lib. 2. cap. 8. num. 5.* Lugo *de Pœnitent. disp. 20. sect. 2. nu. 15.* Et secundùm communem Theologorum sententiam ita sunt inter se peccatum, & censura connexa, ut illud sine ista minimè reservetur. Undè sublatâ excōmunicatione ex quocumque capite cujuscumque casûs Pontifici reservati, manet absque reservatione peccatum, ut possit ab illo quilibet Confessarius absolvere, ut de hæresi, quod est crimen omnium pessimum, & omnibus magis reservatum diximus *loco cit. de Censur. cap. 4. num. 57. & 62.* & tenent Sanchez *num. 5. citat. fine.* Trullench. *dub. 2. num. 2. fine.* Vidal. *titul de censur. in quæst. 3. num. 113.* Palaus *tom. 4. tract. 23. punct. 15. §. 2.* Moya *in select. quæst. tract. 3. disp. 8. quæst. 2. n. 7.* N. Antonius à Spiritu sancto *in Direct. confessar. tom. 1. tract. 5. disp. 14. sect. 4. à num. 932.* Ægidius, Granad. Layman, Hurtad. quos refert, & sequitur Leander *de Pœnitent. disp. 12, quæst. 16.* & alii plures, quos refert, & sequitur Diana *part. 5. tract. 9. resolut. 17.* & *part. 9. tract. 6. resolut. 13.* & *part. 11. tract. 4. resolut. 4.* Qui addunt sufficere ad non incurrendas censuras etiam Papę reservatas, nec reservatio-

nem illis annexam, ignorantiam vincibilem & culpabilem, dummodo non sit crassa, aut supina. Quare in præsenti dubium est, quando quis sciens esse actum sub censura prohibitum, & sic illam incurrens ignoraret, an talis censura, vel casus esset reservatus?

Inadvertentia, & oblivio, cum ignorantia in præsenti æquiparãtur.

10. Secundò supponendum est inadvertentiam, seu oblivionem actualem excommunicationis, alteriusve censuræ, vel reservationis illius eodem modo, ac ignorantia, ab illarum incursione excusare; siquidem oblivio, inadvertentia, & ignorantia invincibilis sicut æquiparantur in ordine ad excusandum à culpa, ita etiam in ordine ex excusandum à pœna, vel reservatione, quæ quasi pœna judicatur, ut probat Sanchez *lib.* 4. *sum. c.* 22. *n.* 18. & *lib.* 1. *c.* 16. *nu.* 8. Diana 3. *part. tract.* 5. *resol.* 41. & *p.* 5. *tract.* 9. *resol.* 17. & *p.* 9. *resol.* 13. & *p.* 11. *tract.* 4. *resol.* 4. Matthæus de Moya *sup. n.* 8. ubi addit: [quod est maximè observandum ad plurium casuum resolutionem. Tunc conjux incestuosus cum consanguinea uxoris in primo & secundo gradu excusatur ab incursione pœnæ privationis petendi debitum, non solùm ob ignorantiam, sed etiam ob inadvertentiam, aut oblivionem actualem talis pœnæ, ut cum Portel. & aliis tradit Diana 3. *part. tract.* 5. *resol.* 12. & *p.* 4. *tract.* 2. *resol* 36. & 85. & putat probabile Sanchez *lib.* 9 *de matrim. disp.* 32. *n.* 50. Hinc etiam quicumque sibi imponens pœnam sub conditione, si occasionem aliquam efficiat, vel præceptum transgrediatur, si ejus immemor delinquat, ut tradit Sanchez *lib.* 4. *sum. c.* 12. *citato.*] Quare quæ in resolutione difficultatis dixerimus de excusatione à reservatione ratione ignorantiæ; idem tenendum est, & eodem modo ratione oblivionis, aut inadvertentiæ actualis etiam culpabilis, dummodo affectata non sit, aut ex malitia, & negligentia proveniens.

A reservatione excusare aliquãdo ignorantiam, aliquando non, quando cert.

11. Prima ergò sententia duplicem statuit reservationem; aliam pœnalem, in odium peccati impositam, ut reservatio Sixti V. contra malè promotos ad Ordines: aliam medicinalem, quæ ad bonam Ecclesiæ gubernationem inducitur: & primam dicit non incurri ab eam ignorante; benè autem secundam. Prima pars probatur ex probabili multorum sententia asserente, pœnam quamcumque ab ignorante non incurri, quos lato calamo dedimus *tr.* 2. *tract.* 10. *de censur. cap.* 7. *nu.* 54. & tenet Sanchez *supr. nu.* 13. Suarez, Henriquez, Navarr. Lopez, Vega, & Rodriguez *citati*, & ex ipso Sanchez, & Portel docet Diana *tract.* 5. *miscell. resol.* 13. excusare ignorantiam etiam mortaliter culpabilem ab incursione pœnæ, dummodo non sit ex malitia affectata. Secunda autem pars probatur: quia reservatio medicinalis non est pœna, sed limitatio jurisdictionis ad absolvendum, quod ad bonum Ecclesiæ regimen conducit: sed per hoc, quòd peccator ignoret reservationem, non tribuit confessario jurisdictionem, quam non habebat: ergò nequit à tali casu absolvi, & sic semper reservatus manet.

Sic

Sic quoad primam partem tenet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. nu. 18.* Antonius à Spiritu sancto *in direct. confess. tom. 1. tract. 5. disput. 15. sect. 4. num. 935.* Megala, Hipolytus, Possevinus, quos refert, & sequitur Diana *part. 11. tract. 4. resolut. 4.* Bassæus *verb. Ignorantia. num. 17.* & videtur tenere Fagundez *2. præcept. Ecclesiæ, lib. 8. cap. 1. num. 28.* & probabilem dicit Lugo *de Pœnitent. disputat. 2. num. 11.* & tenet eam Moya *disput. 8. quæst. 2. num. 5.* & omnes Doctores pro secunda sententia adducendi. Et quoad secundam partem omnes citati tenent, & eam communem Doctores vocant.

Fundamenta præcedentis sententiæ impugnantur.

12. Sed certè fundamentum hujus sententiæ quoad secundam partem omnino non convincit; & potest contra illius Authores sic retorqueri: Quia omnis reservatio sive pœnalis tantùm sit, sive etiam medicinalis, verè aufert ab inferioribus facultatem absolvendi; hoc enim reservatio secum affert, quòd ab inferiori facultatem adimat, ut ad Superiorem pro absolutione recurrat; & tamen dicunt, quòd ignorantia talis reservationis eam excludit; non quidem dando confessario jurisdictionem, quam non habebat, sed impediendo ablationem jurisdictionis: quia hoc ipso quòd cum ignorantia reservationis pœnalis peccatum sit cõmissum, non auferetur à Confessario jurisdictio, quam habebat: ergò idem dici potest de omni reservatione, etiam medicinali, vel certè non redditur ratio, quare in uno casu id contingat, & non alio. Maximè: quia stat esse pœnam simul, & medicinam, ut in excommunicatione cernitur. Undè, sicut excommunicatio non incurritur ab ignorante illam, licèt simul incurrat rationem pœnæ, & medicinæ ad rectam Ecclesiæ gubernationem conducentis; sic dici potest de reservatione tam pœnali, quàm medicinali. ¶ Nec etiam est verum fundamentum, quo innititur hæc sententia quoad primam partem. Nam, ut diximus *de Censurâ capite 1. numero 193.* probabilius est ignorantiam pœnæ ab ejus incursione non excusare: & hoc est speciale in excommunicatione, vel alia censura, ob rationem ibi dictam; & ob idque *ibi num. 195. & cap. 7. num. 54.* irregularitatem incurri diximus ab eo, qui cum ignorantia illius, delictum, cui annexa est, committeret: quia pœna, quæ contumaciam non exposcit, non requiritur, quòd voluntaria sit; & ob id cognita: quin potius contra voluntatem imponitur frequenter, & in pœnis temporalibus constat; à quibus non excusatur latro, aut homicida, si cum notitia malitiam actûs operentur; tametsi pœnas pro illis in lege positas ignorent.

Ab omni reservatione excusat quæcunque ignorãtia.

13. Secunda sententia omnem reservationem esse pœnalem dicit; & sic ab omni reservatione ignorantiam saltem inculpabilem excusare; & omnem reservationem esse pœnam docent Paludan. *in 4. dist. 34. quæst. 2. art. 1.* Graffis *tom. 1. lib. 5. de adultu, consil. 3. num. 13.* Velochius *de casibus reservatis, part. 2. quæst. 3. num. 203.* & *qu. 17. nu. 66.* Diana *2. p.*

*tract.14. resolut.63. & par.6. tract. 6. resol.42.* tenet etiam Quintanadveñas *in singular. tract. de pœnit. singul.11. & tom.2. tract.4. singul.8.* Th. Hurtado *tom.2. resol. moral. tract.12. c.1. n.1123.* Huic sententiæ adhæremus non ob fundamentũ illius, quòd quælibet reservatio est pœna, quæ non incurritur ab illam ignorante, quia hanc rationem numero præcedenti refutavimus; sed quia est pœna medicinalis, quod etiam primæ sententiæ Authores admittunt: sed pœnæ medicinales ab ignorantibus illas minimè incurrunt, quod sic probatur. Quia pœnæ medicinales quàmvis ut pœnæ imponantur in punitionem præteriti delicti, ut medicinales ad præcavendum peccatum in futurum, ut saltem pœnæ timore perterritus à lapsu retrahatur peccator. Ideò enim reservantur peccata, ut homines scientes difficulter absolutionem obtenturos, ab eis committendis cohibeantur: & hic in omnium sententia est finis reservationis. Et ob id graviora peccata sunt, quæ reservantur, ut timore redeundi ad Superiorem pro illorum relaxatione, difficilius committantur; ad quod notitia reservationis omninò requiritur: quia respectu illius, qui nesciret peccatum esse reservatum, reservatio nullo modo à commissione illius cohiberet, & finis intentus à Superiore in tali reservatione omninò cessaret: ergò sicuti respectu ignorantis cessat finis reservationis, nec ista est medicina retrahens à peccato respectu illius; ita respectu illius cessat reservatio.

14. Quod explicatur duplici exemplo. Primum sumitur ex eo, quod in excommunicatione accidit, quæ simul est pœna, & medicina; & ratio medicinæ non tollit rationem pœnæ, nec ratio pœnæ tollit rationem medicinæ; licèt unà cum alia connectatur. Quâ parte pœna est, ordinatur ad puniendum delictum; quâ parte verò est medicina, ad impediendum peccatum, ne inposterum amplius committatur: & cùm nihil horum vim habeat respectu illam ignorantis, ab eo non incurritur excommunicatio, nec in ratione pœnę, nec in ratione medicinæ, ut tenent communiter Doctores. Secundum ex voto pœnali deducitur: si quis enim sibi certam pœnam imponeret pro casu, quo in certum crimen labatur, talis pœna est medicinalis ad retrahendum ipsum à commissione peccati assumpta, ut saltẽ timore pœnæ ab illo retrahatur peccator; & tamen si oblitus pœnæ delictum committeret, eam non incurreret, quia talis pœna non esset medicinalis respectu illius; & quia finis intentus à vovente in impositione illius, penitùs cessaret; cùm non posset perterrere, nec à peccato retrahere pœna eũ, qui illam penitùs ignorat, aut ejus omninò obliviscitur. Similiter ergò philosophandum est in reservatione. ¶ Nec ob id sequitur (ut sic tacita objectio tolvatur) non manere votum, v.g. castitatis reservatum in eo, qui reservationem ignoraret. Nam est dispar ratio inter reservationem voti, & reservationem peccati: quia illa non imponitur ut pœna, sed propter

Duplici exemplo præcedens doctrina explicatur.

propter voti, & materiæ illius gravitatem, ob quam non erat æquum, quod res tanti ponderis passim relaxaretur; sed quia est magni momenti, solum superiori Principi maneret reservata: neque ut medicina retrahens homines à vovendo, sed magis ut plus firmentur in voto, ne de facili à promissione Deo facta, recedant. Un de reservatum maneret votum, v.g. castitatis etiam respectu illius, qui dum votum emisit, ignarus, vel immemor erat illius reservationis; quod secus propter oppositam rationem contingit in casibus reservatis.

## §. III.

### *Qualiter dubium circa reservationem peccati, vel censuræ excuset à reservatione.*

Qui de reservatione dubitant, non incurrunt eam.

14. HOc etiam dubiolum sicut & præcedens, pro plena hujus materiæ notitia excitamus. Inquiritur ergo, an dubius de peccato, vel de censura reservata incurrat reservationem, & teneatur pro solutione superiorem adire; Bifariam potest dubium contingere, vel dubium facti, ut si certus de reservatione, dubitet an peccatum commiserit, cui est annexa reservatio: vel dubium juris, ut si certus tale commississe peccatum, dubitet an reservatum sit illud delictum? Et in utroque casu dicimus dubium à reservatione liberare. Tum: quia cum reserva io sit odiosa, utpotè potestatem inferioris restringens, restringenda est tantum ad casus certos, & indubios; sicuti ob eandem rationem diximus *tract. de voto*, reservationem votorum intelligendam de votis certis, & indubitatis. Tum etiam: quia pœnitens certus de peccato mortali possidet libertatem suam cum quolibet ordinario Confessario: ergo non potest propter dubium superveniens hac certa possessione privari: quia semper, & in qualibet materia tenet illa regula: *melior est conditio possidentis*, ut diximus *tom. 3 tract. 11. cap. 2. n. 109.* Sic Sanchez *lib. 1 summ. cap. 10. n. 73.* Trullench. *in praxi sacrament. c. 10. dub. 9. num. 3.* Matthæus de Moya *in select. qq. tract. 3. disput. 8. quæst. 3. num 3.* Lugo Cardin. *de pœnitent. disputat. 20. n. 16.* Quintana dvennas *tom. 1. tract. 3. singul. 11. & 18. num. 9.* Diana *4. part. tr. 3 resolut. 4.* Antonius à Spiritu sancto *suprà sect. 7 num. 943.* Bassæus *casus reservatus, num. 23.* & alij ab istis citati.

Qui cum dubio de reservatione ab inferiori absolutus, fuit etiamsi postea compertum idem peccatum certò esse reservatum non

15. Qui vero cum dubio supradicto ab inferiori esset absolutus à peccato reservato superiori, etiamsi postea dubium cessaret, vel quia certo sciret se commisisse peccatum, de quo ante confessionem dubitabat, vel certus de peccato, certò jam sciret reservatum esse, de quo dubitationem habebat, non teneretur postea coram superiori comparere, ut docet Perez *de pœnitentia, disputat. 48. sect. 4. num. 10.* Dicastillo *disput. 11. num. 199.* Pellizzar. *tract. 6. c. 1. n. 91.* Antonius à Spiritu sancto *sect. 8. num. 40.* Lugo *num. 20.* Leander *de pœnitent. disput. 12. quæst. 12.* Moya *num. 6.* Et ratio est: quia pœnitens dubius de casu reser-

tenetur superiorem adire.

vato fuit per sacerdotem inferiorem directè, & absolutè absolutus: quia respectu casus dubij de reservatione non est illi jurisdictio coarctata per reservationem; cum reservatio ut diximus, solum ad casus, & censuras certas extendatur: sed directè absolutus, & absolutè à peccato vel censura reservatis ab habente jurisdictionem, cogendus non est ad superiorem recurrere: ergo, &c. In quo differt ab eo, qui in casu necessitatis absolvitur ab inferiori, qui postea tenetur coram superiori comparere modo, quo diximus de censuris, *tr.* 10. *cap.* 2. *de censur. à num.* 66. quia non fuit absolute à censura, vel peccato absolutus, sed sub conditione, vel ut melius dicamus sub onere, ut data opportunitate coram superiori compareat: vel (quod verius est, ut *loco citato* diximus) si absolutè obtinuit absolutionem, datur Pontificis præceptum *in cap. ea nostitur* 13. *cap. quamvis* 58. *de sentent. excommun.* ut sic absolutus teneatur postea coram Pontifice comparere; non pro absolutione; quia verè, & absolutè præstita est, sed in partem pœnitentiæ ad specialem summissionem, & obedientiam Ecclesiæ præstandam. Quod non datur in casu nostro, in quo pœnitens nec sub conditione, aut onere præsentandi se, absolutus est: nec datur in jure de tali comparitione præceptum. ¶ Quare sicut qui dubitans, an votum esset reservatum, illius obtinuit dispensationem, non tenetur veritate postea detecta, ad Pontificem pro dispensatione recurrere, ut docet Sanchez *lib.* 4. *summ. c.* 44. *n.* 10. Lugo *disp.* 20 *sect.* 2. *n.* 22. Trullench. *in decalog. tom.* 1. *lib.* 2. *dub.* 33. *n.* 24. Quia dispensatio, quam obtinuit dum erat dubia reservatio, non fuit conditionalis, nec ejus valor à futuro eventu dependens. Similiter, quia in nostro casu absolutio data de casu, sub dubio reservato, non fuit conditionalis, sed absoluta; quia non fuit à futuro eventu dependens, & ab habente jurisdictionem directè præstita, etiam veritate detecta non tenebitur pœnitens coram superiori comparere.

16. Sed est contra hoc difficilis objectio: quia qui haberet peccatum dubium, & ut dubium illud confessus fuisset, jam absolutè, & directè est ab eo absolutus ab habente legitimam jurisdictionem; non enim absolvitur sub conditione pendenti in futurum; alias maneret absolutio suspensa, usque ad adventum futurum; & sic minimè peccatum sublatum, quod est absurdissimum. Si quando enim absolutio impenditur sub conditione, ut si quis solum peccatum dubium fateretur, est sub conditione de præterito, quæ non suspendit absolutionem, ut diximus *tract.* 9. *de matrim. cap.* 7. *num.* 1. & nihilominus, si postea sciat peccatum à se commissum verè fuisse, iterum teneri confiteri ut certum, quod antea confessus fuerat ut dubium, ut tenet communis sententia. Ergo similiter, qui dubius de reservatione peccati illud confessus fuerit inferiori Sacerdoti, detecta postea veritate, tenebitur coram superiori comparere, ut ab eo omnino liberetur.

Difficilis objectio contra resolutionem datam.

17. Ad

Aliqui sentiunt, cum quis sub dubio est confessus peccatum, non teneri, recedente dubio, illud amplius confiteri

17. Ad hanc objectionem facilitèr posset responderi secundum illorum opinionem, qui asserunt peccata sub dubio confessa, ablato dubio, non teneri iterum illa pœnitens confiteri. Et probant primo: quia de illo peccato dubio jam fuit directè absolutus: sed qui directè absolutus est à peccato, non tenetur illud iterum subjicere clavibus: ergo, &c. ¶ Secundo: qui in confessione se accusavit, dicens decies pejeravi plus minusve, etiamsi certo postea comperiat duodecies pejerasse, non tenetur duo iterum perjuria confiteri, ut communis docet opinio; sed hæc duo supra decem solum sub dubio est confessus: ergo qui sub dubio est confessus, cessante dubio, illud iterum confiteri non tenebitur. ¶ Tertio: qui dubitans, an peccatum sit mortale, vel veniale illud integrè confitetur, non tenetur iterum illud clavibus subjicere, etiam certo mortale fuisse cognoscat, ut ferè omnes Doctores tenent: ergo similiter in nostro casu. Sic Leander *de pœnitent. disputatione quinta, quæstione 27.* Martinus de sancto Joseph. *in monitis Confessor. tomo primo, libro primo, tractatu octavo, num. 9,* Marcus Vidal. *in arca Theolog. moral. tomo 1. de pœnitent, in quæst. à num. 33.* Noster Antonius à Spiritu sancto *in director. Confess. tom. 1. tract. 5. disputat. 5. sect. 3. num. 96.* Tancredo *in qq, moral disp. 6. de pœnitent quæst. 2. folio 102.* Delgadillo *tom. de pœnitent. cap. 14. dub. 10.* Ferrantinus *in disput. practic. quæst. 78.* Caramuel *in Theol. mor. lib. 3. disp. 4. n. 1539. & in Theol fundam fol mihi 699.* Sebastianus Sacchus *in fascic. flor. l. 1. tract. 4. cap. 3. n. 35.* & probabilem dicunt Thomas Tambur. *in method. expedition. Confess lib. 2. cap 1. §. 4. nu. 24.* Verticelli *in qq. moral. tom. 1. tract. 5. quæst. 6. num. 22.* Pellizzar. *tom. 1. tract. 5. cap. 3. sect. 1. num. 56.* & videtur hoc asserere Lugo Cardinalis *disput. 16. sect. 2. num. 92.* ubi plura pro hac sententia congerit, & probabilem illam judicasse R. P. Nicolaum Richardum S. Palatij Magistrum, docet; quamvis addit: *Se nolle in hoc puncto aliquid diffinire, sed securiorem partem consulere.*

Peccatum ut dubium confessum, ut certum confitendum est; si de illo pœnitens certificetur.

18. Cæterum ob hæc non est recedendum à communi sententia, quam *tom. 1. tract. 6. de pœnitent. cap. 8. num. 47.* sequuti sumus, quam præter ibi citatos tenent Thomas Hurtado *tomo secundo, tractatu 22. capite primo, dub. 9. n. 2097* Gaspar Hurtado *disputatione 9. de pœnitent. difficult. 7. §. observandum.* Moya *supra tractatu 3. disputatione prima, quæstione sexta, nu. undecimo,* Torres *de pœnitent. quæstione 9. articulo 2. disputatione 26. dub. 6.* Illustrissim. Magist. Fr. Petrus à Tapia *in caten. moral. lib 4 quæst. 15. art. 9.* Raphaël de Aversa *de pœnitent. quæst. 10. sect. 2. §. quod si.* Quiedo *1. 2. tractatu quinto, controv. 5. part. 7. num. 58.* & alij communiter. Et probatur: quia peccatum explicandum est in confessione prout est in conscientia pœnitentis: sed peccatum, quod jam ut dubium erat confessum, nunc est in conscientia pœnitentis ut certum: ergo ut tale iterum est confitendum.

dum. Nec inde est inferendum, quod si ut certum fuisset peccatum, si postea de illo dubitarer, iterum teneretur illud ut dubium confiteri: quia iterum confiteri ut dubium solum serviret ad se excusandum: & quia negatio materiæ certæ non est materia confessionis; cum potius minuat, quam adaugeat gravitatem. ¶ Secundo, quia licet hic directè absolutus esset, est conditionatè, non absolutè: ergo adveniente notitia certa, tenebitur iterum confiteri, ut directè nunc absolvatur à peccatis absolutè; quemadmodum non sufficit pœnitentem esse indirectè absolutum; sed tenetur iterum confiteri, qui indirectè est absolutus, ut directè iterum absolvatur, ut omnes docent: Ergo similiter, qui directè, sed conditionatè est absolutus, iterum debet confiteri, ut directè, & absolutè absolvatur: quia non facilis disparitas reddi potest, quare indirectè absolutus, debeat directè absolvi; & non debeat absolutè absolvi; qui solum erat absolutus conditionatè. ¶ Confirmatur: quia ad peccatum commissum per se sequitur obligatio confessionis, à qua subortum dubium partim excusat, ut solum in dubio confiteatur, & obtineatur illius conditionata absolutio, sicut oblivio in totum excusat, ut indirecta absolutio obtineatur: ergo sicuti cessante oblivione rediret per se integra obligatio confitendi ad obtinendam absolutionem directam; ita cessante dubio, rediret integra oblatio confitendi ut certum peccatum, ad obtinendam absolutionem absolutam.

19. Melius ergo ad objectionem *numero decimo sexto*, ponitam, respondetur, reddendo inter reservationem, & peccatum confitendum disparitatem, quam ponit Thomas Sanchez *in Decal. g libro primo, capite decimo, numero 74.* Quod reservatio peccatorum est odiosa, eo, quod est restricta a jurisdictionis Confessoris ordinarij: & ob id extendi non debet ad casus dubios; sed solum restringi ad certos, & determinatos, ut de reservatione votorum, in ejus tractatu diximus. At præceptum confessionis apud omnes est favorabile, utpotè ad salutem animarum ordinatum: & sic minimè restringi, sed potius debet ampliari. Quare sicut ob hanc rationem extenditur ad peccata dubia, quæ quilibet confiteri tenetur, ut diximus *tractatu de pœnitent. 8. numero trigesimo quinto*, & nunc suppono, licet probabile sit contrarium; ita ad confitenda ut certa peccata, quæ sub dubio confessa erant, ut probavimus: E contra sicut non est obligatio observandi reservationem, qui de illa dubitat, ut ex communi sententia diximus *num. 14.* ita non teneretur iterum ad reservationem redire, & coram Superiori comparere, qui in dubio de illa fuit jam absolutè ab inferioti absolutus.

Disparitas inter reservationem & peccatum dubium confitendum.

20. Restat respondere ad argumenta *n. 17.* adducta. Ad primum constat ex dictis; quod sicut peccatum, de quo est aliquis indirectè absolutus propter oblivionem iterum debet subjici clavibus, ut directè de illo absolvatur, recedente oblivione, quia sic communiter intelligitur ab

Solvitur primum argumentum contrarium.

Ec-

Ecclesia præceptum confessionis fuisse à Christo Domino impositum: sic peccatum de quo conditionatè est quis absolutus propter dubium, debet recedente dubio, subjici clavibus, ut de illo absolutè absolvatur; quia sic communiter fuit à Doctoribus intellectum præceptum Christi Domini de confessione. Sicuti in eo, qui se accusavit de aliquo peccato dicens: confiteor malam cogitationem, si fortè illam habui: quod aliqui non dubitantes, sed ad majorem securitatem, impertinenter quidem faciunt; si certo postea cognoscat se illam habuisse, tenetur postea absolutè illam cogitationem confiteri, ut absolutè ab illa absolvatur, ut ferè omnes dicunt; ita qui dubitans de peccato confitetur: quia sub conditione, si fortè illud peccatum commisit, confessus est, veritate detecta, iterum ad confessionem tenebitur, ut absolutè absolvatur.

Secundum argumentum contrarium dissolvitur.

21. Ad secundum respondetur cum doctissimo M. Petro à Tapia *loco suprà citato*, dubium posse esse vel circa peccatum in particulari quoad substantiam, quia confitens nequit determinatè judicare, an omiserit illud, vel non; & de hoc dicimus, quod cessante dubio debet de illo confiteri. Vel potest esse circa numerum peccatorum in communi, eo quod nequeat ad certum numerum commissa peccata reducere: quod optimè contingere potest absque dubio occurrente circa substantiam alicujus peccati in particulari. Quod accidit, quando tot peccata confitetur plus, minusve expresè dicendo, vel subintelligendo hoc ipsum tacitè. & in hoc casu, fatemur non teneri postea confiteri illud, quod sub hoc dubio propalavit, etiam dubio ipso recedente: quia obligatio explicandi numerum suam latitudinem habet; siquidem juxta communem Theologorum sententiam, solum est ad explicandum numerum non mathematicè, sed moraliter determinatum: quod fit per illa verba: *plus minusve*; ita Confessarius multitudinem peccatorum verosimiliter, & moraliter percipiat, & statum ipsius pœnitentis.

ultimo argumento satisfit

22. Ad tertium dicimus, quod scire an peccatum sit mortale, an veniale non est ex conditionibus se tenentibus ex parte pœnitentis, quia ad ipsum solum spectat rem quoad substantiam, & numerum prout à parte rei facta est, manifestare. Judicium vero de gravitate peccati, an sit mortale, an veniale, hoc ad Confessarium pertinet, qui judex est, & qui sententiam proferre debet. Unde sicut putans se solum veniale confiteri absque dubio circa mortalitatem, satisfacit suæ obligationi, si clarè, distinctè quoad substantiam, & numerum rem prout contigit, patefecit; nec tenetur postea veritate comperta, iterum peccatum illud clavibus subjicere: quia jam directè, & absolutè ab eo absolutus est à Confessario. Ita qui peccatum sub dubio, an mortale, an veniale fuerit, confessus est; quia jam quantum ad ipsum attinet, fecit, rem certam secundum substantiam, & numerum deponens; licet dubius de gravitate, directè, &

absolutè absolvitur ab eo, judicium rei Confessario remittens, ad quem spectat cognoscere gravitatem, sicut & de illa judicare: & non tenetur, re sine dubio comperta, iterum tale peccatum clavibus subjicere, ut tenet communis sententia.

Ad quantum se extendant illa verba *plus minusve*, explicatur.

23. Et si fortè roges ad quantum illa verba se extendant, *plus minusve*, ut postea non teneatur aliquis confiteri determinatè, quod implicitè in illis confessus est? Respondit Vivaldus *in candelabro aureo, de confess. tract. 7. §. sed dixi folio* 100. eum, qui confessus fuit centies plus minusve jurasse, non teneri iterum confiteri, licet postea comperiat fuisse 200. Quod probabile putat Angelus Mar. Verrecelli *tom. 1. qq. moral. tract. 5. quæst. 6. num. 23.* & ipse *tract. 1. quæst. 8.* dicit illa verba, *plus minusve* addit quoad confessionem medietatem suprà summam expressam, taliter, quod si confessus est centum juramenta plus minusve, iterum non confiteri teneatur, licet postea certo sciat fuisse 150. Sed utraquæ hæc doctrina nimis laxa videtur: quia illa particula, secundum communem sensum, parvum excessum denotat: & assignatus, est certè magnus. Probabile autem est, quod docet Diana cum Filliucio, & Navarro *3. part. tract. 4. resolut. 94.* & *part. 4. tract. 4. resol. 204.* Quod si quis se accusaret decies, plus minusve pejerare, si postea recordetur de aliis tribus vicibus, non teneretur illas confiteri: & si centum plus minusve confiteretur, si postea recordaretur esse centum, & decem: non teneretur illa confiteri. Sed verius est, hoc arbitrio prudentum relinquendum, juxta summam peccatorum, cui illa clausula plus minusve superadditur. Addit M. Jejada *tom. 1. lib. 2. tract. 3. controvers. 10.* (Si postea confessione finita recordetur illorum peccatorum, quæ confessus est, majorem esse numerum, non teneri iterum confiteri: quia confessio cum sufficiente examine facta, moraliter loquendo comprehendit, & claudit totum peccatorum numerum: & illa particula à pœnitente adducta æquivalet omnibus alijs, & per illam confessarius satis devenit in cogitationem status penitentis.)

## §. IV.

### *De facultate Prælatorum ad dispensandum in irregularitatibus remissivè.*

Omnes irregularitates possunt Prælati tollere, quas possunt Episcopi

24. POsse Prælatos regulares cum suis subditis dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus dispensare possunt Episcopi respectu suorum Diœcesanorum ex Bulla Pii V. & Gregorij XIII. diximus *tract. 10. de censuris, cap. 7. num. 63.* Imò ibidem pluribus citatis diximus posse confessarios regulares cum sæcularibus dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis ex Bulla Sixti IV. & à Julio II. confirmata. Irregularitates vero, à quibus possunt Episcopi subditos suos liberare assignantur in Concilio Tridentino *sess. 24.*

*sess. 24. capite sexto, de reformatione*, ubi Episcopis Diœcesim habitantibus conceditur, ut cum suis subditis dispensare possint in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & quæ ad forum contentiosum non sunt deductæ, excepta irregularitate ex homicidio voluntario causata. Circa quam dispositionem Concilij videnda sunt, quæ latè diximus *eodem tract. capite 2. punct. 5.* An verò virtute Bullæ Cruciatæ possit dispensatio impendi in omnibus irregularitatibus, etiam ex homicidio voluntario causatis, vide à nobis dicta *dicto tract. cap. 7. à num. 64.* Ubi duplicem sententiam retulimus: & licet negativæ parti ut probabiliori adhæsimus; affirmativam plurimus citatis Authoribus, & rationibus adductis, probabilem judicamus.

Aliæ irregularitates, quas possunt tollere Prælati.

25. Insuper possunt Prælati omnes irregularitates suorum subditorum tollere, sive ex delicto, sive ex defectu proveniant, etiam irregularitatem bigamiæ, aut homicidij voluntarij, dummodo notorium non sit, ex privilegio Martini V. *tract. 10. de censur. cap. 7. num. 59.* statuimus: ubi etiam diximus ex privileg. Pauli III. & Sixti IV. posse Prælatos prima die Lunæ Quadragesimæ cum suis subditis dispensare in omnibus irregularitatibus, etiam publicis, & notoriis, etiam quæ ex bigamia, & homicidio voluntario proveniunt. Imò ex concessione Pij V. *num. 129.* diximus *loco citato, capite 8. num. 17.* posse Prælatos regulares toties, quoties suos subditos liberare ab omni irregularitate ex delicto, etiam ex homicidio voluntario, & publico; dummodo tale homicidium factum non fuerit post ingressum religionis, & semper sint in illa permansuri, donec vixerint, ut in eadem Bulla expressè declaratur. Videatur Noster Lezana *tomo primo, parte prima, cap. 18. nu. 44.*

Qualiter irregularitatem ex delicto homicidii possint tollere regulares.

26. Descendamus in particulari ad singulas irregularitates, ut hoc clarius innotescat. Et loquendo prius de illis, quæ ex delicto proveniunt, omnium gravissima, & difficilior dispensatu est illa, quæ provenit ex homicidio voluntario; quia in tribus privilegiis adductis datur sua limitatio. In primo in quo conceditur facultas ad dispensandum in irregularitate illius, etiamsi homicidium sit ante vel post ingressum religionis commissum, & hoc in quolibet anni tempore, ut pluribus citatis diximus *tract. 10. cap. 8. num. 17.* sed additur limitatio, dummodo non fuerit *notorium delictum.* In secundo limitatur facultas ad primum diem Lunæ Quadragesimæ: & in tertio ad irregularitatem ex homicidio ante ingressum religionis patratum. Videndum nobis est, quid in primo per notorium delictum intelligatur? Circa quod recolenda sunt, quæ diximus *tract. 10. cap. 3. n. 17.* Quod notorium est, quod nititur scientiæ majoris partis communitatis; quia nimirum coram illis fuit perpetratum: Nam si ad illius notitiam alio modo perveniat, dicetur famosum, vel manifestum, non vero notorium. Igitur in his, & similibus privilegiis accipitur pro

eo quod est publicum, vel per evidentiam facti, vel per sententiam justam judicis, vel per confessionem rei in judicio, vel per publicam famam omni tergiversatione carentem: & non sufficit, quod testibus possit probari, nisi dictas conditiones habeat. Neque quod delictum deductum sit ad forum contentiosum tollit esse occultum, si judex absolvit reum per sententiam diffinitivam: Imo etiamsi reus fuerit damnatus, & convictus, si judicium jam finitum est, & reus punitus, adhuc ejus delictum manet inter terminos occulti, & occultum accipitur in præsenti. Sanchez *lib. 2. summ. cap.* 11. *num.* 21. Avila, Henriquez, Reginald. quos refert Bonacina *disputatione septima, de censuris, quæstione quinta, punct.* 1. *numero primo.* Imò etiamsi delictum fuerit publicum in uno loco, si in loco, in quo petitur dispensatio fuerit occultum, nec detur proxima spes, quod in illo publicetur, adhuc dicetur occultum, prout opponitur publico, & notorio. Vidal. *de casibus reservatis, inquisit.* 1. *num.* 105. Vincentius Candidus *tom.* 1 *disquisit.* 22. *art.* 49 *dub.* 9.

De alijs irregularitatibus, in quibus possunt dispensare Prælati.

27. Possunt etiam Prælati regulares absolvere suos subditos in irregularitate orta vel ex homicidio casuali, vel in defensionem contra injustum invasorem, cum excessu in moderamine inculpatæ tutelæ, & hoc toties quoties, etiamsi delictum sit publicum, aut notorium, ut probavimus *loco citato, cap.* 8. *num.* 43. & 58. Et eodem modo possunt cum religiosis dispensare in irregularitate orta ex mutilatione voluntaria, cum solum sit homicidium voluntarium exceptum, modo explicato in supradictis privilegijs, ut *ibidem num.* 28. diximus: Etiam possunt dispensare in irregularitate orta ex infamia sive ante ingressum religionis, sive post illum sit contracta, sive sit facti, sive juris, quæcumque illa sit, nulla excepta, ex privilegio Pij IV. concesso Clericis ministrantibus ibi *num.* 75. & etiam in irregularitate contracta ob violationem censuratum: quia videlicet excommunicatus, suspensus, aut interdictus, vel in loco interdicto celebravit, aut actum proprium ordinis sacri solemniter exercuit, potest Prælatus toties quoties dispensare, etiamsi publica sit, ex privilegijs Sixti IV. Gregorij XI. & Pauli III. ut diximus *eodem c.* 8. *n.* 72.

De irregularitatibus ex defectu, in quibus possunt dispensare Prælati.

28. Etiam in irregularitatibus provenientibus ex defectu possunt Prælati cum suis subditis dispensare. Et in primis cum corpore vitiatis possunt, ut si desit pes, vel oculus, etiam sinister, qui est Canonis, ut diximus *tract.* 10. *cap.* 9. *num.* 75. & ex privilegio Sixti IV. probat Bordon. *resolut.* 11. *num.* 10. & ex alijs concedentibus facultatem dispensandi in omnibus excepto homicidio voluntario, & bigamia tenet Diana 4. *part. tractatu* 2. *resolut.* 73. Lezana *tom.* 5. *in mari magno Minorum, num.* 144. Pellizzar. *tract.* 9. *cap.* 3. *sect.* 4. *num.* 133. ¶ Ex vi professionis religionis tollitur irregularitas ex defectu natalium quoad susceptionem Ordinum,

num, ut diximus *cap. illo 9. num. 55.* & etiam tolli quoad dignitates, itaut ad illas eligi possint, probabile esse diximus *num. 56.* sed posse Prælatos quoscumque sive Generales, Provinciales, vel etiam Priores cum quocumque illegitimo ad prælaturas, & quascumque alias dignitates irregularitatem tollere latè diximus *ibi nu. 57.* & modò tenent Bordon. *resol. 11. num. 48.* Lezana *tom. 1. cap. 18. nu. 60.* Candid. *disquisit. 24. art. 61. dub. 23.* Pellizzar. *num. 131.* Peyrin. *tom. 1. privileg. Minimor. ad constitut. 2. Julij 11. §. 29. à num. 25. tract. 12. de dub. regul. resolut. 102.* ¶ Possunt etiam Prælati cum suis subditis dispensare cum omnibus bigamis, bigamia vera interpretativa, & similitudinaria, ut probavimus *loco citato. cap. 9. num. 42.* & præter ibi citatos tenet Bordonus *resolut. 11. num. 31.* Bauny *tom. 2. tract. 11. quæst. 58. litterâ B.* ¶ Possunt etiam dispensare in omni irregularitate sive publica fuerit, sive secreta, proveniente ex defectu lenitatis ratione homicidii, aut mutilationis exercitæ, vel in ordine judiciario, à judicibus, & ministris, vel in bello justo, ut diximus *eodem cap. 9. num. 24.* propter illa privilegia, quibus ipsis conceditur facultas dispensandi in omni irregularitate, excipiendo solùm eam, quæ provenit ex bigamia, & homicidio voluntario (ad has enim alia dantur diversa privilegia, citatis locis adducta) homicidium verò, quod fit vel à judice servato ordine juris, vel à milite in bello justo, non dicitur homicidium voluntarium, quod est contra quintum Decalogi præceptũ: quia hoc solum dicitur homicidium injustè patratum. Sic præter ibi citatos Pellizzar. *suprà num. 143.* Lezana *tom. 5. in mari magno Prædicator. num. 128.* & *tom. 1. part. 2. cap. 18. nu. 43.* Vidal. *in candelabro aureo, 2. part. titul. de irregularitate, §. de dispens. quoad fratres.* Candid. *tom. 1. disquisit. 24. artic. 61. dub. 19.*

29. Posse etiàm regulares Prælatos dispensare cum suis subditis in irregularitate proveniente ob abortum fœtûs animati, etiamsi publica fuerit, & in pœnis excommunicationis, privationis officii, beneficii, & dignitatum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad imposterum obtinenda, impositis à Sixto V. & Gregorio XIV. tenet Bordonus *resolut. 13. num. 19.* Bauny *tom. 2. tract. 11. quæst. 58. litterâ C.* quos refert, & sequitur N. Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. in direct. regul. disp. 1. sect. 2. num. 77.* Sed hæc intelligenda sunt cum limitationibus à nobis adductis *tõ. 3. tract. 13. cap. 2. punct. 4. §. 3. à num. 72.* nimirum quòd in dicta irregularitate possunt Prælati dispensare eo modo, quo possunt in irregularitate ob homicidium voluntarium: quia talis abortus fœtûs animati procuratio verè homicidium voluntarium est. ¶ Denique possunt Prælati cum suis subditis dispensare in omnibus pœnis, inhabilitatibus contractis ob quæcunque delicta, ut privationis ab officio, beneficio, dignitate, inhabilitatis ad illa, vocis, & loci, &c. postquàm jam pœnæ istæ sunt contractæ, nisi aliàs sint reservatæ Pontifici. Candidius

De aliis irregularitatibus, & pœnis, in quibus possunt dispensare Prælati.

*tom.2. quæst.24.art.61.dub.10.* Imò etiamsi sint Pontifici reservatæ, adhuc possunt ex privilegiis Sixti IV. Pii V. & Gregorii XIV. docent Suarez *tom.4.de religion. tract.8. cap.12. num.9.* Sanchez *lib.6.summ.cap.15. num.78.* Pellizzar. *tract.9. cap.3. sect.4. num.147.* Antonius à Spiritu sancto *supr.n.95.* Lezana *cap.18.citato.n.33.& 35.*

## §. V.

### *Qualiter Prælati cum suis subditis in legibus, & præceptis Ecclesiasticis valeant dispensare remissivè?*

Plura circa hoc alibi tacta, & declarata recensentur.

30. NOn loquimur in præsenti de facultate Prælatorum ad irritanda vota subditorum, vel ad dispensandum in eis: nam de hoc latè à nobis disseritur hoc volumine *tractatu de Voto.cap.3.* & circa irritationem *ibidem*; & circa dispensationem in eodem loco, & alia ibi circa istam materiam declarantur: sed de facultate in legibus, aut præceptis dispensandi; & quæ privilegia circa officiū divinum habeant Regulares, latè diximus *supra tract.16. de Horis Canonicis, cap.3 punct.7.per totum*: specialiter autem *à num.55.* diximus qualiter Prælati possint cum infirmis, aut multum occupatis dispensare in recitatione officii Canonici. Et quid possint circa alienationem bonorum mobilium, & immobilium, diximus *tract.15.* & plura alia, quæ ab aliquibus hîc examinantur, quia alibi suis locis à nobis jam acta sunt, prætermittimus.

Possunt Prælati in omnibus legibus dispensare, in quibus possunt Episcopi.

31. Sed circa præcepta, & leges Ecclesiasticas statuendum est posse Prælatos cum suis subditis in omnibus legibus, & præceptis Pontificiis dispensare, in quibus possunt Episcopi respectu suorum subditorum: habent enim jurisdictionem quasi Episcopalem in ipsos, ut *suprà n.1.* diximus. Quia ex quo exempti sunt Religiosi à jurisdictione Episcoporum, Prælati cum omni jurisdictione loco ipsorum succedunt. Et habetur in Clement. *Ne Romani*, de electionibus, & Bulla Pii V. *Romani Pontificis*, & tenent communiter Doctores. Undè in omnibus casibus, & legibus, in quibus diximus *tom.3. tract.11. de legibus, cap.5. punct.4. num.15.* posse Episcopum, vel inferiorem Prælatum dispensare in lege superioris: possunt Prælati in legibus, aut præceptis superiorum, etiam Pontificis dispensare. Ut ibi *num.36.* annotavimus: & sic possunt cum suis subditis, etiam novitiis, tertiariis, commensalibus super jejunia, esum carnium, lacticiniorum, &c. dispensare, ut tenet Pasqualig. *de jejunio. decis.388.num.3.* Fragos. *2. part. lib.11. d sp.24 §.7.n.15.* Bordon. *resol.18. num.7.*

32. Suppositò dicto principio, quòd in omnibus casibus, in quibus potest inferior in lege superioris dispensare, possunt Prælati regulares in legibus, & præceptis Pontificis, & aliorum superiorum dispensationem impendere, videndum est, qui sint illi casus. Primò, quando lex permittit dispensare, non designans dispensatorem, ut *loco citato, num.37.* diximus;

mus : quia quando in lege ponitur posse fieri dispensationem , non intelligitur de Superiori ferente legem: nam id frustrà faceret, cùm hoc semper talis Superior ex jure ordinario habeat: Et sic censendum est tunc committere dispensationem inferiori. Sic præter ibi citatos Martinez à Prado *tom.1.cap.4. quæst.3. num.14.* Barbosa *2.part. Pastoral.allegat. 33. num. 22.* Quare cùm in nostris constitutionibus dispensator illarum assignetur , quòd solum sit diffinitorium generale,*3.part.cap.8. num.14.* à quo rarò,& maturè dispensatio fieri debet, & concurrentibus ex quinque suffragiis,quatuor ; vel sex, ex septem; nullus inferior Prælatus poterit in legibus nostris dispensare, & in his, quæ pertinent ad Regulam , neque ipsum Capitulum generale , ut habetur *3.p.c.2. n.16.* poterit dispensare,quod meritò statutum est. Quia cùm dispensatio sit vulnus legis , seu, ut loquitur Augustinus relatus *in cap. Ipsa pietas,23.q.4. Vulnus contra integritatem severitatis* ; ut leges integrè, perfectè, & cum omni severitate observentur,debet magna cum circumspectione illarum dispensatio impertiri. Tot enim vulnera possunt multiplicari,ut penitùs moriantur, & relaxentur ; uti in multis Congregationibus non sine dolore vidimus : ubi ob facilitatem in dispensationibus elargiendis,vix sanctissimæ leges subsistunt , vel certè adeò infirmæ, & vulneratæ , ut nullum robur, nullamque integritatem severitatis obtineant. Cum hoc tamen stat , ut non obstantibus dictis decretis , possint Prælati nostri inferiores ex urgenti causa dispensare in rebus frequenter occurrentibus , ut in jejuniis,abstinentia carnium, &c. dummodo non sit ad multum tempus , nec in rebus gravioribus , quorum non est usus in Religione , ut eorum ab inferioribus dispensatio concedatur.

33. An verò in omni eventu , in quo lex Superioris expresè non reservet sibi dispensationem , possit inferior in tali lege dispensare , aliqui id probabiliter affirmant, quos *loco cit. de legib.n.41.* dedimus. Sed oppositum ut probabilius ibi *nu. 43.* sequuti sumus,nisi inferiori expresè,vel tacitè, vel interpretativè talis dispensatio committatur: nam hoc ipso quòd eis in jure non concedatur, prohibetur, *cap. Cùm inferior, de majorit.& obed. Clement.Ne Roman,de election.* Si tamen casus sit dubius , quia nimirum dubitatur , an indigeat subditus dispensatione , vel an detur sufficiens causa pro illa , poterit Prælatus eam sine scrupulo impendere, ut ibi *n.45. & 46.* diximus.Et sic in dubio,an indigeat subditus dispensatione ad non recitandum officium divinum , ad non jejunandum in diebus præceptis, ad non abstinendum à carnibus, aut lacticiniis ? potest Prælatus dispensare, & subditus tutâ conscientiâ omni deposito dubio agere contra præceptum : & idem est si dubium circa sufficientiam causæ ad dispensationem suboriatur: quia totum hoc judicio Prælati committitur; imò sufficere pro causa,quòd subditus dubi-

Non ex eo, quòd lex dispensationem Superiori non reservet, eâ concedit inferiori-

ter,

tet an indigeat vel non dispensatione? ibidem *num.46.* diximus.

In quib⁹ legibus Pōtificis possunt Prælati dispensare.

34. Possunt etiam dispensare in legibus etiam pontificiis, quæ non sint pro ora Ecclesia, sed pro aliqua provincia, civitate, aut communitate. quia hoc ipso quòd pro illis tantùm ferantur, censentur ad modum legis municipalis, in qua Superior illius provinciæ, civitatis, aut communitatis potest dispensare, ut *loco citato* diximus *num.39.* & præter ibi citatos tenent Valentia *2.2. disput.7. quæstione 5. punct.9.* Serra *1.2. quæst.97. art.4. in fine 1. conclus.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 15. quæst.7.* ¶ Etiam in his legibus dispensare possunt, in quibus ex consuetudine habent facultatem; vel quando non est facilis recursus ad Superiorem, & instat casus, ut ibi *nu.4.* diximus. ¶ Possunt etiam dispensare in legibus non magni momenti, ut censentur illæ, quæ vel non obligant ad culpam, vel solùm obligant ad venialem, ut diximus *loco cit. c.5.n.38.* & præter ibi citatos tenent Sot. loco statim adducendo *art.3. §. At verò.* Cajetanus *1.2. qu.97. art.4.* ubi ait: quod leve quoad hoc judicatur, *quodcunque cæteris paribus, non præcepto propriè dicto, sed simplici statuto positum est.* Et licèt obligent ad mortale, possunt dispensare in legibus de rebus frequenter contingentibus, ut in jejuniis, observantia festorum, recitatione officii divini, abstinentia à carnibus, &c. ut ibi *num.38.* diximus, & præter ibi citatos tenet Martinez à Prado *loco cit. n.24.* Cajet. *loco cit. art.4.* Sotus *lib.1. q.7. a.3.* qui benè hoc limitat, ut intelligatur pro casibus particularibus, & ad breve tempus, non ad longum, & per totam vitam.

Quæritur in regulis, & legibus propriis possint Prælati dispensare.

35. Hinc infertur posse Prælatos regulares dispensare ex justa causa in Regula, & constitutione suæ Ordinis, in casibus levibus sub mortali non obligantibus, & in his quæ frequenter accidunt, etiam si mortaliter obligent; quia pro rebus levibus, vel frequenter occurrentibus durum & intolerabile esset ad Superiorem recurrere, & per tot tempus illorum beneplacitum expectare; & quia in similibus casibus præsumitur licentia interpretativa, sive à jure, sive à Superioribus, uti ex consuetudine, quæ est optima legum interpres, passim observatur, & docent Sotus, Prado, Cajetan. *locis cit.* Tamburin. quem refert & sequitur Lezana *in Consiliis, consil.6. nn. 4. & in Summ. tom.1. c.8. n.23.* Pelizzar. *supr. n.18.* ¶ Cæterùm in nostra Religione aliquatum legum etiam frequenter occurrentium nequeunt Prælati inferiores dispensationem impendere, etiam si ad levem, imò nec ullam culpam obligent; quia ita fert Ordinis consuetudo. Et præcipuè id contingit in omnibus legibus ad clausuram spectantibus; quæ licèt frequenter occurrant, nunquam vidimus, vel audivimus, præterquam à Diffinitorio Generali in illis dispensari. Undè quòd è domo alius præter procuratorem, vel alter loco illius non exeat; quòd eodem tempore ad prædicandum extra oppidum duo prædicatores non abeant; quòd ad eleëmosynas postulandas semper associati incedant; quòd per totam

Quadra-

Quadragesimam, vel majorem illius partem unus prædicator, etiam pro munere prædicationis extra monasterium non existat, & alia hujusmodi; etsi ad nullam culpam obligantia, etsi frequentissimè occurrentia, ex consuetudine inviolabiliter observata habetur, quòd nullus, nec R.P.N. Generalis possit in eis dispensare, etiam ad parvum tempus, vel pro casu aliquo particulari; sed hoc duntaxat ad Diffinitorium Generale spectat. In aliis verò frequentibus, & levibus dispensare poterunt nostri etiam immediati Prælati, in quibus mos est apud nos, ut dispensationem impendant; etiamsi illarum dispensatio eis specificè non committatur.

Causæ sufficientes ad licitam, & validam dispensationem legum.

36. Causas autem ad dispensandum super hujusmodi observantiis in casibus levibus, & frequentibus, & propriis, sive sint regulæ, sive constitutionum, rectè assignat N. Antonius à Spiritu sancto *in Director. Regul. tract. 2 disp. 1. sect. 2. n. 121.* in his verbis. [Prima: tempus; quando videlicet propter solemnitatem alicujus festi oporteat regulæ rigorem mitigare. Secunda: utilitas maximè spiritualis, ut si contingat, quòd si cum aliquo Religioso rigidius juxta regulam, & constitutiones procedatur, timeretur desperatio, vel aliquod magnum peccatum ipsius: tunc enim cum illo mitius est agendum. Tertia: qualitas personæ; sic enim cum Religioso gravi, & benè merito de Religione, dispensare potest in aliquibus punctis, v. g. de cœna in refectorio, & cum occupatur in studiis, de assistentia ad Chorum. Quarta: necessitas ipsa; sicut enim caret lege, ita petit quando adest, ut dispensetur in jejuniis, & abstinentiis, & similibus. Quinta: pietas; sic enim dispensari potest cum Religioso, ut in utilitatem propriorum parentum aliqua efficiat, quæ aliàs secundùm regulam, & constitutiones fieri non deberent. Sexta: evitatio scandali; propter quod Prælatus prudenter alicui Religioso pœnam parcit ipsi debitam, ne scilicet in civitate scandalum oriatur. Septima: alicujus extranei vitatio offensæ, qui cùm sit magnæ authoritatis, offenderetur, si rigor Religionis in aliquibus casibus observaretur. Quæ omnia cum Arnilla, Rosella, Miranda, Salazar, Peyrin. docet Lezana in Consil. consil. 6. n. 10. & seqq.]

Qualiter ad laborandum in diebus festivis dispensare possint Prælati.

37. Rogabis modò primo, an Prælati regulares ex justa causa dispensare possent, ut Religiosi subditi in diebus festivis laborent? Respondetur affirmativè: quia, ut diximus, possunt respectu subditorum, quod respectu suorum possunt Episcopi, de quibus posse dispensare in hoc præcepto vacationis à servilibus in die festo, diximus *tract. 11. de legib. c. 5. nu. 38.* Portel. *in dubijs Regular. verbo Abbas, n. 10.* Antonius à Spiritu sancto *nu. 123.* Pellizar. *tract. 9. cap. 3. sect. 4. n. 170.* Sed hic solùm dicit posse dispensare cum Religiosis, sed non cum famulis. Sed etiam cum famulis commensalibus, & intra claustra degentibus posse dispensare Prælatos immediatos, ut in die festo laborent, docent Azor *tom. 2. lib. 1. cap. 28. sect. 5. §. Postremò.* Palaus *tom. 2. tract. 9. disp. 2. punct. 10 fine.* Machado *lib. 2.*

*part.3.tract.16. document.1.* Trullench. *lib.3. in decalog. cap.1. dub.10. num.12.* Leander *de præcept. Eccles. tract.1. disp.6. q.70.* ¶ Cum extraneis verò solùm poterunt dispensare, ut in suis Monasteriis laborent in die S.Crucis Septembris, S.Michaëlis, SS.Innocentium, S.Sylvestri, dummodo non veniant in Dominica, ex privilegio vivæ vocis oraculo Eugenii IV. quod adducit Rodriguez *in Bullar.fol.118. nu.7.* Undè in aliis festis ex vi privilegiorum non poterunt Prælati dispensare, ut in Conventibus suis extranei laborent, etiamsi hoc gratis fiat, nisi ex urgentissima causa, & cum Episcopi licentia. Portel. *super verbo Laborare, num.1.* Antonius à Spiritu sancto *num.124.* ¶ Diximus, non posse ex privilegiis; cæterùm ex jure communi excusantur à peccato sæculares, qui gratis laborant diebus festivis pro Ecclesiis, pro locis piis, pro monasteriis pauperum Religiosorum ad illorum ædificationem, vel reparationem, vel in alio opere necessario pro eisdem monasteriis, modò priùs audiatur Missa, ut docet Fagundez *lib.1. de 1. Ecclesiæ præcepto, cap.14. n.6. & 24.* Pasqualig. *decis.287. n.7.* Sylvester *verbo Dominica, q.5. vers.3.* Ioannes à Cruce 1. *part. Summ. præcept. 3. art.1. n.4.* & alii, quos refert, & sequitur Leander *tract.1. disp.6 q.64.*

Qualiter dispensare possint Prælati cum

38. Rogamus secundò: an Prælati per se, vel per deputatum ab eis Confessarium possint cum sæcularibus conjugatis dispensare in jure petendi debitum, quod amiserant, vel ob incestum commissum cum consanguinea conjugis in primo, aut secundo gradu; vel ob votum castitatis antè, vel post contractum matrimonium emissum? Respondetur affirmativè, ut diximus *tom.2. tract.9. de matrim. cap.14. n.14.* Et non solùm posse Provinciales, sed etiam Prælatos immediatos, vel per seipsos vel per designatum Confessarium, diximus ibi *num.15.* Imò probabilem ex multorum judicavimus sententia dicentium, quòd absque deputatione Provincialis, aut Prioris possunt regulares Confessarii in hoc dispensare, ut præter ibi citatos tenet Diana 10. *part. tract.4. resol.20.* Bordon. *in Miscellan. dec.474.* Antonius à Spiritu sancto *num.112.* ¶ Sed nota, hanc privationem debiti petendi non incurri, neque à muliere, quæ coacta rem cum consanguinea habuit, ut *loco citato de matrim. cap.15. nu.27.* diximus: neque ab illo, qui cum ignorantia juris, aut facti ad consanguineam uxoris accessit: quia videlicet ignorabat esse consanguineâ, vel accessum ad eam esse jure speciali Ecclesiastico prohibitum, ut diximus ibi *num.29.* Ignorantiam solius pœnæ non excusare, ibidem docuimus, & *tract.10. de Censuris, cap.1. n.194.* & *cap.7. n.54.* Quamvis probabile sit non incurrere hanc pœnam privationis petitionis debiti ab eo, qui illam ignorabat, tenent Doctores, quos suprà hoc puncto *num 11. & 13.* dedimus, & in nostro casu tenent Quintana adverñas *tract.9. singular.6. nu.5.* Pellizzar. *tom.2. tract.8. §.2. nu.174.* Candidus *tom.2. disqu. fit.27. art. unic. dub.11.* Antonius à Spiritu sancto

conjugatis incestuosis ad debitum petendum.

*tract.*

*tract.2. disput.1. sect.2. §.3.num. 106.*

Qualiter vestimẽta sacra, & vasa possint benedicere Prælati?

39 Rogabis tertiò: quid possint Prælati circa benedictionem vasorum, & vestium Ecclesiarum? Respondetur non posse Prælatos regulares, etiam Generales consecrare calices, patenas, aras, & reliqua, in quorum consecratione unctio adhibetur: quia licèt hoc possint Abbates ex privilegiis, qui ex illis utuntur insigniis Pontificiis, & alii Prælati communicent in omnibus privilegiis Benedictinis, & Cistercien sibus Abbatibus concessis; non est quoad hoc in aliis Religionibus recepta communicatio, ut ex praxi, & consuetudine constat. Bordonus *tom.1.resolut.17. n.1.* Pellizzar. *tract 8.c.5.sect.4.nu. 104.* N.Lezana *tom.1.part.1.cap.18. n.58.* Fragoso *2.part. lib.11. disp.4.§. 3.n.1.* ¶ Possunt tamen Prælati regulares etiam immediati benedictione solemni omnes suas Ecclesias, oratoria, vasa & ornamenta Ecclesiastica benedicere, quando ad hoc chrisma non adhibetur: & easdem Ecclesias, quando pollutæ fuerint sanguinis, aut seminis effusione, reconciliare cum aqua à seipsis benedicta, si consecratæ non sunt; si autem consecratæ fuerint, requiritur, quòd aqua sit benedicta ab Episcopo, si per septem lucas à Conventu existat. Joannes à Cruce *lib.2.cap.5.dub.5.conclus.4.* Portel. *in dub. Regul. verb. Benedicere.n.1.& 2.* Bordon. *num.2.* Fragos. *nu.21.* Diana *6.part.tract.6. resol.22.* ¶ Imò possunt benedicere omnia ornamenta, & corporalia tam sui Conventûs, quàm undequaque venientium, ut ex variis privilegiis probant Pellizzar. *num.105.108. & 113.* Lezana *tom.3.verb.Benedicere,n.8.* Portel. *num.3.* Fragos. *num. 20.* ¶ Possunt etiam ex privilegio Innocentii VIII. Bulla 5. intra Conventus suos, non extra benedicere quaslibet imagines, & vasa ad reponendum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, tam propria, quàm extranea. Et ex privilegio Innocentii VIII. & Julii III. possunt etiam benedicere campanas; & cùm totum hoc ex jure ordinario illis conveniat, possunt delegare ad omnes prædictas res benedicendas tam subditis, quàm extraneis facultatem. Bordon. *resol. 17.n.2.* Pellizzar. *nu.105. 113. & 114.* Anton. à Spiritu S. *num. 135. & 136.*

## PUNCTUM VI.

### *De Privilegijs Regularium in ordine ad audiendas confessiones suorum Religiosorum, aliorum, & secularium.*

Quod in hoc dubio pertractandũ.

40. PUNCTUM certè aggredimur latissimum, & difficillimum, quia circa illud plures occurrunt & gravissimæ difficultates, quarum resolutionis notitia summoperè est necessaria pro praxi quotidiana: præcipuè in Confessariis, quos toto hoc cursu instruere nitimur: & ob id illud in diversos, & plures §§. dividemus, quàmvis plura sint à nobis prætermittenda; quia jam *in tractatu de Pœnitentia* sunt exarata, agentes de Ministro illius: alia *in tractatu de Censuris*, tractantes de illarum absolutione, & de dispensatione irregularitatum; ad quos tractatus non semel in præsenti recurrendum erit nobis ob connexionem doctrinæ, ea attingentes, quæ alibi sunt fusius declarata. Quare in præsenti de his, quæ ad regulares Confessarios pertinent sermo erit, & primò agemus de approbatione Episcopi à Regularibus accipienda, ut possint sæcularium confessiones audire. Deindè, quid possint Religiosi Confessarii circa alterius Ordinis Religiosos in ordine ad illorum confessiones audiendas, & absolvendum eos à reservatis, & non reservatis. Posteà de his, quæ possunt regulares Confessarii respectu Religiosorum pœnitentium sui Ordinis. Ac denique de potestate, quam habent absolvendi sæculares, & cum eis in votis, & irregularitatibus dispensandi.

---

### §. I.

### *Quòd suis non obstantibus privilegijs, teneantur Regulares ab Episcopis approbationem habere, ut validè, & licitè possint audire confessiones Regularium.*

Approbatio, & jurisdictio cum sacerdotio ad confessionis quid requiritur.

41. PRæter potestatem Ordinis, quam singuli Sacerdotes in sua ordinatione recipiunt, ad alios ligandum, & absolvendum, quæcunque omninò semper præcedere debet ex jure divino in quocunque Confessario, requiritur in eo & potestas jurisdictionis, quæ confertur à Superiori in suos subditos, illis judicium, & sententiam in foro conscientiæ de suis propriis ovibus committente; & legitima approbatio, quâ Superior de idoneitate Ministri judicat, & illum aptum ad tale ministerium determinat. Hæc autem approbatio absque jurisdictione stare potest, ut patet in eo, qui ad absolvendum à reservatis habet approbationem, non autem jurisdictionem; quia hæc soli Superiori reservatur. Imò in eo reservatio consistit, quòd ab inferiori auferatur potestas, & jurisdictio, ne à casibus reservatis possit absolvere, quorum absolutio soli Superiori cõceditur. Res igitur sunt diversæ, approbatio, & juris-

jurisdictio; illa pertinet ad Ordinem justitiæ, & secundum merita debet fieri: ob idque injustitiam irrogaret examinato, is, ad quem approbare illum spectat, si postquam judicatus est idoneus, illi approbationem denegaret. Sed jurisdictio pertinet ad Ordinem gratiæ, quia est facultas gratiosè concessa judicandi de suis subditis. Sed licet hæc duo separari possint, ut in plurimum conjunguntur. Et cum jurisdictio, & approbatio (ut diximus) diversa sint; multoties à diversis Superioribus provenit: nam licet sæcularibus Sacerdotibus, & approbatio, & jurisdictio ab Episcopo concedatur, & idem est de regularibus respectu Religiosorum, nam ab eorum Prælatis, & jurisdictionem, & approbationem recipiunt. At respectu sæcularium Confessarii Religiosorum approbatione facta ab ordinario, jurisdictionem recipiunt à Summo Pontifice, qui eis diversis in privilegiis facultatem præbet, ut possint fideles undecumque ad eos accedentes confiteri, dummodo ab Ordinario loci sint approbati, ut jam dicemus.

Nullum modo extat privilegiũ, ut regulares sine approbatione Episcopi possint sæcularium

42. Licet olim regulares plura, & diversa privilegia haberent, etiam in corpore juris inserta, ut absque approbatione Episcoporum possent sæcularium audire Confessiones, ut constat ex Extravaganti *Super Cathedram*, ubi Bonifacius VIII. dedit facultatem regularibus, ut solummodo à suis prælatis præsentati Episcopis, sæcularium confessiones possent audire; imo Benedictus XI. in alia extravaganti, quæ incipit: *Inter cunctas*, *de Privil.* concesit regularibus audire sæcularium Confessiones, etiam sine præsentatione, & licentia Episcoporum; licet hoc indultum Benedicti revocatum fuerit à Clemente V. & renovatum illud prius Bonifacii, *in Clem. Dudum, de sepult.* Attamen post decretum Concilij Tridentini, ut Religiosi possint sæcularium Confessiones audire, omnino requiritur præsentatio, & approbatio Episcoporum: dicit enim Concilium *sess. 23. cap. 15. Quamvis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus nullum, etiam regularem, posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur, esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus, &c.* Cæterum, quia post hoc Tridentini decretum, aliquibus Religiosis à Pontificibus concessum est, ut audire possent Confessiones sæcularium examine Episcoporum non præcedente; Urbanus VIII in Bulla edita anno 1629. quæ habetur *in 4. tom. Bullar. inter constitut. hujus Pontificis, num. 92.* revocavit, & annullavit omnia, & quæcumque privilegia; quibuscumque Religionibus, & Societatibus, quoad hoc concessa. Quare in præsentiarum nullum extat privilegium, ut sine approbatione Episcopi possint regulares audire Confessiones sæcularium: & si secus fecerint, nihil facient, nisi gravissimum peccatum sacrilegij: Con-

Confessiones audire,

fessiones vero erunt omnino nullæ, irritæ, & inanes, in quo omnes Doctores conveniunt. ¶ Et loquimur de Confessionibus circa peccata, quæ sunt materia omnino necessaria pro Confessione, ut sunt peccata mortalia aliàs non titè confessa; nam de peccatis venialibus, & de mortalibus jam confessis posse simplicem Sacerdotem, id est ab Episcopo non approbatum, Confessiones audire, omnes tenent, & nos diximus *tract. de Pœnitentia*. Et loquimur extra articulum mortis; nam in eo; imo in mortis periculo posse quemlibet Sacerdotem simplicem, quemcumque fidelem, à quibuscumque casibus & censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis pœnitentem absolvere, *eodem tract. de censuris* latè diximus.

Sententia asserens posse Prælatos regulares non approbatos ab Episcopis sæcularium Confessiones audire.

43. Sed modo inquires primo: an Prælati regulares possint audire sæcularium Confessiones sine Episcopi approbatione? Affirmat satis probabiliter prima sententia: nam Concilium eximit ab examine, & approbatione Episcoporum parochiale beneficium habentes: sed Prælati regularium habent quodammodo beneficium parochiale; sunt enim parochi suorum subditorum, & beneficium cum animarum cura habere dicuntur; siquidem hoc in eo consistit quod illud possidens habeat quibus ex jure ordinario sepulturam, & Sacramenta ministret, & quibus doctrinam impertiatur, eosque in spiritualibus instruat: ergo. ¶ Nec satis est dicere hoc solum probare, quod sicut parochus solum respectu suorum parochianorum non indiget approbatione Ordinarij, sic nec Prælatus respectu suorum subditorum, non vero respectu sæcularium. ¶ Contra est: quod cum parochus non habeat jurisdictionem à Pontifice, sed ab eo, à quo accipit approbationem, in collatione beneficij parochialis exhibitam, sicut solum pro parochianis illam accipit; ita solum ad eos jurisdictio extenditur. Prælatus autem regularis habet à Pontifice jurisdictionem, suppositia approbatione; vel sine ea cum parochiale beneficium accipit, & ideo talis potestas jurisdictionis, non solum ad suos subditos, sed etiam ad sæculares extenditur. Sic Doctissimi Magistri Salmanticenses Gallus, Mantius, Medina, quos refert Henriquez *lib. 6. de Pœnitent. cap. 6. num. 2. in Gloss. littera E, & F, & lib. 7. de Indulgent. cap. 12. in gloss. littera K*, Barnab. Gallego *in Bulla Cruciat. cap. 9. dub. 84.* Delgadillo *de Pœnit. cap. 19. dub. 34.* Nunno *in addition. ad 3. part. quæst. 8. art. 5. dub. 8. in solut. ad 9. argument*: Ludovicus de S. Joan. *quæst. 6. de Pœnit. art. 6. dub. 4. pagin. 467.* Joannes Valerus *in differentia utriusque fori, verb. nullitas, diffic. 5. n. 3.* Hieronym. Llamas *1. part. methodic. 6. §. 6. & 7. pagin. 63.* Bruno Casaing. *de priv. regul. part. 2. tract. 5. cap. 2. propos. 1.* Et probabilem dicunt Antonius à Spiritu sancto *in Director. Confessar. tom. 1. tract. 5. disp. 18. sect. 4. num. 861.* Thomas Hurtado *tract. 2. cap. 1. dub. 2. n. 1848.* Ludovicus à Cruce *in expos. Bullæ. disputat. 1. cap. 2. dub. 11. num. 8.* Angelus Bossius *tract. de Jubileo, casu 2. §. 2. num. 53.* Martinus à S. Joseph. in

*in monitis Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 24. de Pœnit. num. 19.* Cespedes *de exempt. c. 6. n. 141.* Diana *5. p. tract. 12. resolut. 52.*

Quid ex dicta sententia sequatur.

44. Ex hac sententia infertur primo. Quod in sententia illorum, qui dicunt posse semel approbatum absolutè, per bullam eligi in Confessarium, à quocumque illam recipiente, posse Prælatum regularem hoc modo eligi, tamesi ab Ordinario non sit approbatus; quia jam est simpliciter approbatus in ipsa assumptione ad prælaturam. ¶ Sequitur secundo: in sententia eorum, qui dicunt regularem ab Episcopo approbatum, posse in quacumque Diœcesi sæcularium Confessiones audire, etiamsi ab Episcopo illius Diœcesis approbationem non habeat, de qua infra *n. 71.* quod Prælatus in quacumque Diœcesi existens, potest fidelium illius Diœcesis Confessiones audire sine alia licentia Ordinarij ob eandem rationem. ¶ Sequitur tertio: quod in sententia illorum, qui dicunt parochos, qui beneficium parochiale habuerunt, sed jam non habent, possunt adhuc eligi in confessores virtute Cruciatæ, eo quod approbatio, quæ parocho simul cum beneficio parochiali concessa fuit, adhuc perseverat, & sola jurisdictio cessavit. Quod docent Thom. Hurt. *tom. 2, tract. 12, c. 1 resol 34. dub. 3. n. 1878.* Manuel. Rodrig. *in addit. ad Bullam. §. 9. n. 4.* Villal. *tom. 2. tract. 27. clausul. 9. §. 1. num. 4. & tract. 9. de pœnit. diffic. 55. n. 4.* Mendo *in bull disp. 22. cap. 2, num. 34.* Acosta *in explicat. bullæ, q. 39.* Petrus Fay *in addit. ad 3. part. q. 8. art. 5. dist. concl. 4. ad 3* & probabilem putat Joannes de la Cruz *part. 2. de Pœnit. q. 5. dub. 8. concl. 4.* Ita etiam Prælati regulares, qui semel alicujus Conventus Superiores locales extiterunt, possent de cætero, etiam finito munere, ubique eligi virtute bullæ cruciatæ.

45. Sed probabiliorem sententiam negativam judicamus, eo quod prælatura etsi æquipararetur parochiali beneficio quoad curam animarum (nam sicut parochus suarum ovium curam gerit, eis doctrinam, & sacramenta ministrat, & post mortem sepulturæ tradit; sic Prælatus respectu suorum subditorum eandem curam subit) verum tamen non est beneficium parochiale: quia hoc ex communi sensu Doctorum est jus percipiendi redditus propter officium ministrandi subditis sacramenta, quod minime in prælatis reperitur. Ideoque sub nomine beneficij non venire prælaturas regulares docent ex communi sententia Rodr. *tom. 2. q. 26. art. 2.* Bonac. *q. 7. de Simonia p. 1. punct. 1. §. 2. n. 4. & punct. 2. n. 24.* Cum ergo Concilium solum eximat ab examine Episcoporum eos, qui parochiale beneficium habuerint; sequitur prælatos sine Episcopi approbatione non posse audire Confessiones sæcularium. ¶ Quod instatur manifestè: quia etiam Prælati regulares dicuntur habere jurisdictionem quasi Episcopalem, & sic suo modo essent respectu suorum subditorum quasi Episcopi; & nullus dicet post decretum Trid. & Bullam Urb. VIII. posse venire nomine Episcoporum, à quibus debeant Confessarij pro sæcularibus approbationem recipere: ergo quando

Prælati regulares nisi approbati sint ab Episcopis, nequeunt sæcularium audire confessiones

do excipit parochiale beneficium habentes, non veniunt nomine parochorum Prælati, etsi aliàs respectu suorum subditorum quodammodo parochi dicantur. Ita tenent omnes, quos diximus oppositam sententiam probabilem reputare, qui huic, ut probabiliter adhærent. Et insuper Cardinalis Lugo *de pœnit. disp. 21. n. 9.* Dicastillo *de pœnit. disp. 10. dub. 9. num. 165.* Leander à SS. Sacramento *de pœnit. disp. 11. q. 62.* Matth. de Moya *in select. tract. 3. disp. 7. q. 3.* Petrus de Ledesm. *c. 13. de pœnit. diffic. 4. & 6. post primam conclus.* Vincent. Candid. *disq. 24. art. 64. n. 5.* Mendo *in Bull. disp. 22 c. 2. n. 30.* Suarez *de pœnit. disp 28. sect. 4 num. 21.* Quintanadvennas *de Jubileo duar. hebdomad. cap. 1.* Bordon. *tom. 2. resol. 36. n. 55.*

Status difficultatis proponitur, & quid sit in hac materia certum declaratur.

46. Inquires secundo: an regularis approbatus ab Episcopo pro Confessione sæcularium, possit eas validè audire, & absolvere, si à suis Prælatis præsentatus non sit, sed ab ipsis, vel à suis legibus prohibitus? & quidem talem Religiosum, cui prohibitum est à suis prælatis, vel legibus audire Confessiones sæcularium, sine prælatorum licentia, & approbatione, peccare illas audiendo graviter, vel leviter juxta obligationem præcepti Superioris, vel legem, omnes tenent: quia justè, & legitimè Prælati possunt hoc ministerium, quod magnam peritiam, prudentiam, & gravitatem morum efflagitat, Religiosis prohibere, nisi habeant qualitates studiorum, scientiæ, & integritatis vitæ, quas Religio in ministris hujus Sacramenti requirit; si excipias casum periculi mortis; quia tunc ex tacita licentia Prælatorum possunt solum ab Episcopis approbati, imo simplices Sacerdotes omnium confessiones licitè audire; & si hoc etiam prohiberet Prælatus, esset irrationabilis prohibitio, ad quam non esset attendendum. Quærimus ergo, an hic validè possit sæcularium excipere Confessiones. Et dicimus *Sæcularium*: nam Religiosorum non posse nec validè confessiones audire, indubitatum est, sicuti nec alij simplices Sacerdotes: quia Episcopi illos approbantes non possunt eis dare jurisdictionem in exemptos, quia hæc solum potest, vel à Prælatis jure ordinario illam habentes, provenire; vel à Summo Pontifice per privilegia; hæc tamen semper dantur cum dependentia quoad eorum usum à Prælatis, & ab statutis Religionum, ut latius ex communi sententia infra dicemus. Et hinc constat, non posse sic approbatum ab Episcopo, sine licentia prælatorum sæculares absolvere validè à casibus, à quibus alij ordinarij Confessarij sæculares non possunt, nec virtute privilegiorum Ordinis quidquam efficere, nec in votis, aut irregularitatibus, aliisve pœnis cum eis dispensare: hoc enim possunt regulares à Religione exposiri, & à Prælatis designati: hi enim ut confessarij Religiosi, religionis privilegiis fruuntur; illi verò minime: & sic ad summum possent, quod alij sæculares confessarij ab Episcopo in suas oves jurisdictionem obtinentes. De hoc ergo ultimo dubitatur, an possint validè sæcularium audire confessiones, sicuti alij confessarij sæculares.

47. Pri-

Probabilis est sententia negans validas esse confessiones, quas Religiosus à suis prælatis non approbatus, audit.

47. Prima sententia est negativa, & satis probabilis. Et probatur primo: jure antiquo *in Clem. Dudum, de sepult. & in extrav. Bon. VIII. super cathedram, & Benedicti XI. Inter cunctas de priv.* semper fuit Superiorum licentia, & approbatio regularibus necessaria, pro audiendis: sed dicta privilegia seu jura revocata non sunt à Tridentino quoad hanc partem; siquidem istud petens pro audiendis confessionibus sæcularium approbationem Episcopi, non tollit id, quod ex jure antiquo requirebatur; nimirum approbatio Prælati. Secundo: quia Episcopus sine licentia Prælati, Religiosi exponendi, non potest eum approbare; siquidem examen, & approbatio est actus jurisdictionis, quam Episcopus exercere non potest in Religiosum exemptum, nisi fiat ei subditus per præsentationem sui Prælati. Hanc tenet N. Reverend. Theodorus Stratius *Instruct pro Carmelitis, cap. 6. n. 2. & sequent.* Henriquez, Fagundez quos refert, & sequitur Palaus *tr. 23. disp. unic. punct.* 17. §. *1. n. 7.* Bordon. *tom. 2. resol. 36. n. 42.* Bossius *de Jubileo, sect. 3. casu 2. n. 186.* Portellus *verb. Confessor quoad regulares n. 9.* Sylvester *verb. Confessor 2. n. 2. §. 2.*

Probabile est, esse validas confessiones, quas religiosus approbatus ab Episcopo, sed non expositus à suis Prælatis, audit.

48. Hæc licet probabilis sit, imo securior sententia, quam omnes regulares in praxi sequi deberent; probabilis nihilominus, imo communis, est affirmativa sententia. Quia in regulari ab Ordinario approbato, datur quidquid requiritur ut validè sæcularium possit Confessiones audire: habet enim & potestatem Ordinis, & approbationem Episcopi petitam à Concilio, & jurisdictionem ab eo acceptam: & hanc posse Episcopum erga suos subditos, regularibus concedere independenter à suis Prælatis, compertum est: quia habet illam jure ordinario; ac proinde cui voluerit, si idoneum eum judicaverit potest eam delegare: ergo valide possunt Confessiones audire, non quidem ut regulares, & jurisdictione accepta à Pontifice per privilegia, sed ut delegati Episcopi, ut alij Confessores sæculares. Eo vel maximè: quia Tridentinum assignando quod pro Confessoribus sæcularibus, vel regularibus requireretur ad audiendas confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, solum assignavit præter potestatem Ordinis, Episcopi approbationem, nihil de licentia, aut facultate Prælati requirendo: ergo dicta sufficient, ut regularis validè possit audire confessiones sæcularium. Per quod ad argumenta contraria constat. Nam hoc ipso, quod Concilium subjecerit regulares exemptos Episcopis quoad approbationem, non petita Prælati licentia, possunt Episcopi in illos jurisdictionem in actu examinis repertam exercere, non præsuppositra præsentatione Prælati. Candidus *tom. 2, disquisit. 24. art. 56. dub. 11.* Graffis *1. p. lib. 1, c. 13. n. 88.* Delbene *tom. 2. c. 14, dub. 18. n. 1.* Zerola *c. 16. de Pœnit. q. 7.* Antonius à Spiritu S. *in direct regul. tr. 2. disp. 3. sect. 1. nu. 20.* Pellizz. *tom. 2. tr. 8. c. 3. sect. 1. n. 17.* Lez. *tom. 1. c. 19. n. 12. & tom. 3. verb. Confess. n. 2.* Homobonus *p. 2. resp. 102 §. dixi.* Peyr. *tom. 2. de subdit. q. 1, de obed. c. 22. concl. 2.* Mirand. *tom. 1. qu. 45. art. 12.*

Layman. *lib. 5, tract, 6. c. 10. n. 19.* Rodr. *tom. 1. qu. 60. art. 3.*

## §. II.

### *De illis, qui possunt sibi Confessarium eligere ab Episcopo non approbatum.*

Religiosi de licentia suorum prælatorum, Sacerdoti simplici possunt confiteri

49. QUicumque sæcularis, qui vel à Pontifice ob speciale indultum, & privilegium, vel à suo proprio Prælato facultatem accipit eligendi sibi idoneum Confessarium, debet omnino talis esse ex approbatis ab Episcopo; etiam si hoc in bulla, aut privilegio non exprimatur; semper enim subintelligitur: quia in generali concessione non veniunt, quæ Superior non concederet, si rogaretur specialiter: nunquam autem Summus Pontifex hanc facultatem præbet, nisi eligendi jam approbatum; & si ad non approbatum peteretur, eam proculdubio negaret. Maximè: quia exstat in oppositum decretum Concilij, cui nunquam derogatur, nisi cum expressa mentione illius. ¶ At regularis, si vel à Pontifice, vel à suo Prælato, qui potest dare in subditos jurisdictionem, licentiam eligendi confessarium, quem voluerit, tacitam, vel expressam accipiat; potest etiam simplicem Sacerdotem non approbatum ab Episcopo, eligere: quia hoc ex jure antiquo Religiosi habebant, ut de licentia suorum prælatorum possent cuilibet confiteri; uti ex communi sententia docent Suarez *disp. 28. sect. 4. n. 5.* Lugo *disp. 21 n. 2.* Diana *tertia parte, tract. 2. resol. 3. & 30. & part. 8. tractat. 1. resolut. 86.* Thomas Hurtad. *resolut. moral. tom. 2. tractat. 12. cap. 1. §. 2. dub. 5. nu. 207.* Leander *tom. 1. tract. 5. disp. 11. qu. 45.* Antonius à Spiritu sancto *in Director. Confessar. tr. 5. disp. 12. sect. 19. num. 839.* Dicastillo *disp. 10. n. 417.* & nos fusius dicemus, circa quos nihil Concilium innovavit, quia solum loquitur de Confessoribus sæcularium, ut patet ex ejus verbis.

Potest quilibet Prælatus simplicem Sacerdotem sibi in confessarium eligere.

50. Hinc fit posse modo omnes Prælatos regulares, Generales, Provinciales, Priores, seu immediatos Conventuum Prælatos, Vicarios, & quoscumque Conventuum præsidentes eligere sibi confessorem, quem voluerint, etiam simplicem Sacerdotem, sive illius Ordinis, sive extraneum, tam sæcularem, quam regularem: quia hoc illis conceditur *in cap. ultim. de Pœnitentiis, & remissionibus*, ubi dicitur: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, etiam præter sui Superioris licentiam, providum, & discretum sibi posse eligere confessorem.* Quod indultum minimè revocatum fuit à Tridentino: quia in eo solum est sermo de Confessore sæcularium. Et licet in eo textu, *providum, & directum Confessorem* electum debere esse dicatur; sed non requiritur, nec petitur, quod talis per examen, aut judicium Episcopi judicetur; sed quod alias sit talis secundum judicium illius eligentis. Sic ex communi sententia Sylvester *verbo Confessor. 1. q. 8.* Suarez *disp. 27. sect. 8. n. 10.* Moya

*tract. 3.*

*tract.3.disp.7. quæst.2.num.5.* Lugo *disp.19.n.4.* Diana.*3.p.tract.2.resolut. 1.& 4.part.tr.4 resol.1.* N. Antonius à Spiritu sancto *in Director.regul. 1. parte,tr.2.disp.1.num.16.& in Director. Confes.tom.1.tract.5.disp.12.sect.1. n.832.* Bordon.*tom.2. res.* 34.*n.* 18. Rodrig.*qq.regul.tom.1q.13.art.10.& q.17.art.4.*

Posse parochos simplicem Sacerdotem sibi in confessarium eligere, aliqui dicunt.

51. Et si occasione hujus inquitas, an etiam Parochi possint sibi eligere confessorem simplicem Sacerdotem ab Episcopo non approbatum,regularem,vel sæcularem,virtute supradicti privilegij? Aliqui affirmant propter illud verbum: *Necnon minoribus Prælatis*, sub quo nomine parochi dicunt intelligi, qui suorum subditorum sunt Prælati minores comparatione ad Episcopos, sicut Prior comparatione ad Provincialem est minor Ptælatus; & cum privileginm sit favorabile, ample est interpretandum:quod revocatum non est per Tridentinum, quia est in corpore juris insertum, cui non derogatur per subsequentem dispositionem contrariam, nisi fiat de illo expressa mentio, quæ in præsenti non invenitur. Sic N. Antonius à Spiritu sancto *loco citat,ex Director.Confess.num.835.* Sylvester *sup.* Palqualig.*decis.105.n.5.* Margarita *Confess. fol. 156.* quam refert, & sequitur Vega 1.*part. Summ. cap.75.* Sotus *in 4. dist.18.q.4.art.2. §.similiter,& art.3.§.Postremum.* Vincentius Baronius *p. 2. contra Amadeum disp.1.sect.3.fol.245.* & probabilem dicit Suarez *tom.4 in 3.part.disp. 28.sect.2. n.7.* Bassæus *verbo Confessarius 2. n. 11.* Christophorus à S. Joseph *verbo Conf,4 part. Sacram. Pœn. de ministr.dub 4.n.17.*

Sunt qui asserunt posse parochum simplicem Sacerdotem exponere ad audiendas suarum confessiones.

52. Et hanc amplecti tenentur omnes, qui dicunt, posse parochum post Tridentinum,Sacerdotem simplicem non approbatum ab ordinario exponere ad audiendas suorum Confessiones: quia potest parochus, eum pro se eligere Confessorem, quem pro subditis exponit, ut Prælatus potest licentiis uti, quas subditis concedit;& concedere confessario,ut eum absolvat,vel cum eo dispenset in his, in quibus ipse cum aliis dispensare valet. Ut cum D.Thoma *in 4. dist. 20.quæst.1.art.5.q.4.ad 1.* docent communiter Doctores.Quod autem parochus possit simplicem Sacerdotem exponere ad audiendas suorum Confessiones, tenent Soto *loco citato, art.3.§. Postremum.* Thomas Hurtad. *tom.2.resol.moral.tract.12. cap. 1.nu. 2024.* Mag. Gallo Mag. Joannes de Orellana,& alij Doctissimi Magistri, quos refert,& sequitur Petrus de Ledesma *in Summ.tom. 1.de Sacrament. Pœnitent.cap.12.conclus.5.§.la segunda sentencia.* Ludovicus de S.Joan. *quæst. 6.de Pœnit. art. 2, difficult. 12.* & ut probabilem amplectitur M. Joannes à Cruce *in direct. part.2.de Sacrament. pœnit.quæst.5.dub.6. conclus.* 2. & probant *ex cap. Placuit, c. omnis utriusque sexus,de pœnit. & remiss.* ubi Pontifex facultatem concedit parochis, exponendi pro subditorum Confessionibus,quemlibet Sacerdotem prudentis judicio idoneum, absque alia approbatione. Quæ privilegia per Tridentinum revocata non sunt,cum de illis non faciat mentionem,prout ne-

cessarium erat ut derogaret privilegio in jure communi inserto.

Post Tridentinum nec parochus potest sibi in confessorem simplicem Sacerdotem eligere, nec pro suis subditis simplicem Sacerdotem exponere.

53. Sed dicendum est non posse parochum, post Tridentinum, sibi Confessorem simplicem Sacerdotem eligere; nec pro suis subditis simplicem Sacerdotem exponere. Prima pars probatur. Tum: quia parochi nunquam simpliciter, & absolutè in jure dicuntur Prælati; quin potius in eo apertè fit distinctio inter eos, & Prælatos, ut patet *ex Clementin. Dudum de sepulturis.* Tum etiam: quia esto lato nomine Prælatorum parochi venire possent; non ob id parochi privilegio illo concesso *in cap. ultim. de pœnit. & remiss.* perfrui valerent: quia illud non quibusvis Prælatis inferioribus confertur, *sed minoribus Prælatis exemptis*, ut sunt Prælati Religionum: curati autem non sunt exempti ab Episcoporum jurisdictione. Tum denique: quia sic decisum est ab Alexandro VII. die 24. Septemb. anno 1665. ubi inter alias propositiones, quas Pontifex damnavit ut scandalosas, & sub pœna excommunicationis prohibuit, una est: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.* Quare nostram conclusionem tenent quoad hanc primam partem, Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 28. sect. 2. num. 7.* Moya *disp. 7. q. 2. §. 2.* Granado *tract. 10. de pœnit. disp. 15. n. 4.* Molfesius *tract. 7. c. 15. n. 38.* Ægidius *disput. 8. num. 61.* Gaspar Hurt. *de pœnitent. disput. 10. difficult. 13.* Quoad secundam vero partem assertio probatur. Tum: quia hoc ipso, quod Pontifex damnavit illam propositionem, videtur condemnare eam, ex qua illa manifestè sequitur, ut *numer. præcedent.* dicebamus. Tum etiam: quia esto illa jura non essent revocata per Tridentinum, quod falsum est, ut infra dicemus; id necessarium non erat, ad novum jus statuendum: quo Tridentinum sancivit nullum sæcularem, nisi cum approbato ab Episcopo, posse confiteri; quia parochis ablatum non est privilegium, & facultas, quam habebant ex illis juribus delegandi pro suis subditis jurisdictionem Sacerdoti idoneo; sed Concilium declaravit, quis in posterum, pro sæcularibus, confessor idoneus, seu ut in dictis textibus habetur, *providus, & discretus* judicandus sit; nimirum, *qui ab Episcopis fuerit approbatus.* Qua declaratione semel posita, nequit parochus alteri jurisdictionem delegare. Sic Suarez *disputat. 21. sect. 4. nu. 11.* Fagundez *de 2. præcept. Eccles. lib. 7. cap. 2. num. 43.* Joannes Santius *in select. disput. 48. numer. 11.* Matthæus de Moya *num. 23.* Campensis *in Curs. Theolog. tom. 2. tractatu 24. disputat. 5. sect. 7. num. 64.* Martinus à S. Joseph *in monitis Confess. tom. 1. lib. 1. tractat. 24. numer. 5.* Diana *3. p. tract. 4. resol. 146. & p. 10. tractat. 16. resol. 75.*

Potest parochus pro se, & suis subditis alteri parocho jurisdictionem conferre,

54. Cum hoc tamen stat posse parochum pro se, & pro suis subditis alteri parocho jurisdictionem conferre, & cum illo libere confiteri; Immo pro se, & pro suis ovibus quemcumque sacerdotem eligere ab Episcopo approbatum; etiamsi jurisdictio-

risdictionem conferre

ctionem non habeat in illa diœcesi; immo nec alibi: quia ad delegationē jurisdictionis acceptandam, quam delegare potest parochus, utpote de jure ordinario illam habens, solum requiritur in sacerdote ex Tridentino vel approbatio Episcopi, quia judicetur idoneus, seu providus, & discretus, vel quod beneficium habeat parochiale. Ita pro validitate altetius parochi expositione tenent Henriqu. *lib. 6. cap. 8. num. 2.* Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 10. numero 4.* Suarez *disp. 28. sect 4. num. 28.* Bossius *de jubileo sect. 3. casu 2. §. 4. n. 126.* Thomas Hurtado, *tom. 2. tract. 12. cap. 1. num. 2026.* & pro cujusvis approbati expositione sive ab Episcopo diœcesano, sive ab alio quopiam Episcopo, Moya *tract. 5. disputatione 7. quæstione 2. num. 26.* Navarr. Trullench. Henriquez, Joan. de la Cruz, quos refert. & sequitur Leander, *tractat. 5. disputatio. 11. quæst. 59.*

Regulares de licentia sui Prælati possunt confiteri cuilibet simplici Sacerdoti.

55. Jam diximus supra posse religiosos sive intra conventum, sive extra illum cuilibet sacerdoti simplici confiteri de licentia sui prælati, qui potest circa hoc licentiam præbere, qui apud nos est solus Provincialis, vel ex ejus commissione prælatus immediatus; virtute cujus, iste cum extra domum mittit religiosos, tacitè illis hanc licentiam impertitur; ex interpretativa facultate, & licentia: non autem requiritur, quod confessor ab ipsis electus, sive sæcularis fuerit, sive regulatis, sit ab Episcopo approbatus: quia ante Tridentinum poterant ex privilegijs religiosi, de licentia suorum prælatorum, cuilibet sacerdoti simplici confiteri: sed circa religiosos nihil innovavit Tridentinum, quod solum loquitur de sæcularibus: ergo, &c. Sic communiter Doctores, quos, *num. 49.* dedimus, & præter eos tenent Palaus *tract. 13. de Pœnit. disp. unic. punct. 17. §. 2.* Bassæus *confess. 2. num. 5.* Dicastillo *disp. 10. dub 9. num. 237.* Delbene *tom. 2. cap. 14. disp. 18 sect. 11. num. 3.* Bruno *tract. 5. cap. 6. prop. 1.* ¶ Diximus de licentia Prælati: quia absque illa, nulli sive extra domum, sive intra domum possunt confiteri: quia sine illa, nullam habet confessor in pœnitentem jurisdictionem, etiamsi sit ab Episcopo approbatus. Qui sicut non habet jurisdictionem in religiosos exemptos, non potest eam ulli concedere: nec ex vi privilegiorum possunt religiosi confessorem à suo prælato non approbatum eligere. Quia Pontifices privilegia concedentes, nolunt statuta religionum invertere, nec disciplinam monasticam minuere; sed potius favere. Et ideo semper illa concedunt quoad usum, dependenter à Prælatis; ne privilegium in favorem religionis concessum, in ejus converteretur dispendium. Quare si alicui simplici sacerdoti, vel etiam approbato ab Ordinario, contra statuta, vel mandatum Superioris religiosus confiteretur; nulla esset talis confessio. Sylvester. *Confessor. 3. n. 6.* Joannes à Cruce *in Epitom. lib. 2. cap. 2. dub. 3.* Lezana *tom. 1. c. 18. n. 26. & 27. & to. 3. verb. Confess. n. 11. & 20.* Corolian. *p. 1. de casib. reserv sess. 3. art. 19.* Palaus *n. 8.* Pellizz. *n. 9.* Bordon. *resol. 36. n. 35* Bruno *prop. 1. citata.*

Quid circa prædicta ex jure nostro habeatur

56. At si alicubi consuetudo vigeat, videntibus, & consentientibus prælatis, ut religiosus intra vel extra domum cum quolibet sacerdote confiteatur, poterit cum sacerdoti simplici sæculari, vel regulari, suæ, vel alterius religionis, confiteri: quia hoc ipso censentur Prælati licentiam præbere. Apud nos autem nulla talis reperitur respectu Sacerdotis simplicis nostræ religionis, cum in nostris constitutionibus 2. *part. capite 6. numero 5.* dicatur: *Innitentes tam juri communi nostrisque statutis, atque antiqua consuetudini, quam Pontificum privilegiis, declaramus Sacerdotes simplices nostra religionis (illos videlicet, qui Provincialis, vel Generalis licentiam, & approbationem non habent) nullam habere jurisdictionem, ad audiendas confessiones fratrum, etiam Sacerdotum. Et si forte ratione consuetudinis esset quoad hoc aliqua tacita licentia, illam præsenti decreto annullamus: decernentes, ut à nullo prælato præter P. Generalem, vel Provincialem unquam licentia concedatur: aliàs sit nullius roboris, & momenti. Quod intelligi volumus sive intra, sive extra conventum existant: proindeque nullus religiosus, etiam Sacerdos alicubi eis confiteri possit.* Circa quam constitutionem infra nonnihil dicemus. Et non esse contra illam, quod extra domum Sacerdoti simplici sæculari, vel regulari alterius religionis, declarabimus.

Novitij, famuli, commensales religiosorum possint cum non approbato ab Episcopo confiteri

57. An vero novitij, vel qui mox ingressuri sunt religionem, necnon famuli commensales conventus possint ex vi supradictorum privilegiorum confiteri Sacerdoti, ab Episcopo non approbato? Respondetur affirmativè. Quia omnes dicti in favorabilibus veniunt nomine religiosorum: & de famulis constat ex Trid. *sess. 24. c. 11.* ubi exemit eos à jurisdictione Episcoporum, qui gaudent religiosorum immunitate. Maximè quoad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, ut constat ex eodem Tridentin. *sess. 25. cap. 11.* circa quæ in favorabilibus semper intelliguntur nomine religiosorum. Et ita declarasse Sacram Congregationem die 14. Augusti. anno 1665. testatur Peyrin. *tom. 2. privileg. constitut. 1. Julij II. num. 12.* Quare licet pro sæcularium audiendis confessionibus, requirat Tridentinum approbationem Episcopi in Sacerdote; non pro his, de quibus loquimur, qui privilegiis funguntur regularium. Bordon. *tom. 2. resolut. 34. num. 41.* Lezana *tom. 2. c. 16. n. 6.* Antonius à Spiritu sancto *in direct. confess. tract. 5. disp. 13. sect. 2. n. 858. & in director. regul. tract. 2. disp. 3 sect. 1. n. 5.* Magala 1. *part. l. 1. c. 8. n. 20.* Peyrin. *loco citat.* Barbosa *de jure Eccles. lib. 1. c. 43. n. 204.* Bassæus *n. 5.* Cespedes *de exempt. c. 6. disp. 125. à nu. 4.* Fernandez *in examin. Theolog. mor. part. 3. cap. 9. §. 6. n. 1.* § Ex quo fit posse confessarium regularem, etiam ab Episcopo non approbatum illos absolvere à casibus Episcopis in specie reservatis, sicuti potest religiosos; quia funguntur religiosorum privilegijs. Cespedes, Peyrin. Antonius à Spiritu sancto *locis citatis.* ¶ Cæterum cum ipsi non sint absolute religiosi, & alias nemo teneatur uti privilegio, *cap. Ad Apostolicam de regularibus, cap. si terra, de privilegiis*; poterunt si voluerint,

rint ; etiam non expectata licentia Prælati, cuilibet extraneo ab Episcopo approbato , sicut alij sæculares confiteri. Sanchez *l. 9. de Matrim. disp. 2. num. 7.* Bordon. *tom. 2. resolut. 34. num. 41.*

Equites sivè religiosi sint, sivè non, possunt non approbato confiteri

58. Sed modo est duplex difficultas. Prima, an Equites S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, S. Stephani, de Avis, Montesæ, & alij, possint confiteri Sacerdoti non approbato ab Ordinario, sed à suis Superioribus exposito, vel secundum sua statuta? Aliqui affirmant. Tum: quia tales Equites veri sunt religiosi. Tum etiam, quia esto non sint tales, in favorabilibus veniunt nomine religiosorum , & gaudent illorum privilegiis , ut diximus *supra tract. 15. cap. 1. numer. 70.* Sic Joannes Sanctius , Hieronym. Garcia, & Diana, quos ibi *num, 71.* dedimus. Quibus adde Bordon. *resol. 36. n. 70.* Delbene *tom. 2. c. 14. dub. 18 sect. 11. n. 4.* Thomas Hurtad. *tom. 2. tract. 12. c. 1. §. 2. dub. 5. n. 207.* Sed nos oppositum cum Lezana sequuti sumus: quia licet ex rigore, & vi privilegiorum id possent ; tamen in oppositum adest consuetudo, & communis sententia, ut fatetur ipse Diana *2. p. tract. 2. resolut. 30.* & *8. p. tract. 7. resol. 96* Bassæus *nu. 5.* P. Amicus *tom. 8. disp. 15. sect. 3. n. 97.* Anton. à Spir. S. *sup. n. 857.*

Pro confessoribus monialium, approbatio

59. Major est secunda difficultas. An approbatio Episcopi requiratur, pro audiendis monialium confessionibus, quæ sunt regularibus subjectæ? propter constitutionem Gregor. XV, quæ incipit: *Inscrutabili.* edita 15. Februarij 1622. ubi dicit: *Confessores quomodocumque exempti, tam ordinarij, quam extraordinarij, ad confessiones monialium, etiam regularibus subjectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei judicentur, & approbationem, qua gratis conceditur, obtineant.* Accedit Sacræ Congregationis declaratio, quæ in fine dictæ bullæ habetur, & ad longum refertur à Bordon. *tom. 2. resolut. 36. à n. 73.* ¶ Sed dicendum est posse confessarios monialium exemptarum, sive sæculares sint, sive regulares, illarum confessiones audire, dummodo approbati sint ab illarum ordinario, licet non ab Episcopo. Et ratio est: quia secundum privilegia antiqua id poterant omnes regulares utriusque sexus, confiteri videlicet cuicumque Sacerdoti à suo ordinario prælato approbato : sed Concilium Tridentinum circa hoc nihil innovavit, quia solum petit approbationem Episcoporum pro confessionibus sæcularium, etiam Sacerdotum, audiendis: ergo, &c. Et constitutio illa Gregorij XV. cum declaratione Cardinalium, vel non est adhuc exequutioni mandata, ut volunt aliqui , vel fuit saltem pro Hispania suspensa, ut latè diximus *hoc tract. c. 3 n. 39.* Atque ita docent Perez *disp, 51. sect. 1. n. 1.* Thomas Hurtad. *tom. 2. tr. 12. cap. 1, dub. 5. num. 2003.* Lezana *tom. 5. in Mari magn. Carmelit. num. 371.* Velascus *verb. Confessor monial. num. 1.* Antonius à Spiritu sancto *in Director. regular. tractat. 2. disput. 3. sect. 1. numer. 241.* & *in Director. Confess.*

Episcopi non requiritur.

*tract. 5*

*tractat. 5. disputat. 13. sect. 2. num. 856.* Qui etiam cum prædictis authoribus asserit, non requiri approbationem Episcopi in confessario, pro confessionibus monialium Episcopo subjectarum; sed solum Prælati Confessarij licentia, & approbatio: quia ex jure, & privilegiis antiquis solum hoc requirebatur in confessario regulari, pro audiendis confessionibus omnium fidelium utriusque sexus: sed Concilium solum addit, requiri approbationem Episcopi pro sæcularibus ipsi subjectis, non pro religiosis: ergo pro illis relinquit jura, & privilegia antiqua in suo robore. Quod probabile judicamus, loquendo de monialibus alterius, vel ejusdem ordinis, cum confessario, Episcopis subjectis; non de monialibus alterius ordinis subjectis regularibus; nisi ab earum prælatis obtineatur licentia: propter ea, quæ hoc puncto §. 6. dicemus, loquentes de confitentibus alterius Ordinis religiosis.

## §. III.

### *Possitne Episcopus cum limitatione regulares approbare? vel illis idoneis repertis, approbationem non impertiri?*

Gravitet peccat Episcopus, qui ex pravo affectu, regulares idoneos non approbat.

60. DUplicem gravissimam difficultatem tangit hic titulus. Quam libuit ex professo examinare. Et à secunda incipiendo, quæritur, an regulares apti & idonei, præsentati Episcopo, si ab eo, ex odio, aut mala voluntate, aut ex alio pravo affectu, non fuerint admissi, nec approbati ad confessiones, possint ipsi sæcularium confessiones audire, ac si essent de facto approbati? Et supponimus, in hoc graviter peccare Episcopum contra justitiam, si absque justa causa ad confessiones pertinente, idoneum regularem à suo prælato præsentatum reprobaret, aut approbationem non impertiretur. Nam approbatio, ut diximus, pertinet ad ordinem justitiæ, ad quam jus habet expositus, ut si reperiatur idoneus, ei approbatio conferatur: contra quod agit Episcopus denegans illi approbationem, ob inordinatum ad religionem affectum. Unde & ipsi religioni, & prælatis ejus injuriam irrogat. Colligitur autem Episcopum ex malevolentia, non ex jure denegare approbationem, si contra regulares soleat jacere convitia, si religionis institutum vituperet, si publicè, aut secretè religiosis detrahat, si nimius est in examine, qui circa alios est forte remissus, si cum tali scientia, aut peritia repertum alium Sacerdotem sæcularem, vel regularem alterius ordinis approbaverit, vel aliis similibus signis, raro in Dominis Episcopis, qui perfectionis statum profitentur, repertis: sed quia homines sunt, possunt obliquis affectibus retorqueri. Quæritur ergo, an si in his, & similibus casibus denegent Episcopi injustè, regularibus approbationem, ipsi audire possint confessiones sæcularium?

61. Pri-

Negans sententia posse regulares injuste non approbatos, confessiones sæcularium audire.

61. Prima sententia est negativa. Et probatur primo: quia sub conditione positum, nihil operatur ante illius adventum. *Cap. si pro se. 13. de rescriptis in 6.* ita quod conditio debeat in forma specifica poni, & non sufficiat, quod per æquipollens ponatur, *l. qui hæredi, §. l. Mævius ff. de cond. & demonst.* Sed Sacerdotes, etiam regulares non possunt sæcularium confessiones audire, nisi sub hac conditione, quod prius ab Episcopo sint judicati idonei, & ab eo approbationem accipiant, ut constat ex decreto Concilij Tridentini, *supra hoc puncto §. 1.* relato: ergo, &c. Secundo: quia quando aliquid requiritur, ut de substantia, & essentia alicujus actus, in justitia negantis, seu justitia petentis, non possunt illud supplere, ut patet in eo, quod contingit in Sacramento Baptismi, aut Pœnitentiæ, quæ minime valide reciperet, qui etiam rite dispositus ad ea accederet, si minister ex odio, aut alio pravo affectu, aut formam essentialem, aut intentionem debitam non apponeret: quia hæc sunt de essentia illius Sacramenti, quæ per injustitiam negantis, vel justitiam petentis suppleri non possunt: sed ut regularis valide audiat sæcularium confessiones, petit tamquam essentiale Concilium, quod ab Episcopo sit approbatus: ergo injustitia negantis, aut justitia petentis, hoc essentiale suppleri non potest, proindeque valide non poterit ad audiendas confessiones accedere. Atque ita docent Joannes Sanctius, *in select disp. 48. num. 16.* Bordon. *tom. 1. resolut. 36. num. 4.* Lugo *de Pœnit. disp. 21. nu. 52.* Diana *4. p. tract. 4. resol. 200. & p. 8. tract. 1. resolut. 85.* Dicastillo *de Pœnit. disp. 10. dub. 9. n. 168.* Suarez *disp. 8. de Pœnit. sect. 5. num. 18.* Coninch. *disput. 8. de Sacrament. dub. 7. n. 28.* Filiutius *p. 1. tract. 7. cap. 9. n. 157.* Barbos. *de officio, & potestat. allegat. 25. num. 8. & 27.* & alij.

Si Episcopus regulares idoneos non approbet, an ipsi nihilominus possint sæcularium confessiones audire?

62. Secunda sententia est affirmativa. Quæ probatur primo: quia conditio injuste impedita per tertium, cujus interest, legitime habetur pro impleta, *l. si Titius. ff. de conditionibus, & demonstrat.* Et juxta *regulam 66. juris. cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* Et juxta *cap. licet. de regularib. licentia legitime petita, habetur pro obtenta, licet fuerit negata*: Ergo hujusmodi religiosus præsentatus, & sine justa causa ab Episcopo rejectus, habetur pro approbato ab illo. Per quod patet ad omnia in oppositum adducta. Approbatio enim Episcopi realis, vel à jure præsumpta, est quæ requiritur, ut essentiale ad confessiones sæcularium in regularibus, quæ certe de facto ab eis apponitur, quando rite præsentantur, & injuste rejiciuntur. ¶ Nec valet dicere: id etiam verificari posse in sæcularibus Sacerdotibus; quod Episcopo præsentati, & ab eo injuste repulsi, possent audire confessiones sæcularium. Sed est dispar ratio: quia regulares à Pontifice habent jurisdictionem, à quo solum petitur in eis approbatio Episcopi debita, ut diximus: maximè secundum jura, & privilegia infra alleganda. Quibus non funguntur clerici, qui ab Episcopo &

Jurisdictionem, & approbationem debent recipere: quibus, proinde, licet injuste denegetur approbatio, injuste non denegatur jurisdictio; quia hæc non pertinet ad ordinem justitiæ, sed ad ordinem gratiæ.

Ex diversis privilegiis in jure insertis id ipsum probatur

63. Secundo probatur dicta sententia, *ex Clementin. Dudum. de sepultur.* ubi dicitur, quod si Episcopus ex odio, aut mala voluntate noluerit regulares idoneos approbare, possunt ipso jure confessiones sæcularium audire, perinde, ac si essent approbati. Et Bonifacius VIII. *in Extravaganti super Cathedram. de sepulturis* §. *Quod si forte jam dicti prælati.* Concedit religiosis, ut possint de facto audire confessiones fidelium, quando legitimè præsentati coram Episcopo, ipse non vult eos approbare, & admittere absque justa causa. Et idem concessit Leo X. in Concilio Lateranensi Minoribus, in quadam constitutione, quam referunt Quaranta *verbo privilegia regular.* & Paulus Piasetius *in sua praxi Episcop. part. 2. cap. 3. n. 40.* Quod Joannes XXII. in Extravag. *Frequentes. de judiciis*, concessit Augustinianis, & Carmelitis, extendens ad eos concessionem factam *in Clementin. Dudum. de sepulturis.*

Solutio contrariorum ponitur, & illius refutatio ab aliquibus adhibita

64. Sed dicunt adversarij, hæc omnia privilegia revocata fuisse per Trident. in quo petitur in regularibus approbatio Episcopi, pro sæcularium confessionibus, non obstantibus quibuscumque privilegijs incontrarium. ¶ Ad hoc ferè omnes authores infra pro ista sententia adducendi respondent, supradicta privilegia revocata non esse per Tridentinum: quia non tam privilegia, quam jura sunt, & leges in corpore juris insertæ. Privilegia autem inserta in corpore juris, per subsequentem dispositionem non revocantur, nisi de illis expressa mentio fiat, ut diximus supra *c. 2. n. 40.* Quod tamen in Tridentino non datur; sed clausula generalis: *non obstantibus, &c.* Quæ non sufficit ad derogandum privilegiis, in corpore juris insertis. Maximè si concessa sint à Concilio Generali, ut est illud Leonis X. ¶ Sed hæc solutio non placet: quia alias modo possent regulares, quod ante Tridentinum poterant, sine præsentatione coram Episcopo, sine examine illius, aut illius justa approbatione, sæcularium confessiones audire, quod nemo audebit dicere. Quod sequitur manifestè ex Doctrina horum Doctorum. Nam ex Clementin. *Dudum.* & Extravaganti: *Super cathedram,* & alia extravaganti *Inter cunctas*, poterant regulares à suis prælatis præsentati, & approbati, absque approbatione Episcoporum sæcularium confessiones audire, ut *num. 42.* diximus. Si ergo hæc privilegia, quia inserta in corpore juris non revocantur à Tridentino per illam clausulam: *non obstantibus, &c.* cum alibi aut aliâ clausulâ, faciente illorum expressam mentionem revocata non sint, adhuc modo in suo robore persistent. ¶ Sed non ita res se habet: quia licet non censeatur aut Concilio Generali, aut juri communi per generalem clausulam, nisi de illis fiat expressa mentio, derogari, ut diximus *loco citato*: hoc intelligitur quando Pontifex, vel Con-

reprobatur.

Concilium extra jus commune, per novam privilegij concessionem, bullam, aut dispositionem particularem, vel etiam legem extra corpus juris communis latam, aliquid contrarium juri communi indulget, aut disponit. Secus autem quando Pontifex, aut Concilium, legem generalem condit: quia per hoc legem anteriorem communem contrariam censetur tollere, etiam illius non facta expressa mentione, ut supra *cap. 2. num. 44.* diximus, *& tractat. 11. de legib. cap. 4. numer. 13.* quia Princeps censetur juris communis notitiam habere, *cap. 1. de Constitutionib. in 6.* Et quia Concilium Concilio derogare potest, & jus commune novum, juri veteri communi, sine obstantiis; eo quod prius jus non ligat manus subsequentis; nec vetus Concilium est majoris virtutis, quam novum; nec minori diligentia, maturitate, & discussione conceditur unum, quam alterum, tam in construendo, quam in destruendo.

Prædicta privilegia non esse per Tridentinum revocata, ostenditur.

65. Verum ex alia parte, non videntur jura, & privilegia *numer. 63.* relata, abrogata per Concilium Tridentinum, quantum ad id, pro quo illa adduximus. Tum: quia jus illud antiquum loquitur de casu particulari, nimirum quando religiosus legitimè præsentatur, idoneus reperitur, & absque justa causa repellitur: jus autem novum Tridentini loquitur in generali, & consequenter hoc illi non derogat: sed verificatur ex illa regula juris in *6. generi per speciem derogatur.* Quam Glossa, & communiter Doctores *in cap. Quamvis, de Præbendis in 6. & c. 1. de constitutionibus eodem lib.* intelligunt, etiamsi species antecedat. Tum etiam: quia quantum fieri potest, debet ista abrogatio legum vitari, *cap. cum delectus. de consuetudine*, eo quod correctio legum est odiosa: ob idque non extendenda, sed limitanda, & restringenda, quæ à jure exorbitant, ut diximus *tract. 11. de legib. cap. 4. n. 13.* & ideo si leges verosimili ratione, aut bona conjectura possunt conciliari, non est admittenda correctio juris, ut *ibidem num. 14.* diximus: quia conciliari possunt dicendo, jus antiquum loqui in casu particulari, & jus novum in generali, cum exceptione tacita illius casus particularis, nisi illius faciat expressam mentionem. Hoc in præsenti contingit, quia Tridentinum loquitur in generali: *nullus confessiones sæcularium audiat, non approbatus ab Episcopo.* Quod conciliari potest cum juribus antiquis, excipiendo casum particularem, de quo illa loquuntur, quia hujus conciliationis jurium, & interpretationis datur optima ratio. Quia Concilium per illud decretum intendit, quod regulares submittantur Episcopo, à quo alias exempti erant, quoad audiendas confessiones sæcularium, & illis quoad examen subjiciantur, ut Episcopus noscat, quibus oves suas committit, & ne eligantur indigni ministri, aut non idonei ad tantum Sacramentum. Quod totum in nostro casu salvatur, in quo regularis subjicitur examini, & alias judicatur idoneus, licet ab Episcopo ex pravo affectu non approbetur: ergo non est credibile vo-

luisse Concilium, revocare illa jura, de hoc casu particulari loquentia, Episcopi fovendo passionem, & erga regulares malevolentiam. Unde hanc resolutionem tenent Illustrissimus Dominus Magister Arauxo *in Decisionib. moralib. tractat. 1. quæst. 8. sect. 2. numer.* 10. Vidal. *titul. jurisdict. inquisit. 6. numer. 63.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 3. numer. 26.* Thomas Hurtad. *part. 2. tractat. 12 cap. 1. numer. 188. & num. 1896.* Portellus *verbo confessor. quoad regulares numer. 3.* Antonius à Spiritu sancto *in director. regular. tractat. 2. disputat. 3. sect. 1. num. 6. & in director. confess. tractat. 5. disput. 13. sect. 7. num. 870.* Palaus *de Pœnit. dispur. unic. punct. 18. §. 3. numer. 9.* Navarr. *in manual. cap. 27. numer. 264.* Henriquez *lib. 6. cap. 6. numer. 4.* Joannes à Cruce *lib. 2. cap. 6. dub. 1.* Leander *de Pœnit. disp. 11. quæst. 83.* Manuel Rodriguez *qq. regular. tom. 1. quæst. 51. art. 2. cum suo compend. resolut. 32. n. 3.* Layman. *l. 5. tr. 6. c. 11. n. 4.* Miranda *quæst. 45. art. 6.*

Hæc sunt utriusque sententiæ fundamenta, quarum secundam, quæ nobis olim satis placuit; libenter modo amplecteremur, nisi in oppositum ejus, adeoque in favorem primæ, urgeret decretum sanctissimi D. N. Papæ Alexand. VII. sub data Romæ die 24. Septemb. anno Domin. 1665. Etenim inter propositiones illas 45. per hujusmodi decretum, ut scandalosas, temerarias, & erroneas à Pontifice damnatas, annumeratur una, quæ est 13. his verbis. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Quæ sane propositio (ut ex terminis ipsis liquido apparet) in nihilo differt ab opinione affirmativa, quam Authores secundæ sententiæ tuentur. Cum igitur prædictum Alexand. VII. decretum, quoad vim obligandi, maneat in suo robore, ut constat est his, quæ supra in *hoc tract. part. 1. num. 7. & 8.* omnino videndis, diximus) non possumus non modo à secunda sententia recedere, & primam, cui hujusmodi decretum omnino favet, amplecti.

Posse Episcopum limitatè regulares approbare, aliqui dicunt.

66. Veniamus ad secundam difficultatem: an nimirum possit Episcopus, regulares limitatè approbare, ad limitata loca, personas, tempus, &c. Absolute affirmat prima sententia: & sic posse approbare ad solos viros, non ad fœminas, usque dum 40. annos attingant; posse pro talibus locis, approbare non pro aliis; & quoad audiendas confessiones in suis Ecclesiis, non alibi; ut maneant ad annum approbati, & ulterius examinentur: quia tametsi quoad scientiam regularem reperiat idoneum, potest illum minus aptum judicare ad confessiones fœminarum usque ad 40. annos, vel propter minorem gravitatem, vel propter juvenilem aspectum, vel propter aliquam suspicionem de illo conceptam. Nam his omnibus inspectis, potest Episcopus eum idoneum, vel non judicare: & idem est si illum approbet pro hoc loco; pro his, aut illis personis, & non aliis, ob speciales rationes, quæ illi occurrere possunt. Sic Diana *3 parte tract. 2. resolut. 25. & 6. p. tractat. 7 resolut. 61.* Suarez *disp. 28. sect. 7. numer 19.* Lugo *disp. 27.*

*disp. 27. sect. 3, numer. 57.* Dicastillo *disput. 10. dub. 9. numer. 286.* Mendo *disput. 22. cap. 3. n. 54. & 55.* Fagund. *2. præcept. Eccles. lib. 7. cap. 2. numer. 1.* Et dicunt esse communem, atque ita est; sed opposita non minus est communis, ut videbimus.

Ex justa causa ad confessiones pertinente, potest Episcopus limitate regularem approbare.

67. Secunda vero sententia (cui subscribimus) dicit posse Episcopum ex juxta causa ad confessiones pertinente, cum limitatione ad tempus, personas, aut loca, regularem expositum approbare: ut si illum minus peritum ad audiendas verbi gratia, confessiones mercatorum reperiat: & ideo pro locis ubi non sunt, aut non concurrunt approbet; vel ad certa duntaxat loca, excludendo alia, in quibus casus difficiliores frequenter occurrunt; vel si de ejus vitæ integritate dubitaret, non ex levibus indiciis; & tunc pro viris, non pro fœminis approbaret, vel si eum minus in litteris expertum agnosceret, & ut enixius studio vacaret, solum ad annum approbare vellet, & post annum iterum ad examen revocare. In his, & similibus casibus, in quibus justa causa interveniret, & hæc pertinens ad confessiones, proculdubio posset, & deberet Episcopus regularem cum limitatione ad tempus, personas, & loca approbare; & sic limitatè approbatus, nec validè, nec licitè posset confessiones audire, ultra limites suæ approbationis. Quod omnes uno ore concedunt tam supra citati, quam infra Doctores citandi.

Absque justa causa ad confessiones pertinente, nequit Episcopus limitate regulares approbare.

68. At vero si justa non detur causa, ad confessiones modo dicto expectans, non potest Episcopus, regularem cum limitatione ad loca, tempus, & personas approbare. Et si secus fecerit, nihil faciat: & poterit regularis ultra limites approbationis validè, & licitè confessiones audire. Ut si regularem quoad scientiam, & peritiam repertum idoneum, quia juvenis est, non ad fœminas, sed ad viros dumtaxat, usque ad 40. annos approbaret: maximè si talis limitatio pro omnibus, vel pluribus, aut frequenter absque alia causa daretur, quæ certè in præsenti, est insufficiens, cum innumeros Sacerdotes sæculares videamus ad beneficia parochialia assumi, cum primum attingant 25. annos, & illis conceditur absque limitatione ad viros absoluta approbatio. Sed numquid minus confidendum est de integritate vitæ Sacerdotis sæcularis, quam regularis, ut illis post 24. an. facultas audiendi fœminarum confessiones concedatur, & istis usque ad 40. denegetur? Fatemur in religionibus aliquibus darisanctissimas leges, ut Sacerdotes non nisi provectæ ætatis possint audire confessiones fœminarum, ut apud nos *2. part. const. cap. 6. n. 3.* ubi pro confessionibus mulierum audiendis 33. annum attingere requiritur, ut cum majori gravitate, & morum integritate hoc ministerium exerceatur. Cæterum aliud est, quod religiones statuunt pro omnibus quæque in suis subditis id, quod perfectius est, & se-

curius quærunt. Aliud quod aliqui ordinarij faciunt; qui cum sæculares Sacerdotes post 24. annos ad omnes personas approbent; solum pro regularibus dictam limitationem apponunt; quod proculdubio absque justa causa ad confessiones pertinentes fit; maxime, si regulariter, & cum pluribus id exerceatur. Et idem dicimus de limitatione ad suas Ecclesias, ut non possint alibi confessiones audire. Idem de limitatione pro anno, pro his, aut illis locis, data regularibus, qui aliàs quoad scientiam, & peritiam hujus Sacramenti, reperiuntur idonei.

Examen religiosorum quoad mores, & vitam pertinet ad prælatos, non ad Episcopum.

69. Pro quo nota cum Dicastillo, *disputat. 10. numer. 289. & 270.* Delbene *tom. 2. cap. 14. sect. 11. numer. 31.* Antonio à Spiritu sancto *in direct. confess. tractat. 5. disput. 13 sect. 9. n. 877* quod examen & approbatio Episcopi non est desumenda à moribus, & vita religiosorum, sed à litteratura, & scientia. Tum: quia examen, & approbatio quoad illa, pertinet ad Prælatos, quibus incumbit de vita, & moribus religiosos judicare: & Episcopi tuta conscientia possunt in ordine ad approbationem quoad vitam, & mores regularium, approbationi Prælatorum acquiescere: neque ad ipsos pertinet ætatem cum ministerio pensare; cum omnes Parochos post 24. annos ad illud sine limitatione assumant. Et non est minus fidendum religioso tot exercitijs religionis, clausuræ, & correctioni quotidianæ Prælatorum exposito, quam sæculari sacerdoti in sua domo commodè, & libere degenti. Tum etiam: quia *in Concilio Lateranen si Leo X in Bulla edita 19. Decemb. anno 1516.* concedit religiosis mendicantibus privilegium, ut per eosdem Episcopos possint sufficientes litteratura, & aliqua saltem hujus Sacramenti peritia dumtaxat examinari. Unde quando in Tridentino dicitur: *Ab Episcopo per examen si illis vid. buerit, &c.* intelligitur de examine quoad sufficientem dumtaxat litteraturam, & hujus Sacramenti peritiam, ut jura inter se consonent, & unum non dicatur alteri contrarium, cum utrumque conciliari possit. Verum est, quod si Episcopo satis constaret religiosum aliquem non esse in moribus, & vita sufficientem, vel de ejus vitæ integritate dubium aliquod prudens haberet, posset approbationem negare, vel cum limitatione illi concedere, vel suspendere concessionem, donec dubium illud cessaret: quia id ex natura rei est annexum muneri Episcopali, ut arceat bonus Pastor omne à suis ovibus nocumentum. Dum autem hoc dubium, aut suspicio prudens non datur, potest Episcopus quantum ad vitam, & mores religiosi, Prælatorum testimonio acquiescere.

Resolutio nostra, ratione, & authoritate probatur.

70. Probatur ergo assertio *num. 68.* proposita. Quia jurisdictio in ordine ad audiendas confessiones sæcularium, non communicatur religiosis ab Episcopo, sed à Summo Pontifice, concedente religiosis privilegia, ut omnium fidelium uti usque sexus ad se venientium confessiones possint audire, quamvis petat judicium Episcopi de idoneitate sacerdotis, & ejus approbationem quantum ad scientiam,

tiam, & peritiam hujus Sacramenti: ergo hac posita, non est in arbitrio Episcopi jurisdictionem limitare ad tales, aut tales personas, aut talia loca, tempora, &c. Quod totum declaravit sacra Congregatio Cardinalium, prout refert Barbosa *ad c. 15. sess. 23. Concil. n. 53.* Confect. *tit. 23. cap. 4. & 5.* Rodrig. *q. 59. art. 8.* Miranda *q. 45. art. 10.* Bordon. *resol. 36. n. 23.* his verbis: *Regulares, qui ad audiendas confessiones idonei, ab Ordinariis locorum, eorumve examinatoribus reperti & approbati fuerint; generaliter quoque, & indistincte, absque ulla limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis personarum admittantur in dicecesi propria: de cæterù vero, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum, relinquatur, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis videbitur expedire, probare, & admittere.* Et est quod nos hactenus diximus, & tenent nobiscum Barbosa, Bordon. Delbene, Miranda, Antonius à Spiritu sancto *locis citatis.* Lezana *tom. 1. cap. 19. num. 8.* Villalobos *tom. 1. tract. 9. difficult. 53. num. 2.* Portel. *in dub. regul. verbo, Confessor. numer. 3.* Peyrin. *de subdit. quæstione prima, cap 21. §. 2.* Pasqualig. *tomo secundo, decis. 500.* Bassæus *verb. Confess. 3. numer. 12.* Palaus *tract. 23. disput. unic. punct 11. §. 2. num. decimo,* Leand. *de pœnit. disputatione 11. quæst. 68.* Henriq *lib. 6. de pœnit. cap. 6. num. 8.*

## §. IV.

### *An regularis pro una diœcesi approbatus, ad audiendas in aliis sæcularium confessiones, novâ indigeat approbatione.*

71. UT circa hanc gravissimam difficultatem distinctius procedamus, aliqua apud nos certa supponere duximus; ut sic hæc obiter dicta remaneant, quæ etiam pro praxi necessaria sunt, ut postea ad quæstionis resolutionem accedamus. Supponimus ergo primo, regularem in una diœcesi absolutè approbatum, virtute Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi concedentis ut possint eligere confessarium approbatum, quem voluerint, posse in quacumque Diœcesi eligi, etsi in ea ab Episcopo approbatus non fuerit: quia ex una parte ut confessarius eligatur, solum quod sit ab Episcopo approbatus, exigitur; quod in tali casu invenitur: ex alia non dantur jura, aut Pontificum decreta declarantia, debere esse ab Episcopo, in cujus Diœcesi audit confessiones, approbatum, ut dantur in casu nostræ quæstionis de regularibus confessiones audientibus, præciso Bullæ Cruciatæ, & Jubilæi privilegio, absque approbatione Episcopi in cujus Diœcesi illas audiunt. Et merito in casu Jubilæi, & Bullæ, de qua modo loquimur, non dantur: alias aut minimum, aut nihil concederet privilegium, si confessarius eligendus debe-

Semel regularis in una Diœcesi approbatus, virtute Bullæ Cruciatæ potest ubique in confessorem eligi.

deberet esse in qualibet Diœcesi approbatus. Atque ita docent in casu Bullæ, & Jubilæi, tam pro regularibus, quam pro alijs sacerdotibus in uno Episcopatu approbatis, Caudidus *disquisit. 24. art. 64.* Delbene *tom. 1. cap. 14. dub. 18. sect. 13. numer. 1.* Antonius à Spiritu sancto *in director. Confessor. tractat. 5. disputatione 13. numer. 903.* Trullench. *in Bullam. lib. 1. §. 7. cap. dub. 5. num. 7.* Suarez *de pœnitent. disputatione 28. sect. 7. num. 6.* Naldus *verb. indulgent. numer. 9.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disputatione 34. numer. 18.* Pellizzar. *tractat. 8. cap. 3. sect. 2. numer. 19.* Antonius Gomez *in Bullam ad clausul. 10. numer. 8.* Arauxo *in decis. moral. tractat. 1. quæstione 8. numer. 11.* Bauny *in Theol. moral libro primo, tractatu 4. quæst. 4.* Acosta *in explicat. Bullæ, n. 19.* & alij communiter.

Regulares semel approbati, quando itinerantur, in quacumque Diœcesi possunt confessiones audire.

72. Supponimus secundo, regulares iter agentes posse audire confessiones non solum subditorum illius Diœcesis, in qua approbati sunt, sed aliorum quorumcumque ad eos accedentium ex privilegio Gregorij XIII. & Eugenij IV. pro Minoribus; quod confirmavit Paulus V. *Bulla 19.* q. ibus conceditur, ut semel ab Ordinario approbati, in itinere, seu extra domos existentes possent quorumcumque fidelium, in quocumque loco reperiantur, audire confessiones, non repugnantibus Parochis, etsi in eodem loco Episcopus illius Diœcesis non existat, aut non sit facilis ad eum accessus. Joannes à Cruce *lib. 2. cap. 6. dub. 5. conclus. 2.* Alphonsus de Leon. *de officio confess. tom. 2. recollect. 10. numer. 56.* Lugo *de pœnitent. disput. 21. numer. 29.* Pellizzar. *suprà numer. 31. & 41.* Layman. *lib. 5. tractat. 6. cap. 11. numer. 8.* Suarez *tom. 4. in 3. part. disputat. 18. sect. 7.* Palaus *tom. 4. tract. 23. disputat. unic. punct. 14. numer. 13.* Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 7.* Antonius à Spiritu sancto *in direct. regular. tractat. 2. disputatione 3. numer. 12.* Et hinc probant aliqui non posse regulares cum sola approbatione unius Episcopi, in quacumque Diœcesi domicilium habentes, confessiones sæcularium audire. Quia allata privilegia hoc illis concedentia, quando itinerantur, & cum dictis limitationibus, supponunt eos extra casum itineris non posse, & sine dictis limitationibus id facere. Sed hoc nihil probat: quia ob dubietatem opinionum, cum res non esset certa, ad majorem securitatem conscientiæ potuerunt hæc illis Pontifices concedere: & quia in omni casu, & eventu *abundans cautela non nocet, l. testamentum, C. de testament.* deserviet ergo hoc indultum pro religiosis itinerantibus, vel causa petendæ eleemosynæ, aut alterius negotii per aliam Diœcesim transeuntibus, ut possint in illa omnium fidelium audire confessiones, absque ullo timore, & scrupulo conscientiæ.

Semel approbatus in uno Episcopatu, ad eum post il-

73. Supponimus tertio. Quod si religiosus approbatus in hac Diœcesi, v.g. Salmantina, ad aliam transferat mutando domicilium, & post multos annos ad dictam Diœcesim redeat, etiamsi alius Episcopus in ea existat, ab eo, qui eum approbavit, absque nova approbatione poterit in illa

minio rediens, non indiget nova approbatione.

illa confessiones audire. Et ita concessit Eugenius IV. Minoribus, §. 3. & Clemens VIII. §. 16. in compendio privilegiorum verbo *absolutio* quoad sæculares, 1. ut testantur à Cruce, & Rodriguez statim referendi, ut semel in una Diœcesi præsentati ad eam postliminio redientes, liberi sint ab iterata præsentatione. Et ratio est: quia mutatione domicilii non perdit approbationem; siquidem ad conservationem illius mutatio loci se habet impertinenter, quæ secundum totum suum existere pendet à judicio concedentis, quod adhuc perseverare censetur, non minus, ac si nunquam domicilium mutasset. Sic Rodriguez *quæst. 59. art. 5. §. nec hu.* Cruz *lib. 2. cap. 6. dub. 4. conclus. 2.* Bordon. *tom. 2. resolutione 36. num. 37* Bonacin. *quæst. 7. de pœnit. punct. 4. §. 1. num. 16. vers. qui etiam.* Barbosa *ad hoc cap. Trident. n. 44.* Bossius *sect. 3. casu 2. num. 46.* Pelliz. *num. 35. & 40.* Fagundez *num. 20.* Lezana *cap. 19. n. 7.* ¶ Et hinc fit Parochum resignato beneficio Parochiali ingredientem religionem posse eligi in confessarium virtute Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ: & idem est de alio quocumque Sacerdote ab Episcopo approbato, & religionem ingredienti, in illaque profitenti: nam licet in his jurisdictio cesset, permanet approbatio, quæ cum statu religionis non est incomposibilis; & de novo per Bullam, aut Jubilæum recipiunt à Pontifice jurisdictionem. Et sic nihil deficit, ut possint confessiones sæcularium audire. Bordon. *num. 87.* Bossius *sect. 3. de Jubilæo num. 53.* Cespedes *de exempt. disput. 119. num. 3.* Pellizzar. *num. 41.* Villalob. *tract. 9. difficult. 55. n. 5.* & alij, quos refert, & sequitur Diana *p. 5. tract. 12. resol. 47.*

74. Supponimus denique, regularem semel approbatum in una Diœcesi posse subditos illius Diœcesis, in quacumque alia Diœcesi existat, confiteri: quia ad hoc solum requiritur approbatio Episcopi, qui sit proprius vel pœnitentis, vel confessarij; & non requiritur approbatio illius Episcopi, in cujus Dioœsi existat, ad audiendas confessiones ovium illius Diœcesis, à cujus Pastore, fuit approbatus. Diana *3. part. tr. 2. resolut. 123.* Sanchez *lib. 3. de matr. disput. 34. num. 2.* Lezana *nu. 5.* Pelliz. *num. 34.* Bordon. *resolut. 6. num. 4.* Tambur. *de jure Abbatum, tom. 2. disput. 6. quæst. 14. num. 4.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 60. art. 1.* Imò etiam potest fideles cujuscumque Diœcesis, ad eum accedentes confiteri, si in Diœcesi existat, in qua ab Episcopo est approbatus, ut confessarius Salmanticæ existens, & ab Episcopo Salmantino approbatus, potest fidelium Diœcesis Vallisoletanæ, Abulensis, Palentinæ, aut Segovienſis confessiones audire. Tum propter dicta: quia jurisdictionem à Pontifice habet respectu omnium fidelium; dummodo sit ab Episcopo sui domicilij approbatus. Tum etiam: quia vel illi sunt in hac Diœcesi ad illam transferendo domicilium? & sic fiunt subditi Episcopi Salmantini, poterunt que confiteri cum sacerdotibus ab eo approbatis;

Confessarius in una Diœcesi approbatus, illius Diœcesanos, etiam extra Diœcesim potest cõfiteri.

vel sunt advenæ,& transeunter in hac Diœcesi existentes? & ita poterunt absolvi à confessarijs illius Diœcesis, sicuti alij transeuntes,& advenæ. Sic ferè omnes citati.

Eligitur ut securior sententia negans posse approbatum in una Diœcesi,in omnibus confessiones audire.

75. Quibus suppositis, veniamus ad principalem quæstionem, an nimirum regularis ab uno Episcopo approbatus possit sæcularium, in omnibus diœcesibus confessiones audire, sine nova illius Diœcesis Episcopi approbatione? Eligimus sententiam negativam: quia securiorem, communiorem, & Pontificum decretis conformiorem. Et probatur primo, ex Concilio Tridentino *sess. 23.c.15.* ubi pro audiendis confessionibus sæcularium, petit in regularibus,quod ab Episcopis sint approbati. Quo sanè voluit Concilium, ut quisque Episcopus seorsim approbaret confessarios, ut sic ipsi constaret, quinam essent, qui in sua Diœcesi,aut respectu suarum ovium curam susciperent: & ob id dixit *ab Episcopis*,non ab Episcopo debere approbari; ne uniusapprobationi Episcopi, omnes alii stare tenerentur. ¶ Secundo: quia Urbanus VIII. in constitutione incipiente: *cum sicut accepimus*, edita anno 1628.die 17.Septemb. omnia revocavit privilegia audiendi sæcularium confessiones absque approbatione, vel examine Ordinariorum. ¶ Tertio: ex declaratione quadam sacræ Congregationis,quæ communiter ab Authoribus adducitur. Ipsa namque sacra Congregatio, consulenti de hoc cuidam Valentino Archiepiscopo, respondit: *Approbatum ab alio, quam à Valentino Episcopo in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario.* Hæc sunt præcipua fundamenta, quibus hæc sententia innititur. Aliud desumptum ex Bulla novissima Innocentij X. in causa Angelopolitana: modo non ponimus, quia de illo postea agemus. Sic communiter Doctores Barbosa *de potest. Episcop. part. 2.allegat.25.num.59.* Granad. *tract.19. in 3.part. disput. 5.num.12.* Layman. *tom. 2. lib. 5. tract. 6. cap. 11.num.8.* Lugo *de pœnitent. disputat. 21. num. 29.* Mendo *in Bullam, disput. 22. cap. 3. num.50.* Suarez *tom.4. in 3. part. disp. 28. sect. 7. dub. 3.* Thomas Hurtado *part. 2. tractat.12.cap.1.numre.2007.* Villalob. *prima parte,tract. 9. difficult. 54.* Noster Lezana *tom.1.cap.19. num. 3.* Bordon. *tom.2.resolut. 6.n.2. & resolut.36.num. 51.* Martinus à sancto Joseph *in monit. Confess. tom. 1. lib. 1. tract.24.num.8.* Diana *3.part.tract. 2. resolut.123.& 6.p.tract. 7. resolut. 56. & 10.part.tract. 14.& 4.miscellan.resolut. 23.*

Probabile est approbatum semel in una diœcesi in omnibus posse confiteri audire.

76. Sed his non obstantibus,probabilem judicamus sententiam negantem requiri in regularibus approbationem omnium Episcoporum, in quorum diœcesibus volunt sæcularium confessiones audire; sed posse semel in una diœcesi approbatos, in omnibus liberè sæculares confiteri. Nec ad hujus probabilitatem opinionis volumus uti illo fundamento,quo aliqui nituntur, quod nimirum possunt regulares modo uti privilegiis à Tridentino revocatis, in foro conscientiæ, ut *cap. 1. hujus tract. n.131.* diximus: sed quidquid sit de hoc,hoc unico discursu probabilitas hujus sen-

ten-

sentiæ probatur. Nam Clemens VII. concessit Minoribus, & Sixtus V. Presbyteris Congregationis Oratorij, Bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem.* Ut semel præsentati alicui Episcopo pro confessionibus audiendis, post unam præsentationem non teneantur amplius præsentari, etiamsi ad aliam transmiserint diœcesim. Sed hæc, & alia privilegia non sunt revocata, nec per Tridentinum, nec per Urbanum VIII. aut alium Pontificem: ergo modo illis uti possunt regulares. Probatur minor: quia Tridentinum, & Urbanus VIII. solum petunt Confessarium esse ab Episcopo approbatum, quod verificatur, sive approbatus sit ab Episcopo pœnitentis, sive loci, sive confessarii, sive à quocumque alio. Quod autem dicat Tridentinum, quod debeat ab Episcopis approbari non intelligitur copulativè; alias non posset Confessarius, nisi ab omnibus Episcopis approbatus confessiones audire: intelligitur ergo distributivè. Quia cum plures, & diversi sint confessarij, in diversis locis existentes, à pluribus debebunt Episcopis approbari; sed in singulis sufficit, quod ab uno approbentur, ut verba Concilij verificentur. Quemadmodum licet dicatur, non posse medicos curare, aut Juristas Advocatorum munus exercere, nisi sint ab Universitatibus laureati, vel approbati; sufficit, ut singuli suum munus obeant, quod ab una Universitate lauream, vel approbationem recipiant; nec requiritur approbatio Universitatis cujuscumque civitatis, ut possint suo muneri incumbere; sic proportionabiliter in Confessariis. Declaratio autem sacræ Congregationis adducta, vel non est authentica, & ideò apud Authores, qui illas studiosè congerunt, non reperiuntur: vel de illa dicendum erit, quod de alia simili statim dicemus. Hanc tenent ut probabilem Henriquez *lib. 7 de Indulg. cap. 13, §. 4.* citans plures Magistros Salmanticæ, *& lib. 3. de pœnit. cap. 6. §. 7. in Gloss. littera A.* Bruno *tract. 5. c. 3. propos. 1.* Leander à Murcia *in regul. S. Francisci, cap. 7. quæst. 8. conclus. 3. num. 8.* Ludovicus Zelosius *lib. 5. de Hierarch. cap. 25.* Stephanus Bauny *in Theolog. moral. part. 1. tract. 4. quæst. 4. Propositus 3. pars quæstione 8. de Sacrament. Pœnitent. dub. 4. num. 21.* Medina *lib. 2. quæstione 19. artic. 6. circa finem.* Palacios *in 4. distinct. 17. disput. 7.* Antonius à Spiritu sancto *in direct. regul. tract. 2. disput. 3. sect. 1. n. 13. & in direct. Confess. tract. 5. disput. 13. sect. 13. num. 896.* Amicus *de pœnitent. disput. 15. sect. 3. num. 123.* Bassæus *verbo Confessor 3. num. 19.* Trullench. *in praxi Sacrament. disput. 8. dub. 7. n. 57.* Ægidius *de Sacrament. disput. 8. dub. 7. num. 57.* Ledesma, & Sanchez apud Leandr. à Sanctissimo Sacramento *tom. 1. tractat. 5. qu. 6.* & alij.

77. Sed contra modo dicta est difficilis objectio, cui succumbens Diana *loco ex 10. parte*, adducto, jam nullo modo posse sustineri probabilitatem hujus sententiæ dicit. Hæc desumitur ex brevi quodam Innocentij X. in causa, quæ versabatur Difficilis objectio contra dicta.

inter Patres Societatis Jesu, & Episcopum Angelopolitanum Dominum D. Joannem de Palafox, & Mendoza, qui magna cum opinione sanctitatis, & doctrinæ, cum jam ab Indis ad hæc regna esset translatus, in Episcopatu Oxomensi diem felicissimum clausit. Breve igitur illud Innocentij X. quod incipit: *Cum sicut accepimus*, expeditum 16. Aprilis anno 1648. dicit: *Prædictos religiosos nequaquam posse in civitate, & diœcesi Angelopolitana personarum sæcularium confessiones audire, sine approbatione Episcopi Diœcesani.* Cæterum in his verbis (alia circa hoc punctum non habet breve illud Innocentij X. ut videre est apud Lezanam *in Consiliis, consil. 40. num. 110.* ubi illud adducit de verbo ad verbum) nihil de novo declaratur, quam in verbis Tridentini, & Bullæ Urbani VIII. erat expressum, quod Episcopi diœcesani requiratur approbatio: sed cujus diœcesani est quæstio, an sufficiat unius diœcesani, an debeat diversorum diœcesanorum, diversis diœcesibus approbatio adhiberi? De hoc nihil Pontifex, nec sunt ejus verba fideliter à Diana relata. Quæ si fortè attentus videret, non diceret ob hanc Bullam, non posse jam hanc sententiam ut probabilem sustineri. Verum est, quod in declarationibus Cardinalium, verba à Diana adducta continentur; nam ibi ad nonam quæstionem super tale breve Innocentij X. respondet sacra Congregatio: *Regulares, etiam Societatis Jesu in una diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas nequaquam posse in alia diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi diœcesani.* Quæ declaratio approbata fuit à pontifice, & de ejus mandato promulgata. Sed aliud est, quod à Sanctissimo immediatè per Bullam illius procedat; aliud, quod à sacra Congregatione de illius mandato; ut supra hoc volumine *tract. 15. de statu relig.* diximus.

78. Verum ad hæc posset aliquis respondere id, quod suprà hoc *capite numero quinto*, circa aliam declarationem S. Congregationis, etiam de mandato Pontificis editam, diximus non tollere contrariæ opinionis probabilitatem. Licet sit magni ponderis, & authoritatis, videantur quæ ibidem ex Magistro Acatio de Velasco, & Magistro Delgadillo attulimus. Sed modo respondemus, quod circa similem declarationem Cardinalium, quam *num. 75.* adduximus, respondet *Illustrissimus Dominus D. Fr. Franciscus Arauxo in decisionibus moralibus, tractatu primo, quæstione octava, numero decimo septimo*, dicens: (Sed neque vim habere declarationes relatas Eminentissimorum Cardinalium, inde colligitur, quod neque habent vim præcepti, aut juris obligantis, quia variæ sunt, & ad invicem sibi adversantes; neque extendendas fore ultra eum casum, ad cujus decisionem sanctiæ fuerant, advertit Joannes Sanchez in select. disputatione 44. notabili 1.) Id ipsum circa istud breve Innocentii X. & declarationes Dominorum Cardinalium, quod scilicet, solum pro illa causa, pro qua expeditæ sunt, & pro illo Episcopatu ad

Solvitur præcedens objectio, & probabilitas dictæ sententiæ roboratur.

ad summum obligare: quia decisum pro uno, aliis nocere non potest, docent Noster Antonius à Spiritu sancto Episcopus Ayatensis, *in director. regular. tractatu secundo, disputatione tertia, sect. 1. num. 13. & in director. Confess. tractatu quinto, disputatione tertia, sect. 6. num. 869.* N. Lezana *in Consiliis, concil. 40. numer. 113.* ubi ex titulo ipsius Brevis id probat, qui talis est. *Breve Sanctissimi Domini Innocentij in causa Angelopolitana jurisdictionis in Indiis occidentalibus novæ Hispaniæ.* Deinde ex verbis procœmij: *Cum sicut accepimus, aliquæ fuerint ortæ differentiæ inter Venerabilem Fratrem Joannem Episcopum, &c. & dilectos filios Clericos Societatis Jesu, &c.* adjunctis illis: *Pro sopiendis differentiis hujusmodi.* Quæ videntur innuere Bullam Pontificis, declarationes Cardinalium, & approbationem à Sanctissimo factam, solum procedere pro Episcopo, & Episcopatu Angelopolitano, pro quo, & pro sedandis controversiis inter ipsum, & PP. Societatis editæ sunt. Quæ proinde non tollit hujus sententiæ probabilitatem, tot gravissimis Authoribus firmatam.

## §. V.

*An Regulares semel absolutè ab Episcopo approbati possint iterum ad examen vocari, vel ab eo illorum licentiæ suspendi, donec iterum præsententur, vel approbentur?*

79. IN præsenti loqui possumus, vel de eodem Episcopo, à quo approbatus fuit regularis, vel de ejus successore. Et loquimur quando fuit absolutè approbatus: si enim ex justa causa, ut diximus *num. 67.* approbatus esset cum limitatione ad tempus, loca, vel personas; plenum est posse illum, iterum vocare ad examen, vel iterum approbare, ut ultra terminos primæ approbationis exiret. Loquendo ergo de eodem Episcopo dicimus eum non posse semel regulares absolutè approbatos, nec validè, nec licitè iterum ad examen vocare, & approbare. Unde si approbationem semel absolutè factam, absque justa causa, eaque ad confessiones pertinente, revocaret; talis revocatio nulla esset. Dicta tamen justa causa intervenient, & ab eo cognita, & approbata, posse unum vel alterum regularem à munere confitendi suspendere; & iterum si opus fuerit examinare; non tamen omnes regulares communiter suspendere, aut ad examen, & approbationem novam vocare; nec omnium Confessariorum unius Conventus revocare licentias, vel suspendere, donec iterum examinentur, &

Idem Episcopus, qui Regularem approbavit, non potest iterum ad examen vocare.

approbentur. Assertio quoad omnes partes est inter Doctores communis, quam tenent Lezana *tom. 1. cap. 19. num. 9.* Bordon. *tom. 2. resol. 37. num. 15. & resolut. 36. num. 15.* Gavantus *in manuali Episcop. verbo Confessarius, num. 23. & 24.* Alphonsus de Leon *in fine 2. part. de Jubileo, pagina 114.* Peyrin. *tom. 1 privileg. Minim. constit. 2. Sixti IV. §. 11. num. 41.* Bassæus *Confessarius 3. num. 18.* Antonius à Spiritu sancto *in director. Confess. tract. 5. disp. 13. sect. 11. & 12. & in director. regul. tract. 2. disput. 3. sect. 11. num. 9.* Del bene *tomo secundo, capite 14. dub. 18. sect. 11. num. 31.* Palaus *tractatu 23. disput. unic. punct. 18. §. 4. num. 6.* Pellizzar. *tractatu octavo, capite tertio, sect. .... num. 42.* Lugo *disputatione 25. sect. 3. n. 63. & 64.* Villalobos *tomo secundo, tractatu vigesimo nono, difficult. 53. numero quinto.* Diana *sexta parte, tr. sept. resol. 62.* & alij.

Assertio proposita, ratione probatur.

80. Prima pars assertionis præterquam quod habetur expresè in Clementina *Dudum de sepulturis*, & *extravaganti super Cathedram eodem titulo*, & extravaganti Pij V. *Romani Pontificis providentia*, & ex declaratione sacræ Congregationis Cardinalium, quam adducunt Bordon. Lez. Bassæus *locis citatis*, probatur hac ratione: quia nec ex Concilio Tridentino, neque ex aliquo decreto Pontificio habetur, quod Regularis semel Idoneus ab Episcopo approbatus, absque justa causa iterum ab eodem, in eadem Diœcesi approbari debeat. Quin potius ex Tridentino sequitur oppositum; illud enim solum concedit Episcopis, ut judicent, an sint Regulares idonei ad confessiones sæcularium audiendas: ergo postquam jam illos per approbationem idoneos judicarunt, nihil aliud jurisdictionis per se loquendo habent circa illos Ordinarij. ¶ Ratio secundæ partis, quod in recedente justa causa, ad confessiones pertinente, potest approbationem absolutè data am Episcopus revocare, vel suspendere, ea est; quia si Episcopus hoc efficere non posset, non satis suis ovibus consuleret; cum non posset ab eis arcere confessarium ineptum semel approbatum: ut si Episcopo constaret aliquem regularem carere doctrina sufficienti, quam forsasè habebat, quando illum approbavit; vel aliquem errorem committere in confessionibus, aut in illis minus modestè, cautè, & prudenter se gerere. Hac igitur, & simili causa cognita, & probata ab Episcopo, potest unum, vel alterum regularem à munere confitendi suspendere, & iterum si opus fuerit examinare.

Omnes Regulares unius Monasterij nequit Episcopus iterum ad examen vocare.

81. Non tamen potest omnes regulares in communi per edictum universale ad examen vocare, vel certè omnes confessarios unius Conventus indiscriminatim suspendere (quod est tertia pars assertionis) quia talem justam causam in omnibus reperiri iniquum est judicare: quia licet unus, aut alter minus idoneus reperiatur; non ob id cæteri insufficientes sunt judicandi: nec licitum est propter demerita unius, omnes alios idoneos & aptos molestare. In religionibus sunt viri sanctissimi, & doctissimi, & alij minus periti, & morigerati;

rati; in eodem Monasterio sunt probi, & litterati ministri, alij fortè imperfecti, & indocti. Invigilet ergo Episcopus inregulârem, quem idoneũ repererit antequam ad examen revocet, vel à munere cõfitendi suspendat: quia ad hoc jus, & potestatem habet. Cæteros autem idoneos sine causa molestare iniquum videtur, & exorbitans, & consequenter nullum, & inane. Audiamus decretum sacræ Congregationis editum 20. Novem. 1615. relatum à Gavanto, Laurentio de Peyrin, Alphonso de Leone, & Lezana *locis citatis*. (Illustrissimi ejusdem sacræ Congregationis Patres, re mature pensata ad omnem scandali materiam submovendam, & quo magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur statuunt, & decernunt Archiepiscopis, Episcopis, alijsque locorum Ordinariis, ad quos Confessarios approbandi jus spectat, Confessarios Regulares, aliàs ab ipsis liberè approbatos ab audiendis confessionibus posthac minimè licere, nisi ex nova causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum interdictum ab ipsis Ordinarijs positum. Statuerunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus regularibus confessariis eadem sacra Congregatione consulta, nullo pacto adimere posse. Quod quidem decretum, ut idem Illustrissimi Patres opportunum, & necessarium duxerunt, ita inviolabiliter jubent observari.) Consonat aliud decretum ejusdem S. Congregationis 14. Junij anno 1647. expeditum.

Status difficultatis proponitur.

82. Sed major difficultas est, an approbati regulares ab uno Episcopo, possint à successore in eadem Diœcesi iterum examinari, approbari, vel reprobari, ex eo præcisè, quod vultus sui gregis agnoscat, & sciat quos ministros pro suis ovibus habeat, non existente alia justa causa cognita, & probata, eaque ad confessiones pertinente? Si enim hæc interveniat, proculdubio poterit, ut superius diximus. Quod contingit respectu unius, vel alterius; sed de omnibus in generali loquimur. An Episcopus de novo ad suam Diœcesim accedens, possit per edictum generale omnes regulares ad examen iterum vocare, quousque ab eo de novo approbentur, à munere confitendi suspendere? Quod his temporibus passim ab Episcopis fieri cernimus, non sine magno scandalo, & perturbatione tam sæcularium, quam regularium. In quo est certum id, quod ex communi sententia docet Diana 3. *part. tract. 2. resolut. 27. fine.* Quod si successor Episcopi revocet per edictum generale omnes licentias, non intelligatur loqui cum regularibus, nisi de illis faciat expressam mentionem.

Capitulum in sede vacanti nullo modo potest Confes-

83. Imò etiam ut certum judicamus, quod licet successor Episcopi posset generaliter omnium regularium suspendere licentias, eosque ad examen, & approbationem iterum vocare; id non posset Capitulum in sede vacante. Tum propter concessionem Clementis IV. quam re-

fers

fert Diana *loco citato*. Tum etiam, quia Capitulum non succedit loco Episcopi successorij, sed loco prioris Episcopi mortui, amoti, vel assumpti; quem non posse id facere diximus. Tum denique: quia sic concessit Clemens V. apud Confectium *pag. 18.* pro Dominicanis illis verbis: *Concedimus ut in hujusmodi casu* (mortis nimirum Episcopi) *positis uti tandiu prædicta licentia* (audiendi nempe confessiones sæcularium) *donec viduatis Ecclesiis provisum fuerit de Pastore.* Sic Bosius *sect. 3. de Jubilæo, casu 2. num. 47.* Miranda *tom. 1. quæstione 45. art. 7. propè finem concl.* Fagundez *præcept. 2. lib. 7. c. 2. num. 28.* Bordon. *tom. 2. resolutione 36 num. 24.* Diana *3. part. tract. 2. resolut. 27. §. notandum, & 8. part. tract. 7. resolut. 49.* Antonius à Spiritu sancto *in direct. Confess. tom. 1. tractat. 5. disputatione 13. sect. 12. num. 893.* Delbene *tomo secundo, cap. 14. dub. 18 sect. 11. num. 26.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 3. num. 44.* Rodriguez, Sylvius, & alij, quos refert Tancredo *tract. 1. disputat. 2. quæstione 13.*

Posse successorem Episcopum iterum confessarios examinare, aliqui dicunt.

84. Igitur circa quæsitum, prima sententia est affirmativa. Et probatur primo ex Extravaganti Pij V. Romani Pontificis providentia anno 1571. ubi sic dicit: *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in civitate, & diœcesi sua, prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari: à successore autem Episcopo pro majori suæ conscientiæ quiete examinari de novo poterunt.* ¶ Secundo: quia id habetur expresè ex declaratione S. Congregationis Cardinalium, quam adducit Lezana *tom. 1. cap. 19. num. 7.* quæ sic dicit: *Congregatio Concilij censuit regulares ad audiendas confessiones sæcularium in civitate, & diœcesi ab Episcopo prævio examine approbatos iterum ab eodem examinandos non esse: Cæterum posse iterum à successore examinari, juxta constitutionem S. memoriæ Pij V. data idibus Augusti, Pontificatus sui an 6.* §. Tertio: quia successor non tenetur stare approbationi sui antecessoris; sed ut sciat quibus ministris suas oves credere possit, & pro quiete, & satisfactione suæ conscientiæ, potest illos iterum ad examen vocare, & approbare idoneos, & reprobare ineptos; ac proinde licentias suspendere, quousque de novo examini subjiciantur. Sic Vivaldus *in candelabr. 1. part. titul. de Confess. n. 28.* Lezana *loco citato.* Miranda *tom. 1. quæstione 45. art. 7.* Bordonus *resolutione 37. num. 20.* Riccius *tom. 4. resol. 70. num. 5.* Bosius *sect. 3. casu 2. num. 43.* Pellizzar. *suprà num. 43.* Joannes Sanctius *in select. disput. 48. per totam.* Zanardus *in direct. Theolog. part. 2. de Sacrament. Pœnitent. cap 24. §. 4.* Fagundez *præcept. 2. lib. 7. capite 2. num. 30.* Joannes à Cruce *libro secundo, capite 6. dub. 4.* Diana *3. part. tractatu secundo, resolut. 27.* & alij.

Dictum singulare Episcopi Segoviensis.

85. Cæterum oppositam sententiam defendens illustrissimus Arauxo Episcopus Segoviensis in decisionibus moralibus *tractatu primo, quæstione octava, numero duodecimo,* postquam retulit contrariam sententiam hæc dicit (sed rigidum nimis hanc, & aliorum Prælatorum fuisse sententiam, nuper hujusmodi licentias regularibus alias approbatis suspenden-

dentem, & in his regnis non sine ingenti scandalo populi, & religionum turbationem exequutioni mandatam, ipse rei eventus probavit. Bulla autem ipsa Pij V. cui innitebantur, nullum eorum suasioni potuit fundamentum præbere : nam hæc, & aliæ, quas edidit dictus Pontifex in favorem status Ordinum mendicantium, fuerunt per ejus successorem Gregorium XIII. moderatæ, & ad juris communis, & terminos Concilii Tridentini redactæ, prout constat ex ipsa Bulla Gregorij à Navarro transcripta in manuali Latino ad calcem capitis ultimi, quæ incipit : *In tanta negotiorum mole.*) Et postquam verba Bullæ Gregorij XIII. adduxit, prosequitur. ( Præter hanc reductionem dictæ constitutionis Pij V. ad terminos juris communis Concilij Tridentini, cujus præfati Prælati ignari non debebant esse ; fuit etiam pro parte Catholici Hispaniarum Regis Philippi II. per ejus Ambassatorem supplicatum coram eodem Summo Pontifice à dicta constitutione, ut eam melius informatus vellet pro his saltem regnis revocare. Quæ supplicatio neque debuisset eosdem Prælatos latere. Et alias cum esset super constitutione contraveniente Concilio Tridentino in Hispania generaliter recepto, & cujus observantia cunctis Principibus Christianis in ejusdem confirmationis Bulla summopere commendabatur, operabatur effectum suspensionis, prout latius docuimus in quæstion. select. de appellationibus.) Hactenus Antistes sapientissimus.

68. Quare dicendum est regulares semel ab Episcopo approbatos non posse sine nova causa ad confessiones pertinente, à successore Episcopi, qui eos examinavit, & approbavit iterum examinari, & approbari. Ita præter Episcopum Arauxo, tenet alius Episcopus Angolensis Antonius à Spiritu Sancto *in direct. regul. tractatu secundo, disputatione 3. sect. 1. num. 9. & in direct. Confess. tract. 5. disp. 13.* Dicastillo *disp. 10. de pœnit. num. 318.* Zelozius de Huraſch. *lib. 5. c. 25.* Villalob. *tom. 2. tract. 9. difficult. 53. num. 5.* Delbene *tom. 2. cap. 14. dub. 18. sect. 11. num. 24.* & huic parti magis videtur adhærere Diana *6. part. tract. 7. resolut. 62.* qui circa hanc difficultatem suspendens judicium, ut de more habet, in fine concludit: ( Vellem Dominos Episcopos conservare regularibus privilegia, & considerare, quod pro illorum tuitione non desunt Authores magni nominis, & simul agnoscere merita regularium, & quantum eis debetur pro servitiis factis, & quæ in dies faciunt Ecclesiæ universali, & eorum particularibus Diœcesibus.) Tenet etiam Vivaldus *1. part. de absolut. folio mihi 122.* ubi etiam adducit declarationem quandam Cardinalium, factam anno 1587. quam se vidisse testatur, dicentem regularem semel approbatum non teneri iterum examinari, & approbari. Navarrus *cap. 27. num 226.* Vega *cap. 62. casu 8.* Henriquez *lib. 7. cap. 6.* Lopez *2. part. instruct. confess. cap 8. de Bulla, fol. mihi 805* Rodriguez *in explicat. Bullæ, §. 9.* Vasquez *3. part. quæst. 93. art. 3. dub. 5.*

*num.3.& 4.* Alphonsus de Carranza, quem refert, & sequitur Leander à sanctissimo Sacramento *tom. 1. tr. 5. disp. 11. quæst. 91.*

Sententia proposita probatur

87. Probatur hæc sententia: nam in Clementina *Dudum*, & *Extravaganti 2. de sepulturis*, & aliis juribus, & privilegiis, conceditur regularibus, ut semel absolutè ab Episcopo approbati, non teneantur iterum secundo se examini subjicere; quæ quoad hanc partem revocata non sunt per Tridentinum: quia in eo solum petitur, quod confessarius sit ab Episcopo approbatus; quod autem regulares semel ab Episcopo approbati, absque nova causa superveniente, pertinente ad confessiones approbentur, & examinentur à successore, nec in Tridentino, nec in alio jure invenitur: ergo non est cur talis facultas Ordinariis concedatur contra jus commune, & contra privilegia religionum. Nec obstat Bulla Pij V. propter ea, quæ *numer. 84.* diximus, etsi revocata non esset, nec pro Hispania suspensa; in ea solum novis Episcopis conceditur, quod possint iterum regulares examinare pro majori suæ conscientiæ quiete. Quod tunc accidit (ut bene inquit Villalobos) quando Episcopi, qui de novo adveniunt, informati sunt aliquem, vel aliquos regulares non esse in litteratura sufficientes, vel errores committere, vel alios defectus in hoc Sacramento. Et hoc ipsum intendit declaratio S. Congregationis Cardinalium: & tunc fatemur posse illos particulares ad examen vocare, & approbare, vel reprobare, prout ei visum fuerit. Sed omnium licentias suspendere, omnes per edicta publica ad approbationem vocare, ad quietem suæ conscientiæ minimè conducit; sed potius ad illius turbationem, & populorum scandalum. Et certè, melius suæ conscientiæ securitati consulerent, hoc curæ Prælatorum regularium remittendo, qui semper invigilant, ut ad hoc Sacramentum ministros idoneos apponant, eosque circa litteraturam, & mores multoties examinant.

Confirmatur paritate cum Parochis

88. Confirmatur primo: quia Concilium pro sæcularibus confessariis solum petit, quod Parochiale habeant beneficium, per cujus collationem approbantur: quæ approbatio semper durat, quandiu Parochiale durat beneficium; ita quod eo permanente, nec à novo Episcopo possint Parochi ad examen vocari, uti ex communi sententia docet Lugo *disputat. 21. sect. 3. numer. 63.* Dicastillo *disputatione decima, dub. 10. num. 292.* Mendo *in Bullam, disp. 22. cap. 3. numer. 56.* Bordon. *resolut. 36. quæstione 35. & resolutione 37. num. 20.* Joannes à Cruce *libro secundo, cap. 6. dub. 4. conclusione 4.* Nec ob id, ob quietem suæ conscientiæ debent eos Episcopi novi iterum examinare; cum tamen accidere possit, ut qui idonei aliquando fuerint, modo sint insufficientes: ergo idem potiori ratione dicendum est de regularibus, quorum approbatio semel ritè accepta semper durat; neque est de illis minor sufficientia præsumenda, quam de Parochis sæcularibus.

¶ Confirmatur secundo: quia omnes ferè

ferè Authores tenent non posse eundem Episcopum semel approbatos regulares, iterum ad examen vocare, uti ex communi diximus *numer. 79.* & ex Bulla Pij V. & declaratione Cardinalium *numer. 83.* adductis amplius patet. Et hoc, quia in Clementina *Dudum*, & *Extravagantibus citatis*, & alijs privilegiis eis conceditur, posse sæcularium confessiones audire, si à suis Prælatis præsententur, & approbentur: & solum per Tridentinum fuerunt moderata, ut requiratur approbatio Episcopi Diœcesani, à qua dicunt solum in fieri, non in conservari dependere; neque ab eo quoad usum posse limitari, si semel fuit absolutè concessa: quia jurisdictio provenit regularibus à Papa, & solum requiritur una approbatio Episcopi non iterata, nisi ipsi constiterit de insufficientia, & pro conscientiæ quiete voluerit unum vel alterum ad examen vocare: idem ergo dicendum erit in Episcopo de novo advenienti, cum in utroquo currat eadem ratio.

## §. VI.

### *Qualiter unius Ordinis religiosi possint cum extraneis, sive religiosi sint, sive sæculares confiteri?*

Religiosi unius Ordinis, absque suorum

89. HUcusque egimus de approbatione Episcopi requisita in regularibus: ad alia in hujus puncti limine promissa deveniamus. Et primo de confessariis comparatis, cum religiosis alterius Ordinis loquimur; postmodum de ipsis in ordine ad suos religiosos; postea de illis comparatione ad sæculares. Igitur de religiosis in ordine ad confitendum cum confessariis extraneis, possumus loqui, vel jure, & privilegiis communibus inspectis; vel ex vi privilegij Bullæ Cruciatæ: de hoc dicemus §. *sequenti*; de primo loquimur in isto. Et quærimus, an regularis unius Ordinis possit religiosos alterius Ordinis ad eos accedentes confiteri? Ad quod dicimus, quod si religiosus habuerit sui Ordinis copiam confessarij, nec intra, nec extra suos Conventus potest cum religiosis alterius Ordinis, & minus cum sæcularibus sacerdotibus confiteri, nisi de licentia expressa, vel tacita suorum Prælatorum, nimirum Prælatorum pœnitentiis: quod patet *ex cap. omnis 12. de pœnitentiis.* Tum etiam: quia quælibet religio habet specialia privilegia, ut sui non confiteantur cum extraneis nec intra, nec extra Conventum, si habeant sui Ordinis Confessarium, ut constat ex privilegio Innoc. VIII. *Bulla 3.* & Clement. VIII. *Bulla 4.* quas refert M. Joannes à Cruce *lib. 1. c. 6. dub. 12.* & Gregorij XIII. & *Extravag. Benedicti XI. Cum inter cunctas, de privil.* & Sixti IV. *in mari magno*, illis verbis: *Inhibemus insuper universis Fratribus Ordinis vestri, ne aliqui eorum alij, quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, nisi necessitatis urgente articulo, vel nisi forsan Magister, vel Prior proprius alicui fratri dederit fratri alteri ejusdem Ordinis licentiam confitendi.* Quæ privilegia revocata non

Prælatorum licentia, neque. unt exteris confiteri.

sunt per generalia illa privilegia Leon. X. Nicol. III. Sixt. IV. Greg. XIII. in quibus conceditur regularibus Confessariis approbatis ab Episcopo, ut possint Christi fideles, undequaque ad eos venientes, ab omnibus peccatis, & casibus, & censuris, etiam Apostolicæ Sedi reservatis absolvere, exceptis his, quæ in bulla Cœnæ Domini continentur. Quia hæc non loquuntur, nec extenduntur ad Religiosos, tametsi aliàs veniant nomine fidelium, propter Ordinis laudabilem consuetudinem contrariam, quæ est optima legum interpres; & privilegium generale non derogat specialibus anterioribus; maximè si hæc jure communi, & consuetudine approbata, & firmata fuerint. Palaus *tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 14. num. 11.* Joannes à Cruce *de voto obedient. lib. 5. cap. 6. dub. 11. concluf. 4.* Suarez *tom. 4. de religion. tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 9.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 3. sect. 2. num. 90.* Fragos. *2. part. lib. 11. disp. 24. §. 14. num. 1.* Lezana *tom. 1. cap. 19. num. 29.* Bord. *tom. 1. resolut. 2. num. 24.* Portell. *in dub. regul. confess. n. 13.* Ant. à Spir. S. *in Direct. Confess. tr. 5. disp. 16. sect. 2 n. 13 11.* & alij communiter, nisi in aliqua Religione, lege, aut consuetudine non detur prohibitio : quia tunc ex vi dictorum Privilegiorum, poterunt aliorum Ordinum fratres confiteri independenter à suis Prælatis.

Ab illa generali regula excipiuntur Prælati.

90. Excipiuntur à generali illa regula omnes Prælati, quos *num.* 50. ex communi sententia diximus habere facultatem concessam *in cap. finali, de pœnitentiis*, eligendi Sacerdotem simplicem ejusdem, vel diversæ Religionis in confessorem, non solum extra, sed intra Conventum, qui eos absolvat ab omnibus casibus, & censuris, etiam reservatis in Religione, à quibus ipsi suos subditos absolvere possunt, sive habeant, sive non habeant copiam sui Ordinis Confessoris, si alias non habent statutum contrarium, ut docent Bordon. *tom. 1. resol. 34. n. 28.* Miranda, Villalob. Graffis, Diana, quos refert, & sequitur Dicastillo *tract. 8. disput. 10. dub. 16. num. 87.* N. Antonius à Spiritu sancto *num. 22* quæ resolutio (inquit) procedit etiam in nostris Prælatis, non obstante constitutione nostra dicente; quod nullus Religiosus, etiam Sacerdos, sacerdotibus simplicibus nostri Ordinis confiteri præsumat; de qua fusius postea loquemur: & alia, quæ dicit, quod fratres habita Confessoris Ordinis copia, non confiteantur extraneis. Quod verissimum judicamus, non propter rationem, quam hic author adducit, quia nimirum constitutiones nostræ non sunt à Pontifice confirmatæ; sunt etenim ab Alexandro VII. ut constat ex ejus Brevi, initio constitutionum adducto. Sed quia licet in favorabilibus nomine monachi veniant Abbates, non tamen in odiosis : maximè si jus commune illis pro contrario assistat, ut in præsenti contingit. Portel. *in dub regul. verb. Abbas, n. 5.* Diana *3. part. tr. 2. resol. 1. per totam.*

91. Sed

Tempore magni Jubilei possunt regulares cum Religiosis alterius Ordinis confiteri

91. Sed inquires primo, an tempore magnorum Jubileorum, quæ solent toti Ecclesiæ Pontifices concedere, maximè quando ad Pontificatum assumuntur, possint fratres, aut moniales unius Ordinis juxta tenorem Bullæ Jubilei tam intra, quam extra Conventum, etiamsi sui Ordinis Confessoris copiam habeant, & hoc absque ulla licentia Prælatorum? Respondetur affirmativè. Et hoc non obstantibus suorum Ordinum constitutionibus, & privilegiis in contrarium: & constat ex plurium tenore Privilegiorum, quæ ad verbum afferunt Lugo, Quintanadvennas, Mando infra citandi. Et quia Jubileum vocatur gratia universalis, quæ conceditur omnibus indifferenter, & sic sine subjectione lucrantis illud ad suum immediatum superiorem. In Jubileis namque universalibus, quæ Jubileum, & gaudium spirituale significant, Summus Pontifex ut Pastor universalis Thesauro Ecclesiæ æqua lance, pro omnibus indifferenter porrigit, ut omnes per illud, à conscientiæ nexibus liberi, in Domino lætentur. Sic Navar. *consil. 3. de statu Monach. n. 51.* Soto *lib. 8. de justit. quæst. 5. art. 1.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 22. art. 6.* Bordon. *tom. 1. resol. 34. n. 4. & 45.* Palaus *punct. 15. §. 2. n. 11.* Lugo *disp. 20 sect. 9. n. 186.* Quintanadvennas *de Jubileo, c. 19.* Anton. à Spir. S. *n. 1319.* Bossius *de Jubileo, sect 3. casu 4. n. 17.* Fragoso *2. part. lib. 2. disp. 6. §. 5. n. 43.* Mendo *in Bull. disp. 24. cap. 14. n. 155.* Pey in. *in addition. ad constit. Leonis X. 6. 4. n. 3.* Diana *9. part. tr. 8. resol. 55.* Leander. *tom. 1. tr. 5. disp. 14. q. 85. & 86.*

Religiosi itinerantes cuicumque simplici Sacerdoti sæculari, vel regulari alterius Ordinis? Respondetur affirmativè, dummodo statutum in contrarium non habeant; quod apud nos minimè reperitur, & hoc ex tacita prælatorum licentia, in ipsa facultate ad exeundum imbibita, & ex praxi, ac consuetudine Religionum, videntibus, & non contradicentibus Prælatis, quorum interest. Et ex privilegiis Sixti IV. & Innocentij VII. quorum verba adducit Bordon. *resolut. 34. n. 2. & 3.* Joannes à Cruce *lib. 1. cap. 6. dub. 11. concl. 1.* Ponam verba Innocentij VII. *Nos igitur supplicationibus inclinati, fratribus hujusmodi quos itinerare, & per eorum Superiores mitti contigerit, ut si aliquem presbyterorum idoneum ex professoribus dicti Ordinis, habere non possint, quemcumque alium presbyterum idoneum, & discretum Religiosum vel sæcularem eligere valeant, qui confessiones eorum audire, & eorum confessionibus diligenter auditis, pro commissis eis debitam absolutionem impendere, & pœnitentiam salutarem injungere, licitè possit.* Ubi notandum est, idoneum Sacerdotem pro confessionibus Religiosorum audiendis reputari quemlibet Sacerdotem simplicem, id est, non approbatum ab Episcopo, vel Prælatis; dummodo non sit suspen-

Religiosi itinerantes cuicumque simplici Sacerdoti sæculari, vel regulari possunt confiteri.

sus, aut excommunicatus: talis enim censebatur confessor idoneus pro sæcularibus ante Tridentinum, ut docent D. Antonin. *3. part. titul. 1. cap. 7.* Sylvester *verb. Confes. 1. §. 3.* Soto *in 4. disputat. 18. quæst. 4. artic. 3. sed in eo sess. 23. cap. 15.* statuitur, quod pro sæcularibus etiam Sacerdotibus, ille solus idoneus reputetur, qui est parochus, aut ab ordinario approbatus, ut supra *numer. 53.* diximus. Sed pro Religiosis nihil Concilium innovavit, & ideo resolutionem nostram tenent Rodriguez *in qq. regular. tom. 1. quæst. 62. art. 5.* Joannes à Cruce *supra conclus. 3.* Urbanus *fol. 291. reg. 31* Bordon. *tom. 2. resolut. 2. num. 24. & resol. 34. numer. 2.* Portel. *verb. Confessor. erga fratres, numer. 14.* Antonius à Spiritu sancto *in direct. regular. tract. 2. disputat. 2. sect. 1. n. 12.*

Status difficultatis proponitur.

93. Inquires tertio: an possint Religiosi nostri, vel alij, quibus leges propriæ id prohibent confiteri sacerdoti simplici suæ Religionis non approbato à Prælatis, quando extra domum existunt, & non habent copiam confessarij sui Ordinis ex approbatis à Provinciali? In aliquibus Religionibus non possunt Religiosi confiteri, etiam dum itinerantur, extero Sacerdoti, si habeant sacerdotem etiam simplicem ejusdem Ordinis, ut probat Bordon. *resolut. 34. numer. 1. & 4.* Apud nos econtra: etiamsi Religiosi nostri proprium Sacerdotem simplicem secum habeant, illi confiteri non possunt tam intra, quam extra monasterium: & si alterius Ordinis, vel sæcularem Sacerdotem simplicem habeant, cum illo valent confiteri. Hoc secundum constat ex adductis privilegiis, *num. præced.* Contra quod nihil est in nostris legibus statutum. Primum patet ex nostris constitutionibus *2. part. capit. 6. numer. 5.* verbis supra *numer. 56.* relatis. Quæritur ergo modo, an non obstante tali lege, possint religiosi nostri itinerantes, vel extra domum existentes confiteri Sacerdoti simplici nostri Ordinis, sive habeant, sive non alterius extranei Sacerdotis copiam? & loquimur de confessione mortalium; nam de venialium confessione, vel mortalium alias ritè confessorum omnes asserunt, & licitè, & validè posse, sicuti omnes Sacerdotes simplices possunt illorum confessiones audire, & lex absolutè prohibens confiteri cum hoc vel illo confessario, semper intelligitur de materia necessaria pro confessione, non de materia, quæ libere confitetur, & libere potest omitti.

Religiosi nostri, etiam extra domum, non possunt confiteri cum simplici Sacerdote Ordinis; & sta. possunt

94. Dicimus ergo ad quæsitum, nullo modo posse Religiosos nostros, vel alios, qui simile statutum habuerint, confiteri Sacerdoti simplici suæ Religionis. Et si id attentaverit, confessio erit nulla. Tum: quia dantur circa hoc plura privilegia religionibus concessa, ne fratres virtute alicujus privilegij possint confessorem eligere contra regulam, & statuta sui Ordinis, vel sine licentia suorum prælatorum. Quæ licentia prorsus negata est, quando leges,

tamen cum sæcularibus vel regularibus alterius Ordinis.

& statuta oppositum decernunt. Quod patet ex Bulla Bonifacij VIII. quam refert Rodriguez *q. 9. artic. 8.* & Pij V. Bulla 13. pro Dominicanis & Gregorij XIII. pro Jesuitis, & Sixti IV. pro Carmelitis, quam refert Lezana *in mari magno Carmelitar. circa §. 27. numer. 496.* & Clement. VIII. nobis Carmelitis Discalceatis concessa, prout habetur *in nostro Compend. fol. 180. numer. 13.* in quibus nititur lex nostra dicens: *Innitentes tam juri communi, nostrisque statutis, atque antiquæ consuetudini, quam Pontificum privilegiis declaramus, &c.* Tum etiam: quia omnes asserunt, non posse regulares contra voluntatem expressam Prælatorum, confiteri Sacerdotibus non approbatis ab eis: quia hoc ipso carent illi Sacerdotes jurisdictione in Religiosos omnino necessaria ad illos confitendos: sed si Religiosi nostri Sacerdoti simplici nostri Ordinis tam intra, quam extra Monasterium confiteri attentaverint, confitentur Sacerdoti non approbato à Prælatis; nec de illorum aliqua licentia, quam ipsi immediati Prælati concedere non possunt, nec ex præsumpta Superiorum licentia, cum oppositum constet ex legibus, in quibus voluntas expressa Prælatorum contraria reperitur: ergo, &c. Sic Rodriguez *tom. 1. quæst. 62. artic. 4.* Bordon. *resolut. 4. numer. 2. & resolut. 34. numer. 35.* Antonius à Spiritu sancto *loco citato, ex Director. Confessor. numer. 14.* Portel. *numer. 12.* Trullench. *in Praxi Sacrament. lib. 4. capit. 9. num. 83.* Candid. *tom. disquisit. 43. artic. 39. dub. 3. & tom. 2. disquisit. 24. artic. 57. dub. 7.* Villal. *tom. 1. tractat. 9. difficult. 54. in fine.* Lezana *tom. 1. capit. 18. numer. 26.* Delbene *tom. 2. capit. 14. dum. 18. sect. 8. numer. 3.* Possunt tamen Religiosi alterius Ordinis extra Conventum existentes, quique in oppositum leges, aut statuta non habent, confiteri cum Sacerdotibus simplicibus nostræ Religionis, & isti Confessiones illorum audire, quia ex vi supradictorum privilegiorum possunt Religiosi extra domum Sacerdotem simplicem in confessorem eligere, & alias ex parte Religiosorum nostrorum nulla datur lex id prohibens; quia constitutio nostra solum prohibet Religiosos nostros non approbatos Religiosorum sui Ordinis confessiones audire; non vero Religiosorum alterius Ordinis, ut constat ex verbis illius. Ergo, &c. Sic N. Ant. à Spir. S. *loco ex Director. regul. adducto num. 23.* & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *resol. 36. numer. 42. & resolut. 34. n. 3. & 27.*

§. VII.

## §. VII.

### *An possint regulares uti privilegio Bullæ Cruciatæ ad eligendum Confessorem extra suam Religionem.*

Quid circa hoc Bulla Cruciata concedat.

95. Hic loqui possumus vel de electione Confessarij extranei, qui absolvat eos à casibus reservatis vel Pontifici, vel suis Prælatis; vel qui solum absolvat à peccatis mortalibus non reservatis. Quia dispar est ratio in uno, & in alio casu: & ideo dantur authores, qui primum negant, & concedunt secundum. Per privilegium ergo Bullæ Cruciatæ, omnibus illam recipientibus datur facultas eligendi confessarium ab Ordinario approbatum, qui absolvat eos ab omnibus peccatis, & censuris non reservatis toties, quoties, ac reservatis Pontifici etiam in Bulla Cœnæ (excepta hæresi) semel in vita, & semel in morte. Quæritur ergo modo, an regulares, sive Religiosi sint, sive moniales, absque licentia suorum prælatorum possint eligere virtute hujus indulti Bullæ Cruciatæ confessarium exterum sæcularem, vel Religiosum ab Ordinario approbatum, à quo ab omnibus peccatis liberè absolvi poterit.

Posse per Bullam regulares eligere Confessarium extraneum, qui eos absolvat ab omnibus reservatis aliquibus sunt.

96. Prima ergo sententia erga primam difficultatem absolutè, & universaliter asserit virtute Bullæ Cruciatæ posse omnes regulares utriusque sexus, eligere confessorem exterum regularem, vel sæcularem, à suo Ordinario approbatum, qui absolvat eos tam à non reservatis, quàm à reservatis, sive à Pontifice, sive à suo Ordine. Probatur hæc sententia hoc discursu. Nam ex verbis Bullæ conceditur etiam Religiosis, ut uti possint illius indulto in Ordine ad eligendum Confessorem, quem voluerint, qui eos absolvat ab omnibus peccatis, & censuris cuicumque reservatis, etiam Sedi Apostolicæ, modo dicto *præcedenti num.* & latè à nobis *tom. 2. tr. 10 de censuris c. 2.* explicato; sed non dantur alia diplomata pontificia simile indultum revocantia: ergo possunt regulares uti illo, non minus ac sæculares bullam recipientes, in ordine ad eligendum sibi confessarium, à quo absolvantur ab omnibus peccatis, & censuris tam reservatis, quam non reservatis. Consequentia, supposita majori, & minori, est manifesta. Major autem probatur primo ex illis verbis generalibus Bullæ: *Omnibus fidelibus utriusq; sexus, cujuscumque conditionis, & qualitatis, &c.* Quibus verbis manifestè comprehenduntur Religiosi, & moniales: nam concessio generaliter est intelligenda, *c. solito, §. finali, de majoritate, & obedientia.* Et ideo in ipsa bulla, facta expressa mentione sæcularium, & regularium, concedit omnibus facultatem edendi ova, & lacticinia; & à facultate ista pro diebus Quadragesimæ excipit Religiosos: sed in facultate eligendi confessorem generaliter loquendo de regularibus, & sæcularibus, nulla apponitur exceptio: ergo in illa Religiosi comprehenduntur.

97. Se-

validissima ratione hæc sententia probatur.

97. Secundo: quia hoc expressè habetur in Bulla Pij IV. ut inquit Manuel Rodriguez *in expositione Cruciatæ, §. 9. num. 24. conclus. 5.* & eam se vidisse testatur Salas *quæst. ultim. in Bull.* & ex ipso verba concessionis affert Castrus Palaus *tract. 25. punct. 8. §. 2. num. 5.* quæ sunt ista: *Concede su Santidad que todas las demas personas, aunque sean Religiosos, y de las Ordenes mendicantes, sinque tengan licencia de sus Superiores gozen del dicho Jubileo plenissimo, y puedan elegir Confessor, Clerigo, o Religioso, elqual oyga su confession lespueda absolver de todos sus peccados, quanto quier graves, y enormes, &c.* & infra: *y quiere su Santidad, que cada vez, que tomaren esta bulla gozen de nuebo de todas las otras, que hubieren tomado; specialmente de esa gracia de elegir Confessor, y ser absueltos plenariamente, aunque sean (como dicho es) Religiosos, o Religiosas, aunque sean mendicantes, sin licencia de sus Superiores.* Et sic attento tenore Bullæ Cruciatæ, & præscindendo ab aliis diplomatibus pontificiis posse Religiosos eligere modo dicto Confessarium, quem voluerint, ferè omnes Doctores, etiam ex his, quos pro opposita sententia infra citabimus, docent. Quod non caret rationabili causa: quia sicut aliquibus hæc amplissima facultas eligendi confessorem ansam peccandi præberet, aliis difficultas recurrendi ad Superiorem pro commissis occasio esset, ne statim à peccatis resurgerent, sed in gravioribus relabantur, & continuo pejores fiant. Unde monet D. Thomas *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæst. 4. Peccaret Sacerdos, sinon esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri, quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiteri vellent. Unde illi qui sunt minus soliciti, ut conscientias subditorum per Confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & consequenter sibi ipsis.* Ob idque in nostra Sacra Religione, ut fratrum conscientiæ liberius mundarentur, nullus datur casus reservatus præter casus Papales, qui sunt de jure communi in omnibus religionibus Prælatis, aut Pontifici reservati *1. part. cap. 4. n. 3.*

98. Deinde illa minor hujus discursus, quod non dentur aliquæ Pontificiæ dispositiones contra dictum indultum Cruciatæ, illud revocantes, probatur in his, quæ communiter circumferuntur, specialiter Clement. VIII. & Urb. VIII. quas infra dabimus, in quibus non suffragari Bullam Cruciatam pro Religiosis, aut monialibus habetur; has autem contra dicta non militare probatur. Tum quia tales constitutiones revocantur per subsequentem bullã, quæ quotannis publicatur, in qua revocantur omnia contraria: quod maximè procedit mortuo illo Pontifice, qui tales edidit constitutiones; qui cum non potuerit ligare manus successorum, eo ipso, quod isti de novo concedant cruciatam, intelligitur concessa, ut sonat, absque aliqua limitatione. ¶ Tum etiam: quia pro Constitutione Urbani VIII. confirmativa alterius à Clem. VIII. supplicatum fuit in Hispania à Comissario Generali, ut inquit Leander *tom. 1. tr. 5. de Pœn. disp. 12. q. 58.*

Non obstare dictis Bullam Clement. VIII. & Urb. VIII. ostenditur.

*ad 8.* ubi affirmat, sic sibi respondisse M. Arauxo: quod & ipse Arauxo *in decision. mor. tract. 1. quæst. 8. num. 28.* testatur dicens: *De mandato, & Ordine Regis nostri Philippi IV. supplicatum esse per Commissarium Generalem.* Et juxta doctrinam M. Serra *1. 2. quæst. 95. art. 3. §. nunc ergo*; dum ab aliqua lege pontificia supplicatur, interim ejus obligatio suspenditur, & non peccat, qui illam non servat. Et legislator audita supplicatione; etiam si nihil respondeat, sed taceat, censetur consentire, & legis obligationem tacitè auferre. § Tum denique arguit Basilius Pontius *lib. 8. de matrimon. cap. 19. §. 2. num. 13. & 14.* & ex professo *in manuscriptis de Pœnit. quæst. ult.* Quia privilegium Bullæ non est gratiosum, sed per modum contractus oneros, *do, ut des.* Nam recipiens dat eleemosynam, ob quam Pontifex largitur indulgentiam, ut omnes dicunt: sed privilegium per modum contractus revocari non potest à Pontifice, nisi ob gravissimam causam boni communis, & facta satisfactione partis, ut ex communi sententia diximus *hoc tract. cap. 2. num. 30.* cum ergo in præsenti nulla detur satisfactio Religionis pro eleemosyna ab eis elargita in receptione Bullæ; privilegia illius non debent intelligi verè à Pontificibus revocari; sed Bullas, quas ad petitionem diversarum Religionum dedere, magis esse ad terrorem Religiosorum, quam ad veram Cruciatæ revocationem. Quod ex eo probat Basilius, quia poterant Pontifices sine tanta Bullarum multitudine, uno verbo in bulla Cruciatæ addito totam ambiguitatem auferre, excipiendo Religiosos ab indulto eligendi confessorem, sicuti fecere in alio, pro lacticiniis. Cum ergo hoc verbum noluerint apponere in bulla, quæ quotannis concedunt scientes circa hoc tot inter Religiosos esse controversias, dicendum erit ipsos nunquam voluisse Bullæ privilegium coarctare, sed ad terrorem subditorum petitioni Prælatorum annuere.

99. Authores pro hac sententia sunt plures, & gravissimi. Eam tenent M. Arauxo, M. Pontius locis proximè citatis. Idèmque tenuisse M. Antolinez, M. Curiel Cornejo, & alios doctissimos Universitatis hujus Salmantinæ docet Villalobos *tract. 27. clausf. 9. n. 13.* quam ipse probabilem reputat, eamque tenet Ludovic. Lopez *in instruct. conscientia, tom. 2. c. 8. pag. 822. §. Propterea hic*, Eusebius Herrera *de stat. relig. c. 9. per totum.* Valerius *de differentiis utriusque fori, differentia 1. concl. 5. & verbo nullitas, differ. 5. n. 2. fine.* Seraphin. Freytas *in opuscul. de hoc edito, anno 1630.* Petrus de Leon. *de offic. & potest. Confess. p. 2. resolut. 11. n. 54.* Benedictus Remigius *in pract. tract. 5. c. 5. n. 9.* Henriquez *lib. 7. c. 22. n. 4. in Glos. litt. X.* pluribus citatis Magistris, & viris doctis hujus Universitatis. M. Bannez, Joannes Vincentius, Luna, quos refert Joannes à Cruce *in epitom. lib. 1 cap. 6. dub. 12. conclus. 3.* & ipse probabilem dicit Perez de Lara *lib. de trib. gratiis fol. 27.* Joannes Sanctius *disp. 44. n. 10. & 13.* Juniperus à Drepano *de casib. reserv. p. 3. disp. 7. qu. 5. c. 3. & sequ.* Acatius de Velasco

Diversi Authores hujus sententiæ fideliter referuntur.

Velasco *tom. 1. respons. mor. verb. Bulla, resol. 128. n. 15.* Mag. Fr. Anton. Baco Augustinianus *in Summ. disp. 36. c. 11.* ¶ Et probabilem dicunt Rodriguez *in explicat. Bullæ, §. 9. num. 25.* & latius *in qq. regular. tom. 1. quæst. 21. art. 10. conclus. 6.* Vincentius Candidus *tom. 2. disquisit. 24. art. 62. dub. 4. conclus. 8.* Villal. Joannes à Cruce *locis citatis.* Mour. *part. 3. c. 9. §. 8. n. 8.* Trullench. *in Bullam, lib. 1. §. 7. per totum in prima editione, & in 2. num. 27.* M. Barnabas Gallego *in Bull. cap. 12. clausul. 12. quæst. 58. ad 2. & quæst. 61. fine.* Corduba *de Indulgentiis q. 49.* M. Fr. Joannes Martinez à Prado *in Theolog. mor. tom. 1. quæst. 5. §. 5. per totum.* Et pro reservatis Pontifici Quintanadvenas *tract. 3. singul. 26. n. 3. & 4.* & pro aliis Religiosis Societatis Jesu Castro Palaus *tom. 4. tract. 25. disput. unic. §. 2* & pro omnibus Ludovicus à Cruce *in exposit. bull. disp. 1. c. 1. dub. 12. num. 2.* Thomas Hurtado *tom. 2. tract. 9. c. 5. num. 74.* Christophorus à S. Joseph *tom. 1. recept. opin 1. p. fol. 130. à num. 7.* Ludovicus à Conceptione *tom. 2. exam. tract. 1. §. 2. verb. Bulla, illation. 1 n. 5.*

Esse valde probabilem dictam sententiam defendimus.

100. Unde miramur hanc opinionem Patres Societatis Jesu tam acri censura inurere, ut illam passim improbabilem dicant: quamvis ut testatur Trullench. *lib. 1. in bull. §. 7. c. 1. n. 11. Nihilominus ab ipsis practicari hanc sententiam audivi à viro probo, ac fide digno: ex quo possumus de illis, ac de aliis idem judicium facere*: nimirum tenere ut probabilem istam sententiam. Sed causa hujus, quam assignat Doctissimus M. Martinez à Prado *tom. 1. c. 6. q. 5. §. 2. n. 7.* est, quia ut refert Eminent. Cardinalis de Lugo *infra citand. num. 154.* sexta Congregatio Generalis decreto 5. prohibuit, ne ullus ipsorum auderet, vel docere, vel in praxi contrariam sententiam tenere: quod & præceperunt RR. PP. Generales Societatis, ut latè Mendus *in Bul disp. 24. toto c. 15.* Escobar de Mendoza *l. 7. problem. 32. n. 559.* Sed quidquid sit de hoc eam improbabilem dicunt Suarez, Lugo, Palaus, Mendo, Escobar, Moya, Fragoso *infra citandi.* Tum propter tot, & toties repetitas Pontificum Ordinationes. Tum: quia ex opposito timeri posset magna disciplinæ Religiosæ relaxatio. Cæterum hoc retorqueri potest contra ipsos; nam plures ipsorum dicunt licere per Bullam Cruciatam Regularibus mortalia non reservata cuilibet Confessario confiteri; ex quô tamen major timeri posset relaxatio, quam si hoc ipsum diceretur de reservatis: nam reservata rarissimè committuntur, & mortalia frequenter. ¶ Quare hanc sententiam esse probabilem negare non possumus. Tum propter gravissima illius fundamenta. Tum etiam: propter tot doctissimos viros illam sequentes, & alios, qui eam probabilem arbitrantur, quorum plures post Constitutionem Clem. VIII. scripsere; alii post Constitutionem Urb. VIII. alij ante illas: imò alii post alias Costitutiones aliorum Pontificum, quæ in re, & secundum substantiam, idem ad dictæ Constitutiones Clementis, & Urbani continent. Et ideo post omnes Pontificum Constitutiones infra ad-

ducendas, Commissarius Cruciatæ in Regno Lusitaniæ, ut testantur Prado, & Trull. *loc. cit.* die 7. Mart. 1630. publico edicto declaravit omnes Religiosos sine Prælati licentia posse Bullam accipere, & ejus facultate uti, ad eligendum Confessarium, & obtinendam absolutionem à reservatis; ipsisque Prælatis Regularibus sub gravissimis censuris, ac pœnis prohibuit, ne subditis talem usum prohiberent, non obstantibus suorum Ordinum constitutionibus. Quod certè facere non posset, nisi cognosceret magnam hujus sententiæ probabilitatem.

Probabilior, & securior est sententia negativa

101. Sed his non obstantibus, tenenda est sententia negativa, quæ asserit Bullam Cruciatæ non suffragari Religiosis quoad illam clausulam eligendi sibi confessarium, qui possit eos absolvere à reservatis, absque Prælatorum licentia, & facultate. Hanc sententiam eligimus propter tot constitutiones Apostolicas concessionem Cruciatæ declarantes non proficere regularibus quoad articulum eligendi Confessarium, qui eos absolvat à reservatis. Has edidere Sixt. IV. an. 1473. pro Minoribus, Alex. VI. pro Cistercien sibus, Julius II an. 1509. & Pius V. an. 1571. pro Prædicatoribus, Greg. XIII. an. 1575. pro Jesuitis. Clemens VIII. an. 1599. pro nobis Discalceatis Carmelitis, & generaliter pro omnibus quorumcunque Ordinum mendicantium, & non mendicantium. Verba illius sunt: *Concessionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi confessorem, & absolvendi à reservatis, cum fratribus, & sororibus monialibus Ordinis prædicti* (scilicet Carmelitarum Discalceatorum) *ac aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum, & cujusvis instituti mendicantium, & non mendicantium, tam Provinciæ Hispaniæ, quam extra eum ubilibet, locum minime habere, neque censeri: sed nostræ intentionis existere, quod ijdem fratres, & moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint, Apostolicæ authoritate tenore præsentium perpetuo declaramus.* ¶ Et novissimè Urb. VIII. confirmans Bullam Clemen. VIII sui antecessoris 19. Jun. an. 1630. in Bulla, quæ incipit: *Innovatio constitutionis felic. recordation. Clem. Papæ VIII.* hæc habet: *Concessionem S. Cruciatæ quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à prædictis casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum Fratribus, & monialibus Fratrum Prædicatorum, & aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & instituti prædictorum mendicantium, & non mendicantium, tam Provinciæ Hispaniæ, quam extra eam ubilibet constitutorum locum minime habuisse, nec habere, nec illo modo suffragari potuisse, neque posse, &c.* & inf. *Sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quod ijdem fratres, & moniales quantū ad Sacramentū Pœnitentiæ, & Confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ quoad sibi reservata subjecti sint, tenore præsentium perpetuo declaramus.* Atque ita tenent omnes Doctores, quos n. 99. pro contraria dedimus,

dimus. Qui licet illam probabilem dicant, hanc ut probabiliorem amplectuntur. Insuper Martinus de Ledesma 2. *part.* 4. *qu.* 29. *art.* 2. *concl.* 2. Vivald. *de absol. n.* 25. Miranda *tom.* 2 *qu.* 34. *art.* 15. Portell. *tom.* 2. *resp. mor. casu* 3. 4. *&* 5. *& in dubijs regul. verbo Cruciata, num.* 1. Escobar de Mendoza, *lib.* 7. *Problem. problem.* 32. *num.* 359. Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 29. Antonius à Spiritu sancto *in Director. Regular. tract.* 2. *disp.* 2. *sect* 1. *num.* 9. *& in Director. Confess. tract.* 5. *disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 1331. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 9. *lib.* 2. *cap.* 16. Garcia *de Beneficijs* 2 *part. cap.* 5. *num.* 64. Mendus *in Bull. disp.* 24. *cap.* 12. *&* 13. Fragoso *tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 2. *disp.* 7. *n.* 16. *&* 25. Palaus *tract.* 25. *disp. unic. punct.* 8. §. 2. *num.* 2. Lugo *de Pœnit. disp.* 20. *sect.* 9. *n.* 153. Moya *tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 8. *n.* 24. Petrus de Ledesma *de Sacram. Pœnit. c.* 13. *concl.* 1. *dub.* 15. Reginald. *in Praxi tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 3. *n.* 37. Bordon. *tom.* 2. *resol.* 34. *n.* 42. Diana 1. *part. tract.* 11. *resolut.* 14. *&* 3. *part. tract.* 4. *resol.* 43. & alii.

Solvuntur fundamenta contraria.

102. Undè ad contrarium fundamentum respondetur, admittendo majorem, & negando minorem: ut constat ex Bullis *num. præcedenti* adductis. Et ad probationem primam in contrarium respondetur minimè revocari per Bullam Cruciatam, quotannis concessam, tot Constitutiones Apostolicas. Tum: quia in eis dicitur; *non esse, nec fuisse unquam mentis nostræ, & Sedis Apostolicæ*, &c. Et quæ nomine Sedis Apostolicæ expediuntur, non expirant morte concedentis. Tum etiam: quia rationem talis concessionis reddit Gregorius XIII. hujusmodi: *Cùm ratio doceat & experimento compertum sit, religionibus valdè pernicioſum existere, ut eorum Religiosis licitum sit confessarium sibi eligere*, & non est credibile velle de novo Pontifices concedere, quod antecessores valdè pernicioſum religionibus arbitrabantur. Et sic dicendum erit nunquam esse, nec fuisse suam intentionem, Religiosos, aut Moniales in illa clausula velle comprehendere. ¶ Ad secundam dicimus de tali supplicatione non constare; & Bulla Urbani VIII. jam publicata, & recepta, non deberet esse quasi in suspenso ob secretam supplicationem non publicatam: & estò super hanc Bullam supplicatū fuisset, aliæ dabantur diversorum Pontificum Bullæ, quæ non erant per supplicationem suspensæ. ¶ Ad tertium dicimus: quòd cùm Religiosi non ignorent, propter tot Pontificum decreta, illis prædictam clausulam non suffragari, cum hac limitatione recipiunt Bullam propter alia indulta in ea contenta; & sic nullus infringitur contractus: præter quam quod propter probabilitatem contrariæ sententiæ, cui possunt se conformare, possunt dictam Bullam absolutè recipere, ut etiam hoc indulto fruantur.

Suffragari Bullam Cruciatam Religiosis ad eligendum confessa-

103. Veniamus ad aliam difficultatem, an nimirum Religiosi, & Moniales possint sibi eligere confessorem virtute Bullæ Cruciatæ, quem voluerint, etiam externum (approbatum tamen ab Ordinario) etiam sine licentia suorum Prælatorum, qui eos absolvat à peccatis mortalibus non

rium, qui eos à nō reservatis absolvat, aliqui dicunt.

reservatis? Affirmat satis probabiliter prima sententia, adhuc suppositâ Constitutione Clementis VIII. & Urbani VIII. Et probat primò ex ipsa Bulla Urbani VIII. in qua declarat non prodesse Regularibus Bullam. *Quantum ad articulum eligendi confessarium, & absolvendi à prædictis casibus reservatis.* Et posteà *nostræ intentionis fuisse, & esse, quod quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, & confessionis administrationem, ordinaria dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ quoad sibi reservata subjecti sint.* Cùm ergò solùm excipiat facultatem eligendi sibi confessarium quoad reservata; videtur quoad non reservata concedere illam: sicuti quia Bulla excipit solùm quoad lacticinia in Quadragesima Regulares; quoad alias illas gratias in omnium sententia non manent excluſi: quia semper est verum, quòd exceptio firmat regulam in contrarium. ¶ Secundò: quia ex proœmio legis mens legislatoris colligitur, ut est vulgare principium apud omnes: quia ex legis, aut statuti proœmio, animus legislatoris, & totius decreti intentio, extensio, aut limitatio colligitur: sed ex Bulla Clementis VIII. quam innovat Urbanus VIII. fit simul mentio. *De electione confessarij, & absolutione à reservatis*, ubi dictio *&*, vim obtinet copulativæ; & in proœmio constitutionis Urbani VIII. solùm est sermo de electione Confessarii in ordine ad reservata; nam in eo dicit: *Non sine animi sui molestia cognovisse aliquos virtute Bullæ prætendisse eligere sibi Confessarium, qui eos à reservatis absolveret.* Solùm ergò pro reservatis dantur prædictæ constitutiones Pontificiæ limitantes privilegium Bullæ eligendi confessarium quoad Regulares. Ita sentiunt omnes Doctores, quos *num.* 98. dedimus, & expressè Mendo *c.* 18. *per totum.* Cruz *lib.* 1. *c.* 6. *dub.* 12. Leander *tom.* 1. *tract.* 15. *disp.* 12 *quæst.* 62. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 9. *num.* 25. Quintanad. eñas *singul.* 18. Rodriguez *in sum. tom.* 3. *cap.* 7. *num.* 2. *fine.* Thomas Hurtado *tract.* 9 *c.* 6. quod suo judicio, dicit: est res manifesta. Barnabas Gallego valdè probabilem, & securam in praxi vocat, *cap.* 12. *dub.* 172. Idemque asserit Diana *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 14 & *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 10. & *part.* 11, *tract.* 6. *resol.* 38.

104. Sed negativam sententiam probabiliorem judicamus. Quæ probatur primò: ex declaratione S. Congregationis tempore Gregorii XIII. ad petitionem Archiepiscopi Valentini D. Joannes de Ribera, quam referunt Suarez, Portel, Prado, Lezana, locis citandis, ubi dicitur: *Congregatio Concilij censuit quatenus gratia ex Bulla Cruciatæ pertinet ad Moniales non posse vigore facultatis in eadem Bulla concessæ, alios confessarios præter eos, qui ad audiendas confessiones ipsarum Monialium ab Ordinario approbati fuerint, eligere.* Et loquitur de Monialibus subjectis Ordinario: sed idem est de aliis Monialibus, & de aliis Religiosis, quia si illis privilegium Bullæ non suffragatur, non est cur istis opituletur. ¶ Secundò, quia Clemens VIII. & Urbanus VIII. in

Probabilior est sententia negativa,

in suis constitutionibus expressè dicunt: *suæ mentis fuisse, quòd Fratres & Moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, & confessionis administrationem suorum Prælatorum dispositioni subjecti sint.* ¶ Tertiò: ex ratione, quàm duo dicti Pontifices in supradictis Bullis adducunt: *Sanè cùm ratio doceat, & experientiâ compertum sit, religionibus perniciosum existere, ut earum Religiosis licitum sit confessarium sibi eligere.* Et sic totam illam facultatem ex se perniciosam eligendi confessarium voluerunt auferre. Hæc autem pernicies in eo primò consistit, quòd facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi, ut ex D. Ambrosio dicitur, *in cap. Est justa 23. q. 4.* & ob id Ecclesia in gravioribus criminibus consuevit plura reservare, ut difficultas obtinendæ absolutionis, ab illis retrahat, & evertat. Secundò: quia non modica esset monasteriorum perturbatio, si Religiosi possent Clericis confiteri, & Moniales inquietarentur, & prærexta confessionum Regulares, & seculares passim ad se vocarent, quod Prælati non possent impedire: quia id, quod à Superiori, nempè Papa conceditur, nec debent, nec possunt impedire inferiores Prælati.

Solvitur præcipuũ fundamentũ cõtrariæ sententiæ.

105. Denique probatur hæc sententia ex præcipui contrarii fundamenti solutione, quæ ex verbis Eminentissimi Cardinalis de Lugo placuit adhibere, qui *num. 199.* ita inquit: Respondeo alium dive sum esse sensum illorum verborum: *quoad sibi reservata.* Non enim referuntur ad Prælatos, sed ad Sedem Apostolicam, cui immediatè apponuntur: ita ut sensus sit, Religiosos subjici debere dispositioni suorum Prælatorum, atque etiam Sedis Apostolicæ quoad reservata eidem Sedi Apostolicæ. Voluit autem Pontifex addere illa verba: *quoad sibi reservata*, non ut limitaret decretum Clementis; sed ne daretur causa errandi: addidit etiam illa verba: *& Sedi Apostolicæ*, quæ non erant in decreto Clementis; ne fortasse dum dicebatur absolutè, Religiosos pendere omninò à suis Prælatis, ut sicut sine illorum licentia à nullo peccato mortali possunt absolvi; ita de eorum licentia possent ab omnibus peccatis absolvi. Quod cùm jure communi falsum sit, propter peccata aliqua Summo Pontifici reservata, à quibus sine speciali licentia Pontificis non possunt à Prælatis absolvi; ideò addita sunt ad tollendam hanc errandi occasionem illa verba: *& Sedi Apostolicæ quoad reservata.* Quoad reliqua enim dependent à sola Prælatorum dispositione, &c.] Ideò hanc sententiam tenet ipse, *disp. 20. sect. 9. num. 125.* Lezana *cap. 19. n. 129.* Prado *cap. 6. quæst. 6. §. 2. n. 5.* Suarez *suprà, cap. 16. à n. 3.* Beja *3. p. respons. moral. casu 16.* Portel. *tom. 2 respons moral. casu 5. nu. 13. & 17.* Bardi *1. p. tract. 2. cap. 5. sect. 2. §. 4.* Moya *tract. 3. disp. 8. num. 10.* Antonius à Spiritu sancto *utroque loco suprà cit.* Bordon. *resolut. num. 42.* Barbos. *ad cap. 7. Concil. sess. 13. n. 25.* & alii.

Ex licentia Prælatorum

106. Sed nota: quòd si adsit licentia expressa, tacita, vel præsumpta Prælati utendi Bullâ quoad electionem

possunt Religiosi, Bullâ Cruciatæ uti ad eligendũ sibi confessariũ.

nem Confessarii, etiam pro reservatis, poterit Regularis confessarium extraneum eligere, qui eum absolvat secundùm amplitudinem concessionis: quia Pontifex non aufert à Prælatis regularibus potestatem, ut suis subditis licentiam concedant utendi Bullâ, etiam ut absolvantur à reservatis. Sic enim verificatur quod intenditur ab Urbano VIII. quòd subsint dispositioni Prælatorum, & quòd Clemens VIII. præcepit Prælatis, *ut in usu hujus potestatis se cum suis subditis benignos, & faciles exhibeant.* Sufficit ergò tacita eorum licentia, ut si vel ipsi liberè, & absolutè Bullam concedant, vel videntes eâ uti subditos taceant; quia qui tacet potens impedire, & non prohibet, sanè consentire videtur. Thomas Hurtado *tract. 9. cap. 4. n. 60.* Henriquez *lib. 7. cap. 22. nu. 4* Rodriguez *in Bull. §. 9. num. 25. conclus. 3.* Hurtado de Mendoza *de Fide, tom. 1. disp. 84. sect. 6. §. 104.* Leander *tract. 5. disp. 129.* Candid. *tom. 2. disquisit. 24. art. 62. dub. 4. conclus. 8 fine.* Bardi *1. p. tract. 2. cap. 5. sect. 2. §. 5.* & dicit esse probabile Ludovicus à Cruce *disp. 1. cap. 1. dub. 13. n. 1.* & satis probabile, & pium Trullench. *lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. n. 28.* ¶ Hinc fit in mea Religione, in qua adeò benignè Prælati circa libertatem conscientiæ subditorum se gerunt, ut nullis nexibus præpediti citiùs à casu si fortè contingat, resurgant, nullum peccatum reservârunt; & aliàs Bulla quotannis ab ipsis subditis conceditur, sine ulla restrictione, aut limitatione: nec unquam audivimus illos velle quoad articulum istum eam coarctare, nec si scirent illa subditos uti (quod rarissimè continget, quandoquidem copiam maximam confessariorum pro Religiosis deputatorum in singulis Conventibus habent) illos ob hanc rationem punirent (quod nos cùm essemus in officio Provincialis, nunquam fecimus) sed potius illos remittere, ut Bullâ liberè utantur, posse Religiosos virtute illius cuilibet Sacerdoti approbato sæculari, vel Religioso confiteri arbitramur, qui eos à non reservatis, & à reservatis Sedi Apostolicæ, sicut & alios sæculares absolvere possunt, absolvant. Et hæc videtur mens Prælatorum tam amplè, & liberè Bullam concedentium.

## §. VIII.

### *De Privilegijs confessorum regularium in ordine ad absolvendum proprios Religiosos à casibus reservatis.*

Confessarij esse deputati à Prælatis nil aliud est, quàm ab eis esse approbati, & expositi.

107. DIximus jam suprà Religiosos non approbatos à suis Prælatis pro confessionibus Fratrum audiendis (ab illis nempè Prælatis, ad quos secundùm vel statuta, vel consuetudinem Religionis expectat confessarios exponere, & approbare, qui apud nos solùm est P. N. Generalis, & Provincialis) etiamsi approbati sint ab Episcopo, non posse nec licitè, nec validè aliorum Fratrum confessiones audire. Aliquando autem in privilegiis pro absolutione à talibus, vel talibus casibus, requi-

quiritur confessarium deputatum esse à Provinciali, v. g. Cæterùm non aliud intelligitur per hanc deputationem tam ad confessiones ordinarias, quàm extraordinarias, quàm quòd confessarius sit à Prælato expositus pro Religiosis confitendis, nisi alia detur in Religione consuetudo, prohibitio, aut constitutio, quæ apud nos nulla datur. Et sic ex vi privilegiorum deputationem requirentium, possunt Religiosi nostri ordinarii, vel extraordinarii pro Fratribus, aut Sororibus à Provinciali designati, absolvere illos, vel illas ab omnibus casibus in hujusmodi privilegiis cõcessis. Nam privilegia ista aliquid operari debent: sed si ultra deputationem generalem pro Religiosis, pro illis casibus specificè requireretur deputatio, nihil operarentur; siquidem confessarii tunc non ex privilegiis ipsis concessis, sed ex deputatione, seu commissione Prælati id efficerent, ergò, &c. Palaus *tom. 4. tract. 23. disput. unic. punct. 15. §. 4. n. 10.* Rodriguez *qq. regul. tom. 1. q. 62. art. 11.* Cruz *lib. 1. cap. 6. dub. 12. §. De dictis.* Antonius à Spiritu Sancto *in Director. regul. tract. 1. disp. 2. num. 49.* & *in Direct. Confess. tom. 1. tract. 5. disp. 16. sect. 7. n. 1355.* Urbanus ab Ascensione *folio* 298.

¶ Undè in hac parte maximè attendendum est ad regulas, constitutiones, ordinationes, consuetudines singularum Religionum. An nimirum usus privilegiorum, quem infrà adducemus, ipsis impediatur, vel limitetur? Prælati namque subditis usum privilegiorum valent impedire: nam licèt sint concessiones Pontificiæ, quæ non videbantur infringi posse ab inferioribus, cùm sint primò, & per se Religioni concessa, ea restringere quoad usum possunt Prælati, prout ipsis expediens videbitur: quod Bullatis privilegiis multoties ipsis cõcessum est. Ita concessit Julius II. *Bullâ 16.* & Pius V. *Bullâ 13. Prædicatoribus.* Leo X. *Bullâ 24. pro Minoribus.* Sixtus IV. *in Mar. magn. Carmelit.* Clemens VIII. & Urbanus VIII. privilegiis suprà *num.* 101. relatis. Unusquisque ad statuta, & ordinationes suorum Prælatorum attendat, quia modum in suo Ordine præscriptum omninò servare debet, & secundùm illum, & non aliter potest privilegiis uti. Lezana *tom. 1. cap. 18. n. 26. & 27.* & *cap. 19. num. 12. 29. & 41.* Suarez *tom. 4. tract. 10. de relig. lib. 9. cap. 2.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 2. nu. 85.* Joannes à Cruce *suprà dub. 13. conclus. 2.*

Qui possunt à reservatis Pontifici absolvere, possunt etiã à reservatis Prælatis.

108. Cæterùm hoc ipso, quòd Religiosi virtute privilegiorum possint absolvere à reservatis Papæ, multò magis possunt à reservatis à suis Prælatis, nisi aliàs de hoc daretur prohibitio Prælatorum in contrariũ, quæ ferè semper datur, ubi reservati inveniuntur; siquidem ad minus in ipsa reservatione, & aliis prudentibus statutis, hæc facultas ab inferiori adimitur, & superiori reservatur. In mea autem Religione nullus à Prælatis casus reservatus datur, nullaque ex legibus prohibitio, aut consuetudo, quæ restringat facultatem confessariorum, ut omnibus in jure, aut

privilegiis concessis facultatibus utantur. *Deus nobis hæc otia fecit.* Ideò omnibus privilegiis infrà adducendis uti libetè possunt, & etiam Confessarii aliorum Ordinum, in quibus hoc nec ex legibus, Prælatorum ordinationibus, aut consuetudine non limitatur. Et cum hac limitatione semper intelligenda sunt omnia, quæ infrà dicemus. ¶ Et ne multiplicatione terminorum materia hæc fusiùs, quàm par est, extendatur: Supponendum est ab omnibus casibus, censuris, & pœnis, à quibus dicemus posse confessarios religiosos, alios sui Ordinis Religiosos absolvere, posse etiam Novitios, & moxingressuros Religionem, Donatos, & famulos, commensales, qui omnes nomine Religiosorum quoad favorabilia veniunt, & Religionis privilegiis omnibus, quoad hoc fungi valent.

Ab omnibus casibus, à quibus possunt Episcopi, possunt regulares confessarii suos Religiosos absolvere.

109. In primis possunt Confessarii regulares ab omnibus casibus à jure, vel ab homine Episcopis reservatis suos Religiosos absolvere: & sic ab omnibus illis, quos jure ordinario possunt Episcopi, sive à jure sint ipsis commissi, sive ab eis in specie reservati: & hoc toties, quoties, ex privilegio Bullæ Sixti IV. quod refert Peyrin. *tom. 1. privileg. ad constit. 2. Sixti IV.* §. 4. Qualiter de reservatis ab Episcopis hoc intelligendum sit, diximus suprà. Ex quo fit, quòd, cùm omnes casus Bullæ Cœnæ, si sint occulti, excepta hæresi, sint Episcopales, à jure Concilii Tridentini ipsis concessi, ab his omnibus virtute hujus privilegii toties quoties absolvere valent, ut in simili diximus *tom. 1. tract. 10. de censuris cap. 2. n. 8.* ¶ Possunt etiam toties, quotes ab omnibus casibus, censuris, & pœnis, etiam publicis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, suos Religiosos absolvere, exceptis his, quæ in Bulla Cœnæ continentur ex privilegio Pauli III. pro Jesuitis, quod refert Lezana *tom. 3. verb. Confessor. num. 11.* & ex alio Sixti IV. pro Monialibus S. Claræ, quod affert Rodriguez *in Bullar. fol. 239. num. 44.* quibus confessarii nostri perfruuntur ob Bullam Clementis VIII. nobis concessam, quæ habetur *in Compendio Ordinis, fol. 184 num. 2.* Quæ omnia privilegia, indulta, facultates cæteris Ordinibus, Congregationibus &c. concessa, nobis ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis impendit: & etiam omnes, qui communicationis habent privilegium, hoc uti valent; nisi, ut diximus, speciale habeant statutum in contrarium; quod apud nos minimè datur, Lezana *suprà* Quintanadvenas *tract. 3. singul. 19. num. 3.* Portel. *in dubio regul. verbo confessor. erga Fratres, num. 7* Martinus à S. Joseph *fol. 588. nu. 8.* Antonius à Spiritu sancto *utroque loco cit. in Director. regul. nu. 31. in Director. Confess. n. 1347.*

Aliæ concessiones Pontificum pro confessariis Religiosorum.

110. Deindè deputati à Generali, vel Provinciali pro confessionibus Religiosorum, possunt toties, quoties illos absolvere, ab omnibus casibus Pontifici reservatis, etiam publicis, exceptis hæreticis relapsis, schismaticis, Apostolicarum litterarum falsariis, & ad infideles prohibita deferentes. Ita concessit Sixtus IV. *in*

*Mari*

*Mari magn. Carmelitar.* §. 26. confirmans aliâ Bullam Eugenii IV. quam posteâ ipse Sixtus IV extendit ad Moniales. Videatur Lezana *tom. 5. ad Mare magn. Carmelitar.* §. 62. *n.* 369. Undè ex vi hujus indulti possunt ab aliis casibus Bullæ Cœnæ absolvere, his exceptis: quia exceptio firmat regulam in contrarium; quod aliqui immeritò negant: quia dicunt quotannis in Bulla Cœnæ revocantur omnia privilegia in contrarium, non advertentes revocationem Bullæ Cœnæ solùm tollere privilegia Regularium quoad absolutionem sæcularium, non Religiosorum, de quibus modò loquimur, ut benè advertit Peyrin. *in addit. ad const. 4. Sixti IV. nu.* 16. citans Peregrinum, Naldum, & Molfesium. Undè refert N. Antonius à Spiritu sancto *in Director. Regul. disp. 2. sect. 1. num.* 47. posse ex vi hujus indulti absolvere ab hæresi, si non sit in eam relapsus; quia Pontifex solùm excipit in hæresim relapsum.

Aliæ circa idem concessiones Pontificiæ referuntur.

111. Possunt insuper Religiosi semel in vita eligere confessorem ex approbatis à Prælatis, qui eos ab omnibus casibus, nullo excepto, plenariè absolvat. Ita Sixtus IV. in Bulla Minoribus concessa, quam refert Lezana *tom. 1. cap. 19. n.* 17. & Gregorius IX. *Bullâ* 17. Leo X. aliâ Bullâ Religiosis de Veles concessa, prout refert Joannes à Cruce *lib. 1. cap. 6. dub.* 13. Idem concessit Eugenius IV. *Bullâ* 1. apud Rodriguez *in Bullar.* & Innocentius VIII. aliâ Bullâ, quam adducit Lezana *tom. 5. in Mari magn. Servitarum, fol. 996. ad* §. 53. quibus conceditur eligere posse confessorem, qui eos semel in vita absolvat ab omnibus casibus, & censuris, etiam ab illis propter quæ Sedes Apostolica consulenda esset, nullo excepto. Et cùm neque excipiant casum aliquem Bullæ Cœnæ, nec relapsum in hæresim, qui erat unus ex quatuor, propter quos Sedes Apostolica consulenda esset; sequitur neque hunc excludere. Pellizzar. *tom. 2. cap. 2. sect. 1. n.* 84. Bruno Cassaing. *tract. 5. cap. 4. propos. 2.* Cruz *loco citato.* Baun. *de Pœnit. tract. 4. quæst. 8. dub. 1. litterâ* E. Antonius à Spiritu sancto *in Direct. confessar. num.* 1349. ¶ Deindè quater in vita eligere possunt ex confessariis approbatis à suis Prælatis, qui eos plenissimè absolvat, ut concessit Paulus III. *Bullâ* 6. adducta à Magist. Joanne à Cruce *suprà*, & Leo X. vivæ vocis oraculo concessit Monialibus S. Claræ, ut quater in anno eligerent confessorem ejusdem Ordinis, qui eâdem plenitudine eas absolvat, ac facere posset Summus Pontifex, si ibi adesset: quod licèt fuerit oraculum, fuit ante Gregorium XV. & Urbanum VIII. & sic per novas Bullas confirmatum, juxta dicta *hoc tractatu, cap. 2. num.* 61. Sic Cruz, Bruno *locis citat.* Antonius à Spiritu sancto *in Director. Regul. nu.* 35. *& 36. & in Director. Confess. nu.* 1350. Portel. *nu.* 15. Rodriguez *tom. 1. quæst. 62 art.* 12. ¶ Possunt etiam Religiosi in omnibus festivitatibus Domini Sabahot, & B. V. & Fundatoris, qui apud nos est S. P. N. Elias, & omnium Sanctorum, eligere Confessarium, qui eos plenissimè absolvat. Ita concessit Leo X. *Bullâ* 46.

Monialibus S. Claræ , & pro die S.Catharinæ , quo loco apud nos est S. M. N. Theresiæ. Idem concessit idem Leo X. *Bullâ* 20. apud Rodriguez *in Bullar. fol.* 306. & Pellizzar. *tract.* 8. *c.* 2. *n.* 48. Ancillis beatæ Mariæ Virginis, addens præter dicta, festum S. Petri, & Pauli, & per totam Hebdomadam Sanctam.

Concessio amplissima pro periculo mortis.

112. Denique pro periculo mortis concessit Innocentius VIII. ut possent Religiosi eligere confessorem approbatum à suis Prælatis, qui eos ab omnibus censuris, & casibus, nullo excepto, absolveret cum omnimoda authoritate, ac si ibi Summus Pontifex præsens adesset. Cæterùm quia hoc fuit oraculum, accipe aliud Bullatum privilegium ejusdem Innocentii VIII. ejusdem tenoris, quod refert Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 62. *art.* 6. & aliud similiter Bullatum Sixti IV. *Bullâ* 45. quod refert Pellizzar. *sect.* 1. *n.* 84. qua concedit, ut in articulo mortis eligerent sibi quemcumq; confessorem tam regularem, quàm sæcularem , qui ab omnibus casibus eos absolveret , nullo excepto, & concederet illis S. Jubileum, seu omnes , & singulas indulgentias, quæ per omnes Romanos Pontifices prædecessores Sixti IV. concessæ fuerunt Christi fidelibus personaliter euntibus Romam anno Jubilei, & visitantibus Ecclesias ad hoc determinatas. ¶ Cæterùm licèt hæc Indulgentia pro vero mortis articulo reservetur, absolutio tamen ab omnibus reservatis statim effectum sortitur. Et sic absolutus à reservatis à Pontifice, vel à religione, non tenetur postea recurrere ad Prælatum: in quo differt ille, qui in casu dicto, virtute alicujus privilegii absolvitur, ab eo , qui solùm cum Sacerdote simplici ratione necessitatis à reservatis absolvitur : quòd hic postea coram Superiori comparere teneretur , & cum hoc onere absolutionem debet accipere; ille minimè: aliàs nihil operaretur privilegium, ut diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 2. & in præsenti tenent Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 28. Antonius à Spiritu sancto *in Director. regul. n.* 51. Fragoso 2. *p. lib.* 11. *disp.* 24. §. 15. *num.* 7. Palaus *suprà punct.* 15. §. 4. *nu.* 7. ¶ Sed licèt in dictis ptivilegiis aliquando periculum, aliquando articulus mortis ponatur, pro eodem accipitur in præsenti. Undè probabile periculum mortis sufficere ad illis utendum : quia licèt voces *articulus*, & *periculum mortis* in rigore significationis diversæ sint, ex usu tamen Ecclesiastico, in præsenti materia pro eodem usurpatur. Ut constat *ex cap. Si quis suadente*, 17. *quæst.* 4. *Cap. Eos, qui de sententia excommunication. in* 6. docet Gloss. *in cap. Pastoralis, de officio ordinandor.* Granados *de Pœnit. tract.* 10. *disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 10. Suarez *disp.* 26. *sect.* 4. *n.* 43. Aversa *quæst.* 16. *de ministr. Sacrament. Pœnit.* Diana 3 *par. tract.* 4. *resolut.* 71. & 5. *part. tract.* 7. *resol.* 59. Sanchez *lib.* 22. *in Decalog. c.* 13. *n.* 1. Leander *tract.* 5. *de Pœnit. disp.* 11. *q.* 17. & alii apud ipsos.

§. IX.

## §. IX.

### *De facultate, quam habent confessarij regulares dispensandi vota, & irregularitates suorum religiosorum.*

Quæ vota possunt regulares confessarij relaxare.

113. HUcusque de casibus, & censuris reservatis, pro quibus petitur absolutio, loquuti sumus: modo de votis, & irregularitatibus, ac alijs pœnis, pro quibus requiritur dispensatio loquimur. Pro pro supponendum est primo. Quod licet *relaxare* sit verbum commune ad commutationem, & dispensationem; propriè tamen pro dispensatione accipitur: quia per eam in totum, & absolutè vinculum tollitur, quod per *relaxare* significatur. Non sic in commutatione, in qua unum vinculum loco alterius subrogatur; unde in privilegiis semper accipitur *relaxare* pro *dispensare*, ut docent Lezana *tom. 3. verbo juramentum num. 24.* Bordon *tom. 2. resolut. 14. numero 16.* Urbanus ab Ascensione *tract. 2. part. 2. cap. 4. regul. 1. fol. 314.* ¶ Supponendum est secundo, regulares confessarios ea omnium aliorum vota, ac juramenta relaxare posse respectu aliorum fratrum (idem est de monialibus) in quibus possunt cum sæcularibus dispensare, ex privilegio Eugenij IV. quod refert Quintanadvennas *tract. 3. singular. 19. num. 9.* Et merito: quia non sunt deterioris conditionis religiosi quam sæculares: unde sicut ab omnibus casibus, & censuris, à quibus possunt regulares confessarij sæculares absolvere; possunt etiam suos fratres, ut docent Doctores communiter; ita in omnibus votis dispensare possunt cum istis, in quibus possunt cum illis. In quibus autem votis possint cum sæcularibus dispensare, vel illa commutare? latè diximus hoc tomo *tr. 17 de voto. c. 3.* Unde circa hoc non erit amplius immorandum.

Possunt regulares confessarij dispensare in omni irregularitate, in qua possunt Episcopi.

114. Loquendo vero de irregularitatibus, asserendum est, posse confessarios religiosos (nisi in religione detur statutum, lex aut consuetudo in contrarium, quæ apud nos non datur) cum illis dispensare toties, quoties in omnibus irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis dispensare. Ita concessit Sixtus IV. *Bulla 2.* quam refert Peyrin. *tom. 1. privilegior. §. 8. ad constitutionem Phyrhi num. 37.* in qua concedit ut possint dispensare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario. Quod concesit Concilium Tridentinum respectu Episcoporum, ut diximus *tract. 10. de censuris cap. 7. num. 62.* ubi etiam *cap. 8. n. 6.* quale homicidium voluntarium dicitur absolutè, & simpliciter declaravimus. Dicta *hoc numer.* tenent Peyrin. *loco citat.* Vega, Henriquez, Rodriguez, quos refert, & sequitur Portel. *in respons. moral. tom. 1. casu 3. numero 1.* Bauny *tom. 3. tract. 11. quæst. 58. littera F.* Quintanadvennas *tract. 3. singul. 19. num. 9.* Antonius à Spiritu sancto *in director. regul. tract. 2. disput. 2. sect. 2. num. 120* ¶ Et ex concessione Eugenij IV. Benedictinis bulla 1. &

ejusdem Eugenij IV. Minoribus, ut refert Rodriguez *in Bullar. fol. 171, nu. 9.* possunt regulares à Prælatis deputati cum fratribus dispensare in omnibus irregularitatibus, & inhabilitatibus, quovis modo contractis, sive ex delicto, sive ex defectu, etiam sedi Apostolicæ reservatis, excepta irregularitate bigamiæ, & homicidij voluntarij, & voluntariæ membrorum mutilationis. Joannes à Cruce *lib. 1. dub. 12.* Rodriguez *quæst. 62. art. 13.* Candidus *tom. 2 disquisit. 24. art. 61. dub. 6.* Quod etiam concessit Sixtus IV. vivæ vocis oraculo.

Aliæ circa dispensationem irregularitatum amplissimæ concessiones.

115. Immo, quilibet confessor mendicantium à suo Prælato pro confessionibus fratrum deputatus, semel in vita potest cum eis dispensare in foro conscientiæ super omnem irregularitatem, quacumque occasione contractam, ex universalissima concessione facta ab Eugenio IV. fratribus S. Hieronymi in Hispania, quam refert Rodrig. *tom. 1. qu. 63. art. 3.* Quæ concessio cum nullam excipiat, exemplo ad omnes se extendit, etiam ad illam, quæ provenit ex bigamia, aut homicidio voluntario. Nam licet hæc non veniant in generali concessione, sed semper exclusæ censeantur, utpote strictioris reservationis: hoc verum est, quando privilegium absolutè solum concedit facultatem dispensandi in omni irregularitate; tunc enim verificatur in generali concessione non venire ea, quæ si specifice peterentur, non esset Superior verosimiliter concessionis. Secus vero quando in privilegio illa clausula apponitur: *quavis occasione, aut causa contracta.* Quæ verba adeo generalia ampliant dispositionem ad omnia Rodrig. *loco cit.* Martinus à sancto Joseph *fol. 35. n 4.* Antonius à Spiritu sancto *n. 93.* ¶ Immo idem Eugenius IV. ut testatur Portel *in dub. regul. verbo confessor erga fratres, n. 19.* Concessit eisdem fratribus S. Hieronymi in Hispania, ut toties quoties possent confessarij religiosorum cum eis dispensare in omni irregularitate tam ex delicto, quam ex defectu, excepta bigamia, & homicidio voluntario. Et idem Portel. *n. 19.* refert aliam concessionem Pij IV. qua conceditur regularibus, ut eligere possint confessorem à suis Prælatis deputatum, qui eos absolvere possit à quavis irregularitate, ut possint officia ordinis recipere, & retinere. Sed an hæc duæ ultimæ concessiones fuerint oracula? plures dubitant: sed esto fuerint, quia fuerunt ante Gregorium XV. & Urbanum VIII. transierunt in bullata privilegia, & ideo suum obtinent vigorem, ut *cap. 2. num. 61.* diximus.

In omnibus pœnis Ecclesiasticis possunt regulares confessarij dispensare.

116. Denique possunt regulares Confessores pro fratribus deputati, cum suis fratribus in foro conscientiæ dispensare in omnibus pœnis ex quibuslibet delictis contractis, quales sunt inhabilitatis ad officia, privationis dignitatum, vocis, & loci, &c. Et quidem si sint à jure, vel ab homine reservatis Episcopis ex concessione Sixti IV. qua possunt in omnibus pœnis dispensare, in quibus possunt Episcopi jure ordinario: & sic in omnibus provenientibus ex delicto occulto: quia hoc conceditur Episcopis à Tri-

à Tridentino *sess. 24. cap. 6.* de reformatione, & ex alia Bulla Sixti IV. relata à Lezana *tom. 5. in Mari mag. Carmelitarum* §. 62. in qua concedit facultatem omnibus regularibus ad absolvendum fratres, ab omnibus pœnis ob quævis delicta, nisi talia sint, pro quibus sedes Apostolica esset consulenda: non tamen dicitur consulenda sedes Apostolica ob quævis delicta, sed ob illa quatuor specialia, de quibus supra diximus; nimirum ob relapsum in hæresim, ob schisma, falsificationem litterarum Apostolicarum, delationem prohibitorum ad infideles. Sic citatis Sotbo, Cruce, Fausto, Portel, Peyrin. Lezana, *tom. 5. in Mari mag. Heremitar. D. August.* §. 47. & 44. *num.* 24. Bruno *tract. 5. c. 4. proposit. 2. &* 3. Antonius à Spiritu S. *n.* 127. Videantur à nobis infra §. *11.* dicenda, siquidem in omnibus pœnis, & irregularitatibus, in quibus dicemus ibi posse cum sæcularibus dispensare, potiori jure possunt cum religiosis, qui non debent esse deterioris conditionis.

---

## §. X.

### *A quibus casibus, & censuris reservatis possint regulares confessarij sæculares absolvere.*

Aliqua scitu digna, & alibi tractata referuntur

117. POstquam egimus de regularibus confessariis comparatione ad alios religiosos tam proprios, quam extraneos; restat modo agere de illis comparatione ad sæculares. Sed quia plura, quæ hic fusius dicenda forent, in alijs locis hujus cursus sunt à nobis declarata, breviter modo per ista transiemus, ad locum, ubi ex professo acta sunt; Lectorem remittentes, ne multoties eadem repetamus. Igitur qualiter possint, vel non in præsentiarum regulares confessarij à casibus specialiter reservatis ab Episcopis sæculares absolvere, latè egimus *hoc cap. n. 3.* ubi videri poterunt. Qualiter in votis dispensati possint, vel ea commutare, etiam late egimus hoc volumine. *Tractatu de Voto cap. 3.* ¶ Pro aliis itaque casibus, & censuris sciendum est primò. Quod ut diximus *tom. 2. tract. 10. de Censur. cap. 2. n. 38.* qui habet facultatem absolvendi à casibus reservatis, quibus sunt annexæ censuræ, etiam habet facultatem absolvendi ab illis: quia excommunicatus v. g. prius debet ab excommunicatione liberari, quam à peccato absolvatur: ideoque si ab illa confessarius non posset absolvere, nec ab isto posset; & sic ad utrumque accipit facultatem, qui ad unum illam habet. ¶ Secundo sciendum est quod *ut ibidem n. 39.* diximus, per facultatem absolvendi concessam in Jubilæo, Bulla Cruciatæ, aut alio privilegio, à casibus, aut censuris reservatis Summo Pontifici, etiam possunt absolvere confessarij regulares & alij, qui illis funguntur indultis nominatim denuntiatos, sive à jure, vel ab homine talem excommunicationem habeant: quia nihil est in tali cognitione, quod absolutionem harum censurarum excludat, si in privilegio facultas concedatur ad omnia. Neque inde inferas (quod

( quod aliqui gravissimi Doctores faciunt, quos *ibi n.* 40. dedimus ) quod qui habet à summo Pontifice facultatem per Jubileum, Bullam, aut privilegium absolvendi ab omnibus casibus, & censuris sibi reservatis, possit etiam absolvere à casibus, vel censuris ab Episcopo sibi reservatis, propter prohibitionem Alexandri VII. quam ibi retulimus; quæ quomodo intelligenda sit in hac parte, suprà hoc capite *n.* 7. diximus.

Alia alibi dicta recensentur

118. Tertio sciendum est, quod ut *supra n.* 40. diximus, quando casus est reservatus, & illi est annexa censura ob quamcumque rationem, censura non incurratur, vel post incursionem tollatur casus manet absque reservatione. Unde si quis extra confessionem accipiat absolutionem censuræ, quod fieri posse omnes ferè dicunt, potest à quocumque confessario ab illo peccato reservato absolvi, ut de casu hæresis diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 4. *n.* 62. De casibus dubiæ reservationis plura diximus *in præsenti Cap n.* 9. ¶ Sciendum est quarto quod ab illis casibus, & censuris, à jure, vel ab homine latis, & quæ nulli reservantur, potest quilibet confessarius absolvere, ut dicto *Tract. de censur. cap.* 2. *n.* 44. probavimus. Imo *ibidem nu.* 41. diximus, quod quando in privilegio conceditur absoluta facultas absolvendi à Censuris, etiam de reservatis summo Pontifici, intelligitur (exceptis censuris in Bulla Cœnæ contentis) quæ sunt strictioris reservationis, alias nihil concederet, ut ibidem probavimus.

119. Qualiter autem in periculo mortis, & in casu urgentis necessitatis possit quilibet confessarius, etiam à reservatis Summo Pontifici, quicumque illi sint, absolvere, diximus *ibi. numero* 45. & 46 & qualiter præsentari postmodum debeant, data opportunitate, qui ob periculum imminens, à reservatis Superiori ab inferiori absolvuntur, transacto illo periculo, ibi, & *num.* 66. latè tractavimus. Et in *num.* 64. posuimus impedimenta, ratione quorum legitimè potest recursus ad sedem Apostolicam impediri. Et *num.* 68. omnes moniales, immo omnes mulieres habere perpetuum impedimentum, ut non possint ad sedem Apostolicam recurrere pro absolutione à reservatis Pontifici, probavimus. Quibus si jungas id, quod dicunt Peyrinis *ad constitut.* 1. *Julij* II. §. 36. *num.* 67. Delbene *tom.* 2 *cap.* 19. *dub.* 69. *num.* 16. Pasqualig. Leander à Murcia, Coucers, quos refert Diana 9 *part, tractat.* 6. *resolut.* 51. & *tract.* 9. *resolut.* 61. Quod quando impedimentum recurrendi ad Superiorem est perpetuum, jam casus ille, qui cum sit jure ordinario reservatus, pertinet ad Episcopum; cum jam tales casus non sint Papales in his, qui tali impedimento perpetuo afficiuntur, poterunt eos ab illis absolvere quicumque confessarij, qui possunt ab omnibus absolvere, quæ possunt Episcopi, seu ab omnibus Pontifici non reservatis.

Alia aliis locis agitata, tanguntur.

120. Qui-

Regulares possunt sæculares ab omnibus casibus extra Bullam Cœnæ contentis, absolvere.

120. Quibus sic breviter attactis, quæ alibi fusius jam diximus. In primis modo dicimus: quod regulares confessarij à Prælatis expositi, & ab Episcopo approbati (hujusmodi sunt dumtaxat, qui nomine confessarij regularis veniunt respectu sæcularium) possunt extra Italiam omnes sæculares ab omnibus casibus, & censuris absolvere, quæ sunt reservatæ Pontifici, exceptis illis, qui in Bulla Cœnæ continentur. Ita concessit Sixtus IV. fratribus Ordinis Prædicatorum in Regnis Castellæ, & Legionis, prout refert Rodriguez *tom. 1. quæst. 62. artic. 3.* & Leo X. Minoribus apud *Confectium bulla 9. fol. 144.* ibi: *à quibuscumque casibus etiam Apostolicæ sedi reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, absolvere possint.* Idem concessit Clemens VII. Bulla 2. apud Bordon. *tom. 2. resolut 6. nu. 36.* Ac denique Paulus III. id ipsum concessit Patribus Societatis Bulla 7. quam refert Lezana *tom. 1. cap. 19. n. 16* ubi concedit facultatem absolvendi sæculares: *ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravioribus, & enormibus, etiam sedi Apostolicæ reservatis, & à quibuscumque ex ipsis casibus resultantibus sententiis, & censuris, & pœnis Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi.* Quæ omnia non esse revocata per decretum Clementis VIII. seu Congregationis de mandato illius edito anno 1601. & aliud ejusdem Sacræ Congregationis, sub eodem Clemente VIII. & de mandato illius anno 1602. in quibus alij casus postea recensendi præter contentos in Bulla Cœnæ continentur. Quia illa decreta, ut ex eorum verbis constat, solum loquuntur intra Italiam, & extra urbem: Unde extra Italiam posse dictis privilegiis cum omni sua amplitudine uti, constat ex novissima declaratione Sacræ Congregationis die 17. Novemb. 1628. ab Urbano VIII. approbata ubi dicitur: *ab aliis verò casibus* (scilicet præter casus Bullæ Cœnæ) *& censuris sedi Apostolicæ reservatis, siquidem regulares habeant à sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minime sublatam fuisse, eisdem Sacræ Congregationis decretis hac de re editis jussu sanctæ Memoriæ Clementis VIII.*

Aliqua, quæ ex doctrina tradita sequuntur.

121. Ex quo sequitur primo, in Hispania, Gallia, Germania, & aliis Provincijs extra Italiam posse Confessarios regulares absolvere ab illis casibus exceptis in constitutione sub Clemente VIII. qui in Bulla Cœnæ non continentur. Nimirum à censuris ob violationem immunitatis Ecclesiasticæ, juxta constitutionem Gregorij XIV. *Cum aliàs*, ab excommunicatione incursa ob violationem clausuræ monialium ad malum finem; & ab ea, quam incurrunt provocantes, & pugnantes in duello in terminis Concilij Tridentini; Simoniæ realis scienter contracta excommunicatione, atque etiam confidentiæ beneficialis; ac denique ab ea, quæ contrahitur ab injicientibus manus violentas in clericos, sive læsio fuerit levis, sive enormis; & à quibuscumque alijs casibus Papalibus extra Bullam

lam Cœnæ contentis: quia in dictis privilegiis, isti solummodo excipiuntur; & exceptio firmat regulam in contrarium. Miranda *qu. 46. art. 5.* Lezana *tom. 3. verbo Clericus num. 18. & verbo confessor. n. 6.* Bordon. *tomo 2. resolut. 61. num. 1. & resolut. 6. nu. 8.* Delbene *tom. 2. de jurisdict. Eccles. cap. 19. dub. 69. num. 52.* Palaus *tom. 4. tr. 23. disp. unic. punct. 14.* Urbanus *supr. fol. 220. reg. 8.* Antonius à Spiritu S. *in direct. regul. tract. 2. disp. 3. sect. 1. nu. 33. & in director. confess. tract. 5. disp. 16. sect. 3. num. 1359.* ¶ Sequitur secundo; posse absolvere à censuris, & pœnis incursis ob procurationem abortus fœtus animati; quia iste casus Papalis non est, sed Episcopalis, ob moderationem Gregorij XIV. qui abstulit reservationem, quam Gregorius XIII, illi imposuerat, ut diximus *tomo 2. tract. 13. cap. 2. numer. 67.* Sic Diana *5. p. tractat. 9. resolut. 40.* Pellizzar. *tractat. 8 capite 3. sect. 2. numero 97.* Peyrinis *ad constitut. 2. Julij II. §. 32. numero 65* ¶ Sequitur tertio: posse absolvere transgressores constitutionis Pij V. quæ incipit: *Decori, & honestati*, contra Moniales egredientes de clausura, nisi in casibus permissis, aut illis licentiam concedentes, audeat comitantes, vel recipientes; quia non est casus intra Bullam Cœnæ contentus, Lezana *verbo confessarius numer. 6. & verbo clausura numer. 20.* Sanchez *in summ. lib. 6. capite 15. num. 76.*

Alia, quæ ex proposita asserunt

122. Sequitur quarto: posse absolvere à criminibus, & censuris, quæ sunt S. Tribunali Inquisitionis reservata, & extra Bullam Cœnæ contenta. ut sunt sortilegium, maleficium, superstitio, magia, adoratio Dæmonum, solicitatio in confessione, lectio librorum hæreticorum, Sodomia, bestialitas, blasphemia hæreticalis, & omnia alia delicta, quæ in edictis S. Inquisitionis continentur, & quorum punitio pertinet privativè ad hoc Sanctum Tribunal, quoties hæc crimina non ex errore contra fidem proficiscuntur; sed ex avaritia, concupiscentia, ira, aliave passione, ut pluribus citatis diximus *tom. 2. tract. 10. de Censur. cap. 2. num. 91.* ¶ Sequitur quinto. Quod ab omnibus casibus, qui sunt jure ordinario Episcopis reservati, & extra Bullam Cœnæ continentur, possunt regulares absolvere: quia Paulus III. illis concedit facultatem absolvendi ab omnibus casibus, & censuris, etiam Pontifici reservatis. Ubi ly *etiam* adauget & amplificat concessionem; quasi dicat: ab omnibus cuilibet Prælato, etiam Pontifici reservatis. Præterquam quod, qui potest id, quod majus est, & difficilius; multo magis id, quod minus, & facilius. Ita communiter omnes. Sanchez *lib. 4 cap. 24.* Diana *de dub regul. resolut. 23.* Martinus à sancto Joseph *in Compend. verbo confessor. num. 4.* ¶ Sequitur sexto, posse non solum absolvere excommunicatos per sententiam generalem à jure, vel ab homine (si excipias specialiter ab Episcopis ipsis reservatos, propter dicta *num. 3.*) sed nominatim, & specialiter excommunicatos, seu aliis sententiis ligatos; dummodo hoc fiat prius

tione inferuntur, recensentur.

prius satisfacta parte, exceptis Bullæ Cœnæ casibus. Portel. *in dubiis regul. verbo Confessor regularis, num. 28.* Rodriguez *tom. 1. q. 6. art. 6.* Cruz *lib. 2. cap. 7. dub. 1. conclus. 1.* Avila *2. p. de Censur. cap. 7. disp. 1. dub. 5.* Suarez *tom. 4. lib. 9. cap. 2. num. 22.* Pellizzar. *num. 38.* Thom. Tambur. *in Methodo, cap. 6. §. 4. lib. 3. num. 12.* An vero valeat absolutio, partis satisfactione non præmissa, & alia huc pertinentia, vide quæ diximus *tom. 2. tract. 10. cap. 2. punct. 2. à n. 23.*

Alia ex eodem principio illata proponuntur.

123. Denique sequitur, ab omnibus casibus, & censuris hucusque dictis posse toties quoties absolvere, etiamsi casus publici sint; imò si sint deducti ad forum contentiosum: quia dicta privilegia absolutè concedunt à prædictis casibus posse absolvere sine ulla limitatione; & sic limitanda à nobis non sunt, cum sint animabus favorabilia: maximè quia sedes Apostolica quando vult excipere casus deductos ad forum contentiosum, id exprimit, ut fecit Tridentinum *sess. 24. cap. 6. de Reformatione.* Sed in dictis privilegiis non excipiuntur: in illis ergo continentur. Quando vero delictum ad forum contentiosum deductam judicetur, latè diximus loco citato *cap. 2. à num. 60.* Quæ modo diximus tenent Sanchez *lib. 6. cap. 17. num. 43.* Delbene *tom. 2. cap. 19. dub. 82. num. 2.* Pellizz. *num. 90. & 92.* Vega *in Summ. cap. 62. casu 1.* Delrio *disquisit. Magicar. lib. 6. cap. 1. sect. 13.* Palaus *tract. 25. punct. 18. num. 11.* Bruno *tract. 5. dub. 2. propos. 3.* Avila *dub. 12.* Thomas Tamb. §. *4. n. 12.* Trullench. *lib. 1. in Cruciat. §. 7. cap. 2. dub. 10. num. 1.* Unde absolutio à dictis censuris, sive ab homine, sive à jure latis, prodest etiam pro foro externo; sed ut pro illo valeat, debet pœnitens in scriptis afferre illius testimonium à suo confessore, & debet acceptari à Prælato: interim in foro externo se gerere debet ut excommunicatus, ne tribunal externum perturbetur; & semper debet supponi satisfactio partis. Trullench. Palaus, Avila, Tambur. *locis cit.*

## §. XI.

### *Possintne modo regulares confessarij à casibus & censuris Bullæ Cœnæ occultis, sæculares absolvere?*

Casus in Bulla Cœnæ Domini contenti recensentur.

124. GRavior modo restat difficultas de ipsis casibus, & censuris in Bulla Cœnæ Domini contentis. Sed ante resolutionem primo supponendum est, qui casus dicantur in Bulla Cœnæ Domini contenti? Illos adduximus, & explicavimus *tom. 2. tract. 10 de censuris, cap. 4. punct. 4.* sed quia eorum notitia summopere necessaria est, nunc libuit breviter eos recensere. Igitur in primo canone illius Bullæ excommunicantur omnes hæretici, schismatici, & negantes obedientiam sedi Apostolicæ, eorum fautores, receptatores, defensores, illorum libros legentes, imprimentes, retinentes, vendentes, ementes, defendentes, de quibus latè egimus eodem loco *dub. 2. & 3.*

¶ In aliis canonibus excommunicantur primo: Qui à mandatis, & sententiis Papæ ad futurum Concilium generale appellaverint, cujuscumque sint conditionis, gradus, vel status. ¶ Secundo: Piratæ, Cursarij, & Latrones maritimi, qui per mare Summi Pontificis, animo deprædandi fideles catholicos, currunt. ¶ Tertio: deprædantes bona naufragantium. ¶ Quarto: qui nova pedagia, seu gabellas in terris suis imponunt in casibus sibi à jure non permissis, & qui imposita augent, vel petunt. ¶ Quinto: Falsarij litterarum Apostolicarum. ¶ Sexto: qui equos, & arma, & eorum materiam ad Sarracenos, Turcas, Mauros, Judæos, Paganos, & hæreticos deferunt, vel illis auxilium præstant in damnum, & perniciem Catholicorum. ¶ Septimo: impedientes, seu invadentes eos, qui vectigalia, seu alia ad usum Romanæ Curiæ adducunt. ¶ Octavo: omnes, qui ad sedem Apostolicam convenientes, vel ab ea recedentes lædunt. ¶ Nono: Cardinales, Episcopos, Legatos, & Nuntios vulnerantes, percutientes, incarcerantes, vel hostiliter insequentes. ¶ Decimo: omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, deprædantes Romipetas, seu Peregrinos, ad urbem causa devotionis accedentes. ¶ Undecimo: occidentes, percutientes, vulnerantes, & auxilium, vel consilium ad id præbentes, eos, qui ad Romanam Curiam recurrunt super causis, & negotiis eorum. ¶ Duodecimo: qui prætextu frivolæ appellationis recurrunt ad Curias sæculares, ad quas appellant à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, & Magistratus prohibentes dictas litteras executioni mandari. ¶ Decimotertio: qui causas spirituales, vel spiritualibus annexas, à judicibus Ecclesiasticis ad se propria authoritate avocare intendunt. ¶ Decimoquarto: impedientes Prælatos Ecclesiasticos, ne sua jurisdictione contra quoscumque utantur. ¶ Decimoquinto: libertatem Ecclesiasticam directe, vel indirecte lædentes. ¶ Decimosexto: qui jurisdictiones, vel fructus, redditus, seu proventus Ecclesiasticos usurpant, vel sequestrant sine legitima facultate. ¶ Decimoseptimo: imponentes decimas, gabellas, vel alia onera directè, vel indirectè personis Ecclesiasticis, & ipsorum bonis, & ea exigentes. ¶ Decimooctavo: judices sæculares, qui se in causis criminalibus interponunt contra personas Ecclesiasticas processando, capiendo, aut proferendo sententias contra illas. ¶ Decimo nono: qui terras, loca, & jura subditione sedis Apostolicæ contenta in toto, vel in parte invadere, destruere, occupare, vel detinere præsumpserint.

125. Secundo supponendum est, non posse regulares ab his casibus sæculares absolvere, si publici sint. Et publici dicuntur, non qui probari possunt in foro externo, sed qui in majori parte viciniæ, Collegij, aut Monasterii sint noti; modo in his adsint saltem decem personæ: nam omnia privilegia, quæ solent adduci in contrarium, quotannis per Bullam Cœnæ revocantur. Quæ

A casibus Bullæ Cœnæ publicis nequeunt regulares confessarii absolvere.

Quæ revocatio eùm nihil operetur in ordine ad absolutionem Regularium, secundùm aliquorum sententiam, pro casibus occultis; ad minus tenebit pro publicis. Ita ex communi Palaus *part.* 14. *n.* 14. Portell. *verb. Bullæ Cœnæ, num.* 3. Diana 6. *part. tract.* 6. *n.* 54. Peyrinis *tom.* 3. *privilegiorum, cap.* 3. *num.* 35. Bruno *tract.* 5. *cap.* 2. *propos.* 3. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 3. *sect.* 2. *n.* 68. ¶ Tertiò supponimus, ab hæresi occulta non posse Confessarios regulares, sæculares absolvere. Quid autem intelligatur per hæresim, & alia huc pertinentia latè diximus *tract.* 10. *cap.* 4. *dub.* 3. *per totum.* Ratio est: nam in privilegiis referendis, vel excipitur expresè hæresis, vel certè intelligitur excepta, nisi pro illa expresè facultas concedatur: quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verosimiliter concessurus, si ei specialiter peterentur. *Cap. In generali, regul.* 82. *de regul. juris in* 6. Immò, quàmvis ad omnes casus Bullæ Cœnæ concedatur facultas, si non exprimatur hæresis, intelligitur excepta, quia est strictissimæ reservationis, ut *loco citato* ex communi sententia diximus, *cap.* 2. *num.* 41.

Ab hæresi non possunt regulares confessarii absolvere.

126. Per quod manet solutum illorum fundamentum, qui dicunt posse Regulares ab hæresi absolvere: quia hæresis absolutio jure ordinario ad Episcopos spectat: sed Regulares possunt in hac parte quidquid Episcopi: ergò, &c. Sic Cousers, quem refert Diana 6. *part. tract.* 6. *resol.* 54. Bossius, quem refert Diana 5. *part. tract.* 12. *resol.* 35. Urbanus ab Ascensione *tract.* 2. *disput.* 1. *reg.* 8. Vidal. *de casibus reservatis, Inquisit.* 1. *num.* 99. Bassæus *verb. hæresis, n.* 18. Ubi dicit hanc opinionem visam, & toleratam esse ut probabilem in Consistorio Sacræ Congregationis die 18 Julii anno 1629. Sed illud fundamentum solutum manet ex dictis: quia non sufficit generalis concessio absolvendi ab omnibus casibus Episcopis reservatis, ut ibi intelligatur hæresis, nisi exprimatur, sicut exprimitur in concessione ipsa, quæ fit Episcopis à Concilio Tridentino.

A casib' in primo canone Bullæ Cœnæ cõtentis, qui hæreses nõ sunt, possunt absollvere.

127. Sed licèt ab hæresi non possint Regulares absolvere; esto possent ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, tamen possunt suppositâ hac sententiâ ab omnibus aliis criminibus primi canonis illius Bullæ, ut sunt apostasia à fide, quæ committunt fautores, & receptatores hæreticorum, eisque credentes, legentes, defendentes, imprimentes, retinentes libros hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, schismatici, & pertinaciter se substrahentes ab obedientia Sedis Apostolicæ. Quia hæc omnia, si absque intellectû errore committantur, hæreses non sunt, ut diximus *tract.* 10. *cap.* 2. *n.* 9. Et ideò per Bullam Cruciatam posse ab omnibus illis absolvi, etiamsi publici sint, docent tredecim Authores, quos ibi citavimus: & posse ab omnibus illis, virtute suorum privilegiorum Regulares absolvere, docent Portell. Frutas, Conincbus, quos refert Diana 1. *part. tract.* 6. *resol.* 8. Trullench. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 4. Vidal. *titul. de casib.*

*sib. reservat. Inquisit. 1. num. 150.* Antonius à Spiritu sancto *in Director. regular. tract. 2. disp. 3. sect. 1. nu. 48.* & *in Director. confess. tract. 5. disp. 16. sect. 8. n. 1366.*

Ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ occultis possunt confessores regulares sæculares absolvere.

128. Quibus suppositis, Dicendum, posse regulares Confessarios absolvere sæculares ab omnibus casibus, & censuris, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, hæresi exceptâ, si occulti sint, id est, non publici, aut notorii; & probatur sic. Quia omnes casus Bullæ Cœnæ jure ordinario competunt Episcopis si occulti sint; & sic jam non sunt casus Papales: sed Regulares possunt per sua privilegia absolvere ab omnibus casibus toties quoties, qui non sunt Papales, seu propter quos debeat consuli Sedes Apostolica, ut jam diximus: ergò à casibus Bullæ Cœnæ occultis possunt toties quoties absolvere. Ob hanc enim rationem diximus *tract. 10. de censur. cap. 2. n. 87.* virtute Bullæ Cruciatæ posse ab illis toties quoties absolvi: quia casus Pontifici reservati, si sint occulti, jam non sunt reservati Pontifici, cùm talis reservatio ablata sit per Tridentinum *sess. 24. cap. 6.* & reddita Episcopis facultas ordinaria, quæ illi antè competebat. Ideòque hanc sententiam docere tenentur omnes Authores, qui dicunt posse toties quoties absolvere à casibus Bullæ Cœnæ occultis, qui possunt à reservatis in jure Episcopis. Et isti sunt inter alios Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 54 num. 2.* Diana *3. p. tract. 2. resol. 13.* & *in addition. resolut. 17.* & *8. part. tract. 7. resolut. 71.* Bassæus *verbo hæresis, num. 18.* Thomas Hurtado *tom. 1. resolut. moral. tract. 5. cap. 4. resol. 16. num. 127.* Marcus Vidal. *de casib. reservat. Inquisit. 1. à nu. 121.* Mendo *in Bull. d sp. 23. cap. 5. nu. 61.* Leander *tom. 4. tract. 17. quæst. 84.* Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 6. num. 5.* Magister Acatius de Velasco *tom. 2. resolut. moral. verbo Absolut. resolut. 5. num. 11.* Quare in nostro casu posse Regulares ex vi suorum privilegiorum absolvere à casibus Bullæ Cœnæ occultis, neque talia privilegia revocari per Bullam dictam Cœnæ; quia revocatio, quæ in illa fit privilegiorum, solùm intelligitur de dictis casibus, quando sunt publici, non verò quando occulti, tenent Urbanus ab Ascensione *disp. 1. tract. 2. cap. 1. regul 8.* Sanchez *num. 27.* Trullench *dub. 3. & 6.* Palaus *de censur. tract. 3. punct. 24. §. 23. n. 19.* Antonius à Spiritu sancto *in Director. confess. tract. 5. disp. 16. sect. 8. nu. 1363.* Peyrin. *tom. 1. privilegiorum, constit. 4. Sixti IV.* Bauny *tom. 1. tract. 4. de Pœnit. qu. 32.* & *tom. 2. de censur. d sp. 3. tract. 2. qu. 16.* Diana *p. 2. tract. 2. resol. 13. versu Nota.* & *par. 4. tract. 4. resol. 239* Leander *qu. 85.* Bassæus *loc. cit.* Hinojosa *in Director. decision. regul. verb Confirmatio gratiæ.* Leand. à Murcia *c. 25. in 7. regul* D. Francisci. Candid. *tom. 1. disquisit. 22. art. 49.* & alii, quos dedimus *tract. 10. de censur. cap 2. nu. 57.* & *75.* probantes per Bullam Cœnæ non revocari neque facultatem concessam Episcopis absolvendi ab illis casibus occultis suos diœcesanos, neque facultatem concessam

per

per sua privilegia Prælatis absolvendi à dictis casibus suos subditos.

Aliqua in oppositum, quæ possunt adduci, explicãtur.

129. Nec contra hoc vim habet decretum Sac. Congregationis jussu Clementis VIII. editum anno 1601. quo sub gravissimis pœnis prohibet omnibus tam sæcularibus, quàm regularibus, ne prætextu quorumlibet privilegiorum possint absolvere ab ullo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnæ Domini contentis. Nam hoc decretum, ut vidimus *num.* 118. solùm loquitur de Regularibus per universam Italiam extra Urbem degentibus. ¶ Neque obstat aliud decretum S. Congregationis jussu Urbani VIII. die 17. Novembr. anno 1628. editum; quo decernitur non posse Regulares absolvere sæculares à casibus per Bullam Cœnæ reservatis, cum revocatione omnium privilegiorum: quia hoc decretum nihil contra nostram assertionem continere diximus *tract.* 10. *de censuris, cap.* 2. *num.* 79. & 81. ¶ Nec denique obstat aliud decretum ab Alexandro VII. expeditum *die* 24. *Septembris anno* 1665. cujus nos mentionem fecimus *dicto tract.* 10. *de censuris, cap.* 2. *num.* 58. quô videtur hæc sententia reprobata. Nam inter alias propositiones, quas ibi Pontifex ut scandalosas condemnat, una est ista: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus sermo est: anno* 1629. *die* 18. *Julij in Consistorio S. Congregat. Eminentissim. Cardinal. visa & tolerata est.* Nonnulla diximus *suprà hoc capite, nu.* 7. circa strictissimam obligationem, quam dictum decretum Alexandri ubique sibi vendicat. Et ideò propositiones 44. ab Eo in tali decreto condemnatas, nullo modo sustineri posse asseruimus, & modò asserimus.

Exponitur decretum Alexãdri VII.

130. Sed in tali decreto nullo modo prohiberi sententiam istam, quam nunc amplectimur, gravissimi Magistri hujus Salmantinæ Academiæ (inter quos tres sunt Primariæ Cathndræ Moderatores) quos circa hoc consuluimus, unanimiter responderunt, opinantes & judicantes prohibitionem, & censuram Alexandri, categoricas illas propositiones: *Bulla Cœnæ solùm prohibet absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt*; & aliam: id non derogat facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est; nullatenus afficere, sed illud prædicatum, quo asseritur quòd sententia ista *in Consistorio sacræ Congregationis visa, & tolerata est.* Non defuerunt enim aliqui Doctores, quos *suprà n.* 124. dedimus, qui dicebant Regulares, & Episcopos ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ occultis, etiam ab hæresi, posse absolvere; & talem opinionem in judicio contradictorio visam fuisse in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium, & post longam discussionem, ab ea toleratam ut probabilem: quod posterius rejicit, & condemnat ut falsum, & scandalosum Alexander VII. non verò ipsas propositiones, super quas illa falsa impostura cadit. Undè quemadmodum si Pontifex

tifex hanc propositionem censuraret: *Scientia media à D. Thoma, & D. Augustino agnita & approbata est*: Non obstante aliquis diceret, et vi hujus censuræ scientiam mediam manere prohibitioni obnoxiam, sed tantum illud prædicatum declarari falsum, quòd agnita & approbata diceretur à D. Augustino, & D. Thoma. Ita quoque dicimus in præsenti, non posse inferri prædictas cathegoricas esse prohibitas, & damnatas. Sanè mirum esset Alexandrum VII. per duo decreta quadraginta & quatuor prohibuisse propositiones, omnes manifestè, clarè, absque ulla ambiguitate, aut restrictione, & solùm supra positam Hypotheticam: Sententia asserens Bullam Cœnæ, &c. cum tanta reflexione, & quasi per ambages proposuisse, cùm tamen eam majori cum expressione debuisset proponere; siquidem per illam gravissimum decretum Tridentini videbatur revocare pro dominis Episcopis adeò favorabile, & pro tota Hispania, & omnibus Regnis, in quibus receptum est Tridentinum cum omnibus suis onere ibus, & privilegiis adeò gratiosum; & condemnare sententiam usque ad illud tempus approbatam ut probabilissimam à tot tantisque Scriptoribus doctissimis. Per hoc enim manifestè indicavit suam mentem non fuisse propositiones illas, & sententias supra relatas condemnare; sed ne diceretur cum illa amplitudine à S. Congregatione approbatas esse, inhibere. Cæterùm si alia fuit intentio Pontificis, illius dispositioni omninò obtemperantes, quæ hucusque diximus, libenter retractamus.

Quid dicendum sit de casu urgentis necessitatis.

131. An porrò possint Regulares ab omnibus Bullæ Cœnæ casibus, etiam publicis absolvere, quando datur aliquod impedimentum adeundi Summum Pontificem pro absolutione; ratione ægritudinis, paupertatis, fragilitatis, sexûs, &c. ut si fuerit mulier, vel senex, aut vir delicatus, qui labores itineris sustinere nō possit, claudus, cæcus, pauper, servus, & aliàs urgeat necessitas, dubium est inter Authores: & quidem aliqui satis probabiliter affirmant. Quia in tali casu potest Episcopus ab his casibus absolvere jure ordinario, ut diximus *tractatu 10. de censuris, cap. 2. num. 63.* ergò etiam Regulares, qui ut diximus, ab his, quæ jure ordinario competunt Episcopis, absolvere valent. Sed hoc fundamentum rejecimus *tractatu de voto, cap. 3. num.* impugnantes eos, qui dicebant in votis Castitatis, & Religionis posse à Regularibus dispensari pro casu necessitatis, propter rationem dictam, videlicet quia id possent Episcopi; nec tamen à prædicta sententia recedimus, quæ aliundè probari potest, ac debet, scilicet ex *Cap. Nuper à nobis, 29. de sententia excommunication.* ubi dicitur: *Verùm si difficile sit ex aliqua justa causa, quòd ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut (præstitâ juxta formam Ecclesiæ cautione, quod excommunicatoris mandato parebit jà suo absolvatur Episcopo, vel proprio sacerdote*: ubi per ly *proprio sacerdote*, quilibet confessarius intelligitur, ut dixi-

diximus in simili casu *tractatu* 10. *de censuris, cap.* 2. *num.* 44. Et sic in præsenti dicendum tenent Peyrinis *ad Constitut.* 1. *Iulij* 11. §. 36. *num.* 67. Delbene *tom.* 2. *cap.* 19. *dub.* 9. *nu.* 16. Bruno *tract.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 5. Pasqualig. Leander à Murcia, quos referunt Diana *part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 61. Et N. Antonius à Spiritu sancto *in Director. Confess. tract.* 5. *disput.* 16. *sect.* 8. *num.* 1367. ¶ An verò teneatur transacto impedimento, absolutus comparere coram Superiore, & an debeat per epistolam, vel nuntium, si non possit personaliter accedere? & alia huc spectantia vide in nostro *dicto tractatu* 10. *c.* 2. *à n.* 65.

## §. XII.

### *In quibus irregularitatibus, & pœnis possint Religiosi cum sæcularibus dispensare?*

Omnes species irregularitatis, quæ sunt in jure expressæ, recensentur.

132. PRo resolutione hujus gravissimæ difficultatis duo præmittenda sunt. Primum: quid, & quotuplex sit irregularitas, quæ porrò diffinitur, quòd est impedimentum Canonicum primò, & per se impediens Ordinum susceptionem, & secundariò, & quasi per accidens illius exercitium. Quam diffinitionem latè explicuimus *tractatu* 10. *de censuris, cap.* 7. *à n.* 1. Et an sit, vel non vera censura *eodem tract. cap.* 1. *puncto* 17. *per totum* resolvimus. Dividitur autem irregularitas in eam, quæ contrahitur ex delicto; & in eam, quæ ex defectu non culpabili contrahitur: & utriusque dantur octo species. Et illius, quæ ob peccatum incurritur, species istæ assignantur. Prima: ex homicidio voluntario. Secunda: ex injusta, & voluntaria mutilatione. Tertia: ex homicidio, aut mutilatione casuali. Quarta: ex repetitione, seu iteratione Baptismi. Quinta: ex violatione Censurarum, per exercitium Ordinis sacri. Sexta: ex indigna receptione, vel administratione Ordinum. Septima: ex delicto, cui annexa est infamia. Octava: ex delicto enormi notorio, dignoque depositione, aut degradatione. De quibus *dicto tract. de censuris, toto cap.* 8. egimus. ¶ Species deindè illarum irregularitatum, quæ ex defectu non culpabili contrahuntur, istæ sunt. Prima: quæ provenit ex defectu Sacramenti, & dicitur bigamia, & incurritur ob unicum matrimonium contractum cum corrupta, vel ob diversa matrimonia cum diversis virginibus celebrata. Secunda: ex defectu lenitatis, cui fiunt obnoxii judices, & alii ministri ad sententiam sanguinis, & ejus executionem concurrentes, & milites in bello, etiam justo occidentes, vel mutilantes. Tertia: ex aliquo defectu corporis, qui deformitatem præ se ferat. Quarta: ex defectu animæ, nimirum, ex defectu scientiæ, vel usûs rationis. Quinta: ex defectu libertatis, quâ innodantur servi seu mancipia. Sexta: ex defectu natalium, quam omnes illegitimi, sive spurii sint, sive naturales, contrahunt. Septima: ex defectu ætatis, quâ nimirum præpeditus tenetur, qui ætatem

debitam prio Ordinibus non habet. Octava: ex defectu divitiarum, seu ratione paupertatis, quando hæc tanta est, ut quis non habeat ad cujus titulum ordinetur. De his duabus ultimis latè egimus *tom. 2. tract. 8. de Ordin. c. 5. à n. 29. & c. 6. à n. 61.* de omnibus verò aliis *tract. 10. de censuris, cap. 9. per totum.*

Qualiter Episcopi dispẽsare possint in irregularitatibus ex defectu,

133. Cæterùm quia præcipua difficultas in præsenti est, an Regulares Confessarii possint cum sæcularibus dispensare in omnibus irregularitatibus; in quibus possunt Episcopi? præmittendum est secundò, in quibus irregularitatibus possint Episcopi cum suis subditis dispensare. Pro quo recurrendum nobis est ad locum citatum de censuris, in quo ex professo de hoc egimus, & ibidem dicta in compendium contrahenda. Igitur loquendo de his, quæ ex defectu inculpabili proveniunt, aliqui, quos lato calamo dedimus *cap. 9. n. 23.* asserunt, Episcopum in irregularitate ex defectu lenitatis proveniente, posse dispensare. Sed oppositum esse tenendum diximus. Irregularitas ex defectu Sacramenti, seu bigamia, *in bigamiam veram, interpretativam, & similitudinariam dividitur.* Vera est, quando aliquis duas nuptias verè contraxit, & consummavit. Interpretativa, quando semel corruptam, vel viduam duxit uxorem, vel licèt cum virgine contraxerit nuptias, hanc post adulterium ab ea patratum cognovit; vel quando duo matrimonia inivit, unum de jure, id est validum; aliud de facto, id est, invalidum; vel utrumque de facto, id est, non validum celebravit. Similitudinaria est, quando Religiosus professus, vel alius Clericus sæcularis tentat contrahere matrimonium, vel defacto contrahit, licèt invalidè. Possunt porrò Episcopi absolutè in similitudinaria bigamia dispensare, ut ibidem *num. 41.* probavimus. In aliis verò duabus, quæ absoluto nomine bigamiæ veniunt, dispensare non possunt, nisi ad recipiendum Minores Ordines, & ad acquirendum beneficia simplicia, ut ibidem diximus *num. 40.* Cum illegitimis quoque, si publicus sit eorum defectus, dispensare non potest Episcopus, nisi ad recipiendos Ordines Minores, & beneficia simplicia habenda, ut ibidem *num. 51.* est dictum. Sed si defectus sit occultus, aliqui probabiliter dicunt, posse cum eis Episcopum dispensare ad sacros Ordines recipiendos, & beneficia curata acquirenda, atque ad dignitates adipiscendas: pro qua opinione Authores dedimus *numero 52.* Sed oppositum ibi *num. 53.* esse probabilius diximus. Si verò illegitimus fieret Sacerdos, an posset Episcopus dispensare, ut in tali Ordine ministraret, dubium est. Aliqui dicunt posse, etiamsi malâ fide Ordinem susceperit. Alii duntaxat id concedunt, quando bonâ fide talem Ordinem receperit. Sed utrumque nos *num. 54.* negavimus. Et hæ sunt irregularitates ex defectu, in quibus potest Episcopus dispensare.

In omnibus irregularitatibus

134. Circa irregularitates verò ex delicto, Sacrum Tridentinum Concilium *sess. 24. c. 6. de reformat.* Episcopis diœcesim habentibus indul-

exceptâ illâ ex homicidio voluntario, potest Episcop⁹ dispensare.

dulsit, ut cum suis subditis dispensare possint in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & quæ ad forum contentiosum non sunt deductæ, excepta irregularitate ex homicidio voluntario causata. Cùm ergò in hoc privilegio solum homicidium voluntarium excipiatur, poterit in irregularitate proveniente ex mutilatione voluntaria dispensare, ut *loco cit. c.* 8. *num.* 28. diximus; potest deindè etiam in illa, quæ provenit ex homicidio casuali licet culpabili, eò quòd tale homicidium non est perfectè voluntarium, nec ejus nomine venit ibi *num.* 43. imò etiam in illa, quæ contracta fuit ob homicidium culpabile, eò quòd quantumvis commissum fuerit pro defensione suî, ab injusto invasore, commissum tamen non fuerit cum moderamine inculpatæ tutelæ, ibi *num.* 58. & in omnibus aliis, solo excepto homicidio voluntario, in quo nunquam potest Episcopus dispensare, nec ad Ordines Minores, nec ad beneficia simplicia, ut ibi *nu.* 16. statuimus. Cæterum non dicitur homicida voluntarius, prout requiritur ad incurrendum hanc irregularitatem strictissimæ reservationis, qui subitò, inopinatè in rixa repentina hominem occidit, ut ibidem *num.* 6. innuimus; nec is, qui leviter vulnerare volens, graviter præter intentionem vulneravit, ut ibidem insinuavimus *numero* 3. Sed homicida voluntarius ille dicitur, qui ex industria, ex proposito, per insidias, ex deliberato consilio, animo, & spontanea voluntate occidendi, hominem necavit, ut latè ibidem *nu.* 6. probavimus.

135. Si porrò quis petat An Episcopus in irregularitate orta ex homicidio voluntario, sed occulto, dispensare possit. Respondetur duobus modis homicidium voluntarium posse dici occultum: vel ita, quòd à nemine possit in notitiam hominũ deduci, nisi ab ipso solo occisore; vel ita, quòd possit per alium, vel alios ad notitiam hominum venire. In irregularitate orta ex eo, quod hoc secundo modo occultum dicitur, nulli dubium est haud posse Episcopum dispensare: quia Concilium ab irregularitatibus occultis excipit eam, quæ oritur ex homicidio voluntario. Si verò primo modo contingerit esse occultum, plures dicunt, vel non contrahi irregularitatem, ut illi, quos dedimus *tractatu* 10. *cap.* 7. *num.* 5. qui asserunt ex delictis penitùs occultis non contrahi irregularitatem: quam sententiam, loquendo de homicidio quoad irregularitatem non contrahi illam in illo casu, tenet Miranda *de Ministr. General. jurisdict. q.* 8. *art.* 10. & valdè probabilem dicunt Bruno *tract.* 5. *cap.* 4. *propos.* 1. *circa finem.* Castro, Covar. quos refert, & ut probabilem eorum sententiam sequitur Rodriguez *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 11. & etiam idem probabile reputat Pellizzar. apud Dianam 10 *part. tract.* 13. *resolut.* 38. Vel posse, inquiunt, Episcopum in ea dispensare, quia dicunt Concilium non loqui de delictis omnino occultis, sed tantùm de illis, quæ licèt occulta credantur, tamen ad judicium,

Possitne aliquãdo Episcop⁹ cum homicida voluntario dispensare.

& notitiam hominum deduci possunt, & possunt probari. Sic Miranda, Rodrig. & Bruno *locis citatis*, citans Covar. Abbatem, Castrensem, Angelum, Bannez 2. 2. *qu.* 40. *art.* 2. *dub.* 4. Tejeda *tom.* 2. *lib.* 3. *tract.* 3. & 18. ¶ Sed oppositum est omninò tenendum. Tum: quia pro actibus externis etiam penitus occultis incurri censuras diximus *tract.* 10. *c.* 1. *n.* 141. Tum etiam: quia delictum licèt per accidens sit occultum, quia non habet undè probetur, per se tamen manifestum est, & sensibile, & ideò per illud incurri irregularitatem probavimus ibi *c.* 7. *n.* 22. Tum denique: quia communis sententia est in oppositum, ut testantur Diana *6. part. tract.* 6. *resol.* 31. & Antonius à Spiritu sancto *in Direct. Regul. tract.* 2. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 70.

Alia ad idem intentum referûtur & approbantur.

136. Sed posse Episcopum cum hujusmodi homicida utroque modo occulto dispensare, ut in Ordinibus sacris jâ susceptis ministret justâ interveniente causâ, etiamsi non detur casus urgentis necessitatis, nec difficilis recursus ad Pontificem, docent Henriquez *de excommunication. l.* 14 *c.* 19. *n.* 1. Antonius à Spiritu sancto *num.* 71. & probabile reputat Lessius *lib.* 3. *c.* 4. *dub.* 2. *n.* 35. & pro casu urgentis necessitatis, & non facilis recursûs ad Papam, idem asserit Diana 9. *part. tract.* 7. *resol.* 22. & *tract.* 8. *resol.* 52. cum Avila, & Cornejo. Imò in casu dicto urgentis necessitatis posse Episcopum dispensare cum homicida occulto, & voluntario, ut ad Ordines sacros promoveatur; ut si vir gravis paratus jam quoad omnia ad sacrum Ordinem suscipiendum, pridie illius quo Ordines conferendi essent, perpetraret homicidium, cujus author ipse cum periculo, vel discrimine vitæ crederetur, si non ordinaretur, & è contra periculum omne evaderet Ordines suscipiendo, docet Fragos. *tom.* 2. *lib.* 8. *disp.* 18. §. 9. *n.* 20. & cum eo N. Antonius à Spiritu sancto *disp.* 3. *nu.* 73. qui etiam probabile reputat cum Pellizzar. quem refert Diana 10. *part. resol.* 38. *tract.* 13. posse Episcopum dispensare absolutè cum mandante, & consulente homicidium voluntarium: quia propriè non dicitur homicida voluntarius, nisi ille, qui occidit. Sed oppositum habetur ex *Cap. Si quis viduam, distinct.* 50. *Cap. ult. de homicid. in* 6. *Cap. Sicut dignum, de homicidio.* Videantur quæ diximus *tract* 10. *de censuris. c.* 8 *n.* 7.

Possunt Regulares dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi.

137. Quibus suppositis, asserendum est, posse Regulares confessarios cum sæcularibus dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto provenientibus, in quibus hucusque diximus posse Episcopos cum suis subditis dispensare, Sic tenet Leander à Murcia *in capite* 7. *regular. c.* 98 *num.* 62. citans Sanchez, Trullench. & Dian. Urbanus ab Ascensione *tract.* 2. *distinct.* 1. *cap.* 1. *regul.* 13. Bauny *tom.* 2. *tract.* 11. *quæst.* 58. *dub.* 4. Belasius *verb. Irregularitas, num.* 12. Portell. 1. *part. respons. moral. casu* 3. Lezana *tom.* 4. *verb. Confessor, num.* 10. Pellizzar. *tract* 8. *cap.* 3. *sect.* 2. *num.* 9. Vega *in summa verbo absolut. casu* 44. Rodriguez *in Bullam*, §. 9. *nu.* 13. Bruno *tract.* 5. *cap.*

*capite quarto, propoſit.* 1. Antonius à Spiritu ſancto *tractatu ſecundo, diſputatione tertia, ſect.....num. 65.* Sotus *verbo abſolutio, quoad fratres, & ſæculares, in reſolution. concluſione ſecunda*, Martinus à ſancto Joſeph *in compend. facultatis, Confeſſor. verbo diſpenſare, numero tertio, & quarto*, & alij, quos citavimus, & ſequuti ſumus *tomo ſecundo, tractatu decimo, de cenſuris, capite ſeptimo, numero 63.* ¶ Hanc aſſertionem probant plures ex his Authoribus hoc diſcurſu. Quia irregularitas, quæ provenit ex delicto, vel eſt cenſura, ut plures ſatis probabiliter dicunt, quos dedimus *tractatu decimo, de cenſuris, capite primo, numero undecimo*, vel ſolum pœna Eccleſiaſtica, ut nos ibidem probavimus; quidquid horum dicatur, poſſunt Regulares illas omnes relaxare, quas poſſunt Epiſcopi, ob ſua privilegia, illis concedentia quod ab omnibus cenſuris, & pœnis poſſint abſolvere, ob quas non eſſet Sedes Apoſtolica conſulenda, ut ſupra vidimus, & ex conceſſione Eugenij IV. pro Benedictinis, & Pauli III. pro Jeſuitis, conſtat: ſed ob illas quas Epiſcopus jure Ordinario poteſt relaxare, non eſt Sedes Apoſtolica conſulenda: ergo in illis poſſunt diſpenſare Regulares. Hac ratione probant graviſſimi Doctores poſſe confeſſarium per Bullam Cruciatam electum abſolvere pœnitentes, ab omnibus irregularitatibus ex delicto provenientibus: quia Bulla ad relaxandas omnes cenſuras, & pœnas concedit facultatem; & irregularitas, vel eſt cenſura, vel pœna: ergo &c. Authores pro hac ſententia abundanter dedimus *loco citato, de cenſuris, capite ſeptimo, num. 65.* ¶ Sed nos oppoſitum ibi ſequuti ſumus, & nunc ſequimur: circa fundamentum iſtius rationis quia irregularitas non eſt cenſura; & eſto ſit pœna Eccleſiaſtica, quando provenit ex delicto; nihilominus ſecundum ſtylum Curiæ Romanæ, in generalibus conceſſionibus abſolvendi ab omnibus pœnis, non conceditur facultas relaxandi irregularitatem, niſi de ea fiat expreſſa mentio, ut teſtantur Avila, Henriquez, Antonius Gomez, quos ibi citavimus. Proinde cum ſtylus Curiæ Romanæ circa tales conceſſiones, & Bullarum intelligentiam faciat jus, ut conſtat *ex cap. ex litteris, de conſtitutionibus, cap. quam gravis, de crimine falſ.* non videtur prædicta ratio evincere intentum.

138. Aliter ergo probanda eſt aſſertio: nimirum ex privilegio Bullato Sixti IV. Bulla 9. pro Minimis conceſſa, quam adducunt Lezana, Henriquez, Portell. *locis citatis.* & eandem poſtea confirmaſſe Julium II. Conſtitutione ſua, quæ incipit, *Dum ad ſacrum Ordinem Minimorum*, teſtatur Peyrin *ad Conſtitut. 1. Julij II. §. 23.* ubi confeſſariis illorum concedit facultatem *ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, & ſuper quacumque irregularitate ordinaria tam à jure, quam ab homine reſervata, toties, quoties opus fuerit abſolvendi, & diſpenſandi, ac vota quacumque permutandi, ſicut poteſt Diœceſanus.* ¶ Nec obſtat, quod aliqui objiciunt, Præcedens aſſertio manifeſto privilegio probatur.

illa facultate Minimos non uti: nam hoc temerè dicitur, cum soli Deo sit notum. Cæterùm sive utantur, sive non, per non usum non amittunt privilegium, maximè gratiosum, & non oneresum, quale est istud, ut *supra capite secundo, numero 13.* probavimus. Et posito, quod Minimi illo jam non possent uti, ratione non usus; alij tamen Regulares in eorum privilegiis participantes, illo uti possunt: quia non participant in privilegiis eorum quoad non usum; nam non usus, privilegium non est: sed participant in jure illis utendi. ¶ Nec similiter obstat, quod alij dicunt hoc privilegium tantum valere pro Prælatis, qui tantum illa facultate uti possunt: quoniam cum absolutum existat, non debet ad Prælatos restringi; nec debet distinctio fieri, ubi jus non distinguit. ¶ Denique non obstat, quod dicit Portell. & alij suprà relati, quod licet confessariis sit hoc privilegium concessum, nihilominus non esset consulendum ut illo utantur, eò quod non constet ullum Regularem usum fuisse illa facultate: nam hæc cautela nimis est scrupulosa: non enim usus hujus privilegij est publicus, sed admodum secretus, utpotè ad solum Sacramentum Pœnitentiæ restrictus, de quo proinde an fuerit, vel non, solus Deus potest judicare. Facultatem concessam fuisse certò scimus, & tot gravissimos Doctores vidimus, qui idem asserunt, & nemo est qui adstruat eam fuisse revocatam: cur igitur illa uti non possent Regulares, sicuti in sententia probabili possunt omnes confessarij à talibus absolvere virtute Bullæ Cruciatæ? nec enim invenimus in hoc minora inconvenientia, quam in usu hujus indulti: sed si secretò, & cũ debita cautela fiat, asserunt plerique Authores licere & valere in illô casu, ergo etiam licebit & valebit in nostro.

139. Denique possunt Regulares cum sæcularibus dispensare in omnibus pœnis Ecclesiasticis, dummodo sint occultæ, & extra Bullam Cœnæ in aliis Bullis aut Constitutionibus sive Decretis contentæ, ut sunt inhabilitates ad officia, beneficia, privationes dignitatis, vocis, loci, &c. ut constat ex privilegio Eugenij IV. pro Benedictinis, & Pauli III. pro Patribus Societatis, in quibus conceditur facultas absolvendi à quibuscumque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & sententijs, censuris, & aliis pœnis, Ecclesiasticis ex eis resultantibus extra Bullam Cœnæ. ita Fragoso *libro secundo, cap. 2. dis. 24. §. 7.* Cruz *lib. 2. cap. 6. dub. 6. conclusione secunda,* Lezana *in mari magno Eremit. S. Aug. §. 47. n 124.* Urbanus *tract. 2. dist. 2. c. 6. regul. 15. pag. 390.* Bruno *tract. 5. c. 4. proposit. 1.* Antonius à Spiritu S. *tract. 2, disp. 3. sect. 2. n. 76.*

PUN-

## PUNCTUM III.

*De privilegiis Regularium circa receptionem, & administrationem aliorum Sacramentorum, & Missæ celebrationem remissivè.*

Acta alibi recensentur.

140. HIc proprius locus erat agendi de iis quæ in titulo hujus puncti proponuntur, nam postquam à nobis actum est de Regularium privilegiis circa administrationē Sacramenti Pœnitentiæ, meritò de his agendum esset; Sed quia de his actum est à nobis in diversis locis, in præsentiarum ea prætermittimus: de singulis enim Sacramentis, & de eorum ministris agentes, diximus qualiter ea administrare possint Regulares, & in quibus casibus; & idem argumentum pertractavimus aliis locis per totum istum Cursum dispersis. De Missæ celebratione, quo loco, tempore, &c. possint ex privilegiis Regulares illi intendere, *suprà tract. 15. capite septimo, punct. 4. per totum* egimus: ubi specialiter *n. 98.* diximus, qualiter in domibus sæcularium possint altare erigere, & ibi Missas celebrare, & qualiter hoc non sit contra decretum Concilij Tridentini *sess. 22.* de observandis, & evitandis in celebratione Missæ. Porrò de prohibitione facta Regularibus, quoad multiplex stipendium non recipiendum pro eadem Missa, latè egimus *dicto Capite punct. 5. per totum.* Quare hæc modò prætermittimus,

## PUNCTUM IV.

*De privilegiis, & obligationibus Concionatorum Regularium.*

Non requiritur sacer ordo in prædicatoribus ad concionandum.

141. PRædicandi facultas Regularibus non ab Episcopis Diœcesanis, sed à Pontifice conceditur: Et licet post Tridentinum licentia obtenta ab Ordinariō requiratur pro concionibus habendis in Ecclesiis non suis, & in propriis Ecclesiis petenda sit benedictio Ordinarij; nihilominus tamen id non requiritur tanquam actus dantis jurisdictionem, aut facultatem, sed ut conditio requisita, ut potestas à Pontifice accepta, debitè executioni mandetur. Hanc ergo Sedes Apostolica impertita est per diversa privilegia Regularibus communicata, ut est illud Clementis IV. pro Minoribus, Sixti IV. pro Carmelitis, & Pauli III. pro PP. Societatis; in quibus conceditur, ut in quibusvis locis, Ecclesiis, aut plateis communibus, & viis publicis, & ubicumque locorum, verbum Dei Clero, & populo prædicare possint. Ad hoc autem non requiritur, quod sint in Ordinibus sacris constituti: sufficit enim si Clerici sint, prima tonsura initiati, ut constat ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit; *Vigore privilegij*, pro Societate Jesu expedita, illis verbis: *Præsentium Authoritate declaramus, ac etiam decerni-*

mus

*mus vestrum unumquemque, etiam ad sacros Ordines non promotum, prædicationis munus exercere potuisse, & posse.* Porrò indultum istud potius est juris communis interpretatio, per quod Clericis sola tonsura initiatis licet prædicare; ut declaravit sacra Congregatio his verbis: *Munus prædicationis committi potest etiam Clerico, qui non sit in sacris Ordinibus constitutus; non enim alicujus Ordinis sacri videtur actus esse, neque officium divinum interdicto, aut suspensione, à divino prohibitum: itaque sic docent* Portel. *verbo prædicare, num. 16.* Diana *tract. 4. de Sacrament. resolutione* 137. Pellizzar. *tomo secun. tractatu 8. capite 4. sect. 1. num. 28.* Antonius à Spiritu sancto *tractat. 2. disputatione 3. sect. 5. numer.* 150. Bruno Cassaing. *tractat. 6. cap. 2. propos. 2.*

Ad quid Prædicatores ex Concilio Tridentino, & Lateranensi teneantur.

142. Quamvis tam jus commune in *Extravagant. inter cunctas, de privileg.* & *Clement. Dudum, de sepultur.* quam alia privilegia concedunt, ut possint Regulares in suis Ecclesiis, & plateis prædicare, nulla facta mentione præsentationis Eorum coram Episcopo aut ad Episcopum recursus pro petenda benedictione vel licentia; modo tamen post Concilium Tridentinum observandum est, quod ipsum decernit *sess. 5. cap. 2.* his verbis: *Regulares vero cujuscumque Ordinis, nisi à suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possunt: cùm qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis vero quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sive quæ in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possunt.* Quod decretum concordat cum alio Concilij Lateranensis sub Leone X. *sess. 11. ib: Ut Regularis præcedente examine ad munus à suis Prælatis electus, quocumque postea prædicaturus accesserit de eodem examine, & idoneitate sua per litteras Authenticas, seu alias sui examinatoris, & approbatoris, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis fidem legitimam faciat.*

Peccant mortaliter Regulares, qui absque approbatione Prælatorum prædicant.

143. Ex quibus decretis primo constat non posse Religiosos sive in propriis, sive in alienis Ecclesiis populo prædicare, etiamsi alias ab Episcopo licentiam obtinuerint, nisi prius fuerint à suis Superioribus de doctrina, & moribus examinati, & approbati, ab eisque licentiam habuerint; & peccare mortaliter eum, qui absque dicta approbatione, & licentia Superiorum (illorum videlicet ad quos secundum statuta Ordinis pertinet talem licentiam concedere, quales apud nos sunt RR. PP. NN. Generalis, & Provincialis) ausus fuerit munus prædicationis in propriis, vel alienis Ecclesiis exercere: quia in re gravissima contra præceptum Ecclesiæ adeò sanctum operatur; atque etiam quia causam præbet damnorum & scandalorum quæ ex simili audacia ex natura rei oriri possunt. Et ita tenent Navarrus *in Manual. c. 25. n. 121.*

Lezana

Lezana *tom.1.part.1.cap.20.num.1.* Bordon. *tom.2.resol.7.nu.27.* Portell. *numero 1.* Peyr. *tom.3.cap.2.num.16.* Antonius à Spiritu sancto *num.141.* Imo incurrere excommunicationem reservatam Pontifici docent Zerol. *in praxi verb. Mendicantes, numero 2. part.1.* Reginald. *lib.18. numero 119.* Lezana *loco cit. ex Leone X. in Concil. Lateran:* Sed certe ibi imponitur talis excommunicatio pro alio casu diverso, ideoq; melius probatur assertum *ex c. excommunicamus, de haret.* in quo puniuntur prædicatores Excommunicatione, si incidant in casum de quo agimus. Cæterum tamen, cum illa excomunicatio non sit latæ sententiæ, sed ferendæ, excommunicati ipso facto non remanent. Portell. Bordon. *locis citat.* ¶ Peccant etiam mortaliter Prælati, qui subditos non idoneos, aut non examinatos de vita, moribus, & scientia, prædicare permittunt, ob decreta Tridentini, & Lateranensis, & ob alia inconvenientia, & incommoda scandalosa, quæ inde sequi timentur. Peyrin. *de subdito, quæst.1. de obedient. cap.22.* Lezana *numero 1.* Antonius à Spiritu sancto *num.141.*

Debent prædicatores Episcopis præsentari, & ab eis benedictionem vel licentiam petere.

144. Sequitur secundo, non posse Religiosos prædicare, nisi præter examen, approbationem, & licentiam suorum Superiorum, cum tali licentia, & examine coram Episcopo se præsentaverint, & ab eo benedictionem petierint ad prædicationem in suis Ecclesijs, & pro concionando in alienis insuper licentiam impetraverint, ut constat ex dicto Concilii decreto. Usus tamen obtinuit, inquit Bordon. *resolut. 7. numero 15.* apud Regulares, ut concionentur in propriis Ecclesiis absque aliqua Episcopi benedictione, quam solum petunt pro Adventu, & Quadragesima, & non pro alijs festivitatibus intra annum. Quod probat Pellizzarius *supra numero 16.* dicens in hoc standum esse consuetudini. ¶ Interea non approbamus, quod dicit Cespedes *de exemption, cap.10. disputatione 205. numero secundo,* Tamburin. *tom.2. disputatione 11. quæstione secunda, numero quinto,* quod Regulares, ut prædicent in Ecclesiis aliorum Ordinum, solum indigeant petere benedictionem Episcoporum ut requiritur, & sufficit ad hoc ut possint concionari in propriis: quia non minus sunt exemptæ illæ à jurisdictione Episcoporum, quam suæ; proinde sicut ad concionandum in suis, ob istam rationem non indigent nisi benedictione Episcopi, ita neque ad concionandum in Ecclesiis aliorum Ordinum aliô indigent quam benedictione Episcopi. Hæc autem non videntur verbis Tridentini conformia: nam semel dicit: *In Ecclesiis autem, quæ suorum Ordinum non sunt:* & iterum: *Episcopi licentiam habere teneantur sine qua in Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possunt.* Quæ cum dicta sententia non cohærent. ¶ Illud tamen verum judicamus, quod docent N. Lezana *cap. 20. numero 5.* Miranda *tom.1. quæstione 50. artic.4.* Antonius à Spiritu sancto *numero 147.* Pellizzar. *numero 32.* quod ad prædicandum in plateis, &

in viis publicis nec præsentatio coram Episcopo, nec licentia illius requiritur. Et ratio est: quia hoc ex privilegiis suis facere possunt sine dependentia ab Episcopis, ut concessit Sixtus IV. Carmelitis, Bonifac. IX. Prædicatoribus, Paulus III. Jesuitis. Quæ privilegia abrogata non sunt à Concilio Tridentino: quia ex illo solum habetur, non posse sine benedictione, aut licentia Episcoporum prædicare in suis, aut alienis Ecclesiis.

In proprijs Ecclesiis possunt Regulares concionari petita, licet non obtenta benedictione Episcopi

145. Imo ad prædicandum in propriis Ecclesiis, sufficit sola petitio benedictionis Episcopalis, etiamsi eis denegetur, (per benedictionem intelligo licentiam, sicut etiam in Religionibus per benedictionem, quæ à Prælato peti & accipi solet ad aliquid faciendum, licentiam intelligimus; hoc tamen nomine non intelligo illam benedictionem, quæ inter Missarum solemnia ad prædicandum ab Episcopo, vel eo absente, à Sacerdote celebrante recipitur; quæ non est licentiæ concessio, sed quædam divini auxilii deprecatio, ut verbum Dei fructuosè disseminetur) quia Concilium ponit hoc discrimen inter requisita ad prædicandum in propriis Ecclesiis, & ad prædicandum in alienis; quod ad illud sufficit petitio benedictionis; ad istud verò requiratur quod licentia ab Episcopo obtineatur: Ergo hoc ipso, quod Regularis Episcopo præsentetur, & benedictionem petat, sive is deinde justè, sive injustè deneget, adimplet Regularis id quod à Concilio exigitur; & sic poterit in suis Ecclesiis concionari: maxime quia quando in jure requiritur non solum quod benedictio, aut licentia petatur, sed quod obtineatur; id exprimitur *cap. omnis utriusque sexus, de pœnitentiis, & remissionib. cap. super cathedram, extravag. de sepultur.* Sic Lezana *numero tertio*, Pellizzar. *numero secundo & 5.* Bordon. *resolut. 7. numero 21.* Henriquez *libro sexto, de Pœnitent. capite 13. numero 4.* Bruno *tractatu 6. cap. 3. propos. 1.* de Peyrin. *de subdito tom. 1. quæstione prima, cap. 22.* Antonius à Spiritu sancto *numero 143.* & hoc etiam constat ex declaratione S. Congregationis Cardinalium anno 1597. quam refert Henriquez, & alii; estque tenoris sequentis: *Sacra Congregatio censuit, quod Regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, non teneantur ab Episcopo licentiam obtinere; sed tantum à suis Superioribus examinati, Episcopo personaliter se præsentare, ab eoque petere benedictionem, tametsi eam minime obtinuerint.* ¶ Quod apud me locum habet etiamsi benedictio, aut licentia ex justa causa, & non ex passione, aut malevolentia negata sit: quia si ex odio, aut alio pravo affectu Episcopus licentiam denegaret, etiam in Ecclesiis non sui Ordinis posset Regularis, qui illi se humiliter præsentavit, & ab eo benedictionem, & licentiam petivit, prædicare, tametsi Concilium exigat ab Episcopo licentiam obti-

obtineri debere: quia petita licentia, & injustè negata, in jure habetur pro obtenta, ut inquit Tamburinus *tomo secundo, disputat. 15. quæst. 2.* Lezana *numero tertio*, Pellizzar. *numero secundo*; Quemadmodum supra *num. 63.* diximus de Confessariis, quibus Episcopus ex malevolentia approbationem denegaret, quod possint nihilominus sæcularium Confessiones audire: quia approbatio petita, & injustè negata, habetur pro concessa.

Etiam prædicante Episcopo, possunt regulares concionati.

146. Præterea etiam prædicante Episcopo possunt Regulares suo munere prædicationis uti; dummodo nec ipse prohibeat illa hora prædicare, nec sit consuetudine oppositum receptum, aut aliunde constet talem concionem Episcopo displicere: quia licet *in Clement. Dudum, & Extravaganti. Inter cunctas*, illis concedatur facultas concionandi, *Hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari*, in alijs nihilominus privilegijs id non specialiter excipitur: uti videre est in illo Pauli III. pro Jesuitis, in quo pro omni loco, & tempore, nulla exceptione facta, facultas concionandi conceditur, & ideò etiam ita docent Suarez *tomo quarto, libro nono, capite primo, num. 30.* Pellizzar. *tractatu 8. capite quarto, section. 1. numero 35.* Lezana *cap. 20. numero sexto.* Antonius à Spiritu sancto *numero 149.* Possunt quoque in Diœcesibus ubi licentiam Episcopi habent, in Ecclesiis Parochialibus concionandi, etiam contradicentibus Parochis, suum munus exercere. Tum: quia jam habent ab Episcopo facultatem, qui Superior Parochis est: Tum etiam: quia ita concessit Alexander IV. Minoribus, & Prædicatoribus Ballato privilegio, quod postea confirmavit Sixtus IV. pro Carmelitis, ut videre est apud Casarub. *verbo Prædicatores, numero 4. 12. & 14.* in quo quamvis dicatur: *Absque tamen Parochialium præjudicio*; non extenditur tamen id ad hoc punctum in quo nullum præjudicium infertur Parochis, sed tantum ad punctum concernens alia ibidem relata. Maxime: quia ipsi jus non habent impediendi prædicationem in suis Ecclesiis, dum proprius eorum Episcopus licentiam ad eam concessit ¶ Nec obstat, quod *in Clement. Dudum, & Extravagant. super Cathedram, de sepultur. & Extravagant. Inter cunctas, de privilegijs*, dicitur, quod in Ecclesiis alienis non potest Regularis prædicare sine beneplacito, aut licentia Rectoris aut Superiorum illarum Ecclesiarum. Respondetur: quod qui ab Episcopo habent facultatem, jam habent beneplacitum Superiorum illarum Ecclesiarum. Accedit quod aliqui dicant, prædicta jura revocata esse per Alexandrum IV. cujus verba refert Casarub. supra, & sunt ista: Alexander IV *concessit, quod Fratres Ordinis Prædicatorum, & Minorum*

*norum possint prædicare populis de licentia Romani Pontificis, aut Legatorum ejus, vel Diœcesani, seu Ordinarij absque aliorum inferiorum Prælatorum, & Rectorum Ecclesiarum, ac Sacerdotum Parochialium assensu.* Expediens tamen non erit iis privilegiis uti, repugnantibus Parochiis, ne jurgia, & scandala oriantur, & fructus ex verbi Dei prædicatione exoptatus ateſcat. Pellizzar. *supra n.* 33. Miranda *in Manual. 1. parte, quæst. 50. art. 4.*

Status majoris difficultatis proponitur.

147. Major autem, & gravior est difficultas, an repugnante, & contradicente Episcopo, possint Regulares in propriis, vel alienis Ecclesiis prædicare? Quæ difficultas (ut reor) præcipuè currit, in casu quò benedictionem, vel licentiam Episcopi acceperit & iste nihilominus se retractans prædicationi Regularis resistit. Nam si ab initio cum primò Regularis Episcopo præsentatur, ipse contradicit, certum est non posse in alienis Ecclesiis prædicare; cum Concilium petat, quod ab eo non solum licentiam petat, sed quod illam obtineat; nisi fortè illam injustè, & ex malo affectu neget: quia jam ut diximus, habetur pro obtenta. In hoc ergo casu procedit quæstio: an nimirum, si quando Regularis præsentatus fuit Episcopo, & postquam ab Episcopo recepit licentiam ad prædicandum in Ecclesiis non suis, Episcopus ob particulares rationes contradicat, ne prædicet in eis, possit nihilominus prædicare? certè semper erit melius à prædicatione abstinere, ne ex tali prædicatione, resistente Prælato, maxima inconvenientia consurgant. Sed aliud est inquirere, quid melius, & convenientius erit, ad præcavenda incommoda, & scandala; aliud quid ex jure habeatur & de hoc inquirimus.

Etiam repugnante Episcopo possunt Regulares prædicare.

148. Igitur respondemus affirmativè. Et probatur sic: quia ex jure communi *Clementin. Dudum, de sepultur. & Extravag. super cathedram, eodem titul. & extravaganti Inter cunctas,* Regularibus conceditur facultas ubique sive in propriis, sive in alienis Ecclesiis prædicandi independenter ab Episcopis, & solum in duobus casibus ponitur ab illis dependere; ita quod si contradicant, non possint prædicare. Primo: quando Episcopus prædicare vult. Secundo: quando vult coram se facere solemniter prædicare: ergo in aliis casibus præter istos, poterit ex his juribus, adhuc contradicente Episcopo prædicare. Quæ jura per Tridentinum minimè revocantur: quia ab illo solum petitio benedictionis pro prædicatione in Ecclesiis propriis exigitur. Et ut diximus, etiam si negetur, poterit Regularis prædicare; & multo magis, si post benedictionem datam resistat: insuper requiritur quod pro alienis licentiam recipiat: qua semel data, quod Tridentinum præcipit, impletur. Nec dicit, quod si postea Episcopus neget, aut contradicat, Regularis non possit prædicare: sed prædictis positis relinquit illum juri communi, secundum quod solum in duobus casibus dictis, contradi-

tradicente Episcopo nequit prædicare, non in aliis: quin potius exceptio firmat regulam in contrarium. Ita Peyrin. *tom. 3. privil. cap. 2. nu. 9.* Pellizzar. *supra num. 4.* Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 3. allegatione 73. num. 16.* & *ad caput 2. Concilij sess. 5. num. 18. & 19.* ubi refert ita decisum fuisse à Sac. Congregatione 30. Junii anno 1629. Bordon. *tom. 2. resolut. 7. num. 15.* Villalob. *tom. 2. tract. 25. difficult. 5. num. 4.* Miranda *tom. 1. quæst. 50. art. 3. concl. 1.* Diana *3. part. tract. 2. resolut. 58.* Vega *in Summ. tom. 2. cap. 86. casu 40.* Rodriguez *tom. 3. quæst. 32. art. 5.* Reginald. *lib. 18. num. 123.*

Objectio difficilis proponitur, & illius solutio.

149. Sed contra hoc assertum militat difficilis objectio, ex eo quòd Tridentinum *sess 24. cap. 4.* dicit: *Nullus autem sæcularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat.* & Gregorius XV. in Constitutione, quæ incipit: *Inscrutabili*, dicit: *ac demum habeat Episcopus tanquam dictæ Sedis delegatus authoritatē coërcendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam sæculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petitâ illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint.* ¶ Verùm ad istam objectionem respondetur, quantum attinet ad Constitutionem istam Gregorii XV. suspensam fuisse pro Regnis Hispaniæ ejus publicationem, ut docet Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 19. num. 35. & cap. 20. num. 3.* etiam ubi viget, contra assertionem dictam vim non habet: quia tam Constitutio Gregoriana, quàm decretum Tridentini, loquuntur in eodem sensu, ac in eisdem casibus conformiter ad jus commune. Undè quia in illo decretum erat, quòd quando Episcopus prædicat, vel coram se vult facere solemniter prædicari, ipso contradicente Regulares non audeant nec in propriis, nec in alienis Ecclesiis prædicare: hoc ipsum præcipit Concilium, ut S. Congregatio apud Barbos. explicuit. Nec enim per illa verba intendit Concilium revocare jus commune, cùm nulla in eo decreto detur clausula revocatoria illius; sed se illi vult conformare, & innovare per suum decretum, quod jus commune antiquum, & fortè antiquatum decreverat. Totum enim illud caput exhortatorium est ad Episcopos, ut vel ipsi populo verbum Dei frequenter prædicent, vel si non potuerint, faciant alios coram se prædicare. Et statim addit verba proposita, in quibus conformiter ad jus antiquum præcipit, ne Regulares audeant contradicente Episcopo prædicare; utique in casibus, in quibus ex jure illo contradicente prædicare non possent, ut sic jura juribus consonent, & concordentur, ut dicitur *in cap. Ecclesiæ vestræ, 2. de electionibus.*

Aliquæ difficultates alibi decisæ attingũtur.

150. Poterat enimverò hîc circa prædicta dubitari primò, An Episcopus Regulares semel præsentatos, aut ab eo licentiã concionandi adeptos possit cogere, ut iterum præsententur, vel concionandi licentias Eis

datas possit suspendere? & Secundò, An Regularis præsentatus, aut licentiatus pro una Diœcesi possit in quacumque Diœcesi concionari? Verùm quia quoad hæc Confessarii, & Concionatores purificantur ab omnibus, quod suprà diximus circa Confessores, idcircò idem sentiendum esse de Prædicatoribus judicamus. Neque his discutiendis ultrà immoramur, sicut nec examini opinionis asserentis quòd Confessor, aut Prædicator semel ab uno Episcopo approbatus ubique suum munus exercere potest; sed independenter ab istis aliam quæstionem resolvemus, quæ solet apud nos multoties excitari, quæque Prioribus parum peritis harum materiarum magnum negotium facessivit: An nimirum Concionator, qui ab Episcopo Salmantino v. g. licentiam obtinuit concionandi, si ab oppidanis alicujus loci, Diœcesis v. g. Abulensis, Segoviensis, Zamorensis, aut Vallisoletanæ, quæ sunt illi confines, pro aliqua, vel aliquibus concionibus vocetur, possit in illo loco extra Diœcesim Salmantinam concionari, non obtentâ priùs licentiâ ab Episcopo loci, in quo prædicaturus est?

Casus frequenter occurrens resolvitur.

151. Ad hoc igitur quæsitum respondetur affirmativè. Et hoc ex triplici capite. Primò: quia licèt in alienis Ecclesiis absque Episcopi licentia nullus concionari possit, etiam à parocho invitatus, ut declaravit Clemens VIII. apud Barbos. *ad caput 4. Concilij Tridentini sessionis 24. num. 7.* potest tamen Parochus dare licentiam viro docto, & Religioso, ut bis, vel ter concionetur in sua Ecclesia sine Episcopi approbatione, ut docent Diana *3. part. tract. 2. resolut. 111.* & *4. part. tract. 4. resol. 21.* Bordon. *tom. 2. resol. 7. num. 24.* Rodriguez *tom. 3. quæst. 32. art. 1.* Barbosa *num. 9.* Navarr. *in Manual. cap. 15. num. 241.* Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 16.* Antonius à Spiritu sancto *in Director. Regul. tract. 2. disp. 3. sect. 5. num. 145.* ¶ Secundò: quia licèt Regulares semel approbati ab uno Episcopo non possint ex hoc ipso ubivis locorum permanenter extra propriam Diœcesin prædicare; nihilominus quando sunt transeuntes per aliquem locum, & in itinere verè constituti, possunt in quocunque loco prædicare (sicuti de Confessoribus diximus suprà) non contradicente proprio Parocho, & non existente in eodem loco Episcopo, ex concessione Gregorii XIII. facta Societati Jesu, quâ per communicationem frui possunt alii Religiosi. Villalobos *tom. 2, tract. 35. difficultate 5. num. 2.* Joannes de la Cruz *de statu Religios. l. b. 1. cap. 6. dub. 2. conclus. 3.* Miranda *art. 4. conclus. 1.* Barbosa *de potest. Episcop. part. 2. allegat. 76. num. 26. & 27.* Antonius à Spiritu sancto *num. 156.* Diana *3. part. tract. 2. resolut. 111.* Religiosi autem extra locum sui domicilii semper sunt quasi in itinere. Et sic ex hoc capite in dictis locis quamdiu ad illam Diœcesim domicilium non mutaverint, prædicare poterunt. ¶ Tertiò: quia juxta multorum sententiam, Episcopus, à quo debet vel Confessarius approbari, vel prædicator licentiam

acci-

accipere, est Episcopus ipsius religiosi, seu illius Diœcesis, in qua ipse habet domicilium : & sic quandiu domicilium non mutaverit, quòcumque pergat, secum affert sufficientem licentiam, & approbationem, ut ubilibet, ubi tanquam advena, & hospes existit, possit confessiones audire, & verbum Dei prædicare. Ita plures, quos refert, & sequitur Dicastillo *de Pœnitent. disput.* 10. *num.* 245. Tancredo *tract.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 52. Candidus *disquisit.* 24. *art.* 6. *dub.* 8. Thomas Hurtado *tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *dub.* 62. *num.* 2047. Antonius à Spiritu sancto *in Director. Confess. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *sect.* 6. *num.* 867. Bassæus *verb. Confessarius.* 3. *num.* 9. & alii, quos refert, & eorum sententiam ut probabilem sequitur Diana 1. *par. tract.* 11. *resolut.* 7. & *part.* 5. *tract.* 12. *resolut.* 53. & *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 110.

Nequeũt Episcopi Regulares concionatores examinare; sed hoc pertinet ad eorũ Prælatos.

152. Inquires primò : an possint Episcopi Regulares examinare, qui illorum licentiam ad prædicandum in alienis Ecclesiis postulant, & isti examini Episcoporum se subjicere teneantur? Aliqui affirmant his ducti rationibus : quia sic declaratum fuisse à S. Congregatione Cardinalium 22 Januarii, anno 1628. testantur Barbos. *ad caput* 2 *sessionis* 5. *Concilij Tridentini, num.* 20. Diana 4. *par. tract.* 4. *resol.* 22. in qua dicit : *Posse Episcopos examinare Regulares prædicaturos in Ecclesiis suorum Ordinum.* Tum etiam : quia ut Regulares possint prædicare in Ecclesiis non suis, requiritur licentia Ordinarii non solùm petita, sed obtenta : sed hanc nequit Episcopus prudenter dare, nisi examinet Ministrum, ut ei constet de ejus sufficientia : ergò, &c. Tum denique : quia ita habet plurimorum praxis Episcoporum, qui volunt Regulares examinare prædicaturos in alienis Ecclesiis, licèt sint à suis Prælatis approbati.

153. Sed dicendum est non posse Episcopos, Regulares examinare, nec approbare ad prædicandum in Ecclesiis etiam non suis ; sed hoc ad eorum Prælatos spectare, & ad Episcopos pertinere tantùm videre, an verè approbationem idoneitatis à Prælatis habeant, & hâc exhibitâ sine alio examine eis licentiam debere impertiri. Hoc assertum probatur primò, ex Constitutione Leonis X. relata in Bullario *tom.* 1. in Concilio Lateranensi edita, quæ incipit : *Suprema Majestatis præsidio*, in qua sic dicitur : *Sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus, ne ullus tam Clericus sæcularis, quàm uniuscujusque etiam Mendicantium Ordinis Regularis, aut quivis alius, ad quem facultas prædicandi tam de jure, quàm de consuetudine, aut privilegio, aut aliàs pertinet, ad hujusmodi officium exercendum, admittatur, nisi prius per Superiorem suum respectivè diligenter fuerit examinatus* : ubi illa verba : *per Superiorem respectivè*, insinuant, quòd Religiosi à suis Prælatis, sæculares ab Ordinariis examinati debeant ; & proindè illi ab Episcopo non sunt examinandi. Hoc ipsum magis explicuit sequentibus verbis idem Pontifex : *Quòcumque prædicaturus accesserit de hujusmodi examine, & ido-*

*& idoneitate sua per litteras authenticas, seu alias sui examinatoris, approbatorisque, Episcopi, & aliis locorum Ordinarijs fidem legitimè faciat.* Non ergò Episcopus est legitimus examinator Regularium, sed proprij Regularium Superioris examini stare debet, si licentiandus de suo examine & idoneitate per litteras authenticas fidem faciat. ¶ Secundò: quia Concilium Tridentinum *cap. 2. sess. 4. de reformatione*, verbis suprà relatis insistendo hoc disponit: quòd Regularis prædicare intendens à Superiore suo de vita, moribus, & scientia examinatus, & approbatus, cum obtenta ab eo licentia, & fide examinis personaliter se coram Episcopo præsentare debeat, & ab eo benedictionem petere, si in Ecclesia sui Ordinis concionari velit. Quòd si in aliena, quæ sui Ordinis non sit, concionari velit ultra licentiam sui Superioris, etiam Episcopi licentiam habere teneatur: ergò vult, quòd examen non ab Episcopo fiat; sed à Superiori Regulari. ¶ Et hoc ipsum confirmari potest: nam quando Concilium vult Episcopis potestatem supra Regulares concedere, id exprimit, ut fecit *sess. 23, cap. 15.* ubi agens de Confessoribus sæcularibus, addit, nullus etiam Regularis ad id idoneus reputetur, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut licentiam ab Episcopis obtineat per examen, &c. hic enim examen & licentiam ad Episcopos pertinere declarat, in nostro casu examen ad Prælatos spectare, & ad Episcopos licentiam concedere: non ergò tenentur se subjicere Concionatores Regulares examini Episcoporum. Sic porrò docent Diana *3. part. tract. 2. resol. 111.* & *4. part. tract. 4. resol. 22.* Bruno Cassaingh *tract. 6. cap. 2. propos. 3.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. disp. 3. sect. 4. num. 152.* Hieronymus Rodriguez *in Compendio quæstionum Regularium, resol. 112. num. 1.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 4. sect. 1. num. 22.* Bordon. *tom. 2. resol. 7. nu. 16.* Barbos. *de potest. Episcop. part. 3. allegat. 75. num. 23.* Miranda *tom. 1. qu. 50. art. 2.* Peyrin. *tom. 3 privileg. cap. 2. num. 10.* Campanil. *Rubric. 12.* Cesped. *de exempt. disp. 194. num. 3.*

154. Nec in oppositum objecta urgent: nam ad secundum dicimus, quòd hoc ipso quod Episcopis de examine, & licentia Superiorum fides sit facienda; jam ipsi constare potest de sufficientia ministri, & prudentissimè licentiam conferet, stando Prælatorum approbationi, ad quos examen de jure, & privilegiis pertinet. Et si oppositum ex praxi habeatur (quod tertia probatio dicit) hoc ideò est, quia ad dicta jura aliqui Episcopi non attendentes, falcem nituntur mittere in messem alienam, & plus juris usurpant, quàm ipsis à Conciliis permittitur, sibique Regulares subjicere, & eos humiliare contendunt. Quibus ipsi obtemperantes rectè faciunt, se humiliando, & Dominis Episcopis morem gerendo, ad evitanda majora incommoda: Nec ob id perdunt sua jura, aut privilegia. Declaratio autem Cardinalium, quæ in prima objectione adducitur, vel non est authentica, ut inquit

Objecta in oppositum diluuntur.

inquit Peyrin. vel esto authentica sit, loquitur secundùm id, quod de facto practicatur; non secundùm id, quod de jure habetur, ut explicat Bordonus. Sed melius cum Pellizzario dicimus, quòd simplex declaratio Sac. Congregationis non debet præferri Constitutioni gravissimæ Leonis X. in Concilio Lateranensi editæ, & in Concilio Trident. confirmatæ, maximè cùm non contineat eorum expressam revocationem, quod ad derogandum Constitutionibus Conciliorum Generalium necessarium erat: istiusmodi autem declarationes (inquit Pellizzar.) faciunt solùm opinionem probabilem, quæ non tollit probabilitatem oppositæ sententiæ, ut docet Granad. 2. 2. *controvers.* 11. *tract.* 15. *disput.* 14. *sect.* 2. *num.* 5.

Sex casus proponuntur, in quibus prædicatores ab Episcopis suspēdi possūt à munere concionādi.

155. Inquires secundò An Prædicatores Regulares suspendi à prædicatione & puniri possint ab Ordinariis? Respondetur, sex casus in jure assignari, in quibus potest Episcopus suspendere prædicatores Regulares, eosque punire. Tres habentur in Concilio Lateranensi 5. sub Leone X. in quibus à prædicatione esse ipso facto suspensos dicitur, his verbis: *Ut eorum exemplo alii attentare similia minimè audeant, eis prædicationis officium interdictum esse perpetuò decernimus.* Primus est: *Si prædicet miracula falsa, aut incerta.* Secundus: *Si prædicet prophetias, quæ in sacra Scriptura fundamentum non habent, aut à Sede Apostolica non sunt approbatæ; aut saltem ab Ordinario, ad hoc trium, aut quatuor virorum eruditorum examine adhibito, si tempus ad dictam Sedem accedere non permiserit.* Tertius: *Si prædicando, Episcopis, vel suis Prælatis detrahant.* Qui etiam casus habentur *in Clement. Religiosi.* §. *Quibus etiam, de privilegiat. & excessib. privilegiat.* Porrò hunc ultimum casum Glossa super hunc locum sic explicat: *Intelligo autem hanc litteram cùm nominatim detrahunt, vel per circumloquutionem, quæ vim habet propriæ nominis; aliàs in genere benè licet prædicatori tangere vitia Prælatorum: undè Dominus dixit super Cathedram, &c.* Alii tres casus ex Tridentino habentur *sess.* 5. *cap.* 2. in quibus Regularis ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato suspendi, & puniri potest. Primus: si prædicet propositiones erroneas. Secundus: si prædicet propositiones scandalosas. Tertius: si prædicet propositiones hæreticas; ibi enim dicitur: *Si verò (quod absit) prædicator errores, aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quòd si hæreses prædicaverit, contra eum secundùm juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat.*

Extra prædictos casus nequit Episcopus Regulares prædicatores suspendere.

156. Ex his sequitur primò, extra prædictos casus non posse Episcopum Regularem prædicatorem suspendere, aut contra illum procedere: quia Religiosi ab eorum jurisdictione, & correctione exempti sunt: & sic contra illos procedere, nisi in casibus à jure eis concessis minimè possunt, ut diximus *suprà cap. præcedenti.*

*denti.* Et tunc maximè verificatur axioma illud à Glossa *in cap. Pastoralis, de appellationib.* adductum : quod non invenitur in jure expressum, intelligitur esse prohibitum. Præsertim: quia Episcopi jure ordinario non possunt contra Regulares procedere, (cùm isti sint ab eorum jurisdictione exempti) sed tantùm ut Sedis Apostolicæ delegati : jurisdictio autem delegata ita restringi debet, ut non se extendat ad ea, quæ in commissione non exprimuntur, ut probat Riccius *decis. 124. num. 5. part. 1.* Ergò Episcopi in aliis casibus præter prædictos à jure concessos, non poterunt Regulares perturbare: sed si excesserint, ad Eorum Prælatos disciplina & correctio pertinebit : ob idque in dicto capite à Concilo monentur Episcopi, his verbis : *Curent autem Episcopi ne quis Prædicator vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, justamvè de eis conquerendi occasionem habeat.* Quasi Concilium diceret : in tribus dictis casibus potest Episcopus Regularem à prædicatione suspendere; in aliis potest Regularis justè de illo conqueri, si ab ipso vexetur.

Non potest Episcopus Regularem absque ejus licentia prædicãtem punire.

157. Sequitur secundò : quid dicendum sit ad illam quæstionem, an Regularis prædicans in propria Ecclesia, absque Episcopi petita benedictione; vel in aliena absque illius licentia obtenta, vel eo contradicente, sermonem ad populum habens, in casibus, in quibus diximus, eo contradicente non posse munus prædicationis exercere, possit ab Episcopo suspendi, aut alio modo puniri ? Et quidem stante illâ Constitutione Gregorii XV. quam suprà diximus fuisse pro Hispania suspensam, ubi illa viget, nullum in hac parte dubium relinquitur : quia in ea dicitur, quòd Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus habeat authoritatem coërcendi, ac puniendi quoscunque exemptos tam sæculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, vel suorum Ordinum, non petitâ illius benedictione, aut Episcopo contradicente, *prædicare præsumpserint.* Sed hac præcisâ Constitutione, quæ pro Regnis Hispaniæ non viget, aliud decrevit S. Congregatio anno 1602. cujus verba adducit Flavius Cherubin. *in Compend. Bullar. tom. 2. sup. Bullam 41. Pij V.* & sunt ista : *Eos, qui absque licentia Episcopi prædicaverint in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, tametsi decreto Concilij contrà fecerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantùm à suis Superioribus Regularibus.* Quod certè est valdè conforme juri communi : non enim ex eo, quòd detur potestas Episcopis aliquid prohibendi Regularibus, datur etiam facultas in casu inobedientiæ eos puniendi, uti *sup. cap. præced.* dicebamus. Et ideò *in cap. Licet, de Officio Vicarij,* Innocentius IV. sic loquitur: *Quòd in generali jurisdictione delegata, concessa ad mandata facienda, & causas ventilandas, non intelligitur concessa jurisdictio corrigendi, & puniendi excessum, nisi*

*nisi specialiter hæc committantur*: ergò in casibus, de quibus nunc loquimur, licèt detur facultas Episcopis suprà Regulares, quia tamen illis non conceditur expresè jurisdictio illos puniendi, si non debitè paruerint; non poterit Episcopus illos punire, aut suspendere; sed hoc ad Eorum Prælatos Regulares pertinebit. Sic Magist. Joannes à Cruce *lib.1.cap.7. dub.2.conclus.2.* Bruno *tract.6.cap. 4.propos.1.* Lezana *tom.2.p.1.cap. 20.n.3.* Antonius à Spiritu sancto *in Director.Regul.tract.2.disp.3.sect.4. num.144.*

Exhortatoriæ Concilii Trid, & Lateranens. ad prædicatores.

158. Cæterùm loquendo de iis, ad quæ prædicatores tenentur, monet Concilium Trident. *sess.5.cap.2. Ut plebes pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare; & virtutes, quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.* Deindè Concilium Lateranense sub Leone X. *sess.11.* prohibet prædicatoribus, ne de cætero in sermonibus suis publicis alia quæque futura constanter prædicent, nec illa ex Spiritu sancto, aut divina revelatione se habuisse, affirmare audeant, aut alienas, & inanes divinationes asserere, aut alio modo tractare de eis præsumant: sed ex divinæ vocis præcepto Evangelii omni creaturæ, cum vitiorum detestatione, & virtutum commendatione enucleent, atque declarent; quapropter ait: *Evangelicam veritatem, & sacram Scripturam juxta declarationem, interpretationem, & ampliationem Doctorum, quos Ecclesia approbavit, aut in posterum recipiet, satagant prædicare.*

159. Debent etiam concionatores Regulares in concionibus ad populum uti Evangeliis, & Epistolis, quæ leguntur à Clero sæculari ejus Ecclesiæ ubi degunt, uti decrevit sacra Congregatio Concil. apud Quarantam *in Summ.Bullar.verb.privileg. Regular.* ¶ Illisq; prohibitum est à S. Congregat. ut refert Gavantus *verb. Concio sacra, n.42.* ne inter concionandum pauperes aliquos determinatos commendent sine licentia Episcopi. ¶ Nec possunt Indulgentias non publicatas, vel non approbatas per Ordinarios locorum, prædicare, ut habetur in Concilio Trid. *sess.21. cap.9.* Imò publicantes falsas indulgentias, seu indiscretas, peccant omninò mortaliter contra præceptum illis impositum, *Cap. Religiosi. Clementin. de privileg.* ut docet Lezana *tom.1.p.2.cap.20.n.17.*

In quib' casibus peccent prædicatores suũ munus nõ debitè exercentes.

160. Præterea prædicantes miracula falsa peccant mortaliter, propter præceptum sub excommunicatione Papæ reservata impositum à Leone X. in Concilio Lateranensi *sess.11.* quàmvis quoad excommunicationem non sit in usu, & quia committunt mendacium perniciosum: qui enim eas prædicant, quantum in se est, tollunt veritatem miraculorum fidei, & sunt causa, quòd veris miraculis fides non adhibeatur. Ita docent Bonacin. *circa 8. præcept.*

*Decalog. disp.* 10. *q.* 1. *p.* 2. *n.* 7. Antonius à Spiritu sancto *tract.* 2. *disp.* 3. *sect.* 4. *nu.* 153. Secus autem dicendum est de illis, qui in concionibus falsum circa citationes proferunt, ut in numero, capitulo, nomine Authorum, loco unius alterum citando: quia tunc solùm venialem culpam committunt; & mendacium cùm non sit circa doctrinam, sed circa accidentia, non dicunt cum proximi præjudicio. Cajetan. 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 4. Azor 3. *p. lib.* 13. *cap.* 1. *dub.* 6. ¶ Qui verò in concionando fabulas, facetias, aut aliquid ridiculum miscent, regulariter peccant venialiter: quia abutuntur munere suo, miscendo sacra profanis. Cajetan. *q.* 164. *art.* 2. Lezana *cap.* 20. *n.* 16. ¶ Et licet Cajetanus *q.* 64. *art.* 6. & alii dicant, peccare mortaliter prædicatores in statu peccati mortalis concionantes; verius tamen est quod docent Sotus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 6. Medina *Cap. de Pœnit. tract.* 1. *qu.* 5. Lezana *num.* 15. tantùm esse veniale, & tantùm per accidens posse esse mortale; nimirum vel ratione scandali, si concionatoris peccatum publicum sit, vel quia indè fit, ut verbum Dei fiat contemptibile, & nullius æstimationis. ¶ Et hæc de toto hoc prolixo nimis Tractatu dicta sufficiant, ad laudem omnipotentis Dei, & beatæ semper Virginis Mariæ de Monte Carmeli.

INDEX

# INDEX

## RERVM ET VERBORVM,

## quæ in hoc TRACTATU continentur.

*Primus numerus paginam, secundus verò numerum marginalem designat.*


A.

*Abbas.*

AN Abbates aliquando possint esse conservatores? *pag. 250 nu. 160. &c. vide verb.* Religio.

*Absolvere.*

De facultate absolvendi à casibus, & censuris, Prælatis Religiosorum convenienti, *p. 297. n. 1. cum sequentibus.*

An possint Prælati (& idem est de reliquis Regularium confessariis) suos subditos, vel sæculares absolvere à casibus, vel censuris, quas Episcopi sibi in specie reservant? *p. 298. num. 3 cum sequentibus, Vide verbo* Confessarius,

*Abusus.*

An per abusum privilegium amittatur? *p. 102. num. 16.*

*Acceptatio.*

An in privilegio necessaria sit promulgatio, acceptatio, & notitia illius? *p. 40. &c. à num. 63. usque ad 69. inclusivè.*

Non cessat privilegium ante mortem concedentis non acceptatum, sed potest post mortem illius acceptari à privilegiato, antequam revocetur à successore. *86. 87. n. 147.*

Qualis acceptatio Principis requiratur, ut privilegium per renunciationem cesset? *pag. 96. num. 7.*

Quis renuntiationem acceptare possit? *97. num. 8.*

Conservatores electi an teneantur suam electionem acceptare? *p. 247 n. 154.*

*Approbatio.*

An approbatio requiratur ad confessiones audiendas? *p. 322. n. 41.*

Approbatio, & jurisdictio sunt res diversæ, *ibidem. & 323.*

Nullum modo extat privilegium, ut Regulares sine approbatione Episcopi possint sæcularium confessiones audire *323. n. 42.*

Approbatio an requiratur ad confessionem peccatorum venialium? vel mortalium etiamsi pœnitens sit in articulo mortis vel periculo? *324.*

An Prælati Regulares possint audire sæcularium confessiones sine Episcopi approbatione? *pag. 327. n. 47.*

*n.47.cum duplici sequenti.*

An Regularis approbatus ab Episcopo pro confessione sæcularium, possit eam valide audire, & absolvere, si à suis Prælatis præsentatus non sit, sed ab ipsis, vel à suis legibus prohibitus? *326. n. 46. cum sequentibus.*

De illis, qui possunt sibi Confessarium eligere ab Episcopo non approbatum, *p.328.n.49. cum sequentibus.*

An Regulares apti & idonei, præsentati Episcopo, si ab eo ex odio, aut mala voluntate, aut ex alio pravo affectu non fuerint admissi, nec approbati ad confessiones, possint ipsi sæcularium confessiones audire, ac si essent de facto approbati? *p.334. num. 60. cum aliis sequentibus.*

An possit Episcopus Regulares Confessarios limitate approbare, ad limitata loca, personas, tempus, &c. *p.338. n. 66. cum seq.*

An Regularis pro una Diœcesi approbatus, ad audiendas in aliis sæcularium confessiones, nova indigeat approbatione? *p.341. num. 71. cum sequentibus.*

An Regulares semel absolute ab Episcopo approbati, possint iterum ad examen vocari, vel ab eo, illorum licentiæ suspendi, donec iterum præsententur, vel approbentur? *p. 347.n.79. cum sequentibus.*

Peccant mortaliter Regulares, qui absque approbatione prælatorum prædicant. *p.390. n. 143.*

*Arbiter, Arbitrator.*

Controversiæ ortæ inter Conservatores, & ordinarios super competentia jurisdictionis, per arbitros in forma juris electos, decidendæ sunt, & interim in causa non est procedendum *p.252.n.162.*

*Archidiaconus.*

Archidiaconi possintne esse aliquando conservatores? *p.251. n.160.*

*Archiepiscopus.*

An Archiepiscopi possint interpretari privilegia Religionum? *p.46. n.72. & 73.*

Archiepiscopus an possit aliquando esse conservator? *p.250. n.160.* vide *verbo* Religio.

*Archipresbyter.*

An Archipresbyteri aliquando possint esse conservatores? *p. 251. n.60.*

B.

*Beatæ.*

An beatæ communicent in aliquibus privilegiis Religiosorum; *p.59.60. n.94.*

*Bulla.*

Privilegia & facultates Bullæ cruciatæ an sint latè explicanda? *pag. 51. n. 80.*

Privilegium Bullæ cruciatæ an extendatur extra Hispaniam? *pag. 79. n. 127.*

Facultas per Bullam vel Jubileum concessa, morte concedentis an cesset? *p.89.n.146.*

Si rescriptum gratiæ concessum sit pro aliquo tempore limitato. v. g. pro spatio unius anni (ut sunt privilegia Bullæ cruciatæ) valet per totum

totum annum, etiam si intra illud moriatur concedens, *p.90.n.148.*

Privilegia per Bullam cruciatam concessa, an revocentur per Bullam Cœnæ, aut Jubileum, quod nunc 25. anno conceditur? *p.110. n.30.*

An privilegia regularium revocentur, vel suspendantur per Bullam cruciatam, ubi ista publicatur. *ibid. n.31.*

Dicendum est per Bullam Cœnæ revocari modo omnia privilegia Regularium, quæ sunt contraria Bullæ Cœnæ Domini, quæ singulis annis publicatur. *ibid.* & *p.111.*

Semel Regularis in una Diœcesi approbatus, virtute Bulla cruciatæ potest ubique in confessorem eligi, *p.341.n.71.*

An possint Regulares uti privilegio Bullæ cruciatæ ad eligendum confessorem extra suam Religionem? *p.358.n.95. cum seq.*

An Religiosi, & Moniales possint sibi eligere confessorem virtute Bullæ cruciatæ, quem voluerint, etiam externum, (approbatum tamen ab ordinario) etiam sine licentia suorum Prælatorum, qui eos absolvat à peccatis mortalibus non reservatis, *p. 363. & 364. num.103. cum sequentibus.*

Possintne modo Regulares confessarij à casibus & censuris Bullæ Cœnæ occultis sæculares absolvere? *p.377. nu.124. cum sequentibus.*

## C.

### *Canonicus.*

CAnonici Ecclesiæ Cathedralis an queant esse conservatores aliquando. *p.251.n.160.*

Canonici Ecclesiarum Collegiatarum, an possint institui conservatores. *ibid.n.161.*

### *Cardinalis.*

Cardinales, an aliquando possint esse conservatores? *pag.250. num. 160.*

### *Carmelitæ.*

Privilegia, quibus Carmelitæ excalceati à solutione quartæ funeralis eximuntur. *pag.286.n.2, 9. cum sequentibus.*

Plures sententiæ in favorem Carmelitarum Discalceatorum de non solvenda quarta funerali. *p. 291. num.227.*

### *Carnes.*

An nostri Religiosi mortaliter peccent, si carnes comedant absque licentia in scriptis? *p.40.n.62.*

### *Clausura.*

An possint Episcopi visitare clausuram monialium exemptarum ad illam conservandam, vel restituendam? *p.168. n.37. cum duplici sequenti.*

### *Clausula.*

Diversæ clausulæ explanantur, quæ solent in privilegiis Pontificum reperiri, vel in eorum confirmationibus, & revocationibus? *p.28. n.38. cum pluribus sequentibus.*

### *Clericus.*

An Clerici respectu suorum Prælatorum gaudeant immunitatis privilegio? *207.n.92.*

*Communicatio.*

In quo consistat communicatio privilegiorum? *p. 55. n. 87.*

Qualiter omnes Religiones mendicantes, & non mendicantes sibimetipsis in privilegiis communicent: *ibid. & 56. n. 88. cum pluribus seqq.*

An Tertiariæ & Beatæ, & aliæ personæ communicent in aliquibus privilegiis Religiosorum? *p. 59. 60. n. 94.*

An si privilegia alicui Religioni concessa alterius Religionis statutis, legibus, aut modo vivendi adversentur, participentur per communicationem ab ista Religione, ita ut eis uti possint Religiosi contra id, quod in suis legibus statuitur? *p. 63. n. 100.*

An Religiones communicantes cum aliis etiam in odiosis, & pœnalibus communicent? *64. n. 101.*

An Religio communicans in privilegiis possit per privilegium alteri concessum sese defendere, illudque retorquere contra primam privilegiatam? *ibid. & 65. num. 102. 103.*

An mendicantes, & qui cum eis in privilegiis participant, uti possint privilegiis Societatis Jesu absque licentia sui Generalis vel Provincialis? *p. 66. n. 104. & 105.*

An privilegia quæ habent clausulam incommunicabilitatis, adhuc ab aliis Religionibus valeant communicari? *pag. 67. n. 106. & 107.*

An privilegia concessa uni Provinciæ, uni Conventui, vel Ecclesiæ particulari, vel etiam singularibus personis, censeantur concessa cæteris provinciis, Conventibus & Ecclesiis, nec non singularibus personis ex vi generalis communicationis? *p. 68. 69. n. 108. cum aliis seqq.*

An privilegium concessum per Bullam uni Religioni, & alteri communicatum solum per oraculum revocatum sit per dictas revocatorias respectu illius Religionis, cui fuit solum per oraculum concessum? *p. 124. n. 55.*

An per confirmationem privilegiorum unius Ordinis, aliorum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in privilegiis. *p. 138. n. 76. cum seqq.*

An quando uni Religioni datur privilegium communicationis in privilegiis alterius, inter quæ unum est exemptio à solutione decimarum, ex vi illius possit Religio communicans eximi à solutione decimarum, ac si ipsi in specie privilegium talis exemptionis concessum esset? *pag. 192. num. 70. & 71.*

*Communio.*

Qui semel in anno non confessus est; nec in Paschate communicavit, an sit sepeliendus in loco sacro *p. 275. n. 199.*

*Confessarius, Confessio.*

Quando teneatur Confessarius uti privilegio absolvendi à censuris, vel reservatis? *p. 16. n. 15.*

Facultas concessa Confessario ad absolvendum à reservatis, an laicè sit explicanda? *p. 50. 51. n. 80.*

Licen-

Licentia ad confessiones audiendas morte concedentis an exspiret? *p. 89. n. 144.*

Qui semel in anno non confessus est, nec in Paschate communicavit, an sit sepeliendus in loco sacro? *p. 275 n. 199.*

An possint Prælati (& idem est de reliquis Regularium confessariis) suos subditos, vel sæculares absolvere à casibus, vel censuris, quas Episcopi sibi in specie reservant? *p. 146. n. 3. cum sequentibus.*

Approbatio & jurisdictio cum sacerdotio ad confessiones audiendas requiritur. *p. 322. n. 41.*

Nullum modo extat privilegium, ut Regulares sine approbatione Episcopi possint sæcularium confessiones audire. *323. n. 42.*

An simplex sacerdos possit audire confessiones in articulo vel periculo mortis? & etiam extra periculum mortis, si confessio sit de peccatis venialibus? *324.*

An Prælati Regulares possint audire sæcularium confessiones sine Episcopi approbatione? *p. 324. n. 43. cum duplici sequenti.*

An Regularis approbatus ab Episcopo pro confessione sæcularium, possit eas valide audire, & absolvere, si à suis Prælatis præsentatus non sit, sed ab ipsis, vel à suis legibus prohibitus? *326. n. 46. cum seqq.*

De illis, qui possunt sibi confessarium eligere ab Episcopo non approbatum. *p. 328. n. 49 cum seqq.*

An Regulares apti, & idonei præsentati Episcopo, si ab eo vel ex odio, aut mala voluntate, aut ex alio pravo affectu non fuerint admissi, nec approbati ad confessiones, possint ipsi sæcularium confessiones audire, ac si essent defacto approbati? *p. 334. n. 60. cum aliis seqq.*

An possit Episcopus Regulares confessarios limitare approbare, ad limitata loca, personas, tempus, &c. *p. 338. n. 66. cum seqq.*

An regularis pro una diœcesi approbatus ad audiendas in aliis sæcularium confessiones nova indigeat approbatione? *p. 341. n. 71. cum seqq.*

An Regulares semel absolute ab Episcopo approbati, possint iterum ad examen vocari, vel ab eo illorum licentiæ suspendi, donec iterum præsententur, vel approbentur. *p. 347. n. 79. cum sequentibus.*

Qualiter Religiosi unius ordinis possint cum extraneis, sive Religiosi sint, sive sæculares confiteri. *p. 353 n. 89. cum seqq.*

An possint Regulares uti privilegio Bullæ cruciatæ ad eligendum confessorem extra suam Religionem? *p. 358. n. 95. cum seqq.*

De Privilegiis confessorum Regularium in ordine ad absolvendum proprios Religiosos à casibus reservatis. *p. 366. n. 107. cum seqq.*

De facultate quam habent confessarij Regulares dispensandi vota, & irregularitates suorum Religiosorum. *p. 371. n. 113. cum seqq.*

A quibus casibus & censuris reservatis possint Regulares confessarij sæculares absolvere? *p. 373. n. 117. cum seqq.*

Posſintne modo Regulares confeſſarii à caſibus, & cenſuris Bullæ Cœnæ occultis ſæculares abſolvere? *p.377. n.124. cum ſeqq.*

*Confirmatio.*

Diverſæ clauſulæ explanantur, quæ ſolent in privilegiis Pontificum requiri, vel in eorum confirmationibus, & revocationibus. *p.28.29. n.38 cum pluribus ſeqq.*

De confirmatione Privilegiorum ſub qua forma, & modo fieri ſoleat? *p.133.n.68. cum ſequentibus.*

An per confirmationem ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis reſtaurentur privilegia revocata per jus commune, vel per Concilium aliquod generale, abſque eo, quod de tali revocatione fiat expreſſa vel ſpecifica mentio? *p. 136. 137.n.73.*

An Confirmatio ex certa ſcientia confirmet actum, poſſeſſionem, aut privilegium in præjudicium tertij? *137.n.74.*

An per confirmationem privilegiorum unius Ordinis aliorum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in privilegiis? *p.138.n.76. cum ſequentibus.*

*Conſuetudo.*

An poſſit acquiri privilegium per conſuetudinem? *p.24.n.30.*

Revocatis privilegiis, an cenſeantur revocata per conſuetudinem acquiſita? *ibid. n.31.*

Conſuetudine & præſcriptione, quomodo poſſunt aliqui eximi à decimis ſolvendis? *p.183.n.55.*

Poteſtne adverſus immunitatem prævalere conſuetudo. *p.200.n.82.*

*Conſulens.*

An mandans aut conſulens in Eccleſia occiſionem illius immunitate privetur? *p.213.n.102.*

*Crimen, Criminoſus.*

Qui criminoſi ab Eccleſiæ immunitate excludantur? *210. 211. n.96. cum ſequentibus.*

Crimen læſæ Majeſtatis an privet immunitate? *p.217.n.106.*

Quando non appoſitio conditionis privilegium ſuſpendat? vel deſtruat? *p.93.n.2. vide verbo votum*

D.

*Debitum.*

An Prælati diſpenſari poſſint cum conjugatis ad debitum petendum? *p.320.n.38.*

Privatio debiti petendi, quando non incurratur? *ibid.*

*Decanus.*

Decanus, an aliquando poſſit eligi in conſervatorem? *p.251.n.160.*

*Decima.*

Quotuplex ſit decima. *180.n.52.*

Solutio decimarum, quo jure ſit debita, *ibid.n.53.*

Pontifex an aliquos eximere valeat à ſolutione decimarum? *pag. 181. n.54.*

Conſuetudine & præſcriptione quomodo poſſunt aliqui eximi à decimis ſolvendis? *182. n.55.*

Ex quibus rebus perſonales decimæ debentur? *p.183.n.56.*

Ex quibus rebus prædialibus, aut mixtis decimæ ſolvendæ ſint? *184.n.57. & 58.*

Quæ perſonæ debeant decimas ſolvere? *p. 185. n.59. cum duobus ſequenti.*

Quæ

Quæ pœnæ sint impositæ non solventibus decimas, aut facientibus eas non solvi, vel eas aliquomodo usurpantibus? *p.187.n.62.*

Qualiter jure communi, Religiosi communiter viventes exempti sint à solutione decimarum? *188. n.63. cum sequentibus.*

An quando uni Religioni datur Privilegium communicationis in privilegiis alterius, inter quæ unum est exemptio à solutione decimarum, ex vi illius possit Religio communicans eximi à solutione decimarum, ac si ipsi in specie privilegium talis exemptionis concessum esset? *p.192.n.70. & 71*

Privilegia Regularium pro non solvendis decimis recensentur. *193. n.72.*

An ex vi dictorum & aliorum privilegiorum, nunc de facto Religiosi non solum sint exempti à solutione decimarum prædiorum, quæ ante Concilium Lateranense possidebant, sed etiam de prædiis, terris, arboribus in futurum possidendis ab eis? *p.194.n.73.*

An Religiosi teneantur decimas solvere de prædiis, terris, agris, aut possessionibus, quas aliis colendas tradunt, vel per arrendatarios, aut colonos excolunt, an nimirum Religiosi, vel prædiorum coloni teneantur decimas Parochis tribuere? *195. n.74. cum duplici sequenti*

An hujusmodi privilegium de non solvendis decimis extendatur ad prædia cõducta, locata, vel in emphiteusim accepta ab ipsis Religiosis, quæ ipsi propriis manibus, aut sumptibus colunt, licet aliena sint, & à monasterio conducta? *p.197.n.77.*

Qui Regulares dictis privilegiis exemptionis à decimis fruantur? *198. n.78. & 79.*

Quando amittantur supra dicta privilegia exemptionis à decimis? *p.199.n.80.*

*Depopulator.*

Depopulatores agrorum an gaudeant immunitatis privilegio? *p.211. 212.n.99.*

*Desperatio.*

Occidentes se ipsos ex desperatione an sint sepeliendi in loco sacro? *p.276.n.200.*

*Diffinitores, Diffinitorium.*

An diffinitores possint aliquando esse conservatores? *p.252.n.163.*

*Dispensatio.*

Privilegium aut dispensatio, quantumvis odiosa, extendi debet ad ea, quæ sunt illi necessario connexa, & sine quibus non potest habere effectum, *p.51.n.81.*

Speciales casus ex hac doctrina inferuntur, *ibid.*

Dispensationes commissæ ordinariis an exspirent morte Pontificis? *p.89 90.n.147.*

An privilegium vel dispensatio ad aliquid agendum vel non agendum, cesset unico actu? *p.94.n.4.*

Non potest summus Pontifex revocare dispensationes, quas dedit, contrahendi matrimonium in gradibus prohibitis, nisi ex urgenti causa, & reddendo dispensato, quod dedit. *p.109.110.n.30.*

De facultate Prælatorum ad dispensandum in irregularitatibus, *p.312.n.24.cum seqq.*

Qualiter Prælati cum suis subditis in legibus & præceptis Ecclesiasticis valeant dispensare? *p.316.n.30 cum seqq.*

An Prælati dispensare possint cum conjugatis ad debitum petendum? *p.320.n.38.*

De facultate quam habent Confessarij Regulares dispensandi vota, & irregularitates suorum Religiosorum? *p.371.n.13.cum seqq.*

In quibus irregularitatibus, & alijs pœnis possint Religiosi cum sæcularibus dispensare? *p.383.n.132. cum seqq.*

An Episcopus dispensare possit in aliquibus irregularitatibus? *p.384. n.133.cum alijs sequentibus.*

*Dubium.*

An in dubio utrum privilegium sit reale, vel personale, judicandum sit esse reale, vel personale? *pag. 18. n.20. & 21.*

Privilegia Regularium dubia à quo debeant interpretari? *p.46.n.73.*

Privilegia Regularium dubia, an in eorum favorem sint interpretanda? *p.47.n.74.*

An Episcopus dubitans de validitate privilegij Regularium, an sint in usu, an subreptitium, an vitiosum, an amissum, aut aliter intelligendum, possit Regulares impedire, ne interim tali privilegio utantur? *p.75.n.121.*

In dubio, an quis renunciaverit privilegio, vel non, quid dicendum? *p.97.n.8.*

In dubio, non præsumitur privilegia Regularium esse revocata, nisi de revocatione constet, *p.119.n.36.*

In dubio de privilegio exemptionis Regularium, non Episcopus, sed Pontifex potest sententiam proferre, *p.148.n.6.*

Si dubium sit an casus sit exceptus, vel non, possitne judex laicus vi extrahere reum à loco sacro? *p.225 n.120.*

In dubio, an cadaver sepeliendum sit in Ecclesia, an extra? quid faciendum? *p.272.n.193.*

Qualiter dubium circa reservationem peccati, vel censuræ, excuset à reservatione? *p.307.308.n.14.cum seqq.*

Peccatum, ut dubium confessum, recedente dubio, an sit postea iterum confessioni mandandum? *p.308.n.16.cum sequentibus.*

*Duellum.*

Qui in duello moriuntur, an intra Ecclesiam sint sepeliendi? *p.273. n.196.*

E.

*Ecclesia.*

An Ecclesia gaudeat immunitate, & ad quæ loca extendatur prædicta immunitas? *p.201.n.84.cum aliis seqq.*

An si incarceratus, fracto carcere, ad Ecclesiam confugiat, illi prosit ejus immunitas? *p.207.n.91.*

An prosit Clericis, & Religiosis immunitas Ecclesiæ comparatione ad suos Prælatos? *p.207.n.92. & 93.*

Qui criminosi ab Ecclesiæ immunitate excludantur. *p.210.n.96.cum seqq.*

Quos

Quos effectus habeat immunitas Ecclesiæ, *p.*219. *n.* 109. *cum quatuor seqq.*

Quam pœnam & culpam incurrant indebitè extrahentes delinquentes à loco sacro? *p.* 221. *nu.* 114. *cum seqq.*

Quomodo confugientes ad Ecclesiam tradi vel non possunt judici sæculari puniendi? *p.* 224. 225. *n.* 119. *cum aliis seqq.*

Vide *verbo* Alienatio.

*Episcopatus, Episcopus.*

An possint Episcopi interpretari privilegia Religionum? *p.* 46. *n.* 72. *&* 73.

An Episcopus dubitans de validitate privilegii Regularium, an sit in usu, an subreptitium, an vitiosum, an amissum, aut aliter intelligendum, possit Regulares impedire, ne interim tali privilegio utantur? *p.* 75. *n.* 121.

Facultas testandi concessa Episcopis à Papa an axspiret morte Pontificis? *p.* 90. *n.* 147.

Regulares citati ab Episcopo, an comparere teneantur? *p.* 147. *n.* 5.

In dubio de privilegio exemptionis Regularium non Episcopus, sed Pontifex potest sententiam proferre? *p.* 148. *n.* 6.

Quæ personæ hujusmodi privilegio exemptionis ab Ordinario potiantur. *p.* 149. n. 8.

An tale exemptionis privilegiũ competens Regularium monasteriis suffragetur etiam personis sæcularibus ibi existentibus, ob idque delinquentes in monasteriis Regularium non subjaceant pœnis latis ab Ordinario contra taliter delinquentes? *p.* 150. *n.* 9.

Erigere nova monasteria an possint Regulares absque Episcopi licentia? *p.* 151. *n.* 10.

Absque licentia Ordinarii libros imprimere an possint Regulares? *p.* 152. *n.* 11. & 12.

Subjiciuntur Regulares exempti quoad restituenda novitiis nolentibus profiteri ea omnia, quę tempore ingressûs secum in monasterium detulerunt. *p.* 153. *n.* 13.

Habet etiam Episcopus auctoritatẽ supra dispositionem faciendam à novitiis, ita ut ab ipsis queat fieri, nisi intra duos menses ante professionem, & cum licentia Episcopi, vel ejus vicarii. *ibid.*

Habet authoritatem Episcopus, vel ejus vicarius, aut alius ab eo deputatus explorandi virginis ingressuræ, aut professuræ in Religione voluntatem, an sponte, an coactè id faciat? *p.* 154. *n.* 14.

Habet potestatem Episcopus circa numerum Monialium statuendum in monasteriis, & qualiter? *ibidem.*

Qualiter in causis miserabilium personarum Regulares coram Ordinario conveniri possint? *ibid. n.* 15.

Ad processiones ire, vocati ab Episcopis, qui Regulares teneantur? *p.* 155. *n.* 16. *&* 17.

Quas processiones possunt facere Religiosi sine licentia Ordinarii? *p.* 157. *n.* 18.

An Ordinarii possint per censuras Regulares exemptos compellere

ad ea, in quibus ex jure sint illis subditi? p.158. &c. cum duplici sequenti.

In casibus à jure concessis potest Episcopus Regularem excommunicatum denuntiare, p.160 n.23.

In alio casu quid sit dicendum? ibid. n.24.

An Regulares exempti teneantur legibus diœcesanis, & præceptis ab Episcopis impositis? 161. n.25. cum sequentibus.

An possint Episcopi visitare clausuram Monialium exemptarum ad illam conservandam, vel restituendam? p.168. n.37. cum duplici sequenti.

An possint Episcopi visitare testamenta, & illorum reddere rationem teneantur Regulares, quando monasteria eorum hæredes relinquuntur universales? p.170. n.40. cum seqq.

Qualiter in causis criminalibus dependeant Religiosi exempti ab Ordinario? p.172. n.43. cum sequentibus.

Possit ne Episcopus absolvere ab excommunicatione, quæ incurritur ob violationem Ecclesiæ? p.223. n.117.

Quid Episcopus possit circa eductionem rei à loco sacro? p.224. n.119. cum seqq.

In erigendis monasteriis an debeat licentia Episcopi præcedere? pag. 228 n.126.

Hanc licentiam quis Episcopus possit præbere? ibid.

An exigatur licentia ad transferendum monasterium ab uno loco in alium, p.238,239 n.143. cum seqq.

Episcopus an aliquando possit esse conservator? p.250. n.160.

Controversiæ ortæ inter Conservatores, & Ordinarios super competentia jurisdictionis per arbitros in forma juris electos decidendæ sunt, & in eis in causa non est procedendum, p.252. n.162.

An Episcopus dispensare possit in aliquibus regularibus? p.384. n.133. cum aliis seqq. Vide verbo Religio: verbo Missa: verbo Immunitas.

*Excommunicatio, Excommunicatus.*

In casibus à jure concessis potest Episcopus Regularem excommunicatum denuntiare, p.160. n.23.

In alio casu quid sit dicendum? ibid. n.24.

Excommunicatus gaudeatne privilegio immunitatis? p.205. n.89.

An excommunicationem incurrant violatores Ecclesiarum? p. 222. n.115.

An prædicta excommunicatio sit reservata? p.223. n.116.

Quis possit ab hac excommunicatione absolvere? ibid. n.117.

Excommunicatus interdictus an privetur sepultura? p.273. n.295.

An detur aliqua excommunicatio contra sepelientes aliquos privatos Ecclesiasticâ sepulturâ? p.277 n.202. & 203.

Vide verbo Apostata. V. Habitus. V. Alienatio.

*Exemptio. Exemptus.*

Exemptio Regularium exponitur, p. 144.

*p.*144.145.*n.*1.*&* 2.
Exemptio Regularium an sit non solùm quoad personas, sed etiam quoad loca? *p.*146.*n.*3.
An Regulares sint exempti à legatis? *p.*147.n.4.
Regulares citati ab Episcopo an cõparere teneantur? *ibid.n.*5.
In dubio de privilegio exemptionis Regularium non Episcopus, sed Pontifex potest sententiam proferre, *p.*148. *n.*6.
An possint Regulares privilegio exemptionis renunciare? *pag.*149 *n.*7.
Quæ personæ hujusmodi privilegio exemptionis ab Ordinario potiãtur? *ibid.n.*8.
An tale exemptionis privilegium cõperens Regularium monasteriis suffragetur etiam personis sæcularibus ibi existentibus? Ob idque delinquentes in monasteriis Regularium non subjaceant pœnis latis ab Ordinario contra taliter delinquentes? *p.*150. *n.*9.
Qualiter Regulares exempti ab Ordinariis locorum dependeant ab eis quoad aliqua civilia? *p.*151. *n,*10.*cum aliis seqq.*
An Ordinarii possint per censuras Regulares exemptos compellere ad ea, in quibus ex jure sunt illis subditi? *p.* 158. *n.*20. *cum duplici sequenti.*
An Regulares exempti teneantur legibus diœcesanis, & præceptis ab Episcopo impositis? *p.*161. *n.*25.*cum seqq.*
Possintne Ordinarii locorum visitare personas, Ecclesias, Monasteria, Parochias, Confraternitates Regularium exemptorum? *p.*165. *n.*31. *cum seqq.*
An possint Episcopi visitare clausurã Monialium exemptarum ad illam conservandam, vel restituendam? *p.*168.*n.*37. *cum duplici sequenti.*
Qualiter in causis criminalibus dependeant Religiosi exempti ab Ordinariis? *p.*172.*nu.*43.*cum sequentibus.*
An quando uni Religioni datur privilegium communicationis in privilegiis alterius, inter quæ est unum exemptio à solutione decimarum, ex vi illius possit Religio communicans eximi à solutione decimarum, ac si ipsi in specie privilegium talis exemptionis cõcessum esset? *p.*192.*n.*70. *&* 71.
An ex vi dictorum, & aliorum privilegiorum, nunc de facto Religiosi non solum sint exempti à solutione decimarum prædiorum, quæ ante Concilium Lateranense possidebant; sed etiam de prædiis, terris, arboribus, in futurum possidendis ab eis? *p.*194.*n.*73.
Qui Regulares dictis privilegiis exemptionis à decimis fruantur? *p.*198.*n.*78.*&* 79.
Quando amittantur supradicta privilegia exemptionis à decimis? *p.*199.*n.*80.

## H.

*Habitus.*

Qui eligunt sepeliri cum habitu religionis, cum eo sunt sepeliendi: *p.*281.*n.*209.

Sepe-

Sepeliendus cum habitu Religionis eligere potest ubi voluerit sepulturam, 282. n. 210.

*Hæreticus.*

Hæreticus gaudeatne immunitatis privilegio? p. 206. n. 89.

Fautores & auxiliatores hæreticorũ an priventur immunitate? p. 216. n. 105.

*Homicida.*

An, qui homicidium fecit in Ecclesia, gaudeat immunitatis privilegio? p. 212. n. 100.

An si existens in Ecclesia, sagittâ, plumbeo globo, scopulo, aliove instrumento alium feriat, & occidat, aut mutilet eum, qui extra Ecclesiam existebat, Ecclesiæ immunitate privetur? p. 213. n. 101.

Mandans homicidium in Ecclesia priveturne immunitate? *ibidem*, n. 102.

Homicida proditor an privetur immunitate? p. 214. *& seqq.* n. 103.

I.

*Idololatra.*

An immunitas Ecclesiæ prosit idololatris? p. 206. n. 90.

*Ignorantia.*

An ignorantia excuset à reservatione incurrenda? p. 303. n. 9. *cum seqq.*

Quando ignorantia non tollat jus ad petendum debitum? p. 320. n. 38.

*Immunitas.*

Quid sit privilegium immunitatis? & ex quo jure sit? p. 200. n. 81.

Potestne adversus immunitatẽ prævalere consuetudo? *ibid.* n. 82.

Ampliandumne sit privilegium immunitatis? p. 201. n. 83.

Quibus locis sactis privilegium immunitatis conveniat? p. 201. n. 84. *cum seqq.*

Quæ personæ gaudeãt immunitatis privilegio? p. 205. n. 89. *cum seqq.*

Qui criminosi ab Ecclesiæ immunitate priventur, vel excludantur? p. 210. 211. n. 96. *cum seqq.*

Quos effectus habeat immunitas Ecclesiæ? p. 219. nu. 109. *cum quatuor seqq.*

Quam pœnam & culpam incurrant indebitè extrahentes delinquentes à loco sacro? p. 221. nu. 114. *cum seqq.*

Quomodo confugientes ad Ecclesiã tradi, vel non possint judici sæculari puniendi? p. 224. nu. 119. *cum seqq.*

*Impressio.*

Absque licentia Ordinarii libros imprimere an possint Regulares? p. 152. n. 11. *&* 11.

*Incendiarius.*

An Incendiarius gaudeat immunitate? 218. n. 108.

*Indulgentia.*

Vide *verbo* Privilegium.

*Interdictus, Interdictum.*

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, an gaudeat privilegio immunitatis? p. 205. n. 89.

Interdictus an debeat in sepultura sacra sepeliri? p. 273. n. 195.

Tempore interdicti, an cadavera in loco interdicto sepeliri valeant? *ibid.*

*Interpretatio.*

Quomodo privilegia sint interpretanda? p. 45. n. 70. *cum seqq.*

Quis

Quis possit privilegia interpretari, 46 n. 72.
Privilegia Regularium dubia à quo debeant interpretari? ibid. n. 73.
Privilegia Regularium dubia, an in eorum favorem sint interpretanda? p. 47. n. 74.
Prælati Religionum an possint interpretari, restringere, aut tollere eorum privilegia? 47. 48. n. 75. & 76.

*Irregularitas.*

Extra casus exceptos Clerici tradentes reum judici incurrunt irregularitatem, si reus occidatur, aut mutiletur, p. 225. n. 119.
De facultate Prælatorum ad dispensandum in irregularitatibus, p. 312 n. 24. cum seqq.
De facultate, quam habent Confessarii regulares dispensandi vota, & irregularitates suorum Religiosorum, p. 371. n. 113. cum seqq.
In quibus irregularitatibus, & aliis pœnis possint Religiosi cum sæcularibus dispensare? p. 383. n. 132 cum seqq.
An Episcopus dispensare possit in aliquibus irregularitatibus? p. 384. n. 133. cum alijs seqq.

*Iudex.*

Quid sit judex conservator? p. 245. n. 152.
Privilegia pro eligendis judicibus conservatoribus proponuntur, p. 246. n. 153.
Conservatores Electi an teneantur suam electionē acceptare? p. 247. n. 154.
Semel uno electo conservatore', an possit pro illa causa alius eligi? ibid. n. 155.
Morte Pontificis an exspiret facultas conservatoris? p. 248. n. 157.
Quando, & quomodo Conservatores judices Regularium in cognoscendis causis ipsorum possint adhibere assessorem, notarium, & testes? p. 248. & 249.
Ad quem pertinet conservatorē nominare, seu designare? pag. 249. n. 158.
Quæ forma adhiberi possit à Regularibus ad eligendum, vel instituendum judicē conservatorem? ibid. n. 159.
Quas qualitates debent habere, qui secundùm prædicta privilegia, & sanctiones Apostolicas institui possunt judices conservatores? p. 250. n. 160. cum seqq.
Controversiæ ortæ inter Conservatores, & Ordinarios super competentia jurisdictionis, per arbitros in forma juris electos decidēdæ sunt, & interim in causa non est procedendum p. 252. n. 162.
Ad quid se extendat potestas, & jurisdictio judicū Conservatorum? p. 255. n. 168. cum seqq.
Pœnæ assignatæ pro Conservatoribus excedentibus suam jurisdictionem, p. 260. n. 177.
Vide *verb. Appellatio.*

*Iudæus.*

An immunitas Ecclesiæ prosit Judæis? p. 206. n. 90

*Iubilæum.*

Facultas per Bullam, vel Jubilæum concessa, morte concedentis an cesset? p. 89. n. 146.
An per Jubilæum anni sancti revo-

centur privilegia communia Religionum ? 110.n.31.
Semel Regularis in una diœceſi approbatus virtute Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi, an poſſit ubique in confeſſorem eligi ? p.341.n.71.
Tempore magni Jubilæi poſſunt Regulares cum Religioſis alterius Ordinis confiteri ? 355.n.91.

*Iuriſdictio.*

Juriſdictio an requiratur ad confeſſiones audiendas ? p.322.n.41.
Approbatio, & juriſdictio ſunt res diverſæ, *ibid.*
Vide *verbo Simonia.*

L.

*Latro.*

Quis publicus latro dicatur, cui immunitas Eccleſiæ non proficit ? p.211.n.97.& 98.

*Militares*

Equites Ordinum Militarium an teneantur decimas ſolvere ? p.198. n.79.
An Equites S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, S. Stephani, de Avis, Monteſæ, & alii poſſint confiteri ſacerdoti non approbato ab Ordinario, ſed à ſuis Superioribus expoſito, vel ſecundùm ſua ſtatuta ? p.333.n.58.

*Moniales.*

Moniales an communicent in privilegiis Religioſorum ? p.57.&6. n.91.*cum duplici ſequenti.*
Explorare poſſunt &, debent Ordinarii voluntatem Monialium in Religione exempta profeſſuræ, p.53.54.n.14.
Habet poteſtatem Epiſcopus circa numerum Monialium ſtatuendũ in monaſteriis, & qualiter ? *ibid.*
An poſſint Epiſcopi viſitare clauſuram Monialium exemptarum ad illam conſervandã, vel reſtituendam ? p.168. *na* 37. *cum duplici ſequenti.*
Moniales, an eximantur à ſolutione decimarum ? p.198.n.78.
Quando aliquis apud Moniales ſepelitur, à quo facienda ſint funeralia officia ? p.283.n.212.
Pro Confeſſoribus Monialium approbatio Epiſcopi an requiratur ? p.333.n.59.
Vide *verbo Militares.*

*Moneta.*

Fabricantes, vel falſificantes monetam an gaudeant immunitate ? p.218.n.108.

*Mutilator.*

Mutilatio in Eccleſia patrata privetne immunitatis privilegio ? p.212.n.100.
An ſi exiſtens in Eccleſia, ſagittâ, plumbeo globo, ſcopulo, aliove inſtrumento alium feriat, & occidat, aut mutilet, qui extra Eccleſiam exiſtebat, Eccleſiæ immunitate privetur ? 213.n.101.

*Oracula.*

Vivæ vocis oracula per revocationẽ generalem privilegiorum an intelligantur revocata ? p.116.n.40.
In quo differat oraculum à privilegio Bullato ? p.121.n.50.
Revocationes oraculorum à Gregorio XV. & Urbano VIII. proponuntur, *ibid.*n.51.
Oracula, quæ ſunt merè declaratio-

nes, vel Indulgentias concedunt, an sint revocata ? *p.* 123. *n.* 52.

Oracula pro omnibus concessa an revocentur ? *p.* 123. 124. *nu.* 53. & 54.

An privilegium concessum per Bullam uni Religioni, & alteri communicatum solùm per oraculum, revocatum sit per dictas revocatorias respectu illius Religionis, cui fuit solùm per oraculum concessum ? *p.* 124. *n.* 55.

An privilegia vivæ vocis oraculo cõcessa, & postea confirmata per Bullas, transierint in privilegia Bullata, taliter quòd per revocationes dictas oraculorum non sint revocata ? *p.* 125. *n.* 56. *cum aliis seqq.*

Qualiter oracula, quæ sortita sunt suum effectum ante revocatorias, non sint per illas abrogata ? *p.* 131. *n.* 65. *cum aliis seqq.*

*Patriarchæ.*

An Patriarchæ possint aliquando esse conservatores ? *p.* 251. *n.* 160.

*Privilegium.*

Diffinitio privilegii ? 8. & 9. *n.* 1.

In quo differat privilegium à dispensatione ? *p.* 9. *n.* 1.

Quæ sit materia, & forma privilegii ? *p.* 9. & 10. *n.* 3.

A quo, & quibus privilegium concedi valet ? *p* 10. & *seq. n.* 3. & 4.

An ad licitam, & validam privilegii concessionem aliqua causa requiratur ? *p.* 11. *n.* 6. & 7.

An sit de ratione privilegii, quod est contra jus, seu quod ab observatione legis eximit, ut in ejus concessione per formalia verba derogetur juri communi ? *p.* 12. *nu.* 8. *cum duplici sequenti.*

Privilegiatus teneaturne uti privilegio sibi à jure, vel à Principe concesso ? *p.* 14. *nu.* 11. *cum quatuor sequentibus.*

Privilegium personale, & reale explicatur, *p.* 17. *n.* 17. & 18.

An privilegia Regularium sint realia ? *ibid. n.* 18.

Quando cognoscendum sit, quod privilegium est concessum personæ, vel rei illi adhærenti ? *pag.* 18. *num.* 19.

An in dubio utrùm privilegium sit reale, vel personale, judicandum sit esse reale, vel personale ? *ibidem* & 19. *n.* 20. & 21.

Explicatur privilegium remuneratorium, & gratiosum, *p.* 19. *n.* 22.

An privilegia Regularium sint remuneratoria ? *p.* 20. *n.* 23.

Privilegium affirmativum & negativum explicatur, *ibid. n.* 24.

Privilegium commune & singulare explicatur, *p.* 21. *n.* 25.

Privilegium odiosum & favorabile explicatur, *p.* 22. *n.* 26.

An omnia privilegia Regularibus concessa in communi sint favorabilia ? *ibid.* & 23. *n.* 27. & 28.

Privilegium scriptum, & non scriptum explicatur, *p.* 23. & *seq. n.* 29. *cum duplici sequenti.*

Explicatur privilegium pro foro cõscientiæ, & externo, *p.* 25. *n.* 32.

An quando privilegium conceditur pro foro pœnitentiali, uti eo possit privilegiatus extra Sacramentum pœnitentiæ ? *p.* 26. *n.* 33.

Privilegium absolutum & conditionatum

natum explicatur, *ibid. & 27. nu. 34. & 35.*
Privilegium locale & personale exponitur, *p. 28. n. 36.*
Privilegium perpetuum & temporale declaratur, *ibid. n. 37.*
Exponitur privilegiũ: *Ad instar, p. 29 n. 39.*
Privilegium: *Ex motu proprio*, declaratur. Et in quo distinguatur à privilegio: *Ad instantiam partis. p. 30. n. 40. & 41.*
Explicatur privilegium: *Ex certa sciẽtia, & de plenitudine potestatis, p. 31. n. 42. & 43.*
Exponitur privilegium, in quo habetur clausula: *Appellatione semotâ. p. 32. n. 44.*
Et privilegium, in quo habetur clausula: *Non obstantibus, &c. p. 33. n. 45.*
Et privilegium, in quo habetur clausula: *Ex confidentia hujus indulti, ibid. n. 46.*
Et privilegium, in quo hæc clausula legitur: *Ut non censeatur revocata, nisi de eisdem de verbo ad verbum mentio fiat. p. 34. n. 47.*
Et privilegium cum illa clausula: *Quatenus sunt in usu. ibid. n. 48.*
Et privilegium cum illa clausula: *Quatenus sacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini non adversentur. p. 35. n. 49. & 50.*
Et privilegium cum illa clausula: *Supplentes omnes, & singulos defectus. p. 36. n. 51.*
Et privilegium cum illa clausula: *Prorsus eximimus, ac totaliter liberamus. ibid. n. 52.*
Et privilegium cum illa clausula: *Sine Parochiæ præjudicio. ib. n. 53.*
Et privilegium cum illa clausula: *Decernentes irritum, &c. p. 37. n. 54.*
Et privilegium cum illa clausula: *Ex tunc, prout ex nunc. ibid. n. 55.*
Et privilegium cum illa clausula: *Dummodo peccata non sint in contemptum clavium. ibid. n. 56.*
Scriptura pro privilegii valore an requiratur? *ibid. n. 57. cum seqq.*
In foro externo qualiter probetur privilegium? *p. 39. n. 59.*
An privilegio necessaria sit promulgatio, acceptatio, & notitia illius? *p. 40. 41. à n. 63. usque ad 69. inclus.*
Quomodo privilegia sint interpretanda? *p. 54. n. 70. cum seqq.*
Quis possit privilegia interpretari? *p. 46. n. 72.*
Privilegia Regularium dubia à quo debeant interpretari? *ibid. n. 73.*
Privilegia Regularium dubia, an in favorem sint interpretanda? *p. 47 n. 74.*
Prælati Religionum an possint interpretari, restringere, aut tollere earum privilegia? *ibid. & 48. nu. 75. & 76.*
In quo consistat communicatio privilegiorum? *p. 55. n. 87.*
Qualiter omnes Religiones mendicantes, & non mendicantes sibimetipsis in privilegiis communicent? *ib. n. 88. cum pluribus seqq.*
An Tertiariæ, & Beatæ communicent in aliquibus privilegiis Religiosorum; ubi de aliis etiam personis? *p. 59 60. n. 94.*
An, si privilegia alicui Religioni concessa, alterius Religionis statutis, legibus, aut modo vivendi adver-sen-

sentur, participentur per communicationem ab ista Religione, ita ut eis uti possint Religiosi contra id quod in suis legibus statuitur? *p.63.n.100.*

An Religiones communicantes cum aliis, etiam in odiosis, & pœnalibus communicent, ut, si aliq æ pœnæ, censuræ, vel alia onera sint eis imposita? *64.65.n.102.& 103.*

An mendicantes, & qui cum eis in privilegiis participant, uti possint privilegiis Societatis Jesu, absque licentia sui Generalis, vel Provincialis? *p.66 n.104.& 105.*

An privilegia, quæ habent clausulam incommunicabilitatis, adhuc ab alijs Religionibus valeant communicari? *p.67.n.106.& 107.*

An privilegia concessa uni Provinciæ, uni Conventui, vel Ecclesiæ particulari, vel etiam singularibus personis, censeantur concessa cæteris Provinciis, Conventibus, & Ecclesiis, nec non singularibus personis, ex vi generalis communicationis? *68.n.108, cum aliis sequentibus.*

Ad utendum privilegio pro foro conscientiæ, quid requiratur? *p.75. n.120.*

An Episcopus dubitans de validitate privilegij Regularium, an sit in usu, an subreptitium, an vitiosum, an amissum, aut aliter intelligendum, possi Regulares impedire, ne interim tali privilegio utantur? *ibid.n.121.*

An Regulares possint uti suis privilegiis, etsi contra ea habuerint usum contrarium? *p.76.n.122.*

An Regularis, vel quilibet alius privilegiatus possit omni loco uti privilegiis sibi concessis? *p.78.n.126. cum duplici seq.*

An sufficiat te habere privilegium à superiori Principe concessum, ut contra leges municipales agere possis, vel requiratur illud habere à Principe illius loci, qui legem tulit? *p.78.& 79.n.129.*

An Regulares uti possint privilegiis per Tridentinum revocatis? *p.80. n.130. cum sequentibus.*

An duret privilegium post mortem concedentis, & privilegiati? *p.86. n.139. cum pluribus sequentibus.*

Per temporis lapsum, an privilegium cesset? *p.93.n.1.*

Quando non appositio conditionis privilegium suspendat, vel destruat? *ibid.n.2.*

An cessante causa finali motiva privilegij cesset ipsum privilegium? *p.94.n.3.*

An privilegium, vel dispensatio ad aliquid agendum, vel non agendum cesset unico actu? *ib.n.4.*

Qualiter per renunciationem cesset privilegium, & qui possint illi renunciare? *p.95.n.5. cum aliis sequentibus.*

Qualiter per non usum, vel per contrarium usum, vel per abusum suspendatur privilegium? *p.97.nu.9. cum pluribus sequentibus.*

Raro privilegia Regularium possunt per præscriptionem amitti. *p.105. n.22.*

Quod tempus sit requisitum ad præscribendum contra privilegia Regularium? *p.106.n.23.& 24.*

An contra privilegia Regularium possit dari præscriptio? 107. n. 25.

Qualiter per revocationem privilegia cessare possint, & quis ea revocare valeat? *ibid, & seq. n. 26. cum sequentibus.*

An privilegia Regularium revocentur, vel suspendantur per bullam cruciatam, ubi ista publicatur? *p. 110. n. 31.*

An per Jubilæum anni sancti revocentur privilegia communia Religionum? *ibid.*

Dicendum est per bullam Cœnæ revocari modo omnia privilegia Regularium, quæ sunt contraria Bullæ Cœnæ Domini, quæ singulis annis publicatur. 110 & 111.

In dubio non præsumitur privilegia Regularium esse revocata, nisi de revocatione constet? *p. 113. n. 36.*

Qualiter revocanda sunt privilegia, ut debitum effectum sortiatur revocatio? 114. 115. n. 38. *cum aliis sequentibus.*

Vivæ vocis oracula per revocationem generalem privilegiorum, an intelligantur revocata? *p. 115. n. 40.*

Quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur? *p. 119. n. 45. cum aliis sequentibus.*

In quo differat oraculum à privilegio bullato? *p. 121. n. 50.*

Revocationes oraculorum factæ à Gregorio XV. & Urbano VIII. proponuntur, 122. n 51.

An privilegium concessum per Bullam uni Religioni, & alteri communicatum solum per oraculum, revocatum sit per dictas revocatorias respectu illius Religionis, cui fuit solum per oraculum concessum? *p. 124. n. 55.*

An privilegia vivæ vocis oraculo concessa, & postea confirmata per Bullas, transierint in privilegia Bullata, taliter, quod per revocatorias dictas oraculorum non sint revocata? *p. 125. n. 56. cum sequentibus.*

De Confirmatione privilegiorum sub qua forma, & modo fieri soleat? *p. 133. n. 68. cum sequentibus.*

An per confirmationem ex certa scientia, & de plenitudine potestatis restaurentur privilegia revocata per jus commune, vel per concilium aliquod Generale, absque eo, quod de tali revocatione fiat expressa, & specifica mentio? *p. 136. n. 73.*

An confirmatio *ex certa scientia*, confirmet actum, possessionem, aut privilegium in præjudicium tertij? *137. n. 74.*

An per confirmationem privilegiorum unius ordinis, aliorum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in privilegiis? *p. 138. num. 76. cum sequentibus.*

An possint Regulares privilegio exemptionis renuntiare? *p. 149. n. 7.*

Quæ personæ hujusmodi privilegio exemptionis ab ordinario potiantur? *ibid. n. 8.*

An tale exemptionis privilegium competens Regularium monasteriis, suffragetur etiam personis sæcu-

sæcularibus ibi existentibus, ob idque delinquentes in monasteriis Regularium non subjaceant pœnis latis ab ordinariis contra taliter delinquentes? 150. n. 9.

An quando uni Religioni datur privilegium communicationis in privilegiis alterius, inter quæ unum est exemptio à solutione decimarum, ex vi illius possit Religio communicans eximi à solutione decimarum, prædiorum, quæ ante concilium Lateranense possi debant, sed etiam de prædiis, terris, arboribus in futurum possidendis ab eis? p. 194. n. 73.

An hujusmodi privilegium de non solvendis decimis, extendatur ad prædia conducta, locata, vel in Emphyteusim accepta ab ipsis Religiosis, quæ ipsi propriis manibus, aut sumptibus colunt, licet aliena sint, & à monasterio conducta? p. 197. n. 77.

Qui Regulares privilegiis exemptionis à decimis fruantur? 198. n. 78. & 79.

Quando amittantur supra dicta privilegia exemptionis à decimis? p. 199. n. 80.

Quid sit privilegium immunitatis? & ex quo jure sit? 200. n. 81.

Ampliandum ne sit privilegium immunitatis? p. 201. n. 83.

Quibus locis sacris privilegium immunitatis conveniat? ib. n. 84. cum sequentibus.

Quæ personæ gaudeant immunitatis privilegio? p. 205. n. 89. cum sequentibus.

De privilegiis nova Monasteria fundandi concessis Regularibus, ea mutandi, transferendi, deserendi, vel etiam renuntiandi? pag. 227. n. 124. cum sequentibus.

De privilegiis eligendi judicem conservatorem regularibus concessis, p. 245. n. 152. cum sequentibus.

Privilegia concessa Regularibus ad eligentes in suis Ecclesiis sepulturas sepeliendos, p. 278. n. 204.

Qualiter privilegia de non solvenda quarta funerali proficere possint? p. 285. n. 218.

Privilegia quibus Carmelitæ Discalceati à solutione quartæ funeralis eximuntur. p. 286. n. 219. cum sequentibus.

Nullum modo extat privilegium, ut Regulares sine approbatione Episcopi possint sæcularium confessiones audire. p. 323. n. 42.

De Privilegiis Confessorum Regularium in ordine ad absolvendum proprios religiosos à casibus reservatis. p. 366. nu. 107. cum sequentibus.

De privilegiis, & obligationibus concionatorum Regularium pag. 389. n. 141. cum sequentibus.

Vide verb. Novitius verb. oraculum.

*Proditor.*

Homicida proditor an privetur immunitate? p. 214. & seq. n. 103.

*Promulgatio, Publicatio.*

An in privilegio necessaria sit promulgatio, acceptatio & notitia illius? p. 40. 41. à n. 63. usque ad 69. inclusivè.

Quæ

Quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur? *p.* 119. *n.* 45. *cum aliis sequentibus.*

*Proprietarius.*

Religiosus proprietarius, an privetur Ecclesiastica sepultura? *pag.* 272. *n.* 193.

Q.

*Quarta Funeralis.*

QUartam funeralem qui solvere teneantur? *p.* 285. *n.* 217.

Qualiter privilegia de non solvenda quarta funerali proficere possint? *ib. n.* 218.

Privilegia, quibus Carmelitæ Discalceati à solutione quartæ funeralis eximuntur, *p.* 286, *num.* 219. *cum sequentibus.*

Plures sententiæ in favorem Carmelitarum Discalceatorum de non solvenda quarta funerali. *p.* 291. *n.* 227.

Quæ religiones sint à solutione quartæ funeralis exemptæ? & quid teneantur solvere? quæ illam reddere teneantur. *ib. & 292. n.* 228. *cum sequentibus.*

*Regulares.*

Aliquæ difficultates à sacra Congregatione resolutæ circa Regulares, *p.* 157. *n.* 19.

*Vide verbo* Privilegium, *verbo* Exemptio, *verbo* Episcopus, *verbo* Impressio, *verbo* Immunitas, *verbo* Sepultura.

*Religiosus.*

An Religiosi respectu suorum prælatorum gaudeant immunitatis privilegio? *p.* 207. 208. *numero* 92. *& 93.*

Religiosi de licentia suorum prælatorum, Sacerdotes simplici, an possint confiteri? *p.* 328. *n.* 49.

*Renuntiatio.*

Qualiter per renuntiationem cesset privilegium? & qui possint privilegiis renunciare? *pag.* 95. *numer.* 5. *& 6.*

Qualis acceptatio Principis requiratur, ut privilegium per renuntiationem cesset? *p.* 96. *n.* 7.

Qui renunciationem acceptare possit? *p.* 97. *n.* 8.

In dubio an quis renunciaverit, vel non, quid dicendum? *ibid.*

Ob renunciationem tacitam, sine animo renunciandi non amittitur privilegium? *p.* 103. *n.* 18.

Privilegio uti potest per sententiam condemnatus ad amissionem illius, qui animum renunciandi non habet. *ibd. n.* 19. vide *verbo* Novitius.

*Rescriptum.*

Quid sit rescriptum gratiæ & justitiæ? *p.* 86. *n.* 139.

Si rescriptum sit justitiæ seu jurisdictio delegata, an expiret finita jurisdictione in delegante? *pagin.* 88. *n.* 142.

Rescriptum gratiæ, an spiret morte concedentis? *ibid. n.* 143.

An rescriptum gratiæ spiret morte privilegiati, vel rescriptum justitiæ morte delegati, aut ejus finito officio *p.* 91. *n.* 150.

*Revocatio.*

Diversæ clausulæ explanantur, quæ solent in privilegiis pontificum reperiri, vel in eorum confirmationibus, & revocationibus? *p.* 28. *numer.* 38. *cum pluribus sequentibus.*

Qualiter per revocationem privilegia cessare queant, & quis ea revocare valeat? *p.* 107. *num.* 26. *cum sequentibus.*

An privilegia regularium revocentur, vel suspendantur per Bullam Cruciatam, ubi ista publicatur? *p.* 110. *n.* 31.

An per Jubilæum anni sancti revocentur privilegia communia religionum? *ibid. & p.* 111.

Dicendum est, per Bullam Cœnæ revocari modo privilegia regularium, quæ sunt contraria Bullæ Cœnæ Domini, quæ singulis annis publicatur? *ibid.*

In dubio non præsumitur, privilegia regularium esse revocata, nisi de revocatione constet. *pag.* 113. *n.* 36.

Qualiter revocanda sint privilegia, ut debitum effectum sortiatur revocatio? *p.* 114. 115. *n.* 38. *cum aliis sequentibus.*

Vivæ vocis oracula per revocationem generalem privilegiorum, an intelligantur revocata? *p.* 115. 116. *n.* 40.

Quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur? *p.* 119. *n.* 45. *cum aliis sequentibus.*

Revocationes oraculorum factæ à Greg. XV. & Urbano. VIII. pro ponuntur? *p.* 122. *n.* 51.

An privilegium concessum per Bullam uni religioni, & alteri communicatum solum per oraculum, revocatum sit per dictas revocatorias, respectu illius religionis, cui fuit solum per oraculum concessum? *p.* 124. *n.* 55.

An privilegia vivæ vocis oraculo concessa, & postea confirmata per Bullas, transierint in privilegia Bullata, aliter, quòd per revocationes dictas oraculorum, non sint revocata? *p.* 125. *n.* 56. *cum aliis sequentibus.*

Qualiter oracula, quæ sortita sunt suum effectum ante revocatorias, non sint per illas abrogata? *p.* 131. *n.* 65. *cum aliis sequentibus*

An per confirmationem ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, restaurentur privilegia revocata per jus commune, vel per Concilium aliquod generale, absque eo, quod de tali revocatione fiat expressa, & specifica mentio? *p.* 136. 137. *n.* 73.

Vide *verbo* Privilegium, *verbo* Confessarius.

*Sepultura.*

Quid sit sepultura Ecclesiastica? *p.* 272. *n.* 179.

Quando committitur simonia Ecclesiasticam sepulturam vendendo? *ibid. n.* 180.

An in sepultura propria alicujus possit alter sepeliri? 263. *n.* 181.

Qui possint eligere sepulturam? *p.* 264 *n.* 182.

Qualiter electio sepulturæ sit probãda? *p.165. n.183.*
In quo sepulchro sepeliendus sit, qui non elegit sepulturam? *ibid. n 184. cum seqq.*
Pœnæ contra inducentes ad promissionem electionis sepulturæ in suis Ecclesiis, *p.269. n. 189. & 190.*
An extrahentes aliquod corpus à sepultura pœnã aliquam incurrant? *p.270. n.191.*
Quibus ex jure neganda sit sepultura Ecclesiastica? *p.271. n. 192.*
Quod peccatum committant, & quas pœnas incurrant sepelientes defunctum in loco sacro in dictis casibus prohibitis? *p.277. n. 201 cum seqq.*
Privilegia concessa Regularibus ad eligentes in suis Ecclesiis sepulturas sepeliendos, *p.278. n.204.*
Parochi, qui impediunt quòd fideles apud Regulares sepeliantur, an peccent, & quam pœnam incurrant? *p.279. n.205.*
Qualiter gerere se debeant Regulares cum Parochis, quando aliqui sepeliendi sunt in eorum Ecclesiis? *p.280. n.207.*
Qui eligunt sepeliri cum habitu Religionis, cum eo sunt sepeliendi, *p.281. n.209.*
Sepeliendus cum habitu Religionis eligere potest, ubi voluerit, sepulturam, *p.282. n.210.*
A quo fieri debeat officium super cadavera tumulanda in Regularium Ecclesiis? *n, 283. n.211. & 212.*
Sæcularis in monasterio moriens ubi sit sepeliendus? *p.284. n.213.*

*Societas Iesu.*

Privilegiis concessis Societati, an ipsa uti possit absque licentia sui Generalis? *p.66. n.104.*

*Sodomita.*

Sodomita an gaudeat immunitate? *p.218. n.108.*

*Suspensus.*

Suspensus gaudeatne privilegio immunitatis? *p.205. n.89.*

*Tertiariæ.*

An Tertiariæ communicent in aliquibus privilegiis Religiosorum? *p.59. & 60. n.94.*

*Testamentum.*

Facultas testandi concessa Episcopis à Papa, an expiret morte Pontificis? *p.89. & 90. n.147.*
An possint Episcopi visitare testamenta, & illorum reddere rationem teneantur Regulares, quando monasteria eorum hætedes relinquuntur universales? *p.170. n.40. cum seqq.*
Vide *verbo* Novitius.

*Testis.*

Testis falsus an gaudeat immunitate? *p.218. n.108.*
Vide *verbo* Reus.

*Vicarius.*

In erigendis monasteriis, an Vicarius Episcopi, vel Vicarius Capitularis licentiã præstare valeat? *p.228 n.126.*
Vicarii Generales Episcoporum, an aliquando possint esse Conservatores? *p.250. n.160.*
Vicarius Conventuum non habentium Priores, an possint eligi aliquando in Conservatores? *p.252. n,163.*

Quid

Quid dicendum de Vicariis habentibus in suis monasteriis supra se alium Superiorem ? *ibid.*

Vide *verb.* Episcopus.

*Violator.*

Violatores virginum an gaudeant immunitate ? *p.*218.*n.*108.

Vide *verb.* Immunitas.

*Virginitas, Virgo.*

Violatores virginũ an gaudeant immunitate ? *p.*218.*n.*108.

Vide *verb.* Castitas.

*Votum.*

De facultate, quam habent Confessarii Regulares dispensandi vota, & irregularitates suorum Religiosorum, *p.*371.*nu.*113. *cum sequentibus.*

Vide *verbo* Paupertas. *verbo* Obedientia. *verbo* Castitas.

*Vsurarius.*

An Usurarius privandus sit ecclesiastica sepultura ? *p.*274.*n.*197.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Speculum
Privileg. Regul.
P. P. d' Angelis

Th
4756

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN